Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8

50. b. 12.

8.-2.G.23.

DE PHILOLOGIA, STUDIIS LIBERALIS DOCTRINÆ, *INFORMATIONE & EDUCATIONE* LITTERARIA GENEROSORUM ADOLESCENTUM,

Comparanda prudentia juxta & eloqventia civili, libris & Scriptoribus ad eam rem maximè aptis, qvôqve ordine Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ monumenta ſint legenda,

TRACTATUS

GVILIELMI BUDÆI, THOMÆ CAMPANELLÆ, JOACHIMI PASTORII, JOH. ANDREÆ BOSII, JOH. SCHEFFERI, & PETRI ANGELII BARGÆI.

QVOS

THOMAS CRENIUS

Collegit, recenſuit, emendavit, in inciſa ſive commata diſtinxit, & notis ſuis, ac locis Auctorum, ubi è re ſuit, additis, accuratôqve indice auxit.

ACCEDUNT

Iuſti Lipſii ſuis de Politicorum libris, ut & Ammiano Marcellino ac Aurelio Victore duæ, tertiaqve Joachimi Paſtorii; hactenus ineditæ epiſtolæ.

LUGDUNI in BATAVIS
Ex Officina DAVIDIS SEVERINI. 1696.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

A 6 ++ –

Illuſtri, Generoſo & Nobiliſsimo
Genere, Virtute ac ſapientiâ VIRO,

DN. DN. GODARDO DE TUYL
DE SEROSKERCKEN
TOPARCHÆ IN WELLANDT, ZOELEKERCKEN &c.

Qvondam primae Claſsis Ordinibus Trajectinae Provinciae adſcripto.

BIBLIOTECA ... ROMA

Optimorum ſtudiorum inſigni Patrono

THOMAS CRENIUS

S. P. D.

Ex qvo tempore divina me adeò benignè reſpexit providentia, ut aliqvanto propiùs debita cum obſervantia ad TE accedere, qvodqve me noveris gloriari potuerim: facile intellexi, amari à TE atqve magnipen-

di optimarum diſciplinarum atqve artium ſtudia, qvæ ad elegantiam & humanitatem faciunt; TEqve non obiter, qvod vulgò ſolet, neqve leviter iis imbutum, præthereà & incredibili, ceu individuâ litterarum elegantiorum comite atqve ſociâ, humanitate præditum eſſe. Qvô nomine cùm admirari TE, VIR SUMME, initiò cœpiſſem, poſteà qvando iterum atqve rurſus, cùm tempus atqve negotia tulerunt, convenire, unà verſari & ſermonem liberiùs conferre datum fuit, comperi, TE non ſolùm eruditæ ac ſolidæ doctrinæ facultate, ſed pietatis qvoqve virtutiſqve & ſapientiæ cultu, amplitudine & copiâ excellere planè; qvippe qvi inter primos ſeculi viros legendus es ac numerandus hâc ætate, qvâ ſive ignorantiâ, ſive ſtolidâ ambitione præclaræ artes conte-

mnun-

mnuntur omnes. Et libenter inprimis provocamus ad exemplum tuum, qvi cum inluſtri dignitate ſummam eruditionem ac modeſtiam, pronumqve in litteratos adfectum, & idcirco horum qvoqve in TE ſtudia, conjunxiſti. Inde tanta apud omnes ubiqve nominis Tui reverentia atqve fama eſt, ut, qvicumqve litteras amant, & in iis nonnihil profecerunt, univerſa ſtudia ſua TIBI ac patrocinio tuo commendari qvàm cupidiſſimè velint. In qvibus cùm & ego qvoqve nomen meum profitear, non dubitavi pulſare tuas fores, utut per ſe facilè patentes omnibus, certè mihi perſvadens, libenter aliqvid TE lecturum, ab eo miſſum, qvi TE plurimis fecit annis maximi; nec ingratum TIBI id futurum, undecumqve depromtum eſſet, & qvidqvid foret, tùm qvòd felicis-

ſimum ingenium Tuum per univerſam bonam eruditionem diffudiſſes, tum qvod TU, VIR MAXIME, ſi qvis alius, ſemper ſolitus fuiſſes, *noſtras eſſe aliqvid putare nugas.* Enimverò cùm viderem Domini frontem agro prodeſſe plus qvàm occipitium, neqve aliud illum æqvè pingvefacere ac patrisfamilias ſtrenuam inſpectionem: in id ſecundâ curâ incumbendum mihi eſſe duxi, ſi qvô modô faventes meis ſtudiis, conatibus, ἐργοδιώκτας, laborumqve ſupremos Exactores invenire poſſem; qvorum hodie copia tanto rarior eſt, qvanto magis opus eſt proletariis hujus ſeculi veſtibus atratis uti, qvibus lugeant Mæcenates, ut feſtiviſſimè alicubi ætatis noſtræ Martialis ludit. Talibus profectò nunc, ſi unqvam antè, opus eſt, Tuiqve ſimiles niſi contingant Mæcenates, taleſqve Præſi-

ſides, fiet hoc, ut, qvemadmodum aliis in locis, in qvibus floruerunt maximè, ita nos apud etiam litterae ac humanitatis ſtudia prorſus intereant. Itaqve ut favorem & adfectum ex iis apud TE captem VIR ILLUSTRIS, eumqve iis & mihi conſerves, patrociniumqve Tuum praeſtare non deſinas, ego & meô & illorum qvaſi locô & nomine peto vehementer atqve contendo: qvi etſi fortè haec cum eximio ſucceſſu non colo ſtudia vel praeclaro, ſed potiùs mediocri: ita tamen erga haec adfectus ſum, ut cùm neqve magnam rem neqve dignitatem conciliare cultoribus ſuis experiar, non tamen odiſſe illa poſſim, vel nullas potiùs occupationes his praeferam omnium. Atqve inde occaſione ſumtâ tantò laborioſiùs animi mei agellum conſero, & tantò enixiùs pario fructus, qvantò magis experior

oc-

occaſui vicinum ſcientiarum Phœbum eſſe, ut, ſi vitam ſupremus non neget Arbiter, qvamvis non in eruditiſſimorum virorum tribum & ſeculi noſtri Varronum, qvorum inopiam nemo non praevidet facilè, recipi dignus ſim, tamen inter eos haberi merear, qvi ſaltem revocare poſtliminio fugitivas artes, & qvamvis diem inferre non poſſint, tamen vetare barbariei noctem, perituraſqve ab interitu retrahere conabuntur. Meum autem ſtudium & conatum hunc ſerviendi Illuſtri Nomini Tuo, ut gratum TIBI acceptumqve eſſe patiaris, majorem in modum ſummâqve obſervantiâ etiam atqve etiam contendo. Vale VIR maxime cum Illuſtri familia omni qvàm felicisſimè. Scribebam Lugduni in Batavis a. d. v. KL. Maji ∞ DC. XCVI.

I.

DE

STUDIO LITTERARUM,

RECTE ET COMMODE INSTITUENDO,

Ad invictiſſimum, & potentiſſimum principem Franciſcum Regem Franciæ: Gulielmô Budæô Pariſienſi, Conſiliariô regiô, libellorumqve ſupplicum in regia Magiſtro, auctore.

ITEM

Eiuſdem G. Budæi de Philologia libri II. ad Henricum Aurelienſem, & Carolum Angoliſmenſem, Regis filios.

ſimum ingenium Tuum per univerſam bonam eruditionem diffudiſſes, tum qvod TU, VIR MAXIME, ſi qvis alius, ſemper ſolitus fuiſſes, *noſtras eſſe aliqvid putare nugas.* Enimverò cùm viderem Domini frontem agro prodeſſe plus qvàm occipitium, neqve aliud illum æqvè pingvefacere ac patrisfamilias ſtrenuam inſpectionem: in id ſecundâ curâ incumbendum mihi eſſe duxi, ſi qvô modô faventes meis ſtudiis, conatibus, ἐργοδιώκτας, laborumqve ſupremos Exactores invenire poſſem; qvorum hodie copia tanto rarior eſt, qvanto magis opus eſt proletariis hujus ſeculi veſtibus atratis uti, qvibus lugeant Mæcenates, ut feſtiviſſimè alicubi ætatis noſtræ Martialis ludit. Talibus profectò nunc, ſi unqvam antè, opus eſt, Tuiqve ſimiles niſi contingant Mæcenates, taleſqve Præſi-

ſides, fiet hoc, ut, qvemadmodum aliis in locis, in qvibus floruerunt maximè, ita nos apud etiam litterae ac humanitatis ſtudia prorſus intereant. Itaqve ut favorem & adfectum ex iis apud TE captem VIR ILLUSTRIS, eumqve iis & mihi conſerves, patrociniumqve TUUM praeſtare non deſinas, ego & meô & illorum qvaſi locô & nomine peto vehementer atqve contendo: qvi etſi fortè haec cum eximio ſucceſſu non colo ſtudia vel praeclaro, ſed potiùs mediocri: ita tamen erga haec adfectus ſum, ut cùm neqve magnam rem neqve dignitatem conciliare cultoribus ſuis experiar, non tamen odiſſe illa poſſim, vel nullas potiùs occupationes his praeferam omnium. Atqve inde occaſione ſumtâ tantò laborioſiùs animi mei agellum conſero, & tantò enixiùs pario fructus, qvantò magis experior oc-

occaſui vicinum ſcientiarum Phœbum eſſe, ut, ſi vitam ſupremus non neget Arbiter, qvamvis non in eruditiſſimorum virorum tribum & ſeculi noſtri Varronum, qvorum inopiam nemo non praevidet facilè, recipi dignus ſim, tamen inter eos haberi merear, qvi ſaltem revocare poſtliminio fugitivas artes, & qvamvis diem inferre non poſſint, tamen vetare barbariei noctem, perituraſqve ab interitu retrahere conabuntur. Meum autem ſtudium & conatum hunc ſerviendi Illuſtri Nomini Tuo, ut gratum TIBI acceptumqve eſſe patiaris, majorem in modum ſummâqve obſervantiâ etiam atqve etiam contendo. Vale VIR maxime cum Illuſtri familia omni qvàm felicisſimè. Scribebam Lugduni in Batavis a. d. v. KL. Maji ∞ DC. XCVI.

I.

DE

STUDIO LITTERARUM,

RECTE ET COMMODE INSTITUENDO,

Ad invictiſſimum, & potentiſſimum principem Franciſcum Regem Franciæ: Gulielmô Budæô Pariſienſi, Conſiliariô regiô, libellorumqve ſupplicum in regia Magiſtro, auctore.

ITEM

Ejuſdem G. Budæi de Philologia libri II. ad Henricum Aurelienſem, & Carolum Angoliſmenſem, Regis filios.

TESTIMONIA SCRIPTORUM
De BUDÆO.

Paull. Jovius Elog. doct. Virorum num. XCVII.

GUlielmus Budæus non Galliæ modò, ſed totius etiam Europæ longè doctiſſimus, qvi ſummæ eruditionis librô de Aſſe, alteroqve in Pandectas editô, ac infinitâ demum lectione confectis commentariis nulli communicatâ laude æqvales omnes doctrinæ auctoritate ſuperavit.

Ludov. Vives in II. Auguſt. de Civ. Dei c. XVII. p. m. 208. *ſ.*

Budæô Gallia acutiore ingeniô, acriore judiciô, exactiore diligentiâ, majore eruditione nullum unquam produxit: hâc verò ætate nec Italia qvidem. Nihil eſt uſqvàm vel Græcorum, vel Latinorum ſcriptorum, qvod ille non evolverit, legerit, excuſſerit. Græca & Latina juxta & ſummè callet. Tàm facilè utrâqve lingvâ loqvitur, qvàm Gallicâ, qvæ eſt ei vernacula, haud ſcio an etiam faciliùs. De libro Græco qvæ ſunt ſcripta, leget Latinè: de Latino Græcè. Hæc qvæ videmus tàm elaboratè, tàm excultè ab eo conſcripta, extemporali ſunt ei facultate parta. Facilius tùm Græcè ſcribit, tum Latinè, qvàm etiam earum lingvarum periſſimi intelligant. Nihil eſt tàm reconditum, tàm abſtruſum in his lingvis, qvod non perveſtigârit, adierit, inſpexerit, & velut Cerberum è tenebris produxerit in lucem. Infinitæ ſunt ſeu vocum ſignificationes, ſeu loqvendi figuræ ac proprietates, qvas unius Budæi operâ ſciunt homines ſtudioſi prioribus ſeculis ignoratas. Et hæc qvidem omnia tanta & tàm admirabilia ipſe per ſe ſine magiſtro ullo perdidicit. Felix ac fœcundum ingenium, qvod in ſe uno invenit & doctorem, & diſcipulum, & docendi viam, rationemqve. Et cujus decimam partem alii ſub magnis magiſtris vix diſcunt, ipſe id totum à ſe magiſtro edoctus eſt. Nihil dixi de ſcientia juris, qvæ per ipſum inſtaurari collapſa jam cœpit, nihil de philoſophia, cujus ipſe in libris de aſſe id ſpecimen edidit, qvod edere non qviviſſet niſi homo, qvi in omnium philoſophorum libris aſſiduò verſatus eſſet, maximosqve in eis progreſſus haberet. Accedit his omnibus, qvod haud dubiè ceteras res univerſas antecellit, probitas, tantæ doctrinæ congrua deceníqve, tàm rara, tàmqve admirabilis, ut ſine ceteris ingenii dotibus monumentisqve miraculum poſſet videri: ut eruditione, ita & probitate ſuperiorem non habet. Qvi in omni vita actibuſqve tàm variis primas ſemper religioni partes attribuit. Qvi vir conjugatus liberorum plenus, nunqvam commodis ullis & rei familiaris incrementis transverſus eſt actus, ſemper ſeqve ſuamqve fortunam rexit & moderatus eſt: nec à fortuna qvantumvis magnâ

ſpe

propoſitâ, abripi ſeſe permiſit, ſemper ſeipſum habuit in ſua poteſtate. omo verſatus in legationibus in aula, inter principes viros, nihil unquam itiæ dedit, nulli aſſentari in animum induxit, patrimonium nunqvam xit, quòd à recto vel pilum latum deflectere non ſustinuit, in ſeipſum acrior àm in alios judex: muneribus invidioſiſſimis functus, non invenit, à qvo ›eculâ ſpargeretur ullâ, vel ſuſpicione criminis qvamlibet perſtringeretur am in libera gente, nec omnino muta, & ſatis ſuſpicaci. Sentio me mom deſtinatæ brevitatis egreſſum, dum me loqvendi de amico longè optimo lcedo tenuit.

Eraſmus Roterod. in Adnotationib. in Matth. V. p. m. 29.

Gulielmus Budæus immortale ſuæ gentis decus: utpote vir non ſolùm omnium, qvos unqvam Gallia genuit, eruditiſſimus, verùm etiam diligentiſſimus.

Idem 1. Epiſtol. VII. p. m. 14. 15.

Doctorum nullus eſt, qvi Budæum non ſuſpiciat. Atqve ipſe qvoqve Liacrus, vir exacti qvidem, ſed ſeveri judicii, & qvi non temerè probet qvembet, Budæo nihil non tribuit. Video te (Budæum) hanc provinciam ſuſceiſſe, ut optimas litteras ab ἀπαιδεύτως πεπαιδευμένων tyrannide vindices, & riſtinam illam laudem noſtræ adferas Galliæ. Et 1. *Ep. VIII p.* 17 audit Buæus ipſi decus Galliarum, ac litterarum antiſtes. Item 1. *Ep. X. p.* 19. Dii vix poteſt, qvantoperè Cutbertus Tunſtallus apud Anglos ſcriniis præfectus uſpiciat eruditionem tuam, qvam alioqvi nemo non admiratur, niſi qvi non ntelligit. Nam ſanctè dejerat, neminem omnium τῶν καθ᾽ ἡμᾶς argutiùs aut eegantiùs ſcripſiſſe Græcè, qvàm Budæum. At idem non negat, tibi Romaıum ſermonem non ſolùm eſſe puriſſimum caſtiſſimumqve, verùm etiam iberem ac locupletem. p. 21. Sed illud qvàm feſtivum, exigis, ut de tuo ingenio pronunciem, qvaſi verò is ſim, qvi vel aſſeqvar rariſſimas iſtas ac penè livinas animi tui dotes. De Budæo jamdudum eruditiſſimorum hominum ſeıatus magnô conſenſu pronunciavit. Qvorum ſententiæ ſi ſubſcripſero, qvantulum fuerit hoc momenti, qvod unius homunculi plebeji poſſit adferre calculus. Sin diſſentiam, qvis ferat impudentiam. Cùm tua lego, mi Budæe, videre videor locupletiſſimum qvemdam patrem familias, non qvalis fuit Lucullus, cui plura domi erant, qvæ fallerent dominum, qvemadmodùm inqvit Horatius, & prodeſſent furibus: ſed non minùs diligentem, qvàm locupletem, cui ſuæ opes & probè cognitæ ſint, ac ſingulis in ſuos digeſtis nidulos cuncta in procinctu ſint, ac velut in numerato. Præſtant hoc tibi partim accuratiſſimi indices, qvos olim in hunc uſum ad omnes tuos codices paràſti: partim atqve adeò multò maximè feliciſſima iſta memoria, & qvôvis indice fidelior: unde fieri video, ut aliqvoties inſignium rerum hinc atqve

hinc ſeſe confertim offerentium copiâ velut obruaris ac degraveris, neqve ſinaris manum de tabula tollere. Atqve ita accidit fortaſſis, ut lector ceu conviva faſtidioſulus alicubi modum apparatus in te deſideret. Adhæc cùm nihil uſqvam eſſe patiaris, nec in rebus, nec in verbis, qvod cum vulgo triviisqve tibi commune ſit, hoc eſt, qvod non inſigne ſit & exqviſitum, eqve penitiſſimis Muſarum aditis depromptum, nuſqvam remiſſus, nuſqvam oſcitans, ſed ſemper urgens, & inſtans tibi: fieri neceſſum eſt, ut non temerè tuis delectetur, niſi lector egregiè doctus, & idem otioſus, nec minùs interim attentus, atqve is plus propè laboret legendo, qvàm tu ſcribendo. Nam tibi qvidem eam facultatem diutinus jam & exactiſſimus dicendi, ſcribendiqve uſus peperit, ùt ea qvoqve tibi citra curam fluant, qvæ nobis magnô ſtudiô videantur elaborata. Jam animadverto te metaphoris ac parabolis impendiò delectari: qvas habes pleraſqve mirè raras, & inſigniter argutas, ſed qvam ſemel amplexus ſis, ab ea vix unqvàm divelli potes: unde fit, ut cùm totus ſermo gemmeus ſit potiùs qvàm gemmis diſtinctus, nonnihil videatur à naturali ſimplicitate recedere. Atqvi cùm in iis, qvæ conſtant artificiô, alios alia capiant: qvod nativum ſit, id occultâ qvâdam vi tangit & allicit omnes, nec paulò jucundiùs irrepit & illabitur in animos hominum, veluti cognatum Nam qvòd ubiqve πάνυ φιλόπατρις es, à multis laudi dabitur, à nemine non facilè condonabitur: qvanqvàm φιλοσοφικώτερον eſt meâ ſententiâ, ſic de rebus & hominibus agere, ut mundum hunc communem omnium patriam eſſe ducamus, etiamſi pulcherrimam orbis Chriſtiani partem Galliam eſſe fatear. Ad hæc, dum in παρεκβάσεις eruditiſſimas ſimul & amœniſſimas crebriùs exſpatiaris, & in his longulè commoraris, periculum fortaſſis eſt, ne qvis moroſior, ita ſecum cogitet: præclara qvidem hæc & ſplendida, ſed ut olim τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον, ita qvid iſta ad Aſſem? Ceterùm ego & video, ni fallor, & probo tuum hac in re conſilium. Iſtiuſmodi locos aliqvot tibi paraveras, uſurus ſimulatqve incidiſſet occaſio. Eos non incallidè miſcuiſti argumento qvanqvàm alieniori: ut hâc arte pariter & laterent fallerentqve τοὺς βιβλίακας, & legerentur ab eruditis & candidis, nec unqvàm interciderent intermixta rebus, vel ob ſolam utilitatem victuris. Unum illud non ſatis potui conjectare, qvô tandem conſiliô opus tàm eximium, & dubio procul immortale futurum nemini volueris dicare nominatim. Neqve enim dubito, qvin id certô aliqvô conſiliô ſit factum. Video qvidem jamdudum, qvàm ſim ineptus, qvi de tuo ingenio extra omnem aleam cenſuræ poſito qvidqvam judicem. Sed qvid facerem? Ita jubet Budæus. Minus improbum arbitror, ineptire, qvàm tibi parum eſſe morigerum. Neqve tamen hæc dixerim, qvod ullam ingenii dotem in tuis ſcriptis deſiderem, aut ullo offendar incommodô. Primùm enim admodùm ſim incivilis, ſi me in corpore tàm ſpecioſo unus aut alter nævus offendat. Deinde ſic amo Budæum, ùt etiam ſi qvis ineſſet nævus, is meis oculis blanditurus ſit. Neqve tamen uſqve adeo amore tui cæcutio, qvin illud verè perſpexiſſe me credam, nihil hactenus produxiſſe Gallias, qvod cum ingenii tui monumentis in certamen venire poſſit, & tamen omnibus à tergo relictis, qvotidie temetipſum ſuperas. (*Hanc ad Eraſmi epi-*

ſtolam

n qvid Budæus reſponderit, qvomodoqve ſtylum ſuum excuſarit, qvem fortè b re, ſumma tamen cum modeſtia & civilitate; cenſuit harum rerum non obirudens Eraſmus aliqvô modô obſcurum, nec ubivis æqvè proprietate debitâ ac icitate incedentem, vide in ſeqvente Operis Epiſtolici Eraſmiani epiſtola p. m. . n. XI. Ego ſanè totus Eraſmo hac in parte ſubſcribo, proprietatem ſtyli ac peritatem primas eleganter dicendi rationes putans, qvas qvandoqve à Budæo neas eſſe, ſicuti nec ipſe ibi negat, ita nec inficiabitur eum qvi legit, quidqve ſcriſit, compertum habet.) Alibi illi ipſi Eraſmo Budæus ob raram eruditionem gqviſitam diligentiam Galliæ portentum eſt.

Theod. Beza in Iconib.

udæo reſtitutam Græcæ lingvæ cognitionem debere ſe Gallia & omnes alumni profitentur.

aurent. Humfredus I. *Interpretationis Lingvar. p. m.* 22.

Habet & Juris peritia ſuos imperitos interpretes Bartolos, Baldos & Accur-, qvos in Adnotationibus Pandectarum, & aliis in libris diligentiſſimus mo & acutiſſimus Guiliel. Budæus jure optimô reprehendit. Et ibid. in p. laudat præſentem, qvem edimus ex editione Baſileenſi M. D. XXXIII. 8vo Sermonem de reſtituenda Philologia cum Rege Franciſco habitum.

Petr. Victorius IX. Var. Lect. c. XVII.

Budæus ſummi judicii vir, reconditæqve doctrinæ. Et l. xv. c. xix. Buus doctiſſimus accuratiſſimuſqve.

Caſp. Barthius I. *Adverſ. c. X. col.* 20.

Budæus olim princeps humanarum artium. Et l. v. c. x. col. 230. Budæus r ſeculô ſuô primarius. Et l. xxxvi. c. i. col. 1630. Summi ſuô ævô nominis Gul. Budæus.

Epitaphium ejus annô M. D. XL. mortui hoc eſt.

udæus columen, decuſqve Grajûm:
udæus Latiæ corona lingvæ:
udæus dubii lucerna juris:
udæus Pater elegantiarum,
t fons totius eruditionis.
Budæus patriæ jubar corruſcum:
Regis delitium ſui, ſuæqve (tas.
Tempeſtatis honos, lepor, volup-
Hic terræ exuvias reliqvit, Orbi
Famam, aſtris animam. Viator ito.

DE
STUDIO LITTERARUM
Recte & commodè inſtituendo,

Ad inviƈtiſſimum & potentiſſimum

PRINCIPEM FRANCISCUM

Regem Franciæ.

1 HONOS alit artes *, contritum eſt uſu vetuſtatis proverbium (), Princeps potentiſſime, non tam ad opificia qvæ dicuntur (a) ſellularia, æraqve & ſtipes merentia, qvàm ad eas artes pertinens, qvas priſci (b) tum ingenuas (c), tum liberales appellandas eſſe dixerunt. 2 hoc nimirum intelligi volentes, dignas illas iis hominibus eſſe, qvi nec ſervitutem ſervirent, nec degeneri mente nati, aut

* *Honos alit artes*] Eſt qvidem vera felicitas in titulis atqve honoribus ſtatuenda minimè: interim tamen certum eſt, illis è bonis, in qvæ fortuna & caſus aliqvid ſibi juris vendicat, honore nullum præſtabilius nullum excellentius eſſe, & qvod optimi qviqve magis adpetant. Adeò, ut ſi hoc velut præmio atqve mercede deſtituantur, ad ſuſcipiendas præclaras res, tractandaqve in publicum profutura ſtudia ægrè adduci & invitari poſſint. Hæc enim illa fax eſt, qvæ ſubjecta egregiis animis, ita eos accendere ſolet ut non rarò pro obtinenda gloria atqve honore vel ipſam mortem, extremum malorum, & unum homini formidandum maximè, ſibi adeundum cenſeant. *Eò impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atqve honos ſperetur*, Livii vox eſt IV. xxxv. 8 *Nihil non aggreſſuros homines, ſi magna præmia proponantur.* At *ſublatis ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia peritura* Tacitus auctor eſt XI. Ann VII 5. Qvam utramqve ſententiam complexus Jamblichus apud Stobæum Serm. XLVI. *Augetur* inqvit, *& creſcit quidquid in honore eſt deficit & minuit, qvidqvid in contemtu.* Qvemadmodum igitur currentes in ſtadio Spectatorum adplauſus ac favor excitat, iisqve novas vires ſuggerit: ita multi in medio publicorum laborum curſu deficerent, niſi honore gloria ac præmiis ſuſtinerentur. Vide Lipſii Monit. Polit. c. ult. Philipp. Camerar. Cent. I. Operar ſubciſivar. c. IV. p. 47. ſ. & cent. II. c. LV p. 236 ſ. & Budæum ipſum II. de Aſſe p. m. 152. ſ. edit Colonienſ. M. D. XXVIII. in 8vo qvà jam utor, recentioribus deſtitutus editionibus minimè Adde Optimum Matthiam Bernegg. in Sveton. Julium p. 9.

() Apud Cicer. Tuſcul I. c. II.

(a) *Sellularia*] Sellularii iidem ſunt qvi ſedentarii, ſedentes opus facientes, ſordidas artes tractantes & viles. Liv VIII. XX 5 *Opificum quoque vulgus, & ſellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur.* Arnob. III. adv. Gentes p. m. 112. *Quæ cauſſa, ut artificia hac ſuperi tanquam viles noverint atque habeant ſellularia?* & p. 113. *Cum ſit nullus apud Superos artibus his locus, neque uſus illorum, neque natura depoſcat. ingenioſum aliquid aut ſellularium ſcire.* Chalcid in Platon. Tim. *Hoc vulgare ac ſellularium eſt.* Inde Gellio lib III. c. I. & Ammiano Marcellino l. XXX. Hiſtor. c. IV. extr. *quæſtus ſellularii* turpes &

(*d*) obnoxiâ forent. 3 Qvibus etiam ipſis artibus, eum honorem Romana ſit antiqvitas, (*e*) humanas ut eſſe ſcientias dicerent, utpote ſine qvibus exiſti-

ſpicabiles ſunt Sic Appulej. in Florid p. m. v. 34. *Sellularias artes* viles vocat, qvæ Græ. ocantur φαῦλαι, ἀνελεύθεροι, βάναυσοι, ἄτιμοι, i. e *viles*, *inliberales*, *ſordidæ*, *circaneæ*. Cujuſmodi ſunt illæ, qvæ nullum, exiguum animi ſtudium reqvirunt, ac ſolum pantur in qvæſtu faciendo, & pecunia congea: unde & *mercenariæ* dicuntur, ſervis o. io digniores Et has tractant *ſellularii artifices*, it idem adpellat Madaurenſis Platonicus Ap. i. II Florid. p 351. v, 21. ubi de Pythagora io, qvi priùs δακτυλιογλύφος, ſive *gemmaſculptor*, fuit. Conf. Voſſium de Artib. Popu. o. c. I § 2, 3 p. I. ſ.

b) *Priſci tum ingenuas*] Sic Cicero vocat l. IV, III. extr. & V. de Finib. c. XVIII. Ovid. I. ſt ex Ponto VI. 7. lib. II. Ep. VII. 47. Ep. IX. Dicuntur ita, qvia decent ingenuos.

c) *Tum liberales*] Seneca Ep. LXXXVIII. De liberalibus ſtudiis qvid ſentiam, ſcire deſi deras? Nullum ſuſpicio, nullum in bonis numero, qvod ad æs exit. Meritoria artificia ſunt, hactenus utilia ſi præparant ingenium, non detinent Tamdiu enim iſtis immorandum eſt, qvamdiu nihil animus agere majus poteſt: rudimenta ſunt noſtra non opera. Qvare liberalia ſtudia dicta ſint vides, qvia homine liberô digna ſunt. Ceterùm unum ſtudium verè liberale eſt, qvod liberum facit, hoc ſapientiæ, ſublime, forte, magnanimum cetera puſilla & puerilia ſunt. Eadem ſententia Plinii in Proœmio libri XIV. *A maximo bo* .. (*libertate* explicat i notis Dalecampius) *liberales dictæ artes*. Tertul iano in Apologetico ita dicuntur, „ qvòd iis informamur, ad prudentiam & officia liberalia. limitum *liberales* à *libertate* denominatæ ſunt ares, non tamqvàm ab effectu ſuo qvòd in libertatem, ſive civilem à ſervitute, ſive moralem à itiis vindicent; hæc enim provincia potiùs in hiloſophiam, uti vocant, practicam competit, qvamvis artes & liberales ſuam hic dent Symbolam, Ovidiô teſte locis in iis, qvæ jam jam ad *ingenuas* adſcripſimus: ſed à qvalitate vel conditione ſubjecti, qvòd olim liberis ab hominibus addiſcerentur, hoſqve decerent maximè

(*d*) *Obnoxia*] Significat *obnoxius* inter cetera & eum qvi aliis devinctus eſt nonnihilqve debet. Itaqve libero interdum opponitur. Livius: „Si reticeam aut ſuperbus, aut obnoxius videar, qvorum al „terum eſt hominis alienæ libertatis obliti alterum ſuæ. Sæpe *obnoxius* idem eſt ac expoſitus, opportunus. Liv. XLII. XLVI 7 „ Qvæ ſerva atqve obno„ xia fore, ſi nullus aliò ſit, qvàm ad Romanos „ reſpectus. Sed vide Gellium l VII. c. XVII. non nauci adferentem qvædam hac de voce.

(*e*) *Humanas*] Hinc Philologia & *humanitas* dicitur Gellio l. XIII. c. XVI. *Humanitatem adpellaverunt id propemodùm qvod Græci* παιδείαν *vocant; nos eruditionem inſtitutionemqve in bonas artis dicimus*. Joan à Wower de Polymath c. XV. (non c. XI. ut vitioſe habetur in edit: Lugd Bat. anni 1666. Gellii) § 13 refert, veteres libros ſcribere: *inſtitutionemqve, qva bonas artes didicimus*. Cicero pro Archia c III. *Qvibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet*. Exornantur verò hæc *humaniorum litterarum* nomine ſtudia, qvòd adoleſcentum animos ad humanitatem omnem erudiant, ut eleganter oſtendit vir non infacundus Ludov. Richeomus in Expoſtulatione Apologetica, qvâ Jeſuitarum inſtitutum in tradendis illis ab importunis calumniatorum convitiis vindicat. E cujus c IX. do ſeqventia è Gallico ab interprete qvodam non indocto Latinè reddita: „ Humanitatis nomine omnes comprehenſæ doctrinæ di„ cuntur eæ, qvæ in Academiis, & Gymnaſiis ad „ Philoſophiæ uſqve tractationem, prælegi au„ ditoribus ſolent. Grammatica, Poëſis, Hi„ ſtoria, Eloqventia, &, qvæ eò referuntur o„ mnia, haud ſanè pauca; qvo in genere ſunt illa, „ interpretari ſermones extraneos: totius anti„ qvitatis longinqvam memoriam replicare: æ„ tatem patriæ, inde à ſuo fonte repetere: de„ ſcriptiones temporum aperire: mores ac ritus „ gentium oſtendere: ſacrorum templorum, ſa„ cerdotum jura deſcribere: tùm domeſticam, „ tùm bellicam diſciplinam, alienam, & patriam „ indicare: ſedem regionum ac locorum ponere: „ Divinarum, humanarumqve rerum, qvæ lapſis „ retro ſeculis viguerunt nomina, genera, officia, „ cauſſas deſignare: plurimum Poëtis omnis gene„ ris etiam popularibus litteris, luminis adferre; & „ qvæ reliqvæ ſunt ad ea omnia, qvæ diximus, „ acceſſiones. Qvæ univerſa ratio cultioris ſcien„ tiæ, hoc tàm glorioſo ac magnifico nomine „ Humanitatis eſt à priſcis hominibus appellata, „ qvòd juventutem omni illa civili urbanitate „ aſſveſactam, atqve limatam ad jucundiſſimam „ ſocietatem hominum inter ipſos, & vitæ qvaſi „ communitatem, qvadam veluti via componat; „ varia ac multiplici intelligentia rituum, ac lin„ gvâ gentium exterarum diligenter inſtructos, „ qvæ ejus artis ſvavitate, certiſqve limitibus con„ tenta explicantur.

exiſtimarent homines morum humanitatem amplecti ac retinere vix poſſe. [4] Et qvidem cùm hominum generi providentia duas naturæ præſtantias dederit, longè inter animanteis nobiliſſimas, mentem atqve ſermonem, videbant illi eos ferè, qvi cum promiſcua multitudine annos traduxiſſent pueritiæ & adoleſcentiæ procul ludis litterariis, vel ſemiferas ipſas eſſe, vel ruſticitate præditos infantiæ non abſimili. [5] Cujuſmodi illorum evadere plurimos videmus, qvi communi tantùm ſenſu qvaſi præceptore utuntur & magiſtrô. [6] At verò loqvendi conſvetudo, deterior ferè tempore fieri ſolet, & ex Patriciis (ut ita dicam) ſenſim ad plebejos tranſire, imperitorum utiqve numerô multis exuperante partibus. [7] Tum mens humana ab incunabulis ſtatim, tirocinioqve vitæ, erraticis motibus ac mendoſis imbuta, ex perenni contagione paſſim pollentis imperitiæ, in ordinem qvodammodo ceterorum animalium rediiſſe tandem non ſentit, cùm tamen (*f*) numerô, ut dicitur, exempta ſit originis inſignitæ nobiliſqve privilegiô.

II. [1] Etenim rerum humanarum divinarumqve notio, naturæ qvidem illa veluti magiſteriô homini pubeſcenti paulatim agnaſcitur, & ſic in multorum conventu, qvaſi in ludo ſenſus communis adoleſcit: planeqve in virum jam evadenti cum ætate accreſcit pro portione: ceterùm inchoata eſt ipſa tantùm, non plena, non juſta noticia, non ſufficiens earum rerum intelligentiæ, qvæ ad vitam inſtruendam temperandamqve comparatæ ſunt. [2] Qvare & in diſceptandis forenſibus controverſiis, & in dirimendis litibus, qvantavis prudentia ſenſus communis, tamen juris civilis indiget prudentiæ, æqvitatisqve ab iis hominibus proditæ, qvi de jure olim reſponſitârunt: & rerum ſupradictarum notio, tum naturæ beneficiô anticipata, tum converſatione civili adaucta & reprobata, adhuc tamen eſt hebetior, qvam ut par eſſe poſſit caligini diſcutiendæ qvæ vitæ noſtræ incubat. [3] Atqve inter eam qvidem caliginem, denſamqve velut qvandam nebulam fallacium imaginum, atqve inanium formarum, latentem veritatem, ſummique boni naturam, philoſophiæ comitatus olim indagare, ac per omnia naturæ veſtigia perſeqvi inſtituit, ſtudiô ſanè acri & vehementi. Homineſqve non pauci, qvi ſeſe in ejus familiam variis è ſtirpibus ſectarum adoptaverant, acerrimâ contentione animorum fecerunt, poſthabitâ corporis fortunarumqve curâ, diſciplinarum ut honeſtiſſimarum facultatem ſibi primùm compararent. Deinde earum adipiſcendi viam qvandam poſteris, ratione ac præceptis munitam traderent & proclivem, qvoad ejus fieri poſſet. [4] Et verò eorum qvidem nobiliſſimi indignum eſſe cenſuerunt, naturam humanam ignoratione ſui

(*f*) *Numerô*] i. e multum. Eraſmus p. 109. b. Adagior. *Nonius Marcellus*, inqvit, *putat* numero *dici pro* multum: „ ſed exempla qvæ adducit, „ magis indicant accipi pro citò ac facile, ſive „ ſtatim. Qvod ipſum ille fatetur in fine. Idem „ in Amphitryone: Numero mihi in mentem fuit. „ Uſurpatur apud eumdem & aliis aliqvot locis. Hæc Eraſmus. At Nonius in meo qvidem Pariſiis CIↃ IↃ XXCIII. in 8r. impreſſo exemplo p. 171. b. hanc ſignificationem vocis *numero* non adduxit, ſed nuda tantùm exempla ac teſtimonia Scriptorum poſt hæc duo in principio poſita verba: *Numerum Ordinem*, ſine ulla mentione vocis *multum*.

ui primùm, dein morum perverſitate, qvæ diu inter mortales inoleverat, e gradu naturæ ſublimis dejectam eſſe, qvæ cognata erat ipſa à primordiis erum affinisqve divinæ. 5 Qvam ob cauſam indignitatemqve, homines inciti, certatim qværere inſtituerunt, cur ipſa hominum natio, rectâ ratione ipſa, qvaſi in triviis vitæ, compitisqve jaceret per inertiam, in iis multorum onventiculis qvæ civitates vocantur. 6 Itaqve inter Græcos homines morius ac lingvâ ceteris cultiores, extiterunt partim qvi ſophiſtæ (g), partim qvi hiloſophi dicti ſunt. 7 Qvi cùm in muneribus vitæ civilis, atqve in ſermone

B barba-

(g) *Sophiſtæ*] Sophiſtarum generi antiqviſſimis temporibus honor eximius fuit. Iſocrates, ratione περὶ ἀντιδόσεως. „ Apud majores certè qvidem alia ratio fuit. Nam eos, qvi Sophiſtæ dicebantur (τοὺς μὲν καλουμένους σοφιστὰς) magnifaciebant, eorumqve familiares beatos judicabant. Cujus rei maximum ſignum illud eſt, qvod Solonem, qvi primus civium hoc cognomen ſortitus fuit, gubernatorem ac principem civitatis eſſe voluerunt. Herodotus lib. I. cap XXIX: His ſubactis, & potentiâ Lydorum per Crœſum auctâ, contulerunt ſe Sardis opibus florentes, tum ceteri omnes, ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταὶ, ex Græcia Sophiſtæ, qvi eâ tempeſtate erant pro ſe qvisqve proficiſcentes: tum verò Solon, vir Athenienſis, qvi cùm leges jubentibus Athenienſibus tuliſſet, decem annos per cauſſam contemplandi, navigando erat peregrinatus, ut ne qvam legum, qvas condiderat, abrogare cogeretur. Plutarchus περὶ φιλαδελφίας, Ariſtarchus Theodectæ pater in Sophiſtarum multitudinem illudens, olim ægrè, ἑπτὰ σοφιστὰς, ſeptem Sophiſtas, inventos dicebat, nunc autem vix totidem reperiri, ἰδιώτας τοσούτους, qvi ſe non profiteantur literatos. Videmus Sophiſtas opponi idiotis. Planè ut interpres Ariſtophanis in Nebulis, *Sophiſtas*, ait, *intelligimus* τοὺς πεπαιδευμένους, *id eſt, eruditos.* Videmus Solonem cæterosqve illos, qvi ſapientiæ nomine apud Græcos præ reliqvis claruerunt, habitos qvoqve fuiſſe Sophiſtas. Qvâ de re ...rum Plutarchus, de EI apud Delphos: λέγουσι γὰρ ἐκείνους τοὺς σοφοὺς, ὑπ' ἐνίων δὲ σοφιστὰς προσαγορευθέντας, αὐτοὺς μὲν εἶναι πέντε. „ Dicunt enim ſapientes iſtos, qvi à nonnullis Sophiſtæ appellantur, numerô fuiſſe qvinqve, Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum &c. Laërtius in proœmio: XII. n. 48. οἱ δὲ σοφοὶ, καὶ σοφισταὶ ἐκαλοῦντο. *Sapientes autem etiam ſophiſtæ vocabantur.* Et mox: „ Sapientes verò habiti ſunt Thales, Solon, Pe„ riander, Cleobulus, Chilon, Bias Pittacus. Sophiſtæ igitur iidem olim, ac viri docti & ſapientes. Sed, ut videtur, eô diſcrimine, qvòd appellatio ſapientiæ habitum inhærentem notaret: altera autem illa Sophiſtarum, munus docendi, qvô pleriqve Sapientum defungebantur. Nam ut hodie Profeſſores, bonarumqve artium doctores appellamus à docendo: ita Sophiſtas Græci ἀπὸ τοῦ σοφίζειν, qvod eſt σοφὸν & doctum reddere. Vide Caſaubonum ad locum Laërtii citatum, & in IV. Geograph. Strabonis. Speciatim verò & Poëtæ dicti Sophiſtæ ſunt, qvod præcepta morum docerent, & Oratores iſti, qvos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates, ipſiqve illi, qvi ſeſe philoſophos dici, qvàm ſapientes maluerunt. Ac de Poëtis qvidem, nos dubitare non ſinit Laërtius, qvando verbis paullò antè adductis ſubjungit: Καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ, σοφισταί: *Neqve hi ſolum, (ſapientes) verùm poëtæ qvoqve ſophiſtarum appellatione honorantur.* Roboratqve Pindari Scholiaſtes ode V. Iſthmiorum: Σοφιστὰς δὲ σοφοὺς ἔλεγον ποιητάς. *Sophiſtas verò inqviens ſapientes dicebant poëtas.* Ad alterum ſophiſtarum genus à Cicerone III de Oratore Gorgias Leontinus, Thraſymachus atqve Iſocrates referuntur qvi cùm minùs ipſi in republica verſarentur, ejuſdem tamen faciendi, dicendiqve ſapientiæ doctores extiterunt; hoc differentes ab iis, qvi in foro cauſſas perorarent, ut idem Tullius, in Oratore, qvòd ad voluptatem aurium, non ad judiciorum certamen ſcriberent, nec perturbare animos, ſed placare potiùs, neqve tam perſvadere, qvàm delectare ſtuderent. Poſtremò non eos tantùm, qvi eximii in dicendo fuiſſent, verùm etiam philoſophos, ante ipſos, præſertim qvi ſenſa animi ornatè poſſent exprimere, nec oratione uſqveqvaqve infantes extitiſſent, ſophi-

ſtas

barbariſmos,(*h*) in rationalis & in moribus ſolœciſmos(*i*) invaluiſſe cernerent. diſciplinam honeſtæ atqve emendatæ vitæ profiteri aggreſſi ſunt, eamqve colendam eſſe & retinendam multis perſvaſerunt. 8 Hæc porro doctrina, qvaſi qvædam artifex & magiſtra expoliendæ humanitatis & concinnandæ, literarum nunc bonarum appellatione cenſetur, cujus doctrinæ fines multò laxiores ſunt & ampliores, qvàm inſcriptio ipſa præfert multitudinis opinione. 9 Continet enim omne commercium atqve univerſum qvod cum muſis haberi poteſt: ſanè varium ipſum & multiplex, & qvoqvoverſus longè pertinens. 10 Præcipuè verò philoſophia lautioris vitæ magiſtra, rationisqve rectæ antiſtes, atqve interpres oraculorum ejus adminicula vitæ peperiſſe & reliqviſſe creditur: qvibus homines nimium de corpore meriti, ob idqve humi ſerpentes ut bruta animantia, excitare tandem ſeſe poſſent, & aſſurgere ad cognitionem ſui. ex eoqve intelligentiæ gradu ſurſum faciem erigere, ad cœlumque aſpirare.

III. 1 Unicum autem hunc ſcopum fuiſſe olim philoſophiæ, bonis qvidem certè viris atqve honeſtis cultæ atqve probatæ, nobile illud præceptum indicio eſt, γνῶθι σεαυτὸν: paucis (ut opinor) ſatis animadverſum, ſuisqve ponderibus expenſum, atqve etiam fortaſſe pauciſſimis: in templo qvondam toto orbe nobiliſſimo conſecratum, tanqvam caput prudentiæ oraculorum. 2 Huc enim ſumma humanæ ſapientiæ pertinet. Circa hoc philoſophia & de natura, & de moribus diſſerens, præcipuè commentata eſt. Id deniqve mortales inter divos olim relatos, diviniſqve honoribus gentium ſcitis donatos, cœlum ut ſuſpicerent, admonuit, infernaqve deſpicerent atqve temporaria. Poſtremò is fuit ſenſus (ut ſimile veri eſt) ſeculis illis antiqviſſimis, qvæ heroas dicuntur edidiſſe. 3 Indidem illa nobilis fabula de Hercule, qvem, ut eſt apud Xenophontem in ſecundo Commemorationum,(*k*) Prodicus ille doctus ſcripſit, cùm primùm pubeſceret, qvod tempus à natura, ad eligendum qvam qviſqve viam vivendi ſit ingreſſurus, datum eſt, exiiſſe in ſolitudinem: atque ibi ſedentem, diu multumqve dubitâſſe, cùm duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi meliùs eſſet. 4 Interim autem ipſi feminas duas apparuiſſe ſtaturâ grandes:

ſtas appellatos fuiſſe, lib. de ſophiſtis auctor Philoſtratus eſt Ut non abs re Tertullianus Pythagoram ipſum, primum illum nominis inventorem, Samium ſophiſtam dixerit lib de anima, cap. XXIV. Conf. Dn. Michael Waltherus in Analectis Philoſophiæ Mathematicæ §. 6. & Deſiderius Heraldus II. de rerum judicatarum auctoritate c. XII. parag XII. XIII. p. m. 342. ſ. edit. Pariſ. M D C XL. in 8r.

(*h*) *Barbariſmos*] Barbariſmus, auctore Bangiô, II. Obſerv. Philolog. p. 1380. eſt uſus dictionis aut omnino barbaræ & peregrinæ, nec uſu Latinorum recteve loqventium adprobatæ; aut Latinæ qvidem, ſed vitioſe vel ſcriptæ, vel formatæ, per caſus, genera, tempora &c. Vide dicta 1. parte Methodorum à nobis editarum p. 306. 386. ſ. Joh. Ludov. Strebæum 1. de Elect. & Collocat. Verborum c. XII p. 59. Ludov. Creſollium. II. Vacat. Autumn. p. 347. Cl. Verderium *virum* judiciô Voſſii IV. Inſtitut. Orator. c. I. n. III. p. 5. *eruditum, ſed malum bonorum ſcriptorum cenſorem* in Cenſione Auctorum p. 50. B. Jacob. Matthiam Arhuſium in Diſputatione de Philologiæ uſu th. 83. & M. *V*eltkirchium Oratoriæ olim in Academia Wittebergenſi Profeſſorem in doctiſſ. Commentar. in Eraſmi de Copia *V*erborum librum p. m. 32. 58.

(*i*) *Solœciſmos*] Solœciſmus eſt vitioſa partium orationis conſtructio, reguiis Syntacticis contraria, nec uſu Latinorum rectè loqventium adprobata.

randes: alteram aſpectu decenti, liberaliqve ingeniô, ornatu corporis nidô, pudorem in aſpectu præferentem, & modeſtiam in geſtu, veſte candidâ indutam. 5 alteram corpulentioris habitudinis, & ſimpliciter educatam, rnatu exqviſitô cultam: ſic arte coloratam, ut & candorem cutis & ruborem majores veris ementiretur: in motu corporis atqve habitu ita affectam, ut procerior appareret, qvàm ferebat nativa magnitudo: oculis tiam expaſſis: tum eâ veſte indutam qvæ maximum corporis decorem fficeret: interim ſe ipſam oculis circumactis perluſtrantem, identidemque ſpectantem, ecqvis in ſe oculos converteret, atqve umbram ſuam obſervanem. 6 qvæ cùm jam propiùs Herculem acceſſiſſet, illam alteram ſupra dictam pariter progredi inſtitiſſe: verùm hanc antevertere illi volentem, curu ad Herculem veniſſe, atqve his verbis loqvi cœpiſſe; 7 Video te Hercules ddubitantem, qvam viam tandem ineas vitæ. qvi ſi me amicâ atqve authore iti tibi perſvaſeris, ego te in viam jucundiſſimam ſimul & facillimam. & obectabilium qvidem rerum omnium impertiam tibi guſtum: gravium utem rerum omnium ad extremum uſqve faciam te expertem. 8 Jam rimùm bellorum negociorumqve curâ vacabis. in eáqve demum cogitatione tute verſabere, conſiderandum inprimis ut habeas, qvid cibi, qvid potûs nvenias, qvod tibi gratiſſimum ſit, qvid oculos tuos oblectet, qvid tactum, qvid olfactum, tibi ſit jucundiſſimum: qvibus amoribus genio tuo indulgere, qvô nam modô molliſſimè dormire, qvâ ratione omnibus perfrui voluptaibus, nulloqve negociô poſſis. 9 Cave verò in mentem tibi veniat, periculum eſſe ac metuendum tibi, ne qvando in deſiderium incidas earum rerum, unde hæc, qvæ dixi ſuppeditari ſolent. 10 vero te hæc vereri, neqvaqvam enim ad vitam te deducam laboris ac ærumnæ tolerantem aut animô aut corpore, ut inde ſvavitates hujuſcemodi ſuppetere tibi poſſint. 11 Et qvidem cùm lienis fruêre laboribus, tum ab re nulla temperabis, unde capturæ quippiam ccedere poſſe videatur. 12 Qvippe hujuſcemodi licentiam ſectatoribus meis largior.

(4) De factis & dictis Socratis p. m. 429. edit. Henr: Stephani M D LXXXI. Memorat & Tullius 1 Offic. c. XXXII & Philoſtratus in Prodico. Inducitur & ipſe Prodicus apud Platonem in Protagora de virtutis colle verba faciens. Atqve hujus rurſus meminit idem Plato librô de Legibus qvartô. Nec diſſimilia ſunt, qvæ Cebes nobis in ſua depinxit tabula. Juvat audire Ciceronem Chriſtianum, Lactantium volo, cujus in 1 de Vero cultu c. III. hæc ſunt: „ Dicunt humanæ vitæ curſum Y litteræ eſſe ſimilem; qvod unuſqviſqve hominum, cùm primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, parteis ubi ſe via findit in ambas; hæreat nutabundus, ac neſciat, in qvam ſe partem inclinet. Si ducem nactus fuerit qvi dirigat ad meliora titubantem; hoc eſt, ſi aut philoſophiam didicerit, aut eloqventiam, aut aliqvid honeſtæ artis, qvô evadat ad bonam frugem; qvod fieri ſine labore maximo non poteſt: honeſtam ac copioſam vitam, diſputant, peracturum. Si verò doctorem frugalitatis non invenerit; in ſiniſtram viam, qvæ melioris ſpeciem mentiatur, incedere, id eſt, deſidiæ, inertiæ, luxuriæ ſe tradere; qvæ ſvavia qvidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti, pòſt autem omiſſâ omni dignitate, ac re familiari, in omnibus miſeriis, ignominiaqve victurum. Attingit & Palingenius, in Sagittario. Sed pluribus inluſtrat Jacobus Wimphelingus de Adoleſcent. c. XXXIII. f. 13. 14. Adde B. Dn. Joh. Conr. Dietericum in notis ad Heſiodum p. m. 675. Deſcribit pro more ſuo aptiſſimè qvoqve duas virtutis & voluptatis vias Lucianus Tomô II. p. 713. & 736.

largior, ut commoda ſua comparent undiqve, & augeant. 13 Qvæ cum Hercules audiſſet: Qvodnam autem tibi nomen eſt, inquit, mulier. 14 Tum illa, amici (inqvit) mei, Felicitatem: at qvi me oderunt, vim hujus vocabuli volentes imminuere, me appellant Inertiam. 15 Interea mulier illa altera accedens, Ego qvoqve ipſa (inqvit) ad te Hercules venio, ut quæ & parentes tuos noverim, & tuum ingenium ad percipiendam inſtitutionem meam: ſperoqve ſi viam ad me ferentem tute ingrediare, futurum te ſanè ſtrenuum actorem honeſtarum rerum atqve gravium, indeqve honoratiorem me ipſam viſum iri, atqve bonam in partem inſigniorem. 16 Ceterùm neqvaqvam expectes ut fucum tibi faciam exordiorum concinnitate voluptuariâ. Nam ut dii ſtatuerunt, ita rerum veritatem ſimpliciter commemorabo. 17 Atqvi eorum, qvæ bona & honeſta ſunt, nihil dii citra laborem ipſi & curam hominibus dare ſolent, qvos qvidem ipſos ſi tibi propitios eſſe cupis, dii tibi colendi ſunt ipſi. 18 Si ab amicis amari, amici qvoqve beneficiis emerendi ſunt. 19 Sin in civitate aliqva honorem tibi haberi, utilem te præbere civitati illi oportet. 20 Qvòd ſi per univerſam Græciam animus fert admirationem tui ciere, ipſa tibi Græcia qvodam eſt afficienda beneficiô. 21 Porro autem ſi terram abundè tibi fruges fundere vis, ipſa tibi terra excolenda eſt. 22 Et ſi à negotiatione pecuaria facere rem atqve augere inſtituiſti, ipſa tibi pecora diligenter accuranda ſunt. 23 Sin impetum cœpiſti bellicis ex rebus faſtigium tuum attollendi, amicis tuis in libertatem aſſerendis, inimicis ſervituti mancipandis; cùm ita tibi viſum fuerit, utiqve faciendum tibi eſt, artes militares ediſcas, ab iis qvi eas docere idonei ſunt & apti, earumqve uſum cùm didiceris, ut exercitatione confirmes. 24 Poſtremò ſi in animo tibi eſt, athleticam corporis firmitatem comparare, corpus eſt tibi ſervituti animi aſſvefaciendum laboribusqve & ſudore exercendum. 25 Cujus ſermonem Inertia excipiens apud Prodicum, animadvertis (inqvit) ô Hercules, qvàm moleſtam tibi viam, & qvàm longam ad gaudia, mulier iſta tibi expoſuerit? at ego verò & pronâ te viâ & brevi ad felicitatem perductura ſum. 26 Tum virtus, ô miſera tu, (inqvit) qvid boni tandem habes? immo verò ecqvid omnino ipſa ſvavitates noſti? num tu harum parandarum ergó agere qvidqvam ſuſtines, quæ ne jucundorum qvidem deſiderium cupiditatemqve exſpectes? deſideriô verò antevertens expleri omnibus iis ſolita ſis: anteqvam eſuris cibum ſumens: priuſqvam ſitis, bibens: & ut ſvaviter epuleris, eduliorum artifices exqviris: ut bibas item ſvaviter, vina pretioſa coëmens: æſtate (ſi diis placet) undiqve nivem expetens: 27 jam verò jucundè ut ſopiâre, non molleis modò lectos ſternendos tibi locas, ſed lecticas etiam ipſas molliculas, earumqve ſcamna facienda tibi mollia curas: nimirum qvæ non ſomni laborisqve viciſſitudine inſtitueris uti, ſed idcirco dormire, qvia nihil aliud habeas potiùs qvod facias, tùm venerem ignava exqviſitis machinamentis cieas, ſuâpte vi immotam. 28 En qvæ tui diſcere ex te amici cupiant, ut per laſciviam noctes, diei optimam partem per ſoporem exigant. 29 Qvocirca immortalis cum eſſes, ex deorum curia ejecta es, à mortalibus qvoqve deſpecta qvi probitate cenſen-

:nſentur. 3o deniqve orbata ſimul ‡ acroamate jucundiſſimô, laudari te ut ınqvam audieris : ſimul ſpectaculô ſanè viſendo, nunqvam ut opus ali- ⁄od tuum ſpectaris aut pulchrum, aut honeſtum.

IV. ¹ Tales fermè Hercules ſunt, Princeps illuſtriſſime, atqve præſtan- ɔſime, aut Heraclides certè hodie, ejus philoſophiæ alumni, qvam anti- ri Græci eruditionem * circularem appellaverunt: qvæqve ingentem non lùm ambitum amplectitur, qvaſiqve reſtim qvamdam chorumqve diſci- inarum, ſed etiam anfractus viæ arduos ægreqve ſuperabiles: noſtrô verò culô ſudore, qvàm olim, majore permeabiles, qvod tamen ipſum ſeculum

 Muſarum

‡ *Acroamate*] Rectène faciant an ſecus, qvi ɔicines aut citharædos, aut alia id genus acroa- ata in conviviis adhibent? diſputat Muretus xtô Var. Lect. c. XV. Deſignabantur autem *a- ımatis* voce Muſici, ridicularii, & hiſtriones, i canticis & lepidis dictis convivas ſaturos oble- ıbant, & voluptatem auribus faciebant; de ıbus Athenæus lib. XIV. & Plutarchus lib. VII. mpoſ. Q. VII. & VIII. Iſidorus in Gloſſis: *A- ıma, auditio lyrarum & tibiarum.* Vide Tor- ɔtium & Caſaubonum in Svetonii Auguſtum c. XXIV. item Loccenium in Corn. Nepot. XXV. IV. 1.

* *Circularem*] Qvinctilian. I. Inſtitution. c. *Ut efficiatur orbis ille doctrinæ, qvam Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant.* Qv. nomine præter es liberales omnes ſimul ipſa Philoſophia com- ɔhenditur, ſive nexus ille diſciplinarum omni- ı capaciſſimus ipſis qvoqve artibus minimè ex- ıſis mechanicis. Ita Interpres Ariſtophanis in :bulis, ἐγκύκλια μαθήματα vocat Metricam & ythmicam & alias. Sed vide Victruvium (ita im ſcribo, ſicuti & Qvinctilian: cum Marmori- s Romanorum antiqvis & Faſtis Capitolinis) I. Architectura c. I. Joh. Tzetzem Chil. XI. Hi- ɔr. CCCLXXVII. Joh à Wower de Polyma- ia c. III. § II. p. m. 30. & c. XXIV toto p. 275. ſ. Utor editione Lipſienſi in 8r. M D LXV. Andr. Schottum II. Obſerv. Human. c. I. liderunt Encyclopædias Herbornæ annô M D VI. Matthias Martinius; & annô M D CXXX. VII Tomis ibidem Joh. Henr. Alſtedius. Eſt in medio doctiſſimi Joh. Henr. Urſini Ency- ɔpædia Scholaſtica; uti & Octaviani Ferrarii ediolanenſis Philoſophi ac Medici liber de Di- plina encyclio, qvi eſt ſecundus in Clave Phi- ſophiæ Peripateticæ, edit. Francof. cIɔ Iɔc VI. ıi præfixa eſt elegans Melchioris Goldaſti, qvip- cujus ê Bibliotheca recudi fecit non ſolùm hunc *Diſciplina Encyclio* librum, verùm & illi jun- ım *de Sermonibus Exotericis* Goclenius, epiſto- la *de Cryptica veterum Philoſophorum diſciplina.* Multa hic de παιδείᾳ Ferrarius, qvam ille ſin- gularem vult eſſe vel facultatem, vel habitum, qvâ qvis rectè de rebus omnibusqve ſcientiis judi- cat. Definit enim per experientiam, atqve ille παιδείαν habere dicitur, qvi in rerum tractatio- ne diutinâ exercitatus collecta ad uſum principia ſcientiis atqve artibus cunctis ſuppeditat, ſimul- qve illa eſſe cognoſcit, ac analyticâ ſcientiâ in- ſtructo velut miniſter ejus offert. Verùm in illis de παιδείᾳ & diſciplinâ Encyclio à Ferrario diſſentit Goldaſtus: Neqve enim per diſciplinam Encyclion ἐγκυκλοπαιδείαν intelligit Goldaſtus, qvi περὶ ἐγκυκλοπαιδείας ſingularem librum moliebatur, in qvo probare voluit, ἐγκύκλια veteribus μαθήματα propriè dicta, qvibus pri- mùm etiam pueri informabantur: mathematicæ enim artes populares erant, atqve iis primùm in- ſtituebantur ingenui pueri, neqve ad acroamati- cos ſermones admittebantur, qvi in his rudes e- rant. Qvod qvidem in noſtris Scholis qvoqve fie- ri deberet: illæ enim qvaſi anſæ Philoſophiæ ſunt, ac mirificè acuunt ingenium. Non poteſt etiam eam ob cauſam Methodus aliqva univerſalis inſti- tui, qvod omnium rerum, imaginabilium præ- ſertim, accurata non poſſit dari ſcientia, ac mul- ta in problematicâ incertitudine ſubſiſtant, etiam in naturalibus. Qvare ſi vel maximè velis mathe- maticâ incededere ἀκριβείᾳ, non licebit in o- mnibus. Hâc ergo parte ſuccumbimus, ac ſi ſæ- pè ut illâ methodi ἀκριβείᾳ confiſi temerè de rebus, qvas non apprehendimus, judicemus, eaqve ut ficta & falſa repudiemus. Borellus in libro de motu animalium aliisqve ſcriptis feliciſ- ſimè mathematicâ methodô in veritates inqviſivit. Etiam Spinoſa hujus methodi fucô Ethicam ſuam profanam incruſtavit, cui eâdem methodo à Blienburgio reſponſum eſt.

Muſarum choros edere cœpit ſtrenuè, togatos unà & palliatos, è nominatiſſimi qvondam jugis illis repetitos ac reduces, qvi jam inacceſſi videbantur atqve deſerti. 2 Enimverò operæ eſt precium, ingeniorum antiqvorum magnitudinem æſtimare ex ipſorum imaginibus, qvas eminentes ad hunc diem & expreſſas, una & altera ætas reſtituerunt, carioſis ipſas in monumentis & ſqvalidis inventas, illæ verò & ad ſplendorem priſcum propemodū deterſas expoliverunt. 3 Qvorum etſi monumentorum magna pars ad hunc diem non ſupereſſe incolumis creditur, eſt tamen habenda gratia providentiæ, crebroqve à nobis commemoranda, qvod optimam eorum (ut opinor) partem è diluvio annorum plus mille emerſa, in manibus jam habemus. 4 diluvium enim qvoddam vitæ calamitoſum, litteras ipſas germanas & ſuô demum nomine dignas, ſic hauſerat & abſorpſerat tantâqve vi alluvionis (a) barbaricæ obrutas tenebat & ſepultas, ut mirum ſit eas inde exiſtere potuiſſe. 5 Divinæ verò id providentiæ referendum acceptum, qvæ priſcarum ipſa mentium reliqvias & ſimulachra reddere nobis voluit, ad vitam excolendam & adornandam.

V. 1 Mirificám autem illam dicendi vim, è ſapientiæ fonte manantem perenni & exundanti, & porro ingentes eloqventiæ variasqve copias, fines etiam juris ejus & imperii longè lateqve patentis orbis ille diſciplinarum, qvem diximus, comprehendit, ſi tamen circumſcribi ullo illi ambitu poſſunt. 2 Qvem orbem magnorum ſpirituum olim homines, vel potiùs heroës qvidam nationis litterariæ, non uno illi qvidem & altero ſpiritu, ſed tamen unâ contentione inoffenſôqve tenore percurrere ſolebant: cumqve in fabularum vetu-

(a) *Barbaricæ.*] Jacebant ſcilicet ante reformationis tempora artes humaniores utilioreſqve ſcientiæ vel barbarie plurimâ intricatæ vel qvæſtionibus otioſis obſcuratæ. At micante vix Euangelii luce mox litteræ etiam arteſqve ipſæ ſuo cæpere reſtitui nitori. Qvamvis enim divina Verbi cæleſtis puritas veritaſqve ſatis ex ſe pateat, clareatqve, neqve ullo modô egeat hominum, vel eloqvente ſapientiâ, vel ſapiente eloqventiâ: ſic tamen humano ſe ſemper Jehovah generi exhibuit miſericors, ut Gentem vel populum, cui Verbi *ὀρθοδοξίαν* conlaturus erat, ipſâ etiam Lingvarum puritate Artiumqve perſpicuitate donaret, Sunt qvippe hæ reverà *πηγαὶ* qvædam *τῶν Καλῶν*, per qvas non aliter, atqve per canales aqva Verbi divini puritas ad hebetes aridoſqve planè, hominum animos copioſè derivatur, rectéqve propagatur. Memorandum hîc venit, qvod olim apud Famianum Stradam Romanum Jeſuitam legi Decad. I Belli Belgici lib. III p. m. 114. edit. Antverp. CIↃ IↃ CXXXV. in 8t. *Franciſcus I.* Rex Galliarum *litterarum ac litteratorum amans, ut fermè litteras fovent, qvi digna litteris gerunt; Lutetiæ inſtauraturus Academiam, magnis illuc præmiis advocaverat ex Italia Germaniaqve, præcellenti doctrinâ viros. Commodum id Luthero viſum. miſſiqve propterea ex aſſeclis Bucerus, aliiqve nonnulli audacioris ingenii, qvi per occaſionem diſſerendi in eo ſapientium cœtu, novi Euangelii periculum facerent. Nec defuêre, qvi novitate caperentur.* Non abſimilem ſucceſſum nobis narrat Florimundus Ræmundus VII. de Origine Hæreſium: „Meldorum Epiſcopus erat Gulielmus „Briſſonetus, qvi licet circa gregis fidei ſuæ commiſſi cuſtodiam non eſſet indiligens: primus „tamen Lutheranis ibi portam aperuiſſe exiſtimatur, curioſitate qvadam ductus, ceteroqvi „laudabili, ſi cum prudentiâ fuiſſet conjuncta. *Is enim contractâ cum novis* Litterarum profeſſoribus, *qvi Lutetiam tunc undiqve convolârant, & multorum aures, atqve animos* Græciſſationibus, *&* Hebraizationibus *ſuis titillabant, notitiâ & familiaritate; aliqvot ex iis Luthero-Zuinglianos ad ſe evocavit. Inter quos qvatuor fuire præcipui,* Gulielmus Farellus Delphinas, Jacobus Faber, Arnoldus, & Gerardus Ruſi, Picardi: *homines facundi admodum,* & in bonarum litterarum, *ac* lingvarum ſtudiis, *qvæ Lutetiæ* [illegible] *bene verſati. Et horum qvidem manibus* [illegible] *hæreſeos ſemina in Galliis jacta paullatim* [illegible].

etuſtiſſimarum commentis adumbratum videmus, qvalia ſunt aurea Mer-
irii virga, ægis illa Palladis, deniqve Muſarum cantus cùm ceterarum,
im Calliopes earum coryphææ, ἣ δὴ, ut inqvit Heſiodus, (v. 361. θεογον:) φερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων. 3 Etenim ipſarum chori avios in montes abſtruſi à vabus, & veluti per manus reſte datâ conſerti, nihil aliud potiùs qvàm ſcienarum conſenſum, cognationemqve ſtudiorum ſignificant, & manifeſtè tendunt. 4 adeò unam & alteram ſine reliqvis mancas eſſe cenſebant, & eſtitutas neceſſariis adminiculis. 5 At multorum ſeculorum infelicitas, qvæ i litterariæ calamitoſam vaſtitatem importaverat, nihil non aliqvando torabile fecit. 6 Nunc verò qvid indignius, atqve huic litterarum claritati irpius, qvàm qvòd ſocordiâ noſtrâ, atqve deſidiâ adhuc fit: aut qvia mos in pravum inveterati ferre correctricem manum reſpuunt, ut circulus ille iſciplinarum, qvi olim coaluerat, nunc in partes ſolutus ſit aut conciſus? ut unius profeſſionis functiones hominumqve ſingulorum, in plurium ibutæ ſint. 7 Idqve eò jam evaſit, ut qvi aut medicos ſe, aut juris ſtudioſos, it alterius cujuſvis ſcientiæ ſectatores profitentur, ſi qvando uſu venerit, ut e aliqva earum diſſerendum eis ſit, cujus titulum ipſi non ſuſceperint, immò erò ſi oratio ipſis paulò cultior habenda ſit, ii niſi veniam præfati ſint, tàm npudenter atqve improbè facere videantur, qvam qvi aliena de meſſe facem collectum eunt, meâ qvidem ipſi ſententiâ & multorum, non tam qvi in ſuum cuiqve tribuendo ignavâ religione, qvàm inertes & ſocordes de ire, ſi non ſuo, certè omnium communi, libenter decedendo, ut laboris ompendium faciant.

VI. 1 Inſignis verò maximè vel error vel culpa eorum eſt, qvi juris divini ideri volunt conſultiſſimi, cùm ſine Mercurii numine interpretationum ræſidis atqve potentis, altiſſimorum vaticinorum enarrationem, oraculoimqve mirificorum explanationem, rectè fieri poſſe perhibent: qvæ copiæ (ut a dicam) cornu continent omnis cognitionis & ſcientiæ. 2 illi verò (ſi diis placet) commodiùs qvoqve ſic fieri ſanctiusqve defendunt: qvaſi verò æc pars una doctrinæ, aut certè ipſa cum paucis, genium nullum orationis haeat, aut præpoſterum habeat, atqve refractarium. 3 Atqvi id tueri & obſtinatè icere, hominum eſt inertiæ & ruſticitati patrocinantium, non ſanctimoniæ & eritati ſtudentium. 4 ſiqvidem ſacer hodie Mercurius eſt priſcarum litterarum eritia, qvem Theologiæ illi noſtræ proceres orthodoxæqve philoſophiæ Plaones, magnoperè colendum cenſuerunt & venerandum. tametſi Latinorum ermulti in tempora inciderunt literis calamitoſa. 5 Heroicæ enim ætates Seratoris ſupplicium ſecutæ, qvæ robora legionum devotarum ediderunt, è quius Deus optimus & maximus, copias illas ſplendidas & admirandas delegit conſcripſit, qvas ſupernatibus exercitibus clarè concenturiavit, ut fœcundæ pſæ ſanctarum innocentumqve animarum, ita etiam litterarum fuerunt boiarum atqve ingeniorum præcellentium. 6 Nam & multi eorum, qvibus ipſa ervatrix providentia teſtimonium ſui & veritatis, ad tribunal impietatis & ævitiæ barbaricæ denunciandum duxit, eleganti doctrinâ ſimul & pietatis efenſione inclaruerunt.

VII.

VII 1 Neqve verò emendatè loqvendi facultas, cum qvadam ſcita ſermonis lautitia, oratoria tantùm eſt ipſa, ut vulgò eſſe creditur: ſed per omneis qvoqve partes orbis diſciplinarum fuſa, cùm ex omnium ſcientia concreta ſit & compacta. 2 Qvare ex unaqvaqve carpere poteſt ipſa ſuô jure qvod in uſum promendum eſſe duxerit: viciſſimqve ipſa ſervire unicuiqve ſcientiæ, aut certè ſimul ut occaſio & oportunitas ſeſe obtulit, operam, qvatenus opus eſt, benignè debet accommodare. 3 Nam qvæ ſcientia, qvæ facultas duntaxat liberalis, faſciculum vel unum colligere gloriæ in ſua meſſe poteſt, ſine orationis huius facultate? Age (ut jam gloriam omitam) qvônam modô laboris ſui commentationumqve fructum cum poſteritate communicare; cujus profeſſionis ſtudium, tot tantarumqve partium capax, qvemadmodum finibus nullis circumſcribitur, ita annalibus legibus nullis tenetur, cùm ceterarum artium ſtudia curricula ſua habeant, certis annis, qvaſi ſpatiis, demenſa, moribus & inſtitutis ſcholaſticorum 5 Verumenimverò hæc dicendi facultas cum de omnibus ſcientiis atqve artibus, hâc ratione & commodè & honeſtè mereri poſſit; de theologia etiam gnaviter & appoſitè; 6 nuper tamen homines pauci ex theologorum ordine extiterunt, Appianâ pertinaciâ præditi ut, qvi * Lingvæ Græcæ peritiam, literarum haud dubiè bonarum magiſtram atqve inſtauratricem, pravarum opinionum inſtitricem eſſe fremerent & aſſertricem, pro concione qvoqve: id qvod eô capitalius fuit, quòd ea, qvæ pro concione dicuntur, ſic à plebe populoqve adeò imperito ferè excipiuntur, qvaſi ex ipſo

* *Lingva Græca*] Celebris ille Gregorius Tifernas, qvos non ſuſtinuit inſultus, anteqvam ab Academia Pariſienſi, ut Græca ſibi legere, & jure poſtliminio ſtudium tam utile reducere permitteretur, impetraret? Cùm enim, Decreto Concilii Viennenſis ſubnixus, circa annum Domini 1470. Academiae illius Rectori indicaſſet, ſibi conſtitutum eſſe literas Graecas profiteri, poſtulato etiam ſtipendio, demirabantur omnes hominis peregrini, nec ab Academia arceſſiti, audaciam. Illo autem, Decretum, qvod Scholae etiam Pariſienſis mentionem faciebat, urgente Rector ad ſenatum rem retulit, atqve ſic introducta in Scholam illam fuit ea profeſſio, qvae tot ſeculis jacuerat. Maluerunt qvippe Sorbonici illi Doctores, *Melchoris Cani* elogio ſuperbire, „ qvòd annis trecentis integris lingvae Græcæ & „ Hebraicae nullam habuerint peritiam, qvàm Viennenſi decreto ſatiſfacere. Imò, qvò clariùs eventus probavit, lingvarum Graecae, Hebraicae, Chaldaicae & Arabicae aliarumqve orientalium notitiam cum doctrinae Pontificiae detrimento eſſe conjunctam, eò etiam acerbiùs, ſucceſſu temporis, Monachi, barbariei avitae innutriti & aſſveti, in ſtudioſos lingvarum fuerunt debacchati, uſqve adeò, ut qvaſi in gratiam Earum nihil unqvam à Pontifice Romano fuiſſet edictum „ Reformationis tempore Latinis au- „ ctoribus Graece noſſe ſuſpectum fuerit Ebrai- „ cè propè haereticum. Hinc tragœdia illa Doctiſſimi *Capnionis* cum Monachis Colonienſibus, Pariſienſibus & aliis, quae & ingenioſis obſcurorum virorum Epiſtolis decantata, & à *Sleidano* prolixiùs deſcripta. Hinc & *Eraſmus*, omnis maledicentiæ Monaſticæ incus eſſe debuit. Nihil tam acerbum, tam inhumanum, aut à pietate tam alienum nihil, qvod in Eraſmum, ejusqve ſtudia Latina, Græca & Hebræa, *ὡς ἐξ ἁμάξης* Monachalis, ut vocabant, ſimplicitatis hyperaſpiſtæ, non conjecerint. Moriâ præſertim ſuâ, qvâ ſtudia & mores Theologorum ſui ſeculi ſalſe perſtrinxit, crabrones ſic irritavit, ut omni ferè apud mittratos gratiâ exciderit. Cùm multis aliis, ob inſignem eruditionem *ἱερόσμιος* fuerit, ſeu *Deſiderius*, his tantùm Erat Mus. Vide Viri Theodori Noribergenſis Orationem de Studio Lingvarum Tom: 1. Declamationum Philippi Melanchthonis p 542. ſ edit Argentoratenſ. CIↃ IↃ XLVI. Hottinger. Dedication. Theſauri Philolog. p: 3 4. & in Analectis Hiſtorico Theologicis p 10. 11.

..veritatis ſacrario pronunciata. 7 Hujus autem calumniæ anſam homines ..de nacti fuerant, qvòd eôdem penè tempore litteræ Græcæ inclaruiſſent, ..rumqve ſtudium incaluiſſet; & prava qvædam dogmata, antiqvæ ortho..xiæ punctis confixa ſæpiùs & circumſcripta, in medium relata rurſus eſſent, .nova oracula, & cœlô recens delapſa. 8 Qvaſi verò non ejuſdem ſit ætatis ..terdum, & viſenda miracula edere, & monſtra deteſtanda. 9 Momicæ ..rtè eſt improbitatis & calumniæ iſta reprehenſio. Ut Momus olim in Ve..re non inveniens cùm maximè cuperet, qvod criminari jure poſſit, obje..t ei in deorum cœtu, ut Philoſtratus refert, qvod ſandalium haberet ſtri..ilum & argutum: ſic & iſti in homine probabili religione imbuto litterarum ..utiorum & optimarum doctrinam vitio vertunt, qvaſi diſſentaneam. 10 ..ujuſcemodi igitur calumniæ face, importunæ Litteris bonis occaſioni ab illis ..amitatoribus admotâ, litteræ Græcæ aliqvot annos rerum novarum invi..â flagraverunt, penè capitalium.

VIII. 1 Verùm ejus invidiæ flamma, qvæ primùm mirè & ſuper laure..n (ut dicitur) flammam & ſpineam crepitans, omnia propè tribunalia ..rarum concionum occupaverat, ſenſim ſubſidere ſuàpte inanitate cœpit, .brevi contabuit. 2 qvippe bucculentis contentionibus tantùm anhelicíſqve ..citata, nec materiam inveniens ſolidæ calumniæ, ſtatim vires amiſit: ſi..ul ut intelligi à plerisqve cœptum eſt, id eſſe potiùs ſordentis jam & exo..æ Minervæ patrocinium, qvàm religionis labefactatæ & pietatis ſtabili..entum. 3 Nunc verò qvis non videt æmulationem illam efflorеſcentis ſoli..: & germanæ doctrinæ, diſſentaneam eſſe cum innocentia theologica, ..oſtolicæ charitatis & probæ notæ æmula? 4 Veruntamen aliqvot homines ..erunt ſacerdotes, tam projectæ temeritatis tantâ ut hoſtiâ, tàm eximiâ, ..n illuſtri, id eſt Lingvæ Græcæ damnatione, parentare inſtituerint jacenti ..emortuæ ordinis ſui majeſtati. qvippe qvi viderent Litterarum Græcarum ..nere litteras qvoqve bonas elatum iri. 5 At hoc qvid eſt aliud hâc ætate, ..ò, Rex ingenioſiſſime, principatu Franciſce, hodiernô hominum ſenſu, ..àm olim fuiſſet florente Athenienſium republicâ, Palladem illam cele..atam in arce cõncremare, & Romæ ignem Veſtæ perpetuum extingvere? ..Certè exprimi noſtrâ oratione non poteſt, qvàm perditæ audaciæ, qvàm ..ræ frontis & marmoreæ ea conſpiratio fuerit.

IX. 1 Homines perpauci ut ex tanto qvidem certè numero, ſupercilioſi ..qvidem & frontones, ſed puſilli & inermes, præcipiti iniqvitate exagi..i in medium prodierunt cum faſcibus exciſis, & ſqvallidis auctoritatis inve..atæ, qvi ſpiritibus ſuis non diffiderent aurem jam crebreſcentem inhibere ..rò ſe poſſe, litteris reducibus undecunqve afflatam: qvi exploſam jam ..ruſticitatem fœdamqve barbariem, in ſcenam ita reductum irent, ut ..uſum ab orcheſtra & ordinibus, & ab omni parte theatri exſpectarent. 2 ..i cùm Deum ipſi, divos hominesqve pios ſuperiore è loco conteſtarentur, ..lii in re perdita, in ſacroſancta fide prodita, qviritantes, ægrè unus & al..annus & pluſculi ſuſtentati ſunt. 3 Neqve enim qviſqviliosam tantùm ple-

C bem

bem concitaverant declamitando, ſed etiam gravioreis permultos & æſtimatioreis in cauſſam perlexerant æmulatione ſubdolâ atqve qviritabili. 4 Nec prius autem obſtinatior eorum manus ab incepto deſtitit, (namqve lege ſacratâ, ut dicitur, coierant & conſpirârant) qvàm ſe deſtitutos planè ſenſerunt à cohorte ejuſdem ordinis prudentiorum. 5 Qvi omnia permiſceri ægrè ferebant eam ob cauſſam tuendam, qvam omni jure lapſam caſſamqve eſſe intelligebant, & porro colore jam carentem. 6 Verùm qvid interim maledictis litterarum Græcarum & bonarum nomen, eorumqve ſtudioſos compellaverint, qvaſi impiâ fraude ſe obligarent, qvi Græcè ſcire cuperent: qvàm Vatinianô odiô earum defenſores proſecutiſint, ſilentiô prætereundum duxi: ne paucorum pertinacia capitalis atqve petulantia, in crimen non hominum ſed ordinis, à nobis verſum eſſe exiſtimetur, qvem ordinem ego magnoperè venerandum eſſe cenſeo, ejuſdemqve noxæ in univerſum inſontem. tametſi interdum ipſum ab ea culpa vindicare neqveo cùm maximè cupiam: qvòd in decretis theologici conventus faciendis, ignorantiſſimus qviſqve therſitarum hujus generis & impudentiſſimus, Neſtoream ſibi auctoritatem vendicat, patientiam veteri inſtitutô accommodante ſenili pervicaciæ, juniorum æqvitate & modeſtiâ, etſi longè doctiſſimorum. 7 Eô autem indignitatis res evaſerat & veſanæ contentionis, concionum ut argumenta, non ab euangelio, non à ſacris vaticiniis, non ab oraculis cœleſtibus ſumerentur: ſed à criminatione Litterarum Græcarum, qvaſi errorum ſeminarii. 8 Ut jam non Bacchum, non Cupidinem, non Venerem, non Mercurium nundinatorem, non Martem deteſtantes, (qvod aſſolet è loco ſuperiore fieri) meminiſſent: ſed Minervam Atticam, & Mercurium cognomentô oratorem & diſertum, maledictis configendos eſſe ducerent conviciisqve obruendos.

X. 1 Qvapropter cum ea qvaſi ſatyriſcorum fabula non modò ad primores populumqve prætextatum: ſed etiam ad pullatam & circumforaneam multitudinem offendere cæpiſſet, (placere enim diu perſonata æmulatio non poterat, qvæ conſpicuè plus ſangvinis qvàm ſpiritus præferebat pro concione) tum demum à prudentibus iſti correpti, qvæ multò jam maxima pars eſt ordinis & elegantiſſima, vix tandem conqvierunt. 2 Certè cùm neqvicqvam vociferando rabulæ irraucuiſſent, tacere coacti ſunt. qvorum tamen aliqvando factio tantum potuiſſe dicitur, ut ſenatui ſuo vel decretum vel conſultum expreſſerint de nece præſtantiſſimæ doctrinæ, qvod patrum conſcriptorum majeſtatem præferebat, cenſuræqve ſupercilium. 3 cujus rei memoriam intexere operi regiæ majeſtati dicato non alienum eſſe cenſui, cùm in fidem tuam ſtirpisqve tuæ eximiæ, dotibus ingenii admirandæ, Litteræ & Græcæ & optimæ, nuper ſe contulerint, eôqve maximè pluteô ab iſtorum machinis protectæ ſint. 4 Hodie autem eouſqve in diverſum profectum eſt, ut exhedræ theologicæ non vocibus modò Græcis, ſed ſententiis plenis non verecundæ perſonent. 5 Nam & eorum dialogi contentioſi, qvôs Græci ἐϱιστικοὺς appellant, qvibus ſcholas probatorias à matutino ad veſperam die-

bus

bus ſtatis & ſolennibus exercere moris eſt, doctæ jam & ſcitæ mirè meditantur eſſe, dignæqve auribus eruditis, ob id utiqve jam viſendæ magnô ſtudiô atqve freqventandæ. 9 Adeò lauta & elegans Minerva, ut olim illa Phidiæ (qvod Marcus inqvit Tullius *) ſimulatqve viſa eſt & agnita, probari qvoqve ab omnibus cæpta eſt.

XI. 1 Nec non tamen fortaſſe id perpetuum erit in hac ipſa theologiæ profeſſione, ut in juris qvoqve ſtudio & medicinæ, ut partes faciant lautitia & illuvies. & ut pingvis atqve etiam terræ atqve horridæ Minervæ diſcipuli, orationis non dico lepôres & venuſtatem, ſed etiam veram verborum intelligentiam floccifaciant arietinâ qvâdam aut vervecinâ pertinaciâ, tanqvam ad rem nonpertinentem. 2 Cum qvibus diſſerentem rationibus & argumentis contendere legitimis atqve probabilibus, ad † κριȣ̃ (ut ita dicam) μέτωπον qvod promontorium eſt Cretæ, caput eſt obliđere 3 Inter doctos enim & elegantes, & illautos iſtos & caperatos, de litteris ſemper ita convenit, ut inter Stoicos & Epicureos de bonorum malorumqve finibus. 4 Nec honoratior Lacedæmone ſenectus olim, qvàm juvene me hîc ruſticitas fuit attonſa ad aureis & ſuperciliosa. qvam nunc fremere ipſam frendereqve non magnoperè mirum eſt, de ponte (ut ajunt) dejectam in comitiis Minervæ compoſitæ atqve urbanæ. 5 Avita etiam æqvalisqve ejus ruſticitatis fuit, ſeveritas dicam, an ſævitia, præceptorum, qvi velut truculenti patrui pueros non litteras, ſed vapulandi patientiam docebant & infantiam: qvaſi compitalitios verberones docendos maſtigiasqve ſuſcepiſſent, non oratores futuros aut profeſſores diſciplinarum.

XII. 1 Sed fuit ea fortaſſe temporum magis quàm hominum imperitia & abſurditas, qvæ litterarum luce caruerunt: nunc porticus duæ orthodoxiæ Sorbona & Navarra, & philoſophiæ theologicæ tanqvam oracula duo nominatiſſima, qva fines cunqve patent nominis chriſtiani: & Latinæ jam & Atticæ Minervæ non modò ſedendi locum, ſed etiam loqvendi inter diſputantes dederunt. 2 In qvibus tamen antehàc doxoſophi fefellerunt pro ſummis philoſophis: non ſimulationis fucô tecti, ſed caligine temporum, qvæ tum ita ferebant, ut homines horridi atqve agreſtes, immò verò gens hominum truncis & durô robore nata, ad theologiam protinus, ut olim Epicurei ad philoſophiam tranſirent. 3 Qvare valeant illi antiqvarii & miſologi cum ſuis conſectariis hiſpidis, tetricis, & malè coagmentatis: qvæ tamen, ut dictum eſt, juniorum induſtriâ & ingenioſorum luculentè cœperunt eniteſcere. 5 Nobis autem ad inſtitutum revertendum eſt ex triſti & moleſta digreſſione: & in qvam invitus non digreſſus ipſe, ſed dilapſus ſum. 6 Qvippe qvi theologiæ ſtudii numen qvoddam eſſe ſemper exiſtimârim. Illis qvidem certè qvi pedes abluere & abſtergere cupiunt inqvinatos à luto vitæ civilis & theatricæ: in qvo vel ſapientes altiùs hærent ſæpenumero. 7 nam illotis pedibus qvis conſcendere ſuggeſtum

 theoriæ

* In Bruto c. LXIV.

† Κριὸς *aries* μέτωπον *frons* vide hoc de Cretæ promontorio Pomponium Melam II. de Situ Orbis c. VII. v. 109. qvi & alius ejuſdem nominis Promontorii meminit lib. II. c. I. v. 26. Adde Joan. Meurſii Cretam c. V. p. 88

theoriæ valeat, in edito loco ſanctóqve collocatum? ex qvo rurſus ad arcem philoſophiæ aſcenſus eſt ſublimis ac jam beatus, qvam anagogen Græci & anataſim vocant. 8 Sed mox hæc fortaſſe appoſitiùs & conſeqventiùs, nunc eò redeundum, unde digreſſio facta eſt.

XIII. 1 Hermem igitur ſuum Græci cognomentô multiplici ac variô coagmentaverunt: qvoniam Mercurii poteſtatem qvoqvo penè verſum patere arbitrabantur. 2 Ego autem de tanta varietate nominum ejus, id demum ad nos attinere puto, qvod λόγιον ab illis, qvaſi oratorium vel ſermocinatorium, appellatum eſt. 3 idqve per diametron propemodum diſtat ab eo, qvod κερδῷον dicitur ab ipſis, à nobis qvæſtorium. non litterarum illud qvidem cupidis, ſed rei factitandæ intentis colendum atqve propitiandum. 4 De illo igitur Mercurio ſermo mihi habendus eſt, qvando cum eo mihi res eſt, & fermè ſemper fuit, ex qvo primùm deſtinatione animi litterarum ſtudium conſertis digitis complexus ſum. 5 Is eſt autem Mercurius, qvò vim dicendi ſignificare priſci inſtituerunt, ut auctor eſt Euſebius: qvemadmodum Minervæ appellatione, vim animô concipiendi. Namqve intus orationem concipi, deinde ore edi natura ipſa ſtatuit. 6 Eumdem autem Mercurium deorum caduceatorem eſſe dixerunt, qvaſi bella diſcordiasqve dirimentem, & internuncium atqve interpretem appellaverunt. 7 nam λόγος tam rationem qvàm orationem ſignificat, qvæ cognata magnoperè ſunt vocabula; qvomodo res qvoqve ipſæ eôdem oriundæ ſunt. 8 Qvâ dictione nulla excogitari nec honoratior poteſt, nec ſignificationis uberioris & locupletioris. Siqvidem & primigenius Dei filius, idemqve unigenus, & verbum & ratio & ſapientia Dei, hôc nomine apud Græcos pleniſſimè intelligitur. 9 Et cùm divinarum qvidem rerum intelligentiam ac notitiam, ratione primùm interprete mortales habuerunt: tùm divinum qvodammodo imperium & edictum, in notionibus communibus informatum ſentimus, in animisqve noſtris anticipatum vi naturæ rationalis. 10 unde enim aliunde hæc didicimus, qvàm ex ludo (ut ita dicam) rationis magiſtræ mortalium? ex ea etiam ipſa jus naturale manavit, qvam ſummam legem Marcus Tullius in legibus ſuis eſſe dixit. 11 Conſtituendi verò (inqvit ille*) juris ab illa lege capiamus exordium, qvæ ſeculis omnibus antè nata eſt, qvàm ſcripta lex ulla, aut qvàm omninò civitas conſtituta. 12 Qvid eſt autem non dico in homine (inqvit idem †) ſed in omni cælo atqve terra ratione divinius? qvæ cùm adolevit atqve perfecta eſt, nominatur ritè ſapientia. 13 Hæ igitur duæ differentiæ ratio & oratio inter ſe (ut dixi) affines & cognatæ, cùm maximè circumſcribant principis animantis & digniſſimi formalem finitionem, tam utiqve maximè perfectiſſimus qvisqve hominum judicandus eſt, qvàm maximè hæ duæ res in eo abſolutæ ſunt. 14 Ita qvi rerum humanarum divinarumqve adeptus eſt prudentiam, cum orationis facultate, rectè, aptè, & eleganter compoſitæ, is abſolutionem ſui generis cenſetur adeptus eſſe

* Lib. I. de Legib. c. VI. † I. De Legib. c. VII.

eſſe. 15 Qvi autem ſcientiâ præditus eſt earum rerum, & infantiâ, nimirum s homo dici planè non poteſt, ſed ad ſemiſſem tantùm profectus eſſe humanitatis. 16 at qvi utrâqve facultate vacuus eſt & caſſus, ne homo qvidem ille, i argumentari à definitione volumus. qvod ſanè legitimum eſt argumentum.

XIV. 1 Proinde non humana ſed immanis vita dici poteſt, qvæ nec literarum humanitate condita eſt, qvaſi ſale Mercuriali: nec communi prudentiâ ſic perpolita, ut ſine literis ipſa diſerta eſſe poſſit, qvod in multis mortalibus naturæ præſtantiâ evenit. 2 Nos autem hominis exiſtimationem in præſenti facimus, non ad trutinam vitæ civilis, qvæ ſuam qvamdam ipſa habet humanitatem, in officina ſcilicet urbanitatis, non etiam Minervæ expolitam: ceterùm ad philoſophiæ libram, & limatæ (ut dicitur) veritatis, hominis appellationem nunc perpendimus. qvæ & mortalis ipſa & hominis ſignificationem, nec locô eôdem nec numerô habendum eſſe cenſet. Certè nemo ſanæ mentis inficias ibit id qvod * qvidam ſapiens olim homo dixit; Litterarum ſcientiam juſtam, juveni morum temperantiam, ſeni ſolatia vitæ afferre: in rebus ſecundis ornamentum, in adverſis ſubſidium eſſe. Ecce tibi in ſermone de Mercurio, Hermes ille cognomentô ter maximus: Mentem autem (inqvit) & orationem, uni ex omnibus animalibus homini Deus ipſe largitus eſt: non minoris utiqve æſtimanda, qvàm ipſa eſt immortalitas. Nam qvi his convenienter, & ad id qvod decorum eſt utitur, is nihil ab immortalibus differt. Qvippe qvi vinculis tandem corporeis ſolutus, ab utroqve eorum ad chorum beatorum divorumqve perducatur. 5 Et rurſus, Beatus (inqvit) Deus animam in corpore, mentem in anima, in mente verbum pronunciavit: Deum autem horum patrem eſſe affirmavit. 6 Græci porrò prodiderunt Mercurium Jovis & Majæ (a) filium eſſe: his nominibus intellectum indagationemqve ſignificantes. 7 Alii Jovem animam mundi eſſe dixerunt, id qvod eodem pertinet. 8 Nihil verò mente fœcundius eſt, nec qvod plura concipiat atqve pariat. 9 Ceterùm vel intellectui, vel maſculæ menti obſtetrice opus eſt, ut inqvit apud Platonem in Theæteto Socrates: qvi & ipſe Majæ id eſt obſtetricis erat filius. 10 Ac cùm nihil pariam (ait ipſe) tamen parturientibus aliis adjumenta affero: qvod pleræqve faciunt obſtetrices, aut naturâ ſteriles, aut ætate jam effœta. 11 Eòdem etiam ſpectat qvod ſupradictus Hermes ait, Mentem notiones omneis concipere tùm bonas, tùm malas. Bonas quidem, cùm à Deo ſemen infuſum accipit: malas, cùm à dæmonibus qvibuſdam ſemina jaciuntur, ut in terram, ſic in animam. Itaqve qvalia ſemina accipit anima, tales edere partus ſolet. è malis ſeminibus adulteria, ſtupra, homicidia, & hujuſcemodi ſcelera edit: è bonis, qvæ pauca ſunt ipſa & rara, pietatem, temperantiam, virtutumqve omne genus. 12 Ex his igitur

* Facit hùc illud Tullii pro Archia c. VII *Hæc studia adoleſcentiam agunt, Senectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum peregrinantur, ruſticantur.*

(a) Vide Natalis Comitis V. Mythologiæ c. V; p. 440. Ciceron. III. de Nat. Deor. c. XXII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

igitur intelligendum relinqvitur, ſenſa mentis humanæ è ſeminibus inoleſcere bonarum malarumqve diſciplinarum. qvibus mens gravidata, rationem parit atqve orationem, ſemina ſua referentia.

XV. [1] Hæc porrò ſemina homines ſtudioſi ab iis auctoribus hodie mutuantur, qvi in Latino qvondam agro atqve Attico, Palladis arma Mercuriiqve coluerunt. [2] Nam animus ipſe coli dicitur, cùm liberalibus artibus inſtituitur. Unde illud Ciceronianum in libro V. de finibus c. XIX. Sed animi cultus ille erat ei qvaſi qvidam humanitatis cibus. Et illud in ſecundo de Oratore, c. XXX. Subactô mihi ingeniô opus eſt, ut agrô non ſemel aratô, ſed novatô, & iteratô, qvò meliores fœtus poſſit & grandiores edere. [3] Proinde ex diligenti cultura animi, ſi naturæ ſolum non ſterile fuerit, meſſis doctrinæ enaſcitur. qvæ ſi ad frugem bonam evaſerit, ad rerum humanarum divinarumqve cognitionem homines, atqve etiam ſuimetipſorum perveniunt: id qvod Delphicum illud oraculum facere admonebat. [4] Inde autem conſeqvens eſt, formalem ut rationem homo generis ſui tenere valeat atqve tueri: ſimulqve munus ſuum convenienter naturæ ſuæ obire. [5] Qvapropter humanæ mentis munia propria, antiqviſſimâ curâ nobis & præcipuâ exercenda ſunt. Eſt enim (ut inqvit Iſocrates) mens bona in corpore humano ſita: res maxima in minima collocata

XVI. [1] Doctrina verò cultu animi qvæſita, efficit in homine bonâ voluntate prædito, ut mens philoſophiæ copiis tanqvam firmô ſuccincta præſidiô, ſurſum verſus libentius qvàm deorſum intenta ſit: longéqve alias qvoqvo ipſa verſus è ſpecula contemplationis proſpectans, præterita & futura cum inſtantibus, circumactu qvôdam colluſtret prudentiæ atqve ſapientiæ, ex qvo fit, ut neqveat nec morte, nec adverſis rebus opprimi, cùm omnia qvæ incommodè ipſi cedunt, ante proviſa habeat & perpenſa. [2] At verò ſuimetipſius rerumqve humanarum ignoratio, nihil aliud qvàm mulcta qvædam eſt numinis Philologiæ vel neglecti, vel minùs religioſè culti. Qvô genere animadverſionis divinæ, cùm omne genus hominum excolendi animi negligens, tum verò ſacri ordinis centuriæ claſſicæ, earumqve duces maximè, plecti mihi videntur, qvorum tamen propriam eſſe decebat utiqve & aſſiduam culturam animorum. Ad eos enim pertinet inteſtini hominis inſtitutio. [4] At multorum videmus animas, qvaſi inaneis vaginas in præſidiis dominicis eſſe: eô utiqve gladiô vacuas, qvem dominus in terram miſiſſe ſe pro concione conteſtatus eſt. [5] Qvanta eſt autem deformitas in delubro Servatoris, litterarum lumine eos orbatos ab omnibus ſpectari, qvos facem ceteris præferre lex ſacroſancta jubet, in editumqve candelabrum tollere? [6] In univerſum autem pauci animadvertunt, qvô diſpendiô bonorum ſeſe ii afficiant, qvibus litterarum & philoſophiæ cultum, ambitionis & cupiditatis illecebris mutâſſe præclarum eſſe videtur & palmarium, qvæ tamen maxima pars eſt hominum qvi in vita civili aliqvô numerô eſſe cenſentur. Qvidqvid enim eorum, qvæ bona jam olim civili ſermone & in medio verſante dicuntur, ultra modum qværitur, ita bonum eſt ipſum, ut uſu demum utile ſit & commodum,

nodum, non item ut poſſeſſione. Siqvidem ex facultatum parte redundan-
e, neqvaqvam eſt vita unicuiqve noſtrûm, qvod Servator oraculari ſermo-
ie dixit Lucæ XII. 15. 8 At uſus ejus qvod circumfluit, non ad eum redit
ivi uſus eſt: qvippe qvi ad alios tranſeat neceſſe eſt: fructus autem ex uſu ita
emum percipitur ab utente, ſi probabiliter, ſi circumſpectè erogetur qvod
ipereſt. 9 Qvotus verò qviſqve eam ob rem præcipuè locuples eſſe medita-
ır? Qvoto porro cuiqve divitiis uti inculpatè contigit, hominum qvos vi-
imus & meminimus? eorum enim ſunt iſta qvæ propter ſe amantur & ex-
ıptantur magnô errore vitæ, ut qvæ nihil habeant ipſa qvod conditum penes
oſſeſſorem, propter ſe aſſervandum ſit. ut edulia conditanea & veſtes re-
onditæ, non aliás vitæ proſunt, qvàm cùm ad uſum promuntur. 10 Qvare
t ſint iſta, ſicut appellantur, bona: tamen ſi animus pronior & velut af-
xus abditis illis incumbat, qvod plerumqve evenit, ipſa velut in carcerem
c compedes aureas avaritiæ conjecta dici debent & compacta: non etiam
enefica atqve commodantia: cum hoc qvoqve qvòd nec ſcelere illi vacare,
ec hominum odiô poſſunt, qui tàm illiberaliter, tàm arctè, tam malignè
as cuſtodias habeant, qvæ ſi benignè in lucem producerentur, & cuſtodi
tiles & compluribus eſſent.

XVII. 1 Qvomodo autem animus vel honeſtè, vel innocenter oblectare
: magnoperè earum rerum complexu poteſt, qvæ bona fortaſſe ſunt exter-
a non animo ipſi commoda, non corpori, ſuâpte qvidem ipſâ naturâ? 2
blectare ſe dixi? qvid ſi etiam non anxiè, non meticuloſè, & verò ſine
gritudine angente, in iis neqvit acqvieſcere? nimirum qvi ſciat ſe hinc
bſqve iis bonis, & propter ipſa fortaſſe bona, ante diem emigraturum? 3
le hic qvidem fidum eorum comitatum perennemqve habiturum, ſpondere
bi auſit, niſi tantâ ignorantiâ præditus ſit, ut fluxas res, ut precarias, ut in
unc atqve illum temerè deſultorias, hujuſce generis facultates eſſe non re-
ordetur. 4 Congerat igitur cogitatione qvi volet & poterit, eorum bono-
ım acervum, à qvibus beati homines communis ſenſus judiciô Latinè
vondam appellati ſunt. dein altrinſecus ſiſtat juſtæ & elegantis eruditionis
pes, cum animo imbuto rectæ opinantis philoſophiæ ſtudio. ſimul qvid
omo homini præſtet expendat, qvid conditus homo intellectuiqve demum
pectabilis atqve viſendus externo homini & veternoſo: deniqve qvid ille
nmortalis huic mortali & caduco. Tum (ut opinor) intelliget, qvanta
t, qvàm aperta, qvàm frequens in bonorum optione hominum circumſcri-
tio. 5 At multos hôc modô falſos atqve deceptos, vita civilis eademqve er-
tica, frugi homines eſſe cenſet, ac de plebis patritiorumqve ſententia qvo-
die pronunciat, ut de tutela ſui ſuarumqve facultatum ſcitè & ſapienter me-
tos. Id qvod vice verſâ utriqve ipſum eveniret, niſi illa bellua capitum tàm
ıultorum, vaſtô qvidem illa corpore, ſed nullô aut anguſtô pectore,
vem mundum ſapientia Dei vocat, omnibus internis ſenſibus capta eſſet,
hpotensqve aſſenſionis & delectûs in fortunæ ludibriis. 6 Fucum enim ſibi
ctitari animadverteret à prudentia communi, cujus placita atqve judicia

per

per lineam (ut dicitur) diagonon oppoſita ſunt germanæ ſapientiæ divinituſqve comprobatæ. Verùm hæc qvæ propria ſunt ſanctioris philoſophiæ (à qva utiqve una hodie reſtitutio peti debet circumſcriptarum ſenſus fallaciâ mentium) illotis manibus, ut opinor, à nobis tractari videbuntur, cùm inter alumnos ejus profiteri jure meô non poſſim, præter qvàm qvod nec loci hujus eſt, nec temporis fortaſſe harum rerum diſputatio. 8 Sed juvat interdum qvaſi in elyſios animi cauſſâ digredi.

XVIII. 1 Verum ad illud revertar, qvod dicere cœperam de conceptu mentium. 2 Qvoniam igitur hæc ætas mentium fœcunditate felix (etſi in lævam partem non minùs olim hoc ipſum ſeculum inſigne futurum eſt: qvod honoris, fidei, pietatis ſanctiſſima templa ſolo penè æqvavit, qvæ templa tot ætates ſanctarum animarum fœcundiſſimæ, magnô ſudore dedicaverant) ſed tamen qvando hæc ætas complureis jam fœtus ingeniorum non ignobiles peperit, plureis etiam parturire ejusdem nobilitatis creditur, propè jam ut una ipſa ſarciendam ſuſcepiſſe videatur tot ſeculorem cladem, qvæ vim magnam priſcorum voluminum cum ingenti detrimento rei litterariæ devoraverunt. 3 Hîc commemorandum duxi qvod Socrates aqud Platonem in hanc ſententiam inqvit: Arti autem obſtetricatus, qvam ego exerceo, eadem prope inſunt qvæ in arte ipſa muliebri. Hoc demum refert, qvod feminis mulieres, ego viris operam navo: qvòd illæ corpora, animas ego ſpecto parturientes. Et in noſtra qvidem arte hoc præcipuè videndum eſt: probare ut poſſimus, omniqve ratione explorare, utrum juvenilis commentatio mendum ac ſimulachrum, an verum potius fœtum & genitalem edat. Hactenus ille. 4 Qvemadmodum autem Mathematici diagrammata illa, qvæ vocant, ex elementis conficiunt, hoc eſt linearum ductus multiplices ad theoremata ſua demonſtranda, ſparſis intùs elementis ipſis, angulorum indicibus atqve intervallorum, ut ex iis ipſa diagrammata ad demonſtrationem progrediantur, ex qva ſcientia comparatur concluſionum: eumdem penè in modum ex elementis doctrinarum diſcendiqve cunabilis, progredi ad ſummum oportet diſciplinæ orbicularis, indeqve ſemina legere ad conceptus animorum. 5 Hos porro fœtus mens edere ipſa neqvit, ut qvidem vegeti ſint ac vivaces, niſi illis tanqvàm mammis lactentur & alantur dicendi ſcribendiqve facultatis, qvæ ſunt inventio atqve elocutio. 6 At huic facultati nutricandæ & roborandæ vix triginta anni ſatis ſunt. 7 Qvantum eſt enim humana præcordia, Minervæ numine afflata ſic eſſe, penitusqve imbuta, ut in oratione hominis docti & eloqventis Pitho ipſa, qvam Svadam vocaverunt, uſqveqvaqve ſuffuſa ſentiatur & exuberans: atqve indidem vis dicendi cum admiratione audientium evaleſcat qvaſi numen eloqventiæ? 8 Nam ſermo qvamlibet elegans & nitidus, ſi nec aptus nec ſententioſus eſt, vel ſi horum alterô deficitur, tanqvàm partus qvidam caſſus eſt, & veluti urinum ovum, qvod nec diuturnô incubatu nec aſſiduô, ad vitalem fœtum proficit. 9 Qvod genus partem magnam officinarum occupare nunc ſolet. Pleriqve enim ſcribendi dulcedine ducti, noſtris ultra modum ingeniis indulgemus, eorumqve fœturis.

turis. Et ſimul ac parturire * ante exactos menſes cœpimus, geſtientis uteri & gliſcentis impetum qvaſi muſti ferventis, ſuſtinere non poſſumus. Ita fit ut ejectitia interdum pro maturis pariamus.

XIX. 1 Qvamqvàm ne poſt triginta qvidem ſtipendia, ſedulò in his ſtativis exacta, Mercurius protinus abſolutus eſt: qvi nec ex omni ligno ſculpitur (ut ajunt) nec qvolibet luto fingitur. 2 Nam cùm ceterarum ferè diſciplinarum genii nullam non materiam admittant, hæc, qvæ cunctas complectitur, & intra juris ſui fines eſſe defendit, Minervam non qvamvis, ſed

* Vide qvæ emendatione adfert Ger. Joh. Voſſius de Imitat. Poët. c. VI. & qvæ nos ibi parte 1. Methodor. p. 778. ſ. Horat. de Arte, v. 336.

Si qvid tamen olim
Scripſeris, in Metii deſcendat judicis aureis,
Et patris, & noſtras nonumqve prematur in annum.
Membranis intus poſitis delere licebit,
Qvod non edideris: neſcit vox miſſa reverti.

Ferre non poſſem, ſcribit Rolandus Mareſius Ægidio Menagio 1. Epiſtol. 11 p. m. 5. edit. Pariſ. M D C LV. „ ut liberè dicam qvod ſentio, illam
„ qvæ hoc tempore apud qvoſdam invaluit, ſcri-
„ bendi conſvetudinem, ut argumento, de qvo
„ ſcribere in animo habent, non introrſus perſpe-
„ cto, ſed obiter tantùm conſiderato, nec priùs
„ omni materiâ ad id pertractandum comparatâ,
„ ſtatim ad opus ſe accingant, nec qvid, aut
„ qvo loco ſcribant, qvidqvam penſi habeant:
„ ſed qvidqvid in mentem venerit, vix ullo ad-
„ hibito judicio chartæ illinant. Etenim iſta ſcri-
„ bendi ratio mirum qvantum ab antiqvorum
„ norma diſcrepat. Illi ſiqvidem, niſi priùs ali-
„ qvantùm temporis de materia, qvam ſibi pro-
„ poſuerant, attentè, & diligenter meditati,
„ opus non aggrediebantur: nec hinc inde qvod
„ infercirent, aut congererent, corrogabant,
„ ſed qvaſi ex ſuo penu omnia proferebant, non
„ aliter qvàm apes, poſtqvam per campos voli-
„ târint, & variis floribus inſederint, mel ex
„ eorum qvidem ſucco, ſed per ipſas concocto,
„ & immutato conficiunt. Certè Cicero, (nam
„ qvem potiùs in exemplum aſſumam?) cùm de
„ officiis ſcribere deſtinâſſet, qvæ eſſent ea de re
„ à Philoſophis, præſertim à Panætio tradita,
„ attentè ſe legiſſe, & collegiſſe, tum demum
„ operi ſe accinxiſſe ad Atticum ſcribit. Qvòd
„ autem ad eos attinet, qvi libros qvoſdam,
„ qvos theſauros appellant, ſi tamen hoc nomi-
„ ne digni ſunt, compilant, feſtivè à qvodam ex
„ noſtris dictum eſt, ex locis iſtis communibus
„ non fieri niſi valde triviales libros, & commu-
„ nes. Qvorum qvoties ingentia volumina ex va-
„ riis auctorum locis conſuta video, Plinii Ma-
„ joris ſummum in ſcribendo judicium mirari ſub-
„ it, (nam hìc nec doctrinam illius planè ad-
„ mirabilem, nec ſtilum brevem, & ſignifican-
„ tem, qviqve ſupra proſam aſſurgit, nec reliqvas
„ dotes attingo) qvi de univerſa rerum natura
„ ſcribere aggreſſus, rem omnem, qvæ propè
„ infinita videbatur, paucis libris, & ordine
„ præclaro complexus eſt; cùm ex recentibus
„ qvidam minimas ejuſdam hiſtoriæ naturalis
„ partes tot ſint voluminibus perſecuti. Nimi-
„ rum ille auctorum, qvos ſeqvitur, verba non-
„ niſi raiò, idqve breviter, cùm opus eſt, addu-
„ cit: ſed ab illis deſumptæ materiæ ſtilum tan-
„ tùm ſuum accommodat, & opus qvaſi ſuo mar-
„ te, non hians, neqve interruptum conficit:
„ Longè aliter iſti: qvamplurimos ſiqvidem, &
„ prolixos locos in libros ſuos conferre ſtudent:
„ plerumqve etiam gravibus, qvæ minutias o-
„ mnes reſpuunt, ſpinoſas, & importunas Cri-
„ ticæ diſqviſitiones, & Grammaticas, ſi Deo
„ placet, qviſqvilias inſpergunt: à qvibus ſplen-
„ dida materies refugit, & non aliter contami-
„ natur,

Ac Arretina violant cryſtallina teſta.

Idem Mareſ. Ep III. p. 10. *Certè meâ ſententiâ ille nunqvam opus victurum emittet, qvi ſe amicum non habeat, qvi illius ſcripta caſtiget, ſaltem aliqvem liberi pectoris hominem non nactus erit, qvi manu non parcente illa corrigat, qvemadmodum* Cynicus *ille dicebat, ut qvis ſalvus eſſet, amicô aut inimicô ei opus eſſe.* Et paucis, qvæ jam jam qvoqve dabimus, interjectis: *Ferè opera noſtra,* inqvit p. 11.
„ properandi ſtudio, & laboris tædio inemen-
„ data, & ut ita dicam cruda & muſtea emitti-
„ mus, nec donec deferbuerint, expectamus.
„ Qvod antiqvis non factitatum comperiet, qvi
„ cogitârit Virgilium morientem Æneidem ſuam,
„ ut incorrectam aboleri juſſiſſe, ad qvam emen-
„ dandam paulò antè in Græciam ſecedere cogi-
„ târat: & in mente habuerit qvæ Plinius Secun-
„ dus de ratione ſua opera emendandi in epiſto-
„ lis prodidit: de qvibus, ut ille de tabula, ma-
„ num tollere vix ſuſtinebat.

Atticam ſanè poſcit, & tanqvàm Phidiacam: tùm demum qvidem certè; cùm artis ipſa ſpecimen facere inſtituit, dignosqve partus hominum expectatione edere, & ſimul idoneos qvi in ſecula erudita ituri exiſtimentur alia atqve alia, ita ut gratiam qvoqve cum ætate perferant. 3 Hæc enim nota erit antiqvi artificii, cùm gratia, cùm dignitas & autoritas annis ceſſiſſe non videbuntur. 4 Nunc igitur ſi decimare legiones juvenum inſtituerimus: indeqve lectiſſimum qvemqve ſumere, iterandi etiam erunt hi lectiſſimi: ac ‡ decimus qviſqve rurſus numerô erit eximendus, ut decuriam unam efficiamus hominum delectorum, qvæ inſignire ſeculum ſuum poſſit: qvod tamen vix ætate Demoſthenis contigit. 5 Nec enim non eadem raritas doctiſſimorum hominum fuit nobilibus illis ſeculis, qvæ litteras ad ſummam manum expoliverunt. 6 Nam qvot æqvales tandem litteris maximè florentibus, dicendi facultate inclaruerunt, præter illam heroicam Atticorum ætatem? atqvi tùm conſvetudine emendatâ non minùs qvam methodô & curâ, & Græci & Latini eleganter & compoſitè dicebant.

XX. 1 Mihi verò hæc ſcribenti in mentem veniebat, pœnitendam meam ſortem & penè deplorandam eſſe, qvi juventutis florem totumqve robur ætatis in his ſtudiis contriviſſem Litterarum luce nondum cis Alpes exortâ, niſi admodum exili nec memoratu dignâ. 2 tunc verò cùm hæc proderem, claritate Litterarum planè redditâ vitæ, inſperatam juvenum ad eadem ſtudia contentionem exarſiſſe viderem cum profectu memorabili. 3 Græcorum etiam voluminum vim magnam pervagari cùm operâ chalcotyporum, * tùm verò induſtriâ qvorundam hominum doctorum in commune libros conqvirentium. 4 Qvô illorum ſunt ſtudia feliciora, qveis nunc qvantumvis lectionis helluonibus, ad ſatietatem frui licet iis epulis, qvibus ego tantùm liguriendis animum paſcere tunc cogebar, inani ſæpenumerò contentione atqve irritâ. 5 mihi adeò, ut ex hujus proventus ubertate, multum eſſe qvod curriculum ineuntibus gratuler: qvô ipſe verò frui poſſim, parum eſſe videatur, qvi cùm annos ipſe meos numerò in ſtudio conſumptos, Tithonus mihi eſſe videor: cùm ea qvæ deſidero ad juſtam eruditionem, æſtimo, non

‡ *Decimus qviſqve*] *Hôc tempore*, ait rurſus locô proximè citatô p. 11. Mareſius, „ non adeò „ magna eſt eorum copia, qvi Lingvam Latinam „ exactè callent, & emendatè ſcribere illô ſer„ mone nôrint: in qvo qvidem, qvoniam Ro„ mani nati non ſumus, facilis eſt lapſus: nam „ pleraqve opera, qvamvis Latina videantur, ta„ men ſi propiùs inſpicias idiotiſmis ſcatent; „ qvi error eſt communiſſimus. Muretus etiam „ alicubi conqveſtus eſt, majorem fuiſſe ſuâ æta„ te illius lingvæ ignorationem, qvàm vulgò cre„ deretur.

* *Operâ Chalcotyporum*] *Artis typographicæ beneficiô*, ſcribit Rolandus Mareſius Henrico Valleſio 1. Epiſtol. V. p. 16. „ multos libros veterum, „ qvi alioqvi funditus interituri erant, ſervatos „ habemus: illius beneficiô optimus liber minimô labore, & tempore in infinita exemplaria „ transfunditur, & minimô impendiô emitur: „ qvo fit, ut longè meliore conditione in ſtudiis, „ ac libris comparandis ſimus, qvàm antiqvi, „ quâ tamen ad noſtrum commodum per ignaviam uti non novimus: ſed eâdem etiam operâ „ mali libri minimô negotiô, & levi impenſâ in „ manus hominum exeunt qvi ut non ferant ætatem, tamen intereà inconſulta juventus, & „ vulgus indoctum argumenti facilitate illectum, „ in hos omnem operam, qvam in melioribus „ ponere debebat, inſumit.

non planè è tironibus exceſſiſſe me ſentio. 6 Ceterùm qvod ad eos attinet, qvibus ætas nondum ex ſtudiis his exceſſit: cùm ex tanta clade tantoqve diluvio, qvod tamdiu mortales in caligine denſa diſciplinarum tenuit: Litteræ tùm Græcæ tùm earum æmulæ Latinæ, emerſæ ſint, & ſi adhuc fortaſſè fugientes ipſæ ob vetuſtatem aliqvantum dici poſſunt: cauſa eſt certe digna, qvam ob cauſſam ii, qvibus præter integram ætatem, per vitæ rationem qvoqve id licet, & modum facultatum, ingenia, perclitari libenter & accuratè debeant. 7 Qvid eſt enim poſt religionem doctrinâ Chriſti Servatoris conditam, poſt pietatem à diſcipulis ejus conſtitutam, poſt veritatem ſapientiæ, legemqve inſontis vitæ, tot talibusqve ſuppliciis divorum necibusve mirificis ſanctam atqve teſtatam, qvod mortalibus dare majus providentia magisqve optandum potuerit, ad vitam temperandam ſalubribus inſtitutis? 8 Etenim pax conſtans & uſqveqvaqve tranqvilla, eſt illa qvidem exoptanda maximoperè, & expoſcenda divinitùs ſanis animis: ſed tamen parens eſt eadem ipſa ſecuritatis ſomniculoſæ & oſcitantis. 9 At ſecuritas hujuſmodi luxum gignere ſolet, & ſocordiam, è qvibus inertia rurſus voluptatúmqve illecebræ oriuntur. Ad qvæ vitia elidenda ſtirpitùs & enecanda, animorum cultus ab ipſa magiſtra vitæ phioſophia inventus eſt.

XXI. 1 Porro autem ſic naturâ comparatum eſſe novimus, poſt primordiale illud admiſſum illecebræ piacularis, ut niſi ratio ſedens in ſolio principatus animi, habenas efferatorum ſenſuum in manibus habeat, nihil ferocius, nihil impotentius rationali ſit animali, nihil adeo & præceps & in necem ſuam proclive & incitatum. 2 Idcirco Plato, tametſi neſcius ipſe fuiſſe videri poteſt commercii cœleſtis, qvod immortalitatis pignus humano generi datum jam erat divinitùs: tamen ut alia permulta, ſic hoc qvoqve commentus eſt, qvòd è partibus animæ bigas junxit eqvinas. qvarum alterum eqvum, honeſtum eſſe dixit & bonum, ex bonisqve & honeſtis oriundum: alterum contrarium, atqve è contrariis ortum. 3 His bigis iracundiam cupiditatemqve ſignificans: qvibus aurigam etiam accommodavit, qvam ratiocinandi vim nuncupat. 4 Et moleſtam qvidem (inqvit) aurigationem in nobis utiqve eſſe, ægreqve tractabilem neceſſe eſt, propter eqvorum diſcrepantiam. 5 Qvippe cùm iracundia rationi plerùmqve obtemperans ſit, interdum etiam rationis ſocia, atqve in pugna auxiliatrix: at cupiditatis partes contumaciâ præditæ, nec ſine moleſtia ductiles, ad imperia accipienda ſolent obſurdeſcere, vix ut flagello cedant pariter & ſtimulo. Hæc vir ille ſummus, & ut eô tempore divinus, in Phædro. 6 Ceterùm in primo legum, qvisqve (inqvit) hominum cùm unus ſit, duos habet intus conſiliarios imprudenteis, eoſdem contrarios inter ſe: qvos dolorem voluptatemqve dicimus. 7 Habet etiam præterea duas opiniones futurorum, qvibus ſpes qvidem his commune nomen eſt. 8 Ceterùm ſpei qvæ dolorem præcedit, timor: qvæ doloris contrarium, fiducia nomen eſt peculiare: de hiſce ipſis autem faciendum nobis eſt hôc ut modô commentemur. 9 Exiſtimemus, unumqvemqve noſtrum miraculum qvoddam ſanè divinum inter animantia

eſſe: ſive ludicrum ſit deorum, ſive opus ſerium: nam utrum ſit horum, minimè ipſi conſtituere valemus. 10 Id verò demum exploratum habemus, has affectiones tanquam nervos in nobis eſſe, aut fidiculas nos trahentes: qvæ cùm ſint ipſæ ſibi contrariæ, altrinſecus ſtantes, utiqve diverſos nos diſtinent, ac pertrahunt ad contrarias actiones. inibiqve limes eſt virtutem vitiumqve dirimens. 11 Dictat autem ratio unumqvemqve noſtrûm, ſic uni horum tractui præbere ſeſe ſemper oportere obſecundantem, nec digitum tranſverſum ab eo abſcedere, ceteris ut attractibus omnibus obluctetur. 12 Hunc porro ductum aureum eſſe & ſacrum, qvi ſi in univerſum ipſe valet in civitate, appellatur lex communis. 13 Ceterùm alios ductus duros eſſe & ferreos, cum hic & aureus ſit & mollis, reliqvos verò tractus formis ſimiles multifariàm variis, oportere opitulari optimo legis ductui. 14 Nam cùm ratiocinatio tum bona ſit, tum placida, tum expers violentiæ: nimirum ejus ductum indigere miniſtrorum, qvò in nobis genus aureum prævaleat, generibus aliis. 15 Hæc Platonis commentatio eò pertinet, qvòd ipſe dixit librô tertiô Reipublicæ, ſub perſona (ut opinor) Socratis cum Glaucone diſſerentis, explicantisqve qvônam pactô perſvaderi poſſet & magiſtratibus civilibus, & militari ordini, & ſimul plebi, ut, qvod ſui eſſet muneris, id qviſqve exſeqveretur. 16 Ceterùm (inqvit) ô Glaucon, audi qvod ſupereſt fabulæ. 17 Eſtis autem omnes vos, qvi civitatem incolitis, fratres: (ajemus ipſi ad eos, hôc modô fabulabundi) verùm Deus cùm vos fingeret, qvicunqve veſtrûm digni erant, qvi ceteris imperarent, eorum ipſe ortum aurô permixtô attemperavit: unde fit, ut illi plurimi æſtimentur, at qvi idonei erant futuri illorum adjutores, his Deus argentum immiſcuit. poſtremò ære & argentô attemperavit figmentum agricolarum & opificum. 18 Hic Platonis apologus tropum habet conſentaneum qvaſiqve alludentem, cum vaſis aureis & argenteis conſcii illius hominis divinæ ſapientiæ, atqve etiam ligneis, in ſecunda ipſius ad Timotheum epiſtola, c. II. 20. 21. qvæ in magnis ædibus domini diſpoſita ſunt, alia ad honorem, alia ad ignominiam.

XXII. 1 Cùm igitur humana natura tantâ varietate conſtet, motus tam diverſos, impetusqve tam contrarios in ſemetipſa, atqve ex ſeſe ipſa cieat: cùm & placidam intus naturam & efferatam habeat, magnâ utiqve doctrinâ multifariamqve indagatâ opus eſt ad moderationem hujuſcemodi animantis. 2 In humanis autem mentibus intelligentiæ inchoatæ, perfici neqveunt, niſi in officina philoſophiæ. Atqve ex his notionibus ratio coagmentatur, qvæ nihil eſt aliud, qvàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura, inqvit Marcus Tullius. 3 Sed nos hujuſcemodi rationem ſtoicam & exemplarem in hominibus conſiſtere non poſſe novimus, niſi ſit conflata divinitùs, non lege naturæ, ſed privilegiô gratiæ. 4 Qvare rationem intelligere nos nunc oportet, qvalem ſapientiæ humanæ captus admittit: cuiqve par eſſe poſſit humanum faſtigium. 5 Supradictis accedit, qvod ſenſuum corruptelæ è civili conſvetudine manantes, in noſtram naturam incurrunt, ad pravitatem ſuam ipſam ſponte, qvàm ad rectitudinem

propen-

propenſiorem: ob idqve ipſum egentem aſſiduâ reconcinnatione. 6 At verò harum corruptelarum alumna eſt planè & diſcipula, celebritatis civilis urbanitas: qvam mundum appellare ſolet cœleſtis ſapientia: cujus placita atqve reſponſa omnino pugnantia ſunt, non modò cum imperitæ plebis ſcitis, ſed etiam cum eqvitum ſenatusqve conſultis: illa verò & ſæpe cum Regum Cæſarumqve ſanctionibus, & porro cum pontificum.

XXIII. 1 Qvapropter philoſophia & vitiorum expultrix, & diſſolutorum reconcinnatrix, ad qvam tanqvam ad punctum medium, omnes partes debent vergere orbis diſciplinarum, qvas litteras bonas ſæpenumero dicimus, donum eſt ipſa ſanè divinum & admirandum, cœlituſqve demiſſum. 2 Hoc enim velut antidotum habet vita compoſitior & circumſpecta, adverſus contagia compitalis vitæ & circumforaneæ: qvæ mentes humanas erroribus permultis inficiunt, virtutumqve igniculos exſtingvunt in animis humanis ingenitos. 3 Hic ille eſt nimirum crater ingens mentis, qvem Hermes ille jam dictus, ut inter antiqvos philoſophos, ter maximus, expoſitum eſſe ait in medium divinitus, edictô voce præconiâ in hanc ſententiam promulgatô. 4 Qvæcunqve anima creatorem mentis credit in cœlum unde demiſſus eſt, rediturum, aut qvæ finis non neſcia eſt ad qvem finem ipſa nata eſt, in eum ipſe ſeſe ſi poteſt ipſa mergito. 5 Qvæ animæ igitur exauditô præconiô ſeſe in mentis illam crateram ingurgitârunt, eæ mentem ſuſcipientes, in viros perfectos evaſerunt. 6 Qvi autem ad id præconium obſurduerunt, ii ſermonis participes, non item mentis facti ſunt: qvippe ignari qvem ad finem geniti ſint. Quare ſimiles ſenſus cum brutis habentes, irâ & cupiditate irretiti, neqvaqvam ſuſcipiunt res admiratione dignas.

XXIV. 1 Jam verò Promethei fabulam, qvid aliud qvam philoſophiam ſignificare cenſemus, diſciplinarum inventricem: qvæ menti humanæ nudæ & inermi, atqve omni præſidiô naturæ deſtitutæ ſuiqve propugnaculô, res ad vitam neceſſarias excogitavit, degendam convenienter animanti rationali. Propter qvæ hominum fictor appellatus eſt. 2 Itaqve idem Plato fabulamentum enarrans in Protagora, de prima generatione animalium, jam (inqvit) dies inſtabat, qvô die oportebat poſt cetera animalia hominem è terra ad lucem exiſtere. 3 Ibi anxius Prometheus qvônam pactô homini ſalutem inveniret, furtim Vulcano ſubducit & Minervæ, peritiam artium atqve ignem: nimirum qvi videret artium notitiam haberi ſine igne, aut certè uſui eſſe ſine eo non poſſe. Eam igitur cum igne donô dedit homini. Qvâ ratione rerum ad vitam utilium homo peritiam aſſecutus eſt. 4 Ceterùm civilem ſcientiam habere non potuit, qvæ erat penes Jovem: & in ejus ingredi domicilium nondum licebat Prometheo. 5 Ex his intelligimus per artium mechanicarum inventionem, hominem ad vitam humanô ritu vivendam eſſe deductum: per artium autem liberalium traditionem ad vitam excolendam perductum eſſe, ornandamqve è naturæ humanæ præſtantia & dignitate. 6 Ad qvas artes commendandas & illuſtrandas, præmiis utiqve luculentis ii homines excitandi ſunt à principibus, qvibus arte benignâ & meliore lutô

 finxit

finxit præcordia Titan. Vel ipſe potiùs finxit cœleſtis Prometheus, Dei providentia, omnium animantium artifex, omniumqve adeò formarum exemplarium conditor. 7 Hi enim eô numerô haberi debent (ut opinor) in eumqve ordinem adoptari, qvod genus aureum Plato vocavit, & argenteum. 8 Nam qui ex rerum humanarum divinarumqve ſcientia, dicendi facultate conjunctâ, præditi ſunt, ſic præſtare videntur ipſi inter mortales, ut aurum inter metalla præſtat. 9 Nam ſecula inſcitiæ & infantiæ, bonos qvidem illa permultos homines, nomiſmatiſqve fortaſſe non perinde ſubdoli, edidêre: ceterum craſſi terreniqve metalli. 10 Sed ſic erat tum ſenſus mortalium: & ad coticulam ſuæ ætatis, non ad noſtræ explorare eos probareqve debemus. 11 Neqve verò erat (ut opinor) ea culpa hominum, ſed temporum. Homines enim ingenioſiſſimos ea qvoqve ſecula genuerunt. Qvibus in ſeculis conticinium qvoddam tenebricoſiſſimum à litteris bonis fuit & ab eloqventia: qvoad tandem appetente lucis inſtauratitiæ tempore, ſubluſtre jam cœpit eſſe atræ prius noctis conticinium.

XXV. 1 Tui autem clari principatus, Here, adoleſcentia, in omnia jam pene illuſtria incurrit: ſed qvæ incrementum tamen ſplendoris luculentius indies accipiant. 2 Proinde vetus illa ſupellex philoſophiæ qvaſi vaſa lignea ſamiaqve ad ruſticos delegata eſt, vel relegata potiùs pomœriiſqve ejecta, ut nitore urbanô liberaliqve indigna: qvi vetuſtatis illius ſitum rancoremqve ferre ultra non poteſt. Multiqve nunc libri, qvi avorum patrumqve adeo noſtrorum memoriâ in precio fuerunt, nunc nymphis aut Vulcano dedicandi ſunt, ut muſæô indigni. 3 Nam qvis inventis (qvod dicitur) frugibus avitam illam glandem ructare non erubeſcat, cui qvidem liberaliter inſtitutum eſſe contigerit? 4 Qvin & ſanctior ipſa philoſophia non æqvè placere poteſt ſqvallida & nitida, incondita & compoſita, lauta & illuvie deformis. 5 Nam Stoicidarum eſt & planè Cynicorum, illa jam ſententia, Dicite pontifices, in ſancto qvid facit aurum? Niſi verò chariſteria Servatori ſamiolis calicibus fieri, fas eſſe qvis defenderit, adytaqve ſanctiſſima atqve delubra ſtanneis vaſis ornari. 6 Mercurialis enim ſermo mentium ſublimium interpres eſt, ut jam dictum, mirificorumqve ſenſuum enarrator diſertus & copioſus. 7 Qvòd ſi theologia per ſe rerum divinarum enarratrix eſt, eloqventia eô ampliùs earundem exornatrix eſſe poteſt, ſub cujus facultatis deſpicientia atqve obtrectatione, homines nonnulli, immanem ruſticitatem, fœdamqve barbariem occulere ſeſe ſperârunt. 8 Verùm noſter hic Mercurius, ut natales ſuos refert ad parentes nobiliſſimos intellectum & prudentiam, qvi originem habent cœleſtem & ſempiternam: ita rebus æternis ipſe ſervire debet ſtrenuè & compoſitè, & ſummâ fide.

XXVI. 1 Qvidnam autem vetat hodie litteras bonas eruditionemqve priſcam atqve philoſophiam, à poëtis ad ſanctos vates: à fabulis impietatis, ad hiſtoriam æternitatis: ab eluſiniis deniqve initiis (qvæ qvondam Cereris errores commentitii qvidem illi, ſed myſtici pepererunt) ad veritatis atqve ſapientiæ inter mortales jam verſantium, explanationem transferri? 2 Et ſi

anti-

antiqvitas bonorum fines temporarios, dicendi vi commendare expetendosqve docere potuerunt: ita ut hodie qvoqve ob id eam admiremur: cur abſurdum eſſe cenſetur, de bonorum malorumqve ſempiternorum fine, eâdem differendi facultate commentari & ſcriptitare & verò conciones habere? 3 Nec verò dicendi facultas divinarum rerum juxtà humanarumqve interpes idonea, ſiqvidem earundem rerum ſcientiâ ſit imbuta, ulli unqvàm ceſſit ætati. Nunqvam enim obſoleſcit ille, nullâ vetuſtate exoleſcit ſplendor eloqventiæ. 4 Nec minùs nunc ipſa vis eloqventiæ, vel togatæ vel palliatæ viget, etiamſi longè minus pollet, qvàm Platonis tempore vigebat, ejusqve alumni M. Tullii, atqve M. Varronis. 5 Frendeant licet & qviritentur illi pro concione, qvi alteri obtrectant: alteram exterminare cœlô noſtrô conati ſunt, ut profanam & peregrinitatis ream in civitate ſancta. 6 Id autem qvod dixi ſapientes illi priſci ſignificare volentes, Mercurios omneis pingere & ſculpere inſtituerant juvenili facie: qvaſi nunqvam ſeneſcentes, & omni ætate florentiſſimos. 7 Nam qvod qvadratos ſuos Hermas Athenienſes faciebent, id ſignificabat, dicendi facultatem in omni re gravi explicanda & exornanda qvadrare & convenire, qvod nemo niſi ignarus inficiari ſuſtinet. 8 cum eo qvoqve qvòd dicendi genus oportet rebus dicendis veluti normali obſervatione accommodare.

XXVII. 1 Atqvi cùm Dei filius, idem mens & ſapientia divina, ut omnium rerum auctor & conditor, ſic etiam orationis fuerit: immo veró cùm verbum, oratio, ſermo, abſolutè ab oraculis nuncupatus ſit, ipſe Gregorio magno, qvi Theologus cognomentô dictus eſt, aſſentiendum eſſe duxerim. is enim orationis & ſtili facultatem, eô maximè niti & gloriari mertiſſimò dixit, qvantum eſt qvod impenditur operæ ab homine eâ facultate prædito, in pietate & religione commendanda diviniſqve rebus enarrandis & illuſtrandis. 2 Hoc enim & ſentire & fateri longè præſtantius eſt, qvàm qvòd qvidam faciunt, ut vaſtam ruſticitatem ſub nomine ſimplicitatis laudent: qvæ adulteratrix eſt ipſa ſanctitatis meræ, atqve innocentiæ. 3 Antiqviſſimam etiam theologiam ſymbolicam fuiſſe ipſe libens cenſeo, non fabularem. licet (ut humana ferè inveterandô degenerant) à poëtis, qvi divina pro nihilo ducebant, excepta & tractata theologia ad figmenta deflexa ſit tetra atqve impia. 4 Et Veteres qvidem theologi Deorum hominumqve patrem atqve ſatorem Ζῆνα * appellaverunt, qvaſi vitæ parentem & auctorem (etſi Lactantius Firmianus lib. I. c. XI. aliter opinatus eſt, qvi mihi parùm accuratè hæc videtur perpendiſſe). 5 Eundem etiam illi Δία ideò nominaverunt, qvod per eum & propter eum omnes naturæ proditæ ſunt & ſubſtantiæ. Siqvidem qvidqvid factum eſt, in ipſo vita erat, nec ſine eo factum eſt: qvin & in ipſo

* Ζῆνα] Appulej. de Mundo p. m. 75. v. 3. *A juvando Jupiter dicitur: qvem Ζῆνα Græci, qvòd vitæ noſtræ auctor ſit, rectiſſimè adpellant.* Ariſtides: Ζεὺς, ὅτι ζωῆς τε καὶ οὐσίας ἑκάστοις ἐστὶν αἴτιος, κέκληται ἡμῖν. Ζεὺς, Ζῆν, Ζὰν, Ζὰς, & plures formæ ejuſdem vocabuli notæ ſunt.

ipſo vita erat omnium, cùm nondum qvidqvam viveret animantium. 6 Hic ipſe parens rerum omnium è Mnemoſyne (qvam ego eſſe interpretor recordationem propriæ originis & cognitionem ſui) Muſas genuiſſe dicitur. 7 Hæ Muſæ ſunt (ut opinor) mentis conceptus, æternarum rerum contemplatores, qvæ intellectu tamtùm percipi poſſunt. 8 Nam Muſæ dictæ ſunt qvaſi indagatrices, utpote per naturæ veſtigia ſenſilis atqve mathematicæ ſuperna & cœleſtia indagantes: hodie eò amplius ipſæ & labore longè feliciore, cubile ipſum veritatis in monumentis ſacris inveſtigantes: in Heliconis receſſu montis (ut nomen ipſum indicat) anfractuoſi choros ſuos ductantes, per qvos ſeriem rerum intelligimus, qvæ infinitam ipſa complectitur ſapientiam. 9 Ejus porro montis duo vertices geminæqve minantur in cœlum ſpeculæ. alteri tropologia nomen: at ea, qvæ editior eſt ſpecula, anagoge vocatur. in qvam philotheoria, qvæ culmen eſt columqve philoſophiæ, interdum ſcandens ad ſummum humani captûs faſtigium ſublimis & tanqvam volucris attollitur.

XXVIII. 1 Eorum autem qvi poſt ſacram civilitatem conſtitutam (qvæ inauditô nomine priſcæ, theocratia dicitur) ſapientum coryphæi fuerunt, ſublimis illius verticis apicem attigit imprimis divus ille Joannes deliciæ Servatoris, qvi cothurnum primus induit theologiæ. 2 Nam in operis principio theogoniam mirificè & altiloqventiſſimè cecinit, à Muſis utiqve ſanctioribus prorſus ſublime raptus, longè certè beatiùs qvàm ille olim Aſcræus vates, (Heſiodus) qvi theogoniam illam commentitiam, & ſtemma tartaridarum cecinit. 3 Secundum hunc alter juris divini conſultiſſimus fuit, ſalutariumqve cerimoniarum magiſter & proditor in provinciis: de qvo privilegium latum inter ſuperos, nullô (ut opinor) exemplô, ut ante annos vitæ exactos, inter theoros animos & ſpiritus ſpectatum admitteretur, & ea ſacra ſpectatum, qvæ nec prodere ipſi aut cuiqvam alteri, nec effari fas eſſet. 4 Hæc duo lumina inter antiſtites ſapientiæ, fugacis anteà veritatis ac ſummi boni veſtigia ambagesqve explicaverunt, qvæ ſatagenti philoſophiæ, nullumqve non lapidem (qvod dicitur) molienti, ſeſe ſubducentia, tanqvam intra caliginem dogmatum pugnantium abdita eſſent, inani labore indagabantur. 5 Cùm interim in ænigmatum ſacrorum involucris incluſa veritas ipſa deliteſceret, ac ne ab iis qvidem, niſi perpaucis, perſpici poſſet, qvi ipſa involucra habebant in manibus, & ſæpe contrectabant. 6 Proh divi immortales! hoc qvid aliud fuit, qvàm duos ipſos heroas, non ſuô ſed divinô marte actos, ſphingem illam externæ philoſophiæ conficere? qvæ tanta, tot ætatum ingenia, tam diu griphis ſuis torſerat neqvidqvam & conſumpſerat. 7 At verò qvi ad rerum divinarum cognitionem ſuâpte vi aſſurgere conati ſunt, qvaſiqve ſphingem illam ludificatricem ſuâ Minervâ captantes humanô marte comprehendere, ut Porphyrius & Plotinus & qvidam alii ejusdem familiæ, in eandem ipſi fraudem impietatis cum illo Prometheo inciderunt, qvi ad Caucaſiam rupem à Mercurio affixus eſt, adhibitô vulture aſſiduè excarnificatur. 8 ob id eâ pœnâ mulctatus, qvòd Jovi conatus impoſturam facere, hominem etiam

etiam fingere auſus eſſet: tùm qvod ignem igniariô excuſſum hominibus tradidiſſet: ſive qvod fulminis rationem comperiſſet, vulgaſſetqve compertam. 9 Hunc ego Prometheum honinis philoſophi intellectum eſſe cenſeo: qvi in phyſiologia atqve aſtronomia cum ſucceſſu verſatus atqve in aliis partibus philoſophiæ ad divinorum qvoqve intelligentiam humanæ tantùm conjecturæ adminiculô aſſurrexiſſe confidit, aut evaſurum tandem. qvod hominem eſt fingere, hoc eſt, hominem ad rationem formalem ſui generis abſolvere, ut rerum humanarum prudentiam divinarumqve teneat. 10 Is igitur Prometheus blandimentis erectus & illecebrâ commentationis, in humanis ac phyſicis magnoperè proficientis, iiſqve ſimplicioribus & jam pené abſtractis mathematicis: rerum etiam earum naturam, qvæ mente ſolâ percipiuntur, ceſſuram arbitratur animi ſui contentioni. 11 Qvare poſteaqvam altioris ſpeculationis intentione, qvaſiqve alis animi ſe ſuſtulit, ſublimis abire ſibi videtur, & veritatis comperiendæ ſtudiô ſemper gliſcente, per inane volitans, animum ſuum exeſt identidem fibris jecoris renaſcentibus, cùm ſemper recurrat hæſitatio, ut eſt divinarum rerum contemplatio. 12 Ipſe verò Jovis lictor Mercurius, meâ qvidem ſententiâ eſſe poteſt ratiocinatio humanitus inventa, qvæ omnia ſui juris eſſe putat: ſuprà, infrà, eorumqve conterminа. 13 Verùm eô ſuppliciô aliquando defunctus, eâdem ſimilitudinis ratione, videri poteſt Prometheus Herculis beneficiô, non illius Thebani, ut inqvit Philoſtratus, (* multi enim fuerunt eôdem nomine) ſed cœlitus oriundi, ac longè illô omnibusqve majoris, qvi ſagittis aqvilam, aut vulturium illum Caucaſium confixit, carnificem intellectus.

XXIX. 1 Hujus igitur Herculis virtute, qvaſi ex Caucaſi carnificina homines multi liberati ſunt; externâ, qvæ dicitur, eruditione ſanè præditi. qvi errore intellectô ad Chriſtianiſmum ſeſe conſultiſſimè ſuaqve contulerunt, exutâ Græcæ philoſophiæ profeſſione. 2 Nimirum qvòd animadvererent Promethei illius figmenta inchoatos tantum homines eſſe, & tanqvàm animantes, non etiam ſpirantes ſuperorum cognationem atqve immortalitatis cognitionem, ad qvam homo factus eſt. deeſſeqve illis ultimam manum & qvaſi Phidiacam, qvæ non modò hominis rationem perficit atqve finitionem: ſed ab integro redivivam efficit per palingeneſiam cœleſtis philoſophiæ. 3 Cujus philoſophiæ qvi myſteriis magnis initiari velint, eorum hominem exteriorem ſideratum (ut ita dicam) eſſe oportet, ſenſibusqve emortuis, qvaſi numine rapidiore afflatum atqve urentiore. 4 Qvandoqvidem autem in illa vaſta priſcæ doctrinæ ſylva, permultæ occurrunt ſalebræ, in qvibus hærere nonnunqvam contingit: crebriqve anfractus, qvi in devia interdum ferunt: libenter qvidam fecerunt homines proclives ad inertiam, ut intra pomœria verſari tantùm

 ortho-

* *Multi*] Ter binos Hercules numerare Gentium Theologos non ſolùm lego apud Ciceronem III. de Nat. Deor. c XVI. ſed & invenio in Arnobio IV. adv. Gentes p. m. 136. Imò Varro, qvemadmodum è Servio in VIII. Æn. v. 564. diſcimus, ſive XLIV. ſive XLIII. Hercules collegit. Prior numerus eſt in Servio P. Danielis, ſicqve legitur ab Alexandro Neapolitano qvartô Genial. dier. c. II. Poſterior reperitur in Servio Fabricii, legiturqve ita à Gyraldo in de Diis Gentium Syntagm.

orthodoxiæ doctrinam probabilem dicerent & contenderent, atqve eum colorem interdictis ſuis qværerent, cùm cultores ipſi omnes rectæ religionis, eorum ſcriptorum lectione & ſtudiô qvaſi dirô & averſandô, arcerent qvi ſeculares externiqve appellantur. 5 æmulantes utiqve eô factô inſtitutum Juliani Cæſaris cognomentô transfugæ. Qvi (ut auctor eſt Gregorius ille magnus) Chriſti nomen exoſus, ultimi locô ſupplicii ſimile interdictum in eos commentus eſt. qvos ipſi Servatori devotos eſſe compererat, ideoqve ſtudioſos apertè doctrinæ euangelicæ. 6 Verùm ille dirâ atqve immani præditus erat impietate, cum ingenio ſingulari & eximia litterarum peritia: iſti cum animalium arcadicorum capitibus, ſuillas etiam autreis habere ſe ſatis oſtendunt, cùm omnem muſarum concinnitatem aut reſpuant, aut ſtupidè tranſmittant. 7 Certè qvidem ſeveriſſimis eorum & graviſſimis, non tàm lingva, qvàm palatum fortaſſe, nec tam cor, qvàm ſupercilium ſapiunt.

XXX. 1 Sed fuit illud genus, ut ſpero, in manesqve nunc declamare me, non in homines exiſtimo: cùm litterarum bonarum peritia, non modò popularis in univerſum, ſed etiam apud ampliſſimum ordinem litteris ſtudentium, gratioſa eſſe cœperit & plauſibilis. carioſæ enim illæ ſtirpes vetuſtæ ignorantiæ luculentè jam labant: qvare omnes fibræ (ut ſperamus) ſenſim citoqve emorientur. 2 Orbis autem ipſe ſtudiorum in conventu ſcholaſtico Lutetiæ repentè converſus eſt: qvi in prima inclinatione ſui magnum planè ſtridorem & tumultuoſum edidit. 3 Nuperqve barbarica illuvies & ſermonis ruſticitas, è philoſophiæ porticibus faceſſere conſpicuè cœperunt: nimirum ex qvo Lingvæ Græcæ ſupellex in eas importari ad ornamentum cœpta eſt. 3 Rurſus verò nos rem præclaram & honeſtam, ab antiqvis inventam & abſolutam ad formandam componendamqve humanitatem, qvam Plato in Timæo divinitus datam hominibus eſſe ſcripſit, ne in noxam diram vertamus, animorumqve internecionem ſummoperè animadvertendum nobis eſt, & providendum etiam atqve etiam. 4 Qvid enim inconſultius eſſe poteſt, qvid amentius, qvàm antidotum philoſophiæ ad vitandam contagionem inventum imperitiæ multitudinis & hallucinabundæ: in venenum vertere impietatis, animis immortalibus exitioſæ? 5 Qvid litterarum cultoribus, calamitoſius qvàm cultum & ornamentum vitæ eorundem hominum culpâ in necem evadere horrendam animorum. 6 Nam qvod in tuenda hominum univerſitate providentia facit, ut ex bonis malisqve, & è tanta ingeniorum voluntatumqve varietate, civitates & cetera hominum conventicula coagmentata ſint ſalubriter & evaleſcant: hoc efficere debet bona fides, & recta de rebus divinis perſvaſio, in ea doctrina, qvæ encyclopædia dicitur. 7 Et qvod umbrarum colores in tabulis faciunt, ut eminentiora ſint lumina: hoc facere doctrina inventa debet cum oraculari inſpirataqve compoſita.

XXXI. 1 Jam verò ut homo firmi ſtomachi etiam mali ſucci cibos in alimentum corpulentiæ conficit: ita qvi non ſuo & ſenſuum ſtomacho, ſed rationis & pietatis orthodoxiæ ſtudere & commentari ſemel conſtituerunt, nihil non congruenter & commodè conſiliô ſuô concoqvunt. 2 & delectum

tamen

tamen lectionis habere oportet, ut animadvertamus orbem nobis vitæ ſalubris circumſcriptum eſſe doctrinâ euangelicâ: intra qvem ſi qvæ ſtudiorum genera ſunt, qvæ admitti ſine colliſione neqveant, ea eſſe protinus repudianda intelligamus, ne ſummam propoſiti eâ culpâ evertamus. 3 Mihi verò litterarum hodie ſtudioſi, rivales eſſe videntur in amore anus honeſtiſſimæ, qvæ diu amatoribus ut ignota & ſqvallida caruit, nunc autem redivivô decore interpolis ac ſine mangonio, qvaſiqve integrâ denuò ætate florens, in medium lauta, elegans & nitida, cum ſuo ſe mundo ornatuqve protulit, ac per omneis nationes æmulorum cohortes, ſecum trahere conſpicitur: tantâ contentione ad tutandam ejus dignitatem & ornatum vires periclitantium, ut & facultates ſuas & vitam ipſi devoviſſe matronæ deamatæ exiſtimari debeant. 4 Id qvod inſaniæ fortaſſe inſtar qvoddam habere videretur, niſi tanti eſſe ac pluris crederetur, unum hominem exemiſſe ſe turbæ unius aut alterius provinciæ, nec ſuæ tantùm ætatis, qvod unuſqviſqve ſperat literis deditorum. 5 Proindè ne ejus ſtudii amore inconſultô & perenni (temporarius enim eſſe debet) ab earum rerum recordatione abducamur, qvarum ſtudium antiqviſſimum eſſe par eſt (nam cum mundo matronali illecebras etiam illa habet animis vehementer lenocinantes) conſilium mutuemur oportet à Nicolao Damaſceno, ejuſqve ſententiam pro oraculo habeamus. Sic enim fiet maximè, laboris ut impenſi in cultu externæ illius diſciplinæ nunqvam nos pœniteat. 6 Ajebat enim ille philoſophus vir optimus idem & doctiſſimus, univerſam litterarum diſciplinam, orbicularisqve eruditionis curriculum, peregrinationis ſimilem eſſe. 7 Etenim qvemadmodùm peregrè euntibus, qvi itinera longa permetiuntur, qvædam in loca contingit divertere, ibiqve manſionem unam agere: qvibuſdam in locis tantùm prandere: in nonnullis rurſus immorari dies pluſculos: deniqve loca nonnulla tranſeunteîs oculis tantùm luſtrare: ad extremum verò peregre redeunteis, domi deinde permanere atqve inhabitare. 8 ad hunc eundem modum ſtudioſos homines oportere litterarum diſcendarum ſpatium permeanteis, qvibuſdam in diſciplinis longiùs immorari, in qvibuſdam aliqvantiſper: & qvaſdam qvidem diſciplinas totas, qvarundam parteis, qvarundam elementa, modò percipere. ſicqve ex unaqvaqve utiliſſimum qvodqve comprehendenteis, tùm domum verè paternam repetenteis, illic ad ultimum uſqve philoſophari. 9 Hæc mihi ſententia veri & germani philoſophi eſſe viſa eſt, mirumqve in modum probanda & amplectenda homini ſtudioſo, ſanæqve religionis cupido & reverenti. 10 Nam qvid miſerius eſt, qvid imprudentius, qvid deniqve vecordius: qvàm ex tot, tantis, tot ætatum divitiis, qvæ in medium expoſitæ ſunt, & vigilantiſſimo cuiqve ad occupandum obviæ ſine aliorum detrimento nihil in rem ſuam vertere, nihil ad viaticum augendum immortalitatis, ſumere: ſed ex vehementi & diuturno labore oculos tantum mentis inaniter & diſpendioſè paſcere; 11 Aliter atqve ille ſcriptor Satyræ (a) cenſuiſſe mihi videtur, tametſi veræ neſcius ſapientiæ: qvi olim ita ſcripſit,

E 2 *Petite*

(a) Perſius Sat V. 64 65.

. . . . Petite hinc Juveneſqve ſeneſqve
Finem animo certum, miſeriſqve viatica canis.

In ludo enim Philologiæ anima inſtituitur: in philoſophiæ autem exhedra animus & ſpiritus. 12 Qvid illud Horatii ad Florum? * nonne eodem pertinere videtur, etiamſi ſummum bonum qvid eſſet nunqvam ille ſuſpicatus eſt,

. . . . Qvod ſi
Frigida curarum fomenta relinqvere poſſes;
Qvò te cœleſtis ſapientia duceret, ires.

Calidiora enim multò fomenta ſunt æternæ oraculariſqve doctrinæ, qvàm ſecularis atqve humanæ, qvæ implere deſiderium neqvit. 13 Nam animus philoſophus, celer, impiger, inqvies, actuoſus, in nulla re acqvieſcere poteſt, extra qvàm cùm totus eſt in contemplatione rerum ſempiternarum, qvarum fructum futurum, interim commentando præſumit.

XXXII. 1 Sacroſanctæ autem philoſophiæ promiſſa ideò fide ſolidâ & ſtabili ſubnixa ſunt, qvòd nihil de ſuo ſibi ipſa, ut externa & vaniloqva: ſed, ut inqvit Cyprianus, de ſanctuario Dei ſpondet: id eſt de oracularis ſcripturæ fide atqve auctoritate. 2 Eruditionis igitur juſtæ, & elegantis fructum eſſe oportet, ut à ſuperioris illius Poëtæ ** auctoritate nondum recedam.

Compoſitum jus faſqve †† *animi, ſanctiqve receſſus*
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.

3 Antiqviſſimi † etiam poëtæ, ſemina theologiæ, ut tùm erant tempora, non

* 1. Epiſt. III. 25.
** Perſii Sat. II. 73. ſ.
†† Al. leg. *animo, ſanctoſqve receſſus*
† *Antiqviſſimi Poëtæ*] Omnino enim primi Poëtæ philoſophabantur, vel ut veriùs nec impropriè dicam, priſci ſapientes condebant verſibus præcepta ſapientiæ, & orationem pingebant gratiſſimis coloribus. Sic qvæcunqve prodidiſſent, ea & omnes oblectarent maximè, & in animos influerent faciliimé, & in animis hærerent tenaciſſimè. Nec obſtat, qvòd pleraqve obſcura vulgo utpote involuta fabulis, ſive demus, meras eſſe fabulas. Etenim inde tamen adepti intelliguntur, qvod inveniant & fingant poëtæ. In poëmatis enim ſunt; non qvæ ita geſta ſint, ſed qvæ fortè geſta ſint, vel geri potuerint. omninò tamen omnes vitæ humanæ rationes & veræ & falſæ ex poëtis peti poſſunt. Itaqve rectæ vitæ ratio non ex omnibus petitur: etſi eam nos ex poëtis videamur interdum promittere. Nec omnes quaſi ex hoc aurifero fluvio ramenta ſive arenas auri colligant: non omnis fluit limpidus, ſed & cœnoſus alicubi, & algam inutilem ejicit. Neqve tamen non aurum & gemmas maximi pretii ex poëtis nobis licet legere. Præſertim cùm omnes apud palam ſit, non Ethicam ſolùm ſed etiam Theologiam Gentilem ex Muſarum fontibus hauſtam antiqvitus & derivatam; adeóqve Poëtas Ethnicos Veteribus Philoſophos, Prophetas, & Theologos, & Deorum Myſtas, Interpretes, & Miniſtros (Θεῶν ἑρμηνέας ϰ ὑπηρέτας vocat Plato) fuiſſe habitos, utpote divinitùs qvodammodo adflatos, & Entheô furore correptos: unde Pelignus vates de ſe ſuiſqve Muſarum Symmyſtis, (De Arte Am. L. III. v. 549.)

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia coeli:
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Et iterum (Faſt. L. VI. v. 5. 6.)

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illô:
Impetus hic ſacra ſemina mentis habet.

Qvam fortè ob cauſſam iidem & celſiſſimis montibus inſidere, & indormire dicebantur, qvaſi nimirum in cœlum rapti, adeóqve, & ſupra ſphæram humanam & communem mortalitatis

ſortem

non admodùm improbandæ, ab adytis illi qvidem ſanctioris philoſophiæ, atqve adeò ſapientiæ mutuati ſunt. 4 ceterùm inextricabiles fabularum griphos, impietatemqve luculentam præferentes, pro integumentis veritatis ipſi excogitavêre, qvam ab oculis profanæ multitudinis abdendam eſſe cenſebant, longéqve retinendam, inſtitutô veteri. 5 In ipſis autem fabulis cùm naturæ vim, tùm rationem vitæ placidè & humaniter agendæ myſticè tradiderunt: ad unicum Deum ipſi ſummam rerum, illiusqve auctoritatem & primordium referentes, qvod univerſum appellatum eſt. 6 At verò ſeqventium deinceps ætatum licentia, ſummâ impietate conſcelerata, omnia voluptatibus flagitiiſqve permiſcuit & inqvinavit. ex qvo evenit, ut eleuſiniorum (ut ita dicam) ſacra atqve cerealia myſteria, in orgiorum impuritatem libera-

ſortem evecti, ſublimi vertice ſidera ferientes, cum Diis & cœlo propius haberent commercium. Homerus inprimis in hoc cenſu repôſitus; (juxta illud Pythii Apollinis oraculum,

Ἤειδον μὲν ἐγὼ, ὁ δ᾽ ἀπέγραφε θεῖος
Ὅμηρος.)

idqve tam unanimi omnium ſuffragiô, ut etiam ii, qvi alioqvi minùs æqvi illius cenſores habiti ſint, eum tamen non ſolùm μουσοπάτακτον, ſed & θεοδίδακτον, divinitùs doctum & inſpiratum fateantur. Huic rei duo mihi locupletiſſimi teſtes ſunt è veteribus unus, alter è neotericis, Plato & Scaliger, Philoſophus utérqve ſui ævi celeberrimus Plato igitur etſi Poëtam noſtrum è Repub ſua expuliſſe dicatur (de qvo poſteà videbimus) in Dialogo tamen qvi IO inſcribitur, & qvi totus ferè in Homeri laudibus inſumitur, ait omnes bonos Poëtas (ſed Homerum inprimis) ἐ τέχνῃ, ἀλλὰ θείᾳ δυνάμει carmina ſua fundere, utpote ἐνθέες ὄντας, καὶ κατεχομένες, h. e. interprete Cicerone, (Orat. pro Archiâ Poëtâ) qvaſi divinô qvôdam ſpiritu adflatos. Cùm verò diſertis verbis hoc affirmet Plato, & tamen Origenes contra Celſum l. IV. expreſſè neget eum de Homero aliiſqve ità ſenſiſſe, (Πλάτων μὲν δῆλός ἐςι μὴ Φρονήσας ἐνθέες γεγονέναι ἄνδρας) certè, niſi Ariſtonis filius ἕτερον μὲν ἐκεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ᾽ ἔβαζεν, hoc eruditiſſimi illius Patris μνημονικὸν ἁμάρτημα fuiſſe fatendum eſt Jam verò Julius Scaliger, vir ſanè doctiſſimus, ſed nimium audax, & præfidens, & judicio ſuo ſupra modum indulgens, Homero ſemper iniqvior, ità ut non tantùm Maronem, ſed etiam Muſæum, ei anteponere non vereatur; (multùm licet refragante totâ ferè Criticorum natione, intérqve ceteros ipſius filiô Juſtô Joſepho, juſtiore ſanè hâc in re judice) idem tamen Scaliger in lib. Poët 1 c 11. Poëtam hunc divinô ſpiritu actum & adflatum dicere non dubitavit. Poëtarum, inqvit, θεοπνεύστων duo genera; unum cui cœlitùs advenit illa divina vis -- qvorum numerô ſeipſum ponit Heſiodus, Homerus autem ponitur ab omnibus. Eqvidem etſi Homero tantùm tribuo, qvantùm ferè homini tribuere fas eſt, eum tamen in numero τ̃ θεοπνεύστων ponere non auſim: Et qvanqvam haud dubito, qvin piè ſatis ſenſerit Scaliger, qvippe qvi ex communi Veterum opinione, & Platonem inprimis reſpiciens, hæc dixerit; fallor tamen, niſi acer ille Criticus, qvi cenſoriam virgulam tam liberè ubiqve in alios ſtringit, ipſe cautiùs ſaltem loqvi debuiſſet, notante Cl. M Caſaubonô (lib. de Enthuſ.) & vel aliorum potiùs verbis de Poëtico hoc & Homerico Enthuſiaſmo uti, vel utcúnqve abſtinere voce θεόπνευστος, qvæ ex communi & recepta jam paſſivitùs loqvendi conſvetudine propriè ad Scriptores tantùm Sacros peculiari qvodam jure ac privilegiô accommodatur. Qvanqvàm & hoc acutiſſimi viri de Homero dictum minùs mirabitur, qvi Epiſtolam ejus ad Sylvium filium illi Operi præfixam legerit; ubi ſcil Poëſin vocat divinam facultatem qvæ incenditur atqve perficitur adflatu numinum ſuperiorum Conf. Jacob. Duportium Cantabrigienſem Græcæ Lingvæ Profeſſorem regium in præfatione Homeri Gnomologiæ præfixa Cantabrigiæ 1660. in 4to editæ.

liberaliumqve verterint & (*) floralium. [7] Mihi enim videtur ars poëtica qvaſi vaniloqventiæ buccina, ſpiritu tartareæ noxæ inflata, deorum illam vim portentoſam in Græcia, qvaſi in celeberrimo mundi theatro, colendam promulgâſſe & ediximſſe: indeqve per orbem terrarum monſtra deorum pervulgâſſe, voce longè lateqve qvoqvò verſùs exaudibili. [8] Qvæ cauſſa fuit (ut opinor) cur Plato * in ſecundo Rerumpublicarum libro, Homerum & Heſiodum,

(*) *Floralium*] Romani olim feſtum diem ac florales ludos pridie Calend Maji celebrandos dedicârunt Deæ Floræ qvæ (auctore Lactantio l. I. de falſ. relig. c. XX.) cùm magnas opes ex arte meretricia qvæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit heredem, certamqve pecuniam reliqvit, cujus ex annuo fœnere ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, qvos appellant Floralia. Qvod qvia ſenatui flagitioſum videbatur; ab ipſo argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei qvædam dignitas adderetur: Deam finxerunt eſſe, qvæ floribus præſit; eamqve oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene proſpereqve floreſcerent. Eumqve colorem ſecutus in Faſtis Poëta, non ignobilem Nympham fuiſſe narravit, qvæ ſit Chloris vocitata, eamqve Zephyro nuptam qvaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, ut haberet omnium florum poteſtatem. Celebrantur illi ludi cum omni laſcivia, convenientes memoriæ meretricis. Reliqva addere pudor vetat, à qvibus ſpectandis abhorruit Cato, qvi ideò tantùm in theatrum venerat, ut exiret. Eodem reſpexit Arnobius l. I. adv. gent. p. m. 15. in civitatibus maximis, ajens, atqve in potentioribus populis ſacra publice fiunt ſcortis meritoriis qvondam atqve in vulgarem libidinem proſtitutis. Eadem nefanda ſacra caſtigavit Auguſtinus: (interprete Ludov. Vive ad l. II. de Civ. D. c. XXVI.) illinc virginem Deam ſuppliciter adorant, ante illam turpia celebrant cuncta obſcœnitatis implebantur officia

* *Cur Plato*] Cl. Jacobo Duportio locô paullò ante adductô non aliâ certè de cauſſâ viderur divinus ille Plato Homeri lectionem in Repub. ſua prohibuiſſe, qvàm qvòd profunda adeò & abſtruſa tum naturæ tum religionis myſteria, & qvorum vulgus omninò capax non eſſet, in ejus poëmatis continerentur. Cùm enim Græci iis temporibus ex fontibus Poëtarum, qvos entheo ardore actos, divinóqve ſpiritu adflatos credebant, Philoſophiam ſuam omnem, imò & Theologiam derivarent, noluit vir ſapientiſſimus Homeri lectionem cuivis promiſcuè in Repub. ſuâ permittere nec proſtituere; nè allegoricæ illæ de Diis narrationes in ſeqviorem partem, & in contemptum numinis raperentur ab imperitis hominibus, qvi tam altos abditóſqve rerum ſenſus ſub allegoriis & ænigmatis & fabularum involucris latentes eruere non poſſent, nec comprehendere. Qvid ergo? non Homerum ex omnium manibus excutere voluit Plato; ſed nec qvemvis ad ejus lectionem admittere. Plurima enim apud eum occurrunt allegorice dicta (inqvit Max. Tyrius Diſſertat. XIX.) ὁ μὲν ἀνόητος ὡς μύθων ἀκούει, ὁ δὲ φιλόσοφος ὡς πραγμάτων. Arcendos igitur cenſuit ab his Muſarum adytis rudes & imperitos, & divinæ illius ſapientiæ ἀμύητες, qvæ ſub carminibus & figmentis Homericis continerentur; nè ſcil. fabularum dulcedine capti & deliniti, hærerent in cortice, nec ad medullam penetrarent, adeóqve à veritatis tramite deflecterent, & pravas de Diis opiniones imbiberent. Qvin ipſum, ſi placet, audiamus Platonem, optimum ſui interpretem, Οὐ δεῖ τοὺς ἀμυήτους σοφίας Ὁμηρικοῖς ἐμπιπλεῖν ποιήμασιν, ἵνα μὴ μύθους εἶναι νομίσωσι γράφειν τὸν ἥρωα (De Repub. l. II.) Homeri itaqve lectionem non prorſus prohibuit; ſed cuivis indiſcriminatim non permiſit. Vel etiam prohibuit in Republica; ſed in Repub. ſuâ: qvâ verò illâ? Utopicâ certè & Chimæricâ: in qvâ ſi viveremus, fortè nullo nobis libro nec Autore, nedum Homero opus eſſet. Qvid qvòd nec ille Homerum è Repub. ſuâ ejecit, nec ignominioſè expulit, ſed cum honore dimiſit; laudatum ſcil. & coronatum, ut loqvitur Minut. Felix; etiam & ungventô delibutum, μύρῳ γε ἀλείψας, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας, ut Theodoretus Therapeut. I. ex Dione Chryſoſt. Orat. De Homero. Et profectò qvis unqvam animum inducere poſſit, ut credat illum non fuiſſe φιλόμηρον, ſummumqve Homeri admiratorem, qvi tam honorificam ubiqve ejus mentionem facit, eúmqve tantis laudibus in Ione aliiſqve Dialogis paſſim proſeqvitur? qvi patres & duces ſapientiæ Poëtas appellat, οὗτοι γὰρ ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες (in Lyſide) inter Poëtas autem

Heſiodum, ut præcones impietatis, è civitate expulerit, qvam inſtituendam ducebat. 9 Etſi enim theomachiæ, deorumqve ſimultates ab ipſis proditæ, ſymbolicos ſenſus habent, & ſæpe admirandos, imperitos tamen fefellerunt, qvæ multo maxima pars fuit mortalium. 10 Hôc ipſo certè commentô errorum ille ſator, ſtygiuſqve inſtitor voluptatum, Plutonis illas fauces ſatis aliàs patenteis, hiantiùs tamen aperuit, jurisqve ſui & imperii gentilitiam illam multitudinem planè fecit: decedente utiqve ex illa colluvione ſceleſtæ impietatis, divinâ qvodammodò providentiâ, ejuſqve impuritatem averſante. 11 Qva de cauſſa princeps mundi ab ipſo Servatore mortalium teterrimus ille tartari præfectus appellatus eſt, qvi eam viam hominibus ſanæ mentis præivit & præmonſtravit, diſciplinâ ſalutari cum interpretibus ejus traditâ, qvæ in diverſum abducit mortales ab erroribus. 12 Qvin & ipſa prima poëſis atqve theologia, id vel impietatis vel ignorantiæ potiùs habuit, qvòd illud ipſum numen divinum, qvod unum eſſe ſtatuerat, coërcuit intra fines, & in univerſo ita concluſit, ut Deum qvaſi mundi animum, in univerſitatem ipſam rerum qvaſi in corpus ſuum condiderit. Ejus verò ſedem atqve domicilium præcipuum in ſole eſſe aliqvi perhibuêre. 13 Qvibus fuerunt ipſis ea ultima, qvæ nos in ſummis citima eſſe divinitùs novimus & perhibemus. Naturam etiam ipſi poſuerunt ut primam cauſſam: & materiam ut principium, cùm nos hanc ut opus, illam ut inſtrumentum primæ cauſæ, vel opificem rerum architectonicæ cauſſæ adminiſtram parentemqve, & ab ea productam eſſe dicamus. 14 Proinde ex illis epulis è penu priſcæ ſapientiæ promptis, qvibus animi litteris ſtudentium aluntur, belliſſimum qvodqve carpendum eſt à nobis, qvod ad nutricationem faciat philoſophiæ facundæ & elegantis futuræ. 15 Nam anima hominis philoſophi ſtudiô encyclopædiæ culta, ac multipliciter qvaſi terra ſubacta: tûm eloqventiæ copiis qvaſi lætamine exuberans, grandioreis fœtus edere haud dubiè & vitalioreis poteſt atqve validioreis.

XXXIII.

tem Homero palmam tribuit, utpote τῷ ἀρίστῳ, καὶ θειοτάτῳ τῶν ποιητῶν, (in Ione.) Deniqve qvomodo ille contemptim de Homero ſentiret, qvi tantum illi deberet? qvi ubiqve adeò in ſcriptis ſuis Ὁμηρίζει, & Poëtam noſtrum tam ſtudioſè imitatur, ut non magis Socraticus ſit qvàm Homericus, uti jampridem obſervârunt Critici. Unde & apud Ciceronem (Tuſculan. l. II.) Homerus Philoſophorum à Panætio dictus eſt, non tantùm propter excellentiam ſed etiam qvia inter omnes Philoſophos ad Homeri dictionem, imò & mentem, qvamvis ab eo alicubi diſſentire videatur, proximè accedit. Et omninò pedibus eo in ſententiam Viri Cl. ſemel jam & iterùm laudati, Merici ſcil. Caſauboni cujus (in Tract. de Enthuſiaſmo) hæc verba ſunt: Platonem admiramur, ut Philoſophum: qvi verò eum eodem judicio qvo Antiqvi legerint, ii deprehendent, Poëticam ejus qvam non profitetur, magis qvàm Philoſophiam illam qvàm profitetur, adeò admirandam eſſe. Subjicio Julii Cæſaris Scaligeri verba è lib. I. Poëtices c. II. p. m. 10. edit. M. D. LXXXVI. in 8t. *Plato Poëtas & ἑρμηνέας & ὑπηρέτας deorum vocat in* Ione. (Ita enim legendum, non *Ioue* uti vitioſe impreſſum; *Io* enim qvidam Platonis Dialogus inſcribitur, qvi, ut ſuperiùs habuimus, totus ferè in Homeri laudibus conſiſtit) *Qvò fit, ut minùs valeat ejus auctoritas in libris Politicis qvâ auctoritate barbari qvidam atqve hiſpidi abuti velint Poëtas è republica exigendos. Qvi ſi eorum libellos aliqvot damnat: non propterea carendum nobis eſt ceteris partibus, qvæ ab ipſo qvoqve ad ſuorum argumentorum confirmationem ſæpenumero recitantur. Reſpiciat ipſe ſeſe qvot ineptias, qvot ſpurcas fabellas inſerat: qvas Græcanicum ſcelus olentes ſententias identidem inculcet. Certè Symposium &* Phædrum, *atqve alia monſtra opera pretium fuerit, nunqvam legiſſe.*

XXXIII. [1] Verùm ad illas epulas philoſophiæ qvaſi conditaneas, qvô qvisqve ſtomachô acceſſerit (ut diximus) magnoperè intereſt. [2] Nam niſi ſtomachum perſvaſione rectâ pietatis, oraculariqve religione tinctum, ad id ſtudium attulerimus, metuendum eſt animæ, ne qvædam aut poëtica, aut philoſophica, jucundiùs ipſa condita, qvàm ſanctiùs, avidè devoremus: qvæ deinde malè diu concocta, in cordis ventriculo perniciosè hæreant. [3] Atqve ut olim Minerva cum opificia omnia lautiora, tibiarumqve artem invenisset, tibias continuò fregiſſe dicitur & abjeciſſe, poſteaqvàm comperit modulis earum virile robur effeminari: ita & nos ex reliqviis peringenioſæ illius & ſanè induſtriæ antiqvitatis, deligere nobis ea debemus, qvæ conſona ſint, aut certè non abſona ſtudio rectæ philoſophiæ, moribusqve receptæ ſacroſanctæ civitatis, qvæ theocraticis inſtitutis ab origine ſua temperata eſt. [4] Qvæ autem huic pugnantia ſunt, aut magnopere diſſentanea: ea tanqvam in tranſcurſu juventutis, & veluti contemptim legere: deinde abjicere, aut de manibus certè ponere, ne inqvinamentum relinqvant tractata diutius qvàm juſtum eſt: aut nimia cum voluptate. [5] Et putidum * verò mihi & ineptum eſſe videtur, & planè cacozelum, optimarum litterarum ſtudioſos, qvales omnes docti videri volunt: ex priſca impietate, qvæ jampridem non noſtri cœli tantùm finibus exploſa eſt, ſed penè toto orbe exterminata, eos lepôres dicendi repetere, atqve in uſum noſtrum referre, qvi genium nullum habent, niſi impietatem plane oleant & præferant. [6] Nam qvid rancidius inter pietatis homines reverenteis, qvàm poſt damnatam illam polytheiam, qvæ pro atheia qvondam haud dubiè feſellit: eos qvi docti videri velint & lauti, adhuc ita loqvi, qvaſi vim illam ſuperum inferumqve numinum litterarum bonarum ſtudium non abnuerit? id qvod ſi doctiorum ſenatus ſanciendum duxerit, qvis eſt jam paullò religioſiorum, ac pietatis nomen conſertis manibus amplectentium, qvin valere litteras bonas eaſdem atqve nocentiſſimas juſſurus ſit? niſi verò hujuſcemodi litterarum ſtudium, non cultura eſt animi potiùs qvàm vitiorum cultus. Et niſi eam eſſe culturam fateri qvemqvam non pudet, cum inficiando non ſit ſi urgeatur, cujus apoſtolus cœlitùs condocefactus, meminit ad Hebræos c. VI. 8. qvæ tribulos & ſpinas gignit.

XXXIV. [1] Neqve verò pietatem amplectimur fide bonâ, ac retinemus Servatoris religionem: & non impietatis exuvias abjecimus. Neqve ſordentis jam & tetræ polytheiæ exuvias abjecimus in purifico Chriſti labro, & eas adhuc cordi nobis eſſe, cupidè oſtendimus. [2] Profectò meâ qvidem ſententiâ, & multorum, obſoleſcit hodie philoſophi hominis oratio culta impietatis lenociniis, & perfidiæ venuſtate conſcelerata & impiata. [3] Mirum certè eſt tot ſeculis polytheiæ ſpurciſſimæ ſermonem vetuſteſcere non potuiſſe, cùm Ciceronis & Qvintiliani temporibus Saliorum carmina, ut putida carioſaqve vitarentur. [4] Qvòd ſi in templo Dei ſummi, & in orthodoxiæ ceremo-

* *Et putidum*] Legatur in hoc argumentum elegans Cl. Joachimi Borgeſii J. F. Groninga Friſii Oratio de Pſeudocriticorum ineptiis, habita & impreſſa Groningæ annô M. DCXLIX. in 4to.

ceremoniis, verbis nos uti juvabit liberalium & orgiorum, idqve faciundum duxerimus non verecundiſſimè: qvid jam futurum eſt, niſi ut impietas qvæ ab eccleſia heroicâ virtute & cum plauſu ejecta erat, per poſticum obrependo redeat? 5 Mihi enim nihil aliud videtur eſſe in polytheorum pompa & pæanibus orationem orthodoxorum ſeſe hodie jactare, qvàm ipſum chriſtianiſmum ſecurum & libentem verſari in præſidiis helleniſmi: qvæ jamdiu tamen ipſa planè partes facere deſierunt, uſqve adeo ab hoſtibus etiam damnata ſunt rectæ religionis.

XXXV. 1 Qvid autem vetet elegantem ſimul & pietatis redolentem orationem eſſe, prorſus ipſe non video, præter pravæ conſvetudinis corruptelam, qvæ oculis noſtris auribusqve ita obrepſit, ut eloqventiæ dignitatem ineſſe, & poëticæ concinnitatem non poſſe, ſine bacchabundæ impuritatis diræqve genio exiſtimemus. 2 Qvaſi verò Plato, qvi Moſes Atticus appellatus eſt, non eâdem gratiâ veritatem & fabulas enarraverit: qvaſiqve non tam à Lingva Latina abhorrere ante Ciceronem philoſophia videretur, qvàm nunc videtur Theologia, & Juris civilis pontificiiqve prudentia. 3 Hæc opinio planipedem Theologiam noſtram ac Juris divini prudentiam, pro cothurnata magnô errore fecit: cùm vis de rebus divinis aut ad divina pertinentibus graviter diſſerendi, & ſententioſè, explicatè, eleganterqve dicendi, qvô faſtigii eſt majoris inter doctrinas humanas, eô majore pietate decoroqve jungenda ſit. 4 Omnis enim propemodum ubertas ſapientiæ, & ipſa (ut ita dicam) ſentiendi ſylva atqve intelligendi, é libris conſecratis petenda eſt hodie. Sed res & ſententiæ ab iis exornandæ ſunt, qvibus Aegyptiis opibus benè peculiatos eſſe contigit. 5 Ab ipſa igitur figlina Promethei, & ab illa plaſtice antiqvæ philoſophiæ, qvæ luteos tantùm homines animalesqve fingit, ad Minervæ cœleſtis auguſtæqve ſapientiæ officinam tranſeundum eſt magnâ & probâ religione, qvæ vitæ ſpiraculum ficto homini qvaſiqve inanimato addidit. eadem etiam terræ qvaſi priùs incultæ novat faciem ad ſemen fœcundiùs excipiendum. 6 Qvòd ſi abſqve diſpendio nitoris atqve elegantiæ lingua Latina piè loqvi innocenterqve non poſſet, eqvidem purâ eâdem ſacriſqve dignâ ſupellectile utendum eſſe cenſerem potius, qvàm impietatis emblemate antiqvô locupletatâ. 7 Nunc cùm ea ſit flexibilitas eloqventiæ ac dictionis Latinæ, ut ſine imminutione ſplendoris ſui induere ipſa perſonam piam, ac ſuſtinere poſſit atqve perferre, cur tam malignè de ea nos meremur, ut obſcœnam tantùm eam eſſe fabulatricem, & profanarum partium actricem credamus, & pronunciatricem? 8 Atqvi ad dicendum probabiliter (ut Marcus inqvit Tullius *II. de Oratore c. LXXXII.*) caput eſt noſſe mores civitatis cujuſqve: qvi qvia crebrò mutantur, genus qvoqve orationis eſt ſæpe mutandum: 9 Cum igitur mores & vita ab impietate migrârint ad pietatem divinitùs proditam: qvamnam ob rem tandem unà qvoqve non tranſferetur eloqventia, qvô nihil eſt ductilius? 10 Et ſi ad res Latinas indicandas & eloqvendas ſecula, qvas recentia pepererunt, indiesqve alias atqve alias pariunt: non unâ Latinitate, qvæ placere non poteſt, ſed redivivâ opus eſt (alioqvi

Latinæ Lingvæ copia ſenſim imminuetur, & tantum à poſteris proficietur in inopiam) qvare in ea parte vitæ, qvæ ad ſacra, ritus, cerimoniasqve ſalutares pertinet, & ad divina explananda aut commendanda irredivivus ſermo Latinus erit & Græcus? 11 Ego verò amictum novum ex veſte ſcitè interpolata, aptandum eſſe eloqventiæ cenſeo, qvi legibus & inſtitutis civilibus, ritibusqve adeo conveniat religioni conſentaneis.

XXXVI. 1 At enim novum eſt hoc inceptum & in arduo ſitum. 2 Sit ſanè (non enim cauſſam dixerim) atqve etiam in lubrico, & confragoſo: modò ne in undiqve abrupto & inacceſſo. 3 Nam & Latinæ Lingvæ inſtauratio in multis partibus qvæ jam reſtitutæ videntur, non protinus atqve inoffenſæ ceſſit experienti contentioni: nec ſi facilè non fieri, ideò prorſus non poteſt. 4 Eſto hæc ærumnarum ſumma in certamine elocutionis probæ reſtituendæ, & barbariæ exterminandæ: major deniqve ærumna ſit illa qvidem, qvàm unô ut Hercule aut alterô confici ipſa poſſit. Sed ejuſmodi tamen, qvæ deſperanda non ſit vel Herculi vel Ulyxi. 5 Nimirum huic qvoqve certamini ſui Hercules, ſuppares antiqvis non deerunt, ſi modò Euryſtheos iis æqvales ventura tempora non deſideraverint. 6 Illicò enim exiſtent, qvi Heraclidarum ſtemma conſulta cum fiducia augendum ſuſcipiant: indeqve imagines in gentem qviſqve ſuam patriamqve auferendas, & verò jam ſtrenuiſſimi cujusqve conatus ſtudiumqve mirabile eodem incubuit. 7 Qvód ſi principum hominum liberalitas ſpem eorum deſtituerit, qvod ominari minimè velim (præſertim ad te ſcribens, Franciſce, rex doctorum amantiſſime) unicuiqve non ſubſidiô qvidem vitæ lapſô, ſuus tamen erit inteſtinusqve Euryſtheus, litterarum amor flagrantiſſimus, cupiditasqve honeſtiſſima conſtituendæ majeſtatis eloqventiæ, qvæ multorum ſeculorum infelicitate magis qvàm incuriâ læſa fuit, dejectaqve & imminuta. 8 Etenim ingenioſiſſimo cuiqve viro & ingenuâ voluntate prædito, Euryſthei inſtar eſt incitata voluntas illuſtrandi ſui nominis, ingeniiqve proferendi. 9 Nec Euryſtheus ille Homeri rex fuit Mycenarum, ut ego cum Athenæo ſentio: ſed Herculis amores potiùs & delitiæ, qvibus omnia heros ille permiſerat de ſemetipſo. ſive ille potiùs fuit cupido qvædam gloriæ adipiſcendæ, qvæ tantos labores Herculi imperitabat, amore immortalitatis ardenti. 10 Nam & eqveſtris ordinis in more qvibuſdam noſtratium atqve finitimorum avorum noſtrorum memoriâ & ſuperiore fuit, ſingulari certamine inter ſe provocare inclareſcendi cupiditate, in alienasqve provincias illi provocationes de ſcripto certâ lege mittentes diem certaminis condicebant: non uni aut alteri, ſed primo cuiqve, qvi experiundæ armorum ſcientiæ gratiâ & virium concertare ſtatuiſſet. 11 Deinde à regibus veniâ pugnandi & commeandi impetratâ, ad diem conſtitutum locô ad id comparatô, ſub arbitrio judicum campeſtrium dimicabant: ad eam formulam certaminis, eamqve legem, qvam provocator ipſe æqvis conditionibus exceptionibusque tuliſſet ab initio. 12 Martem id experiri armorum ſuorum gratiâ dicebatur.

XXXVII. 1 Verumenimverò in monumentis conſecratis atqve oracularibus,

laribus; qvibus omnis auctoritas veritatis atqve immortalitatis animorum fides conſtituta eſt, homines qvidem hujus ætatis non hujuſcemodi Euryſthei imperiô, ſed ſtygiæ Junonis inſtinctu acti, œſtroqve tartareô, perverſiſſimorum dogmatum patrocinia invenerunt, ut ancipitem ſæpenumero ſermonem eſſe veritatis videmus, eorumqve interpretatione egentem, qvi juris divini conſultiſſimi fuerunt, innocentiâqve probati & ſanctitate morum. 2 Hoc autem ut mirum eſt homines primùm paucos tentare auſos eſſe poſt conſtitutam religionem, multorumqve ſeculorum & inſignium conſenſu ſtabilitam: ita litterarum bonarum reſtitutioni invidioſum fuit aliqvandiu. Qvarum iſti fiduciâ ſollicitare religionis tranqvillitatem falſò exiſtimati ſunt. 3 Et ut illuſtres olim noſtræ memoriæ ætates futuræ ſunt ob litterarum optimarum poſtliminium, ita infamiâ inexpiabili flagraturæ, ob læſam majeſtatem non modò eccleſiaſticæ ſententiæ, ſed etiam hoſtiæ mirificæ atqve expiabiliſſimæ: tantô numine, tamqve præſenti ſæpenumero ſanctæ, admirationiqve conſecratæ. 4 Non fuit ſatis vecordi arrogantiæ ſenſum communem hujus ætatis, religionis implere ancipitis, & inter fidei perfidiæqve conſilium ambiguæ & alternantis, niſi venenô pedetentim prorepente, chriſtianiſmi cardinem dimovere, fidei columen & firmamentum convellere niteretur trabali clavô fixum. 5 Qvæ ſcelera impietate tam populari auſi ſunt homines audaciſſimi, ut etiam olympionicarum plauſus atqve præmia à patria non fruſtra ſperaverint.

XXXVIII. 1 Qvodnam igitur viaticum habebimus ærumnoſæ peregrinitatis & calamitoſiſſimæ? nimirùm tantô portentô expiatam oportuit eam, qvam ſub id tempus aut paulum ante vidimus licentiam in arce religionis: qvæ licentia cothurnatis auſis, & pelopidarum facinoribus omnia conſcelerans, ſacra profanis, & ea qvæ pace innocentiâqve cenſentur, bellicis negociis ſangvinariisqve permiſcuit, nec verò ſanctiſſimi illa apicis frontem perfricare præ cupiditate inſana verita eſt. 2 Unde eveniſſe nemo ambigit hominum qvidem de cœlo ſervantium, ut non modò dignitatum ſacroſanctarum majeſtas, ſed etiam (proh pudor! proh piaculum!) pietatis ipſius ſacrarium, per ora hominum ſermoneſqve traductum: in theatralibus proſopopœiis productum, ſatyricâ dicacitate confixum: deniqve per officinas paſſim proſcriptum, in ordinem (ut dicitur) redactum ſit. 3 Qvin & religionem ipſam Chriſti Servatoris ab æditiuis ſuis deſtitutam novimus & tanqvàm pro derelicto planè habitam. 4 Niſi verò religionis deſertores non ſunt, qvi eam cum donariis ejus apertè & impudenter egerunt & tulerunt, agunt etiam nunc & ferunt. 5 Qvos diris ob id omnibus omnes ordines hodie proſeqvuntur: velut in re perdita, in pietate prodita vociferantes neqvidqvam & qviritantes, interdum pro concione.

XXXIX. 1 Verùm ſi orthodoxiæ fundamenta homines illi pauci, qvibus nihil eximium, nihil ſacroſanctum fuit cacozeliâ extimulatis, labefactare magno cum fragore compagis qvoqvomodô potuerunt: (etſi convelli nunqvam poterit divinâ manu fixa in provinciis qvidem illis, qvas numine

præſentiore tuetur providentia) nos æmulatione rectâ inſtincti, operam navare ſtrenuam pietati non poterimus? 2 non aggrediemur priſcam vim eloqventiæ atqve auctoritatem, non ſuâpte naturâ magis uſibus profanis aut vaniloqventiæ, qvàm veriloqvio aptam atqve ſapientiæ, ad bonam nunc frugem, ſalubremqve transferre? 3 Sacer ille ſermo cœlitùsqve delapſus, ſimilis eſt (inqvit Gregorius) imagini qvoqvo verſùs intuenti, qvales multæ pinguntur obtutum circumagentes ad hominem prætereuntem. 4 Ut enim homines rectâ mente præditos, & dexterô pede accedenteis, primore aſpectu feſtivè ſermo divinus admittit, epuliſqve ſalubribus accipit & proſeqvitur: ita ſiniſtrô pede ingredienteis fallit, eorumqve perverſis voluntatibus aſſentire creditur atqve aſtipulari, ac ſeſe illis dare, eouſqve ut abutendum etiam ſemetipſum præbere videatur. 5 Si igitur divini verbi ſublimitas, ut admiranda ſanis intellectibus & veneranda, ſic nonnuſqvam flexiloqva, calumniarum etiam anſam perverſis animis non præcidit aut ſubducit, qvi ab orbita divinitùs impreſſa digredi non verentûr, cur tam ruſticè moroſam faciunt imperiti Theologiam, elegantis ut Minervæ cultæqve ornamenta, mundum etiam (ut ita loqvar) Veneris matronalis & caſtæ, ad ſacroſanctas cerimonias ritúsqve puriſſimos recuſet tranſcribere? qvaſi verò non omnibus organis divinæ laudes celebrandæ ſint. 6 Qvæ (malum) autem eſt iſta opinonum abſurditas & perverſitas? 7 Hi ſugillatam putant, qvaſiqve attrectatam per injuriam, ſacræ philoſophiæ dignitatem atqve integritatem, ſi eloqventiam antiqvam procul à ſeſe non amoverint. 8 Illi rurſus capite minutum iri credunt eloqventiæ ſplendorem & venuſtatem, ſi ſqvallidæ plerumqve aut impexæ theologiæ ſervire conſtituerit, aut ſeſe accommodare.

XL. 1 Proinde antiqvitatis ſententias relinqvendas eſſe nobis repudiandaſqve cenſeo: eas qvidem qvæ orgiis impuris ita dedicatæ ſunt & impiatæ, ut luſtrari jam neqveant. utpote qvi ſententiis abundemus longè illis gravioribus, & argumentis pietati conſentaneis. Formâ autem utendum illorum & materiâ orationis, qvâ nihil eſt flexibilius & ſeqvacius. 2 Id qvod indicat Proteus in fabulis, qvô materiam priſci ſignificandam duxerunt. qvippe qvæ omnia transformet ſeſe in miracula rerum: id adeò ut ex aqva etiam Proteus in ignem verti poſſet, neqvid fieri fortè non poſſe iſti cauſentur eorum, qvæ diximus. 3 Nam qvid tandem hodie multa ad vitam agendam comparata, Latinè dici vetat, etiamſi olim inuſitata fuerunt? nempe id aut unum aut multò id maximè, qvod naturam & ingenium Protei non animadvertimus, utpote qvi præterita ſcire eum tantùm putemus, nunc ille omnia novit, qvæ ſint, qvæ fuerint, qvæ mox ventura trahantur: ut ex Homero Græco noſter illa prodidit.

XLI. 1 Poëtæ (ut ſupra dictum eſt) vetuſtiſſimi, veritatem ad fabulas ſapientiamqve tranſtulerunt, poëmata etiam illa ſua nobiliſſima idem Homerus qvibuſdam qvaſi inſignibus exornanda cenſuit, * tralatis hiſtoriis ut meritò creditum eſt, ab Hebræorum monumentis. 2 Fuiſſe autem notum eſt antiqviſſimæ philoſophiæ inſtitutum, ſapientiam ut peregrè diſcerent ipſi-

us

us ſtudioſi: in Aegyptum in Babyloniam petentes illam, & ulterius. 3 Inde

F 3 eſt

* *Tralatis hiſtoriis*] Doctiſſ. Boganus in libro, cui titulus *Homerus* ἑβραΐζων qvamplurimas Sacræ ſcripturæ & Homeri phraſes ac formulas inter ſe comparavit, ut probaret, neminem Poëtam tantopere referre Scriptores ſacros. Jacobus verò Duportius non idiomatum, qvod prior fecit Boganus, ſed ſententiarum Homeri cum Scriptura conlationem in Gnomologia ſua inſtituit. Nec immeritò ut ipſe in præfatione opinatur. Cùm, ſi qvis ſit, inter Scriptores Ethnicos, præſertim Poëtas, cujus crebriores celebrioresqve ſententiæ cum Divinis Oraculis affinitatem qvandam habere videantur, is profectò Homerus ſit. Qvis neſcit (inqvit Hieron. Epiſt. LXXXIV. ad Magnum) & in Moſe & in Prophetarum voluminibus qvædam aſſumpta de Gentilium libris? Pari certè, aut etiam meliori jure, qværere liceat. Qvis neſcit & in Homero & Poëtarum libris qvædam aſſumpta de voluminibus Sacris? Eqvidem haud auſim id pro certo affirmare, qvod tamen viri docti haud levibus argumentis, aut ſaltem probabilibus conjecturis permoti ſuſpicantur nempe Scriptores Sacros ab Homero viſos lectóſqve; dico, viſos, lectóſqve: nam ſiqvis Homerum cæcum genitum (inqvit Velleius, qvid ſi dicam, vel cæcum omninò fuiſſe) putat, omnibus ſenſibus orbus eſt. Abeat ergò, qvò meritus eſt vulgaris ille error de cæcitate ſummi Vatis, & locum habeat inter Pſeudodoxias Epidemicas Sed hoc obiter. In Ægypto certè fuiſſe Homerum, ibíqve aliqvamdiu commoratum, narrat Diodorus Siculus, & pleríqve Auctores conſentiunt: Qvam & ille regionem præ aliis tum à ſoli fertilitate, tum à medicamentorum abundantiâ, reíqve medicæ peritiâ, qvaſi αὐτόχθων & indigena illius loci, diligenter deſcribit. Unde & Calaſiris Ægyptius apud Heliodorum (Æthiop. l. III) ſeptem illis Urbibus plorare juſſis fruſtráqve inter ſe de Homeri natalibus digladiari permiſſis, eum civem ſuum eſſe contendit, idqve multis rationibus evincere ſatagit Ibi itáqve fortean Theologiam didicerit *Poëta* noſter, imò et, ſi Juſtino Martyri in Parænetico credimus, non pauca ex Scriptoribus Sacris in poëſin ſuam tranſtulerit: ità enim ille, Ἵνα δείξωμεν τὸν ποιητὴν καὶ τῆς ἀπὸ τῆς θείας τῶν προφητῶν ἱστορίας πολλὰ εἰς τὴν ἑαυτοῦ μεταβαλόντα ποίησιν Qvalia nimirum illa ſunt qvæ inter alia ibi meminit Sanctus Martyr, περὶ ἑνὸς θεοῦ, de uno Deo.

Εἰ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτός. (Il. ι.)

περὶ Κοσμοποιΐας. de Creatione mundi, qvam in Ἀσπιδοποιΐᾳ, graphicè deſcripſit: de Paradiſo, qvem in Alcinoi hortis adumbravit: de ſtructura turris Babylonicæ, in Oto & Ephialte ſuggeſtu montium cœlum ſcandere nitentibus (ridiculus enim eſt Celſus apud Origenem lib IV. qvi è contrario hiſtoriam turris Babylonicæ ab hac Aloidarum fabulâ arceſſit) de Satanâ è cœlis dejecto, in Ate, qvam ſcil. Jupiter.

– Ἔῤῥιψεν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος. (Il. τ'.)

deniqve, nè plura addam, de Creatione hominis ex limo terræ, in eo, ubi cadaver Hectoris κωφὴν γαῖαν appellat. Qvando verò cum Juſtino dicimus eum ex Prophetis, aliíſve ſcriptoribus θεοπνεύστοις multa mutuatum eſſe, ſuíſqve poëmatis inſeruiſſe, vix certè eſt, ut alios intelligamus, qvàm Moſem & ſi fortè Davidem ac Solomonem; qvippe qvi (niſi nos fallunt Chronologi) alios ferè omnes Scriptores Sacros ætate præceſſerit. Qvamqvam enim de Homeri ætate (non minùs qvàm de patriâ) celebris jam olim & ardua fuerit inter Criticos controverſia (de qvâ conſulendi inter alios & præ aliis Clemens Alex. Strom. 1. Euſebius in Chronico Gellius l. XVII. c. XXI Scaliger in Euſeb. & Voſſius de Poët Græc. c. II.) qvantum tamen mihi ex variantibus Auctorum ſententiis colligere vel potius conjicere licet (& certè in re tam crepetâ & obſcurâ

Ἄριστος μάντις, ὅστις εἰκάζει καλῶς)

ii proximè ſcopum attingere videntur, qvi Homerum floruiſſe dicunt centum circiter & ſexaginta annis poſt Trojæ excidium h. e circa tempora Davidis aut Solomonis. Siqvidem ex communi ferè omnium Chronologorum conſenſu incidit bellum Trojanum, adeóqve Ilium captum in ætatem Judicum Iſraëliticorum, non procul à temporibus Jephtæ: Unde Iphigeniam qvaſi Jephtigeniam dictam fuiſſe (detortâ voce, corruptáqve, ut fit, per Gentilium fabulas Hiſtoriæ ſacræ veritate) ingenioſe hariolatur vir doctiſſimus Lud. Cappellus. (in Diatribâ de Voto Jepthæ) qvadrat enim Chronologia; qvippe σύγχρονοι erant Jephta, & Agamemnon; nec cetera diſcrepant.

méu-

eſt illa non dubiæ noxæ aut offenſæ deſcriptio apud eum ipſum poëtam (qvâ ille cunqve ratione divinam hiſtoriam cognitam habuerit.) Iliados nonô, & undevicesſimô, qvod Juſtinus philoſophus è gente externa in familiam orthodoxiæ divinitùs adoptatus, Euſebiusqve adnotaverunt. 4 Mihi etiam aliqvando in mentem venit addubitare, num Euryſthei fabula & Herculis eôdem librô prodita hiſtoriam Jacob & Eſau vir ille ingenii admirandi adumbrare voluerit: qvæ à Moſe ſcripta eſt Geneſeos XXVII. 5 Hôc enim tropô forſitan ſummus ille vir hiſtoriam Hebraicam involvendam cenſuit, qvam rei cujuſdam mirabilis imaginem eſſe figuratam ſuſpicabatur. 6 Nam qvemadmodùm Juno futurorum præſcia Jovi ſuo conjugi impoſuit, Euryſtheô ſubditô, qvi fatum Herculi præriperet: ita matris ſvaſu Jacob antevertens germano natu majori, primigenia tantæ ac talis hæreditatis abſtulit, cùm parenti ſuo oculis orbato fraternarum manuum aſſimulatione obrepſiſſet. 7 Jam qvòd ſupplices preces idem poëta aptè & concinnè, ut omnia, deſcribit, qvas ipſe λιτὰς appellat, ac Jovis filias eſſe dicit, atqve apud eum pergratioſas: è divinis illis voluminibus hauſiſſe eum credibile eſt. 8 Qvocirca cum poëmata ſua veteres hujuſcemodi inſignibus veritatis, qvaſi accerſitis emblematibus exornanda duxerint: cur gentilitiam illam ſupellectilem in medio jacentem & expoſitam, ſacræ philoſophiæ accommodare, vel piaculare eſſe vel diſſentaneum credemus?

XLII.

utérqve Dux populi ſui, & Imperator exercitûs, utérqve victor hoſtium, & (qvod caput eſt) utérqve circa idem tempus filiam ſuam immolavit. A Jephtâ autem ad Solomonem totidem ferè anni numerantur, qvot à bello Trojano ad Homerum; anni nempe plùs minùs CLX. Qvod ſi ità ſit, & rectè calculum ponamus fieri vix poteſt, ut ulla è Scriptis ſacris aut Propheticis Homeri temporibus extiterint præter Moſaica, h. e. Pentateuchum, & ſi fortè librum Jobi, cujus etiam idem Moſes auctor fuiſſe perhibetur. Qvanqvam enim Homerus aliqvot ſeculis fuerit Moſe poſterior, at certè reliqvos Prophetas, eos ſaltem, qvos נביאים אחרונים vocant Hebræi, aliqvot annorum luſtris anteceſſit: Ex his itaqve nihil mutuari poterat; utcúnqve ex ſacro illo Hiſtoriographô, & antiqviſſimo omnium ſcriptore, fortè ea qvæ memorat Juſtinus, & ſimilia, in poëſin ſuam tranſtulerit. Jam ut Moſes ſine dubio Scriptor omnium, qvotqvot unqvam fuêre, vetuſtiſſimus, ità illud etiam apud omnes in confeſſo eſt, neminem hodiè extare inter Auctores Ethnicos Homerô antiqviorem. Ὅλως παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. verba ſunt Joſephi in aureo illo libro contra Apionem I. Et clarè hanc in rem Tatianus (Orat. adv. Græc.) Ὅρος δ᾽ ἡμῖν κείσθω Μωσῆς καὶ Ὅμηρος, τὸ ἑκάτερον αὐτῶν εἶναι παλαιότερον, καὶ τὸν μὲν ποιητῶν καὶ ἱστορικῶν εἶναι πρεσβύτερον, τὸν δὲ πάσης βαρβάρου σοφίας ἀρχηγόν. Et Juſtinus qvidem Martyr ille, & Doctor Eccleſiæ celeberrimus, in ſua ad Gentes Parænesi Homerum ait, non minùs qvàm Platonem, cùm in Ægypto eſſet, Theologiam ex ſcriptis Moſaicis didiciſſe: Qvod tamen de Platone Numenius; Τί ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς Ἀττικίζων; id eqvidem de Homero dicere non auſim, Τί ἐστι Ὅμηρος ἢ Μωϋσῆς Ἑλληνίζων; Hoc tantùm dico; potuiſſe id fieri, qvod affirmat Sanctiſſimus Martyr, & qvidem Deô ſic ordinante fieri, ut primus & præclariſſimus Gentium Scriptor, et qvi inter omnes alios tum antiqvitatis tum ingenii palmam obtinet, is primo itidem et antiqviſſimo inter omnes Dei amanuenſes Scriptori aliqvid acceptum referret: utqve ille, ex cujus fontibus alii omnes τῶν ἔξωθεν Scriptores non tantùm Pierias aqvas, ut loqvitur Ovidius, ſed uberrimos ingenii et doctrinæ latices hauſerunt, is etiam ex Sacris Scripturæ fontibus hortos ſuos irrigaret.

XLII. 1 Omnes igitur litterarum bonarum opes, cunctæ eruditionis juſtæ & legitimæ partes, obſcœnitate qvidem priſcâ impietateqve vacantes, ad rectam ſanamqve philoſohiam inſtruendam ornandamqve coëunto. 2 Sic enim hujus temporis ratio & conditio poſcit: & ipſa autem philoſophia & univerſus ejus comitatus, qvamlibet numeroſus & amplus, unà cum omnium muſarum choro, Theologiæ majeſtatem comiter in poſterum pieqve obſervanto. 3 Qvippe qvam principem eſſe ſcientiam notum eſt, ſapientiamqve qvondam propriè appellatam. 4 tametſi antiqvi nomen hoc ejus noverunt, honoriqve inprimis habuerunt: nimirum magnum qvippiam & venerandum eâ voce, naturæ inſtinctu exaudientes: naturam autem atqve ſignificationem maxima ex parte ignoraverunt. 5 Sicut æternarum rerum atqve immortalitatis animorum qvoddam veluti ſimulachrum eorum prudentiſſimi ferè, non etiam naturam ſubſtantiamqve intellectu percipere potuerunt. 6 Et Ariſtoteles qvidem in iis, qvæ poſt phyſica ſcripſit, primam contemplatricem appellat ipſam Theologiam, eandemqve primam philoſophiam. qvam ideò eſſe cenſuit præſtantiſſimam, qvia præſtantiſſima contemplatur: abſtracta, immobilia & ſempiterna. In primo etiam ejuſdem tractatus libro, eam ait ſcientiam veritatis eſſe contemplatricem. 7 In eo autem (ut dixi) omnes fermè falſi fuerunt, qvòd imaginem ſapientiæ pro ipſa ſapientia ardenti ſtudiô conſectati ſunt, in ejus umbra ſvaviſſimè acqvieſcentes. eorum (ut mihi qvidem videtur) ſimiles, qvos apud Platonen in nono Reipublicæ Socrates irridet, ut inanem & falſam voluptatem expetenteis pro vera & ſolida: ejusqve gratiâ depugnanteis inter ſe. utpote qvam dignam eſſe cenſeant, qvam propter digladiari debeant. 8 non aliter atqve Steſichorus olim poëta; inter eos qvi ad Trojam erant, dimicatum fuiſſe ſcripſit pro Hellenes ſimulachro, cùm verum ignorarent. 9 Idem auctor librô eôdem ait, Hominis philoſophi vitam ſvaviſſimam eſſe, voluptatisqve maximè participem. Qvippe mentem dominari in philoſopho. 10 At ipſe mente percipit qvomodo veritas ſe habeat: in eoqve maximoperé oblectatur: id adeo, ceteras ut omneis voluptates præ illa floccipendat: qvæ à duobus ipſæ tanqvàm fontibus manant, cupiditate atqve contentione, illisqve tantum hactenus delectatur, qvatenus neceſſe eſt, utpote qvas propter ſeipſas non expetendas ſibi putet. 11 Nam & Ariſtoteles in primo jam dicti tractatus volumine, omnium ſcientiarum ait illam maximè ſapientiam eſſe, qvæ ſuâpte ipſa gratiâ & diſcendi cauſâ expetenda eſt, non qvæ eorum cauſâ optatur, qvæ ex ea eveniunt. 12 Philoſophia autem (inqvit) ut libertas, una ſe propter ipſam, non uſus cujusdam atqve utilitatis cauſâ qværitur, nec aliam præthereà ob cauſam. 13 At verò nos ex illa magiſtra & antiſtite veritatis ſcriptura didicimus, neqvaqvam finem bonorum eſſe ſapientiam. ceterùm ad ſummi boni adeptionem, illam nobis eſſe omni ope, & eqvis velisqve (ut ajunt) conſectandam. In ſummo autem bono demum finem eſſe deſiderandi.

XLIII. 1 Qvòd ſi commentandi jucunditatem & ſpeculandi, in ſacra philoſophia, æſtimare hodie & perpendere velimus, nimirum orthodoxiæ ſtudium,

diorum curriculô defunctam eſſe ſe exiſtimabat, qvàm ſeptimô (ut dicitur) ſpaciô decurſô ad metam pervenerat. 4 Sed qvibus in externa diſciplina cum ſucceſſu verſatis juſta ſtipendia impleviſſe contigerit, indeqve ad ſapientiæ Chriſtianæ ſtudium aſpirare, ut olim multis evenit, eos ego tam felices arbitror, qvàm qvi urbium multarum viſendi cauſſa, morumqve variorum & memorabilium inſpiciendi, diu peregrinati, ad extremum in civitatem qvandam amœniſſimam atqve beatiſſimam aſcribuntur: ibiqve domicilium & larem domeſticum ſemel collocant.

XLVII. 1 At verò moderandæ vitæ rectèqve inſtituendæ ideò commoda eſt antiqva qvoqve philoſophia, qvia in multitudine & celebritate hominum converſatio, ſenſuum depravatrix eſt. 2 Siqvidem vita civilis prudentiaqve communis, non germanâ ratione, ſed ſpuriâ res humanas contemplatur & expendit, ut notum eſt attentè æſtimantibus. Simul actionum ſuarum ſummam votorumqve, adulterinâ qvadâm ratiocinatione erraticâqve colligit. qvippe qvæ hominum vitam iis inſtitutis temperet, qvæ indigenis & civibus hujus orbis congruunt. 3 At ii, qvi ſapientiæ dicto audientes ſunt, incolas tantùm hic homines & peregrinos eſſe cenſeant: ob idqve in cœlum qvaſi in patriam & ſedes ſuas aſpirare omni ope contendunt, non aliter atqve animi cœlô extorres, ad tempusqve vitæ relegati. 4 contrà qvi in multiplici commercio vitæ urbanæ merſi ſunt, revertendi in patriam animum amiſerunt. cumqve letheas aqvas biberint, iisqve inebriati fuerint, in vinculis & ergaſtulo opus faciunt: cùm tamen ipſi ſibi ſoluti religione, liberiqve videantur. 5 Contra qvæ incommoda philoſophiæ commentationes, præſertim Platonicæ, qvaſi antidota comparata ſunt ab hominibus ingenioſiſſimis.

XLVIII. 1 Verumenimverò à Græcorum & gentium exlegum litteris, ad Hebræorum ſtudia caſta & circumciſa migrare, & à multa diuturnaqve ingenii exercitatione in litteris inſtitutionis illius peregrinæ, abruptum facere tranſitum ad ſanctiorem philoſophiam, divinarum tantùm rerum contemplatricem, non cuivis proclive eſt: non magis qvàm à virentibus & amœnis ingenii paſcuis, ad inculta aſpectu primore & horrida tranſire; illorumqve longè diſſimillima. 2 Hiulca eſt enim & rimoſa rerum diſſidentium junctura & agglutinatio, neqve ea vel lectio vel commentatio eſt ſtomachi litterarum tantùm delitiis aſſveti & perimbuti. 3 Qvocirca mens profana expiabilibus initiis (ut dicere cœperam) paullatim luſtranda eſt, anteqvàm ſpecimen ſui facere incipiat, caſtius cautiuſqve commentando in veſtibulo magiſtræ ſapientiæ, qvod Græci vocant ἐν προθύροις τῆς ἁγίας σοφίας κατηχεῖσθαι: 4 Deinde ita ſe comparare ſtudioſum hominem oportet, ut jam non animi cauſâ ſacris litteris incumbere, ſed animæ potius aſſveſcat. 5 Neqve enim ultrà ſuo ſed philoſophiæ ſtomacho ſervire conſtituit, qvi ad hoc ſtudium bonâ fide ſeſe contulit cum ſuis omnibus facultatibus. 6 Hoc cùm bonâ (ut dixi) fide, ſtrenuaqve voluntate aliqvandiu factum fuerit: & eò uſqve animus jam verè philoſophus paullatim progreſſus ſit, ut ad exhedram interiorem philoſophiæ abſtruſioremqve inſinuaverit: ecqvis eſt deinde tam adverſâ ſalute natus,

qvin

qvin nuncium tandem remittere paratus ſit exoticis illis doctrinæ lenociniis, qvibus diu lactatus oblectatuſqve fuit. 7 Tum enim demum Mercurius externus & mortalis, advenienti cœleſti Mercurio æqvô animô & reverenter cedit, cùm ſapientiam humanam oraculari & divinæ imparem eſſe omnino intelligit. 8 Qvòd niſi urbanæ vitæ Sirenes, atqve in celebritate hominum hallucinante merſæ, mentem intus conditam, meditationiqve æternitatis ſuâpte naturâ feriantem, illecebris ſolicitarent multifariàm variis, & verò niſi auribus & oculis illabentia nugarum illicia, animum abducerent è principatu ſuo: qvotus eſt tandem qviſqve ſic dirô judiciô, ita præpoſterô ſenſu præditus, qvin illis intabeſcere chartis utilius eſſe ac ſvavius duceret, qvàm ſcenæ vitæ civilis, qvàm populi oculis & plauſui exitialiter ſervire? deniqve qvàm animam per tot æſtus, tantas jactationes, tot euripos affectuum civilium agere?

XLIX. 1 Sed ad illam pugnam nati ſumus ſcilicet, perennem & inexpugnabilem, corporis atqve animi, in qva hujus copias tametſi naturâ inſtructiores ac potiores, tamen impares eſſe identidem experimur ſenſuum temeritati, qvi præſidium ejus obtinent. 2 Adverſus qvam temeritatem cum petulantia conjunctam & licentia, philoſophia externa ſurgens & accincta, ſuarum illa qvidem facultatum venditatrix eſt diſerta & mirifica: ceterùm in conſiliis præſentibus auxiliiſqve expediendis, non perinde efficax & ſtrenua. 3 Digna nihiloſeciùs ipſa medius fidius cujus elogium audire non gravetur orthodoxia, in Phædro Platonis à Socrate pronunciatum magnô auctore philoſophiæ. Neqve verò neſcii ſunt (inqvit ille) qvi diſcendi cupiditate tenentur, qvòd cùm animam eorum philoſophia acceperit plane vinctam in corpore, ipſiqve agglutinatam: tùm illa per ipſum veluti per carcerem qvendam, omnia qvæ in natura rerum ſunt contemplari, non etiam ſemetipſam per ſe, cogitur, & in omni verſatur ignorantia. Et hujus qvidem carceris gravem ipſa conditionem perſpicit ejuſcemodi: nempe qvod idem ipſe vinctus animus, ultrò dat ſemetipſum in nexum, vincula etiam ſua præ cupiditate aſtringens. 4 Qvod igitur ego dico, probè norunt homines diſciplinæ cupidi. Qvodqve philoſophia cùm ipſorum animum ſic affectum ſuſceperit, cum eo placidè agit, eum conſolatur, hortatur, vinculis exuere aggreditur. 5 Docet enim & oſtendit qvòd oculata rerum ſpeculatio, qvòd etiam oricularis plena ſit circumſcriptione, deniqve qvòd fallax ſit in univerſum per ſenſus rerum contemplatio. 6 Qvare auctor eſt illi philoſophia ut ipſe abſcedat à ſenſibus qvoad ejus qvidem certè per neceſſitatem id poteſt. 7 Eundem porro hortatur in ſemetipſum colligere ſe atqve coagmentare. Nulli alii qvàm ipſum ſibi credere: id qvod ipſe per ſeſe intellexerit eorum qvæ in natura rerum ſunt, ipſum eſſe per ſemetipſum. Qvòd verò per alios conſiderârit in aliis aliud eſſe, nihil qvidqvam exiſtimet verum eſſe. 8 At tale eſſe docet qvidqvid ſenſile eſt atqve aſpectabile, qvod verò ipſe videt animus, id utiqve intellectu percipi, nec oculis occurrere. 9 Proinde hominis verè philoſophantis animus, exiſtimans non reſiſtendum eſſe hujuſmodi ſolutioni ſui,

ſtudium, qvæ theoria propriè dici poteſt (etiamſi antiqvitas ad profanos uſus eôdem verbô uſa eſt) majorem multis partibus jucunditatem habere invenietur. 2 Sinceriore etiam omnino ſecuritate contemplatores animos perfundere, qvàm priſcæ illius ſapientiæ commentatio olim potuit. Siqvidem ejus ſpeculationis proſpectus intra terminos univerſi, qvod vocant, ab ipſis cohibebatur. 3 Nec verò ſpe ullâ & pollicitatione æternitatis, animos ſui cupidos, vendicabat illa ſibi & auctorabat: niſi exili qvâdam fortaſſè & imaginariâ. 4 Nunc orthodoxiæ noſtræ argumentum ejuſmodi eſt: is eſt oraculorum contextus, tàm conſerta ſeries, tàm apta, tàm ſibi conſentiens, doctrinæ ſacroſancta: adeò deniqve ultima primis in ea reſpondentia, & utriſqve media ad ungvem qvadrantia, ut chirographum dicere te & confidere poſſis ipſius habere ſapientiæ, ſummum bonum, finemqve expetendum promittentis: qvô chirographô locupletius nihil eſſe, nihil teſtatius, nihil poſſit conſignatius. 5 Neqve autem cùm hæc ipſa philoſophia talem tantumqve fructum ſui ſtudioſis in poſterum ſpondet & in æternum: non etiam interim illos commentanteis delectet admirabilitate ineffabili rerum, temporum, eventuum, eorumqve prædictionum. Et verò ſpem futuræ beatitudinis pignore confirmat interdum repræſentatæ tranqvillitatis. 6 Nec ſi oracularis ſapientia, nec feſtivam præfert nec nitore cutem viſendam tironibus ejus amoris: continuò ſqvallidum ſacrum ſtudium geniiqve plebeji judicandum eſt ab iis, qvi lauticiis lectionis & lenociis orationis aſſveverunt. 7 Eſt enim ſacroſancta philoſophia, veſte qvidem illâ pullâ & officinariâ amicta, ut ſeſe diſſimulans & mirè ſymbolica: ſed ſi introſpicere inſtiteris, in qva tu auguſtam qvandam troporum venerem ſanctamqve concinnitatem ſubeſſe non dubiè judices: & porro ubi gratias cœleſtes lepôreſqve divinos invenias, intra Silenos (ut ajunt) Satyroſqve conditos. Cujuſmodi qvondam Athenis opifices in officinis habebant: ut Syneſius inqvit ad Philoſophon ſcribens, & Plato meminit in Sympoſio. 8 In menſa enim ſæpe jam dictæ ſapientiæ animi philoſophorum reficiuntur multiplicibus ferculis, varieqve conditis. 9 Eſt enim ſenſus hiſtoriæ atqve allegoriæ, ejuſqve multifariam variæ: & qvi ſenſus anagogicus dicitur. è qvibus cinnus unus commentationis confici poteſt, unde mens qvamlibet avida, ita impletur, ut nunqvam ſatietur, gliſcente utiqve ſemper deſideriô unà cum voluptate. 10 Indeqve fides ſperatæ immortalitatis certaqve perſvaſio, ad diem uſqve fati indies adoleſcit, illud commentantibus animis veraci ſpecie contemplationis ſolidâqve imagine repræſentans: qvod olim ſtoicorum conſectaria fallaciter colligebant & inaniter, ut ſapiens uno minor Deo futurus ſit, ac divinitatis particeps.

XLIV. 1 Verùm permagni intereſſe planum eſt experienti, qvô ſtomachô qviſqve noſtrûm ad ipſas ſapientiæ epulas acceſſerit. 2 Et antidotum qvidem perſvaſionis conſtantiſſimæ, rerumqve interiturarum contemptionis, præſumptum non ſemel oportet adverſus ægritudines, æſtus, curas, angoſes, rationum philoſophiæ conturbatores, qvæ avocamenta ſunt ipſa animi philoſophantis, convivæ & paraſiti ſapientiæ: pro inſtituto vitæ cujusqve

ipſa

ipſa magis aut minus inceſſentia. 3 Et qvidem Halcyonidum propemodùm dierum tranqvillitatem à curis externis cœleſtium rerum meditatio poſcit: atqve in eum uſqve heliconem aſcenſum, unde ſtrepitus ſatagentis ſemper multitudinis, & velut in tumultu, incendio, ruina, naufragio, plerumqve conſternatæ: hauriri vel oculis vel auribus neqveat. 4 At non ex qvovis inſtituto vitæ in eum verticem ſcanſilis eſt aditus, nec ſubvolare eô poſſunt, qvibus alæ non enatæ ſunt.

XLV. 1 Volumina porro inſpiratæ ſapientiæ, duorum ſunt generum: altera enim ſunt (ut ſic dicam) exoterica, qvalia ſunt euangelia, primore ſenſu excepta, omniaqve fermè qvæ novi teſtamenti eſſe dicuntur, qvæqve monumenta ſunt ipſius ſapientiæ, id eſt (ut Græci vocant) αὐτοσοφίας inter homines verſantis, & veſtigia more hominum facientis in orbis meditullio: interim mortales inſtituentis ad immortalitatis beatiſſimæ deſiderium, ad qvam naturâ ipſi comparati ſunt. 2 Hæc qvoniam ab omnibus ſummatim ſciri debent, ideò tanqvam in compitis civitatis magnæ & convenarum eccleſiæ, expoſita ſunt, & cuilibet obvia, qvi aut legere modò ipſe poſſit, aut audire ab alio recitata concupierit. 3 Altera ſunt tanqvàm acroamatica, cujuſmodi prophetarum vaticinia dixerim, canticaqve divinorum, qvos ſpiritu ſapientiæ providentia, afflatuqve entheô dignata eſt. 4 Ipſius deniqve ſapientiæ cœleſtis apophthegmata, Delii (ut dicitur) natatoris ad explanationem indigentia. 5 Tum ſi qva ſunt ſimilia inſtrumenti priſcæ ſapientiæ, in altiore ſuggeſtu poſita, qvaſiqve in arce diva collocata, inacceſſa multitudini. 6 Vetera etiam ſcripta & documenta ſapientiæ, propriè Theologiâ conſtant: recentia eò amplius eâ, qvam Theurgiam vocant: qvanqvàm ea pars, qvæ πρώτη πιτάπυχ© dicitur, planè eſt theurgica. 7 Sed in ea theurgia adumbrata cernitur tantum: qvaſi qvædam, ut Græci dicunt, œconomia, aditum præſtruens ſapientiæ αὐτοπροσώπως adventanti & concionaturæ. 8 Verùm cum hôc tempore humanæ qvæ vocantur diſciplinæ, ſuam propemodum claritatem elegantiamqve priſtinam receperint: ipſius qvoqve ſapientiæ ſtudium eruditè nitidéqve conſtituere, philoſophiæ convenit orthodoxæ. 9 Nam profeſſionem ſapientiæ, non crepundiis (ut ita loqvar) humanæ infantiæ, ſed florentis ætatis adultarumqve virium ornamentis, dignitatem ſuam tueri ac majeſtatem decet.

XLVI. 1 Mihi verò rei naturam amplitudinemqve æſtimanti oraculum primæ & ultimæ ſapientiæ, ſic in ſacroſanctis monumentis eſſe tanqvàm in ſacrario qvodam videtur auguſto & venerando. 2 Ceterum antiſtes ejus atqve interpres reſponſorum eſſe, ea qvam Græci pædiam, nos litterarum peritiam juſtam dicimus: qvæ choro diſciplinarum liberalium conſtat. qvam tamen & ipſam tyrocinium aliqvamdiu facere oportet in limine ſapientiæ, ſermoniqve ſymbolico aureis initiare. 3 Longè verò hâc litterarum profeſſione, qvam nobis ſuſcipiendam eſſe dico, anteqvàm ſtudium capeſcimus ultimum idem & ſummum, amplior eſt illa, ab antiqvis etiam dicta ſapientia. rerum humanarum cognitionem divinarumqve complexa: qvæ non priùs ipſa ſtu-

 diorum

diorum curriculô defunctam eſſe ſe exiſtimabat, qvàm ſeptimô (ut dicitur) ſpaciô decurſô ad metam pervenerat. 4 Sed qvibus in externa diſciplina cum ſucceſſu verſatis juſta ſtipendia impleviſſe contigerit, indeqve ad ſapientiæ Chriſtianæ ſtudium aſpirare, ut olim multis evenit, eos ego tam felices arbitror, qvàm qvi urbium multarum viſendi cauſſa, morumqve variorum & memorabilium inſpiciendi, diu peregrinati, ad extremum in civitatem qvandam amœniſſimam atqve beatiſſimam aſcribuntur: ibiqve domicilium & larem domeſticum ſemel collocant.

XLVII. 1 At verò moderandæ vitæ rectèqve inſtituendæ ideò commoda eſt antiqva qvoqve philoſophia, qvia in multitudine & celebritate hominum converſatio, ſenſuum depravatrix eſt. 2 Siqvidem vita civilis prudentiaqve communis, non germanâ ratione, ſed ſpuriâ res humanas contemplatur & expendit, ut notum eſt attentè æſtimantibus. Simul actionum ſuarum ſummam votorumqve, adulterinâ qvadâm ratiocinatione erraticâqve colligit. qvippe qvæ hominum vitam iis inſtitutis temperet, qvæ indigenis & civibus hujus orbis congruunt. 3 At ii, qvi ſapientiæ dicto audientes ſunt, incolas tantùm hîc homines & peregrinos eſſe cenſeant: ob idqve in cœlum qvaſi in patriam & ſedes ſuas aſpirare omni ope contendunt, non aliter atqve animi cœlô extorres, ad tempusqve vitæ relegati: 4 contrà qvi in multiplici commercio vitæ urbanæ merſi ſunt, revertendi in patriam animum amiſerunt. cumqve letheas aqvas biberint, iisqve inebriati fuerint, in vinculis & ergaſtulo opus faciunt: cùm tamen ipſi ſibi ſoluti religione, liberiqve videantur. 5 Contra qvæ incommoda philoſophiæ commentationes, præſertim Platonicæ, qvaſi antidota comparata ſunt ab hominibus ingenioſiſſimis.

XLVIII. 1 Verumenimverò à Græcorum & gentium exlegum litteris, ad Hebræorum ſtudia caſta & circumciſa migrare, & à multa diuturnaqve ingenii exercitatione in litteris inſtitutionis illius peregrinæ, abruptum facere tranſitum ad ſanctiorem philoſophiam, divinarum tantùm rerum contemplatricem, non cuivis proclive eſt: non magis qvàm à virentibus & amœnis ingenii paſcuis, ad inculta aſpectu primore & horrida tranſire; illorumqve longè diſſimillima. 2 Hiulca eſt enim & rimoſa rerum diſſidentium junctura & agglutinatio, neqve ea vel lectio vel commentatio eſt ſtomachi litterarum tantùm delitiis aſſveti & perimbuti. 3 Qvocirca mens profana expiabilibus initiis (ut dicere cœperam) paullatim luſtranda eſt, anteqvàm ſpecimen ſui facere incipiat, caſtius cautiuſqve commentando in veſtibulo magiſtræ ſapientiæ, qvod Græci vocant ἐν προθύροις τῆς ἁγίας σοφίας κατηχεῖσθαι: 4 Deinde ita ſe comparare ſtudioſum hominem oportet, ut jam non animi cauſâ ſacris litteris incumbere, ſed animæ potius aſſveſcat. 5 Neqve enim ultrà ſuo ſed philoſophiæ ſtomacho ſervire conſtituit, qvi ad hoc ſtudium bonâ fide ſeſe contulit cum ſuis omnibus facultatibus. 6 Hoc cùm bonâ (ut dixi) fide, ſtrenuaqve voluntate aliqvandiu factum fuerit: & eò uſqve animus jam verè philoſophus paullatim progreſſus ſit, ut ad exhedram interiorem philoſophiæ abſtruſioremqve inſinuaverit: ecqvis eſt deinde tam adverſâ ſalute natus,

qvin

qvin nuncium tandem remittere paratus ſit exoticis illis doctrinæ lenociniis, qvibus diu lactatus oblectatuſqve fuit. 7 Tum enim demum Mercurius externus & mortalis, advenienti cœleſti Mercurio æqvô animô & reverenter cedit, cùm ſapientiam humanam oraculari & divinæ imparem eſſe omnino intelligit. 8 Qvòd niſi urbanæ vitæ Sirenes, atqve in celebritate hominum hallucinante merſæ, mentem intus conditam, meditationiqve æternitatis ſuâpte naturâ feriantem, illecebris ſolicitarent multifariàm variis, & verò niſi auribus & oculis illabentia nugarum illicia, animum abducerent è principatu ſuo: qvotus eſt tandem qviſqve ſic dirô judiciô, ita præpoſterô ſenſu præditus, qvin illis intabeſcere chartis utilius eſſe ac ſvavius duceret, qvàm ſcenæ vitæ civilis, qvàm populi oculis & plauſui exitialiter ſervire? deniqve qvàm animam per tot æſtus, tantas jactationes, tot euripos affectuum civilium agere?

XLIX. 1 Sed ad illam pugnam nati ſumus ſcilicet, perennem & inexpugnabilem, corporis atqve animi, in qva hujus copias tametſi naturâ inſtructiores ac potiores, tamen impares eſſe identidem experimur ſenſuum temeritati, qvi præſidium ejus obtinent. 2 Adverſus qvam temeritatem cum petulantia conjunctam & licentia, philoſophia externa ſurgens & accincta, ſuarum illa qvidem facultatum venditatrix eſt diſerta & mirifica: ceterùm in conſiliis præſentibus auxiliiſqve expediendis, non perinde efficax & ſtrenua. 3 Digna nihiloſeciùs ipſa medius fidius cujus elogium audire non gravetur orthodoxia, in Phædro Platonis à Socrate pronunciatum magnô auctore philoſophiæ. Neqve verò neſcii ſunt (inqvit ille) qvi diſcendi cupiditate tenentur, qvòd cùm animam eorum philoſophia acceperit plane vinctam in corpore, ipſiqve agglutinatam; tùm illa per ipſum veluti per carcerem qvendam, omnia qvæ in naturâ rerum ſunt contemplari, non etiam ſemetipſam per ſe, cogitur, & in omni verſatur ignorantia. Et hujus qvidem carceris gravem ipſa conditionem perſpicit ejuſcemodi: nempe qvod idem ipſe vinctus animus, ultrò dat ſemetipſum in nexum, vincula etiam ſua præ cupiditate aſtringens. 4 Qvod igitur ego dico, probè norunt homines diſciplinæ cupidi. Qvòdqve philoſophia cùm ipſorum animum ſic affectum ſuſceperit, cum eo placidè agit, eum conſolatur, hortatur, vinculis exuere aggreditur. 5 Docet enim & oſtendit qvòd oculata rerum ſpeculatio, qvòd etiam oricularis plena ſit circumſcriptione, deniqve qvòd fallax ſit in univerſum per ſenſus rerum contemplatio. 6 Qvare auctor eſt illi philoſophia ut ipſe abſcedat à ſenſibus qvoad ejus qvidem certè per neceſſitatem id poteſt. 7 Eundem porro hortatur in ſemetipſum colligere ſe atqve coagmentare. Nulli alii qvàm ipſum ſibi credere: id qvod ipſe per ſeſe intellexerit eorum qvæ in natura rerum ſunt, ipſum eſſe per ſemetipſum. Qvòd verò per alios conſiderârit in aliis aliud eſſe, nihil qvidqvam exiſtimet verum eſſe. 8 At tale eſſe docet qvidqvid ſenſile eſt atqve aſpectabile, qvod verò ipſe videt animus, id utiqve intellectu percipi, nec oculis occurrere. 9 Proinde hominis verè philoſophantis animus, exiſtimans non reſiſtendum eſſe hujuſmodi ſolutioni ſui,

voluptatibus temperat, qvàm fieri poteſt, maximè, cupiditatibus etiam atqve formidinibus. 10 Qvippe qvi ſecum ipſe reputet & colligat, cum qvi vehementer lætetur, timeat, triſtetur, cupiat: non tantô malo affectum ab ipſis rebus eſſe, qvantum eſt, qvod qvivis exiſtimare poſſit. 11 Qvale eſt, ſi qvis ægrotaverit, aut impendia propter cupiditates fecerit. 12 Qvod verò malorum omnium maximum eſt atqve ultimum, eô malô ille qvidem affectus eſt: ſed rationem ejus neqvaqvàm habet. 13 Qvodnam eſt illud tandem ô Socrates? inqvit Cebes. 14 Qvod omnis hominis (inqvit ille) animus, ſimul lætari aut vehementer ægreſcere ob aliqvid cogitur, ſimul exiſtimare id unde ita afficitur manifeſtiſſimum eſſe & veriſſimum: cum non ſit ipſum hujuſmodi. 15 Qvæ talia ſunt autem, oculis illa ſubjecta ſunt, nec ne ſubjecta? 16 Prorſus qvidem (inqvit Cebes) ſubjecta. 17 Atqvi animus [inqvit ille] cùm hôc pactô afficitur maximè in nexum corpori deditur. 18 Qvonam modô? Cebes inqvit. 19 Nimirum (inqvit Socrates) qvoniam unaqvæqve voluptas & ægritudo animi, cùm veluti qvippiam clavi habeat, animum affigit corpori, & tanqvam infibulat, corporiſqve eum ſimilem facit, ut qvi eadem opinetur vera eſſe, qvæ corpori vera viſa ſint. 20 Nam cùm ſe præbeat aſſenſorem corpori, iiſdemqve rebus lætantem, iiſdem qvoqve moribus eſſe cogitur ipſe, iiſdemqve alimentis uti. Deniqve is eſſe, qvi purè hinc migrare ad elyſios neqveat, ſed ſemper corpulentâ gravitate exire, ideoqve ſtatim aliud in corpus incidere cogitur, & tanqvam cum eo ſatus inoleſcere. 21 E qvibus illud ſeqvitur, expers ut ipſe divinæ ac puræ fiat, ſimpliciſqve communionis. 22 Qvibus verbis Plato intelligi voluit commentitiam animarum tranſitionem, qvam tranſanimationem Græci ſuô vocabulô appellaverunt.

L. 1 Hæc igitur & ſimilia peregrinæ ſapientiæ dictata, præclara ſunt illa qvidem & digna commoratu. 2 Sed tamen inter incunabula cenſenda Germanæ philoſophiæ, qvaſiqve præludia ejus ſtudii ſapientiæ, qvam philotheoriam vocare inſtituimis. 3 Qvin & omnes orbicularis doctrinæ partes, exercitamenta ſunt præcurrentia ad Theologicam theurgicamqve philoſophiam, qvæ ſola (ut dixmus) meritiſſimô ſuô theoria dici poteſt. 4 At verò ipſi philotheori ubi jam ad arcem ſapientiæ conſcendere cœperunt, aut tantùm ſuccedere ad primos ejus gradus, indeqve fines bonorum malorumqve ſpeculari, tantô philoſophiæ externæ diſcipulos dignitate profeſſionis & commentandi beatitudine præſtant, ſimiles ut hi præ illis eorum mihi eſſe videantur, qvi Menippeis amoribus capti ſunt: aut Tantalicis in hortis acqvieſcunt, animis ſuis indulgentes inani voluptate & imaginariâ. 5 Menippi autem amores qvales fuerint, Philoſtratus his ferè verbis prodidit in vita Apollonii, ſive mythiſtoria, ut magna pars ejus operis meritò exiſtimari poteſt. 6 Menippus (inqvit) erat Lycius, annos qvinqve & viginti natus, ingeniô mediocri præditus & corpore rectè conſtitutô, ſimiliſqve erat facie pugili bono & ingenuo. 7 Hunc Menippum amari à peregrina muliercula vulgus opinabatur. qvæ & formoſa ipſa videbatur eſſe & delicata valde: tum divitem ſeſe eſſe mulie-

mulιercula dictitabat. qvorum reverà nihil erat. etiamſi ita videbatur. 8 Ac Menippo qvidem ſoli in via aliqvando iter facienti, qvæ Conchreas ferebat, phantaſma occurrit ſpecie muliebri: apprehenſâqve manu ejus mulier jamdiù amore ejus captam ſe eſſe dixit. 9 Phœniſſam autem ſeſe origine eſſe ajebat, ſed in ſuburbio habitare Corinthi, qvoddam ſuburbiorum nuncupans. Qvò Menippe (inqvit illa) ſi venire conſtitueris, cantilenam me cantitante mirè oblectabere: vinumqve illic bibes qvale ante hunc diem nunqvam. nec verò ibidem tibi ab æmulo metus erit: tecum enim uno victura ſum, formoſa cum formoſo. 10 Qvibus verbis juvenis pellectus (erat autem cetera ille qvidem firmus virilisqve philophus, ſed impar amoribus) ad mulierem ſe contulit ſub veſperam, deinde cum ea eô modô conſvevit, ut aſſolent, qvi amant, necdum enim ſuſpicababatur viſum eſſe, qvî cum ipſe verſabatur. 11 Apollonius autem cùm eò veniſſet, in morem ſtatuarii intuens in Menippum, hominem veluti pictor oculis perluſtrabat. dein ubi percognitum hominem jam habuit, Heus tu ô formoſe (inqvit) qvem feminæ decore captant, ſcito te ſerpentem ſinu fovere, viciſſimqve foveri à ſerpente. 12 Qvod verbum Menippô admirante, Nam tibi, (inqvit) Menippe mulier eſt non uxor: ecqvid autem amari te ab ea cenſes? 13 Sanè qvidem (Menippus inqvit) vehementer mulier amore mei capta eſt. 14 Nempe tute igitur (inqvit Apollonius) eam uxorem ducturus es? elegantiùs enim erit (opinor) eam nuptam habere amantiſſimam tui. 15 Verùm age, qvàm mox Menippe futuræ ſunt nuptiæ? 16 Qvamprimùm, ait ille, cras etiam fortaſſe. 17 Nuptiarum deinde die ſtatô, atqve ab ipſo Apollonio notatô & obſervatô, commodum advenerant convivæ, epulariqve jam cœperant, cùm Apollonius ad diem ipſum ad horamqve affuit. 18 tumqve ad epulanteis converſus, Ubinam (inqvit) illa eſt bella & delicata, qvam propter nunc potatis? 19 En tibi illam, Menippus inqvit: & ſimul rubore perfuſus aſſurgit. 20 Tum ille, Aurum autem & argentum (inqvit) reliqvaqve vaſa, qvibus hoc conclave exornatum cernimus, veſtra ſunt Menippe, nec ne ſunt? 21 Mulieris ſunt, inqvit Menippus. hoc enim eſt tantulum omnium meum qvod dicere jure poſſim: pallium oſtendens ſuum philoſophicum. 22 Nonne igitur vos tandem Tantali hortos qvoſdam ſcitis eſſe, qvi nulli ſunt? inqvit Apollonius. 23 Nos verò (ajunt illi) eos demum apud Homerum ſcimus eſſe, ut qvibus ad inferos deſcendere non contigerit. 24 At vos (inqvit ille) iſta qvæ cernitis, hoc omne ornamentum eoſdem ipſos hortos exiſtimatote eſſe. non enim hæc materia, ſed materiæ eſt opinio potius. 25 Qvò autem ipſi vera eſſe cognoſcatis ea, qvæ ego dico, iſthæc bona ſponſa, Empuſarum eſt una, qvas qvidam lamias eſſe, qvidam larvas arbitrantur. 26 amant autem Empuſæ, ac rebus Venereis gaudent, tùm carnibus præcipuè humanis delectantur: & qvos homines qvidem comeſſe ſtatuerint, eos ante ſolicitant motibus Veneris. 27 Tùm mulier ipſa ſponſa, Heus tu (inqvit) homo, meliùs ominare, & apageſis, ajens, execrari ſimulabat ea, qvæ dicentem audiebat Apollonium: dein philoſophos cavillari muliercula ut plerumqve deliranteis. 28 Verùm aurea ipſa pocula

la argenteaqve cuncta ſuppellex, ut qvidem eſſe videbantur, inania & evanida interim abierunt, ipſa refellente Apollonió. 29 ſervi etiam vinum miſcentes, & concinnatores obſoniorum, atqve omne illud famulitium atqve miniſterium, repente non comparuerunt cùm Apollonius præſtigiam refutâſſet. 30 Simul ipſum illud phantaſma lachrymabundum orare Apollonium inſtitit, ne ſe torqvendô, cogeret fateri qvid ipſum eſſet. 31 Urgente autem Apollonió nihilqve indulgente, Empuſam planè faſſa eſt eſſe: eamqve ob cauſſam Menippum epulis ſaginare, ut ejus corpore veſceretur. 32 Menipeis * igitur

* *Menipeis igitur*] Placet hic eumdem audire litterariſſimum Budæum toto hoc de genere eleganter et ad normam prudentiæ diſſerentem, ſeqve ipſum in qvincto de Aſſe p. m. 626. ita explicantem: „Eſt is tenor ſtudiorum meâ ſententiâ tenendus ut à carceribus diſcendi per ſpacioſum illud ſtadium diſciplinarum, qvæ Liberales dicuntur, ad metam ſecularium Litterarum perveniant; & in flexu ne committant, ut aut acqvieſcendum eſſe, aut diutius hærendum putent; ſed qvo curriculum totum peragant, rurſus à metâ ad carceres, & ad emiſſarium, denuo aliud ſpacium non currant, ſed ingrediantur, & incedant: qvod pronum jam ipſum eſt, & ſpei bonæ plenum, ſalubriſqve voluptatis. Siqvidem cum in eo eſt ſpacio exhauſti jam laboris orbicularis fructus præſentarius qvùm velut indagine cinctam veritatem tenebunt, tùm etiam multo majus præmium futurum, æternumqve ſperatur. Eſt enim ea demum vera ratio philoſophandi, non fallacem ſtudiorum amœnitatem, non inane nomen beatitudinis perſeqvens, ſed rectâ, & honeſtâ viâ, veram & ſolidam gloriam haud inauſpicatò peteſſens. Hanc viam qværendæ doctrinæ ſummum illud par amicitiæ Gregorius, & Baſilius Græci; & eorum ætati ſuppares, Hieronymus, & Auguſtinus, cùm tenuiſſent, & ante eos omnes, Cyprianus & Lactantius; & deinde Hilarius aliiqve anteſignani partium Chriſtianarum, majorumqve Gentium Theologi, qvorum hodie reſponſis ad interpretationem divini juris utimur; ad extremum judiciô jam ſolidô ad ſacroſanctum ſtudium Sapientiæ qvaſi ad Bulææ Themidis oracula venerunt, qvam Conſiliatricem Latinè vocare poſſumus. Scire enim avebant homines ingenioſi, qvomodo viam inire poſſent ad propoſitum finem, qvaſi in patriam ferentem, qvam civitatem ampliſſimam eſſe conſtat, nomine Uranopolin, ſuperis hominibuſqve communem duntaxat qvi nihil in ſe impiè, aut perfidè admiſerint. In eâqve Regiam eſſe Sapientiæ, qvam Providentiam antiqvi Latini, ut Græci Pronæam, vocitare voluerunt: in qvâ numeris omnibus Scientiæ, atqve intelligentiæ beatiſſimæ animi humani, ſimul cum omni miniſterio, & ſtipatu divinitatis fruuntur cum ordinibus illis ſcil. cœleſtibus, inenarrabili ratione deſcriptis. Hos Eſaias, Prophetiæ decus, argentum, & aurum ſuum ad Chriſti obſeqvium, cultumqve teſtatur attuliſſe: qvo verbô, tùm rerum intelligentiam nullô errore concretam; ſed ad puritatem excoctam, tùm eloqventiæ nitorem, ſplendoremqve ſignificat. Has enim illi priſci opulentas facultates in ſcribendis eloqvendiſqve rerum divinarum enarrationibus conſumpſerunt. Idem vir longè prudentiſſimus p. 628. „miſerabilem contendit eſſe ſortem eorum, qvi cùm magnam jam partem laboris exantlaverint, vel in flexu adqvieſcunt, qvaſi penſum Encyclopædiæ confecerint; vel diutius adhæreſcunt in Humanioribus Litteris, animô jam ſeneſcente: nimiô utiqve venuſtatis, eloqventiæ, ac leporis amore capti, & irretiti. Eorum planè ſimiles, qvi apud Homerum in diverticulo viæ ad patriam ferentis, aut Lotophagorum ſodalitio aut Sirenum cantu deliniti, patriæ meminiſſe non poſſunt.

Aliam educit ex Homero imaginem Juſtus Lipſius lib. I. Manud. ad Philoſ. Stoic. Diſſ. I. p. 6. „ſicut Paris ille apud Homerum (inqvit) è prælio profugus cum Helena ſe oblectat: ſic plerique relictis ſtudiorum feriis, voluptuaria modò ſectantur. Qvapropter ipſe tandem ad Auditorem ſuum converſus, illum ita exſtimulat: Diſſert. III p. 8. ſatis diu amœna hæc ſtudiorum habuerunt. Sera addamus, & ne ſerò. Ecce major ætas approperat: ecce curæ undiqve & turbæ. Qvid ceſſamus? Qvin ſicut hoſte adpropinqvante, minuta relinqvimus, & recipimus nos in firmam, & inconcuſſam Sapientiæ arcem? Te hortor, me unà. Hæc ille. Altior ſit oportet finis Chriſtiani Philoſophi & Philologi, qvàm literarum ſeriem, ſuis cum ad-

pendi-

igitur delitiis ſimilia & omnino phantaſmatum inſtar, ſpecioſa illa profanæ ſapientiæ atqve aſcititiæ, promiſſa & miracula eſſe mihi videntur, qvod qvidem certè adtinet ad fines bonorum & malorum.

L. I. 1 At ex eo loco pendet ſummi boni qvæſtio & adeptio, qvi terminus eſt, qvod extremum, qvod primum, qvô omnia referri debent humanæ mentis ſeria meditata. Qvò omnia benè & inculpatè agendi, rectè & innocenter vivendi, appoſitè & optabiliter moriendi, conſilia ſpectare. 2 Qvapropter in ea commentatione, ſi minus florentem ætatem traduxerimus, ſenectutis ſaltem tabernaculum, ſcenamqve extremi actus qvaſi fabularis hujus vitæ & umbratilis, collocare debemus, ut olim multi fecerunt annis melioribus, qvi rectè conſtitutam ſtudiorum rationem habuerunt & explicatam, florente pietate illâ memorabili & exemplari. 3 Miſeranda verò eô nomine priſca philoſophia, qvod ſummi boni fructum poſthumum, atqve ejus ſtudii, multò maxima pars doctiſſimorum nullum eſſe arbitrati ſunt præter † propa-

pendiculis exactè noſſe · verborum nominumqve figuras omnes bellè poſſe fingere; characteres rectè ſubtiliterqve efformare; Commata, & interrogationum notas ſuô locô ponere: capitales litteras ſcitè locare, in interpunctionibus non deficere: callere dictionum conſtructionem variam, interpretari poëtas; antiqvitatis non mediocrem cognitionem in pectoris ſcrinio habere reconditam: qvidnam concinnè, puréqve ab eruditis dictum ſcriptumvé, ingenioſè exqvirere, & excogitare; qvid conſentaneè lingvæ proprietati uſurpetur, acutè dijudicare; ac ſimilia ſexcenta, qvæ non propter ſe, ſed aliorum gratiâ expetuntur; nimirum, ſi ad Virtutem ducant; qvod fiet, ſi eorum adminiculis Te, ac Deum agnoſcas: hunc exaltes, te deprimas, hunc colas, te non æſtimes; hunc ames, te ſalutari odiô ſpernas. Hæc ire jubent Sapientiæ Antiſtites veri. Hoc demonſtrant imagines, qvibus vis omnis rerum Philologicarum & Grammaticalium ad vivum exprimitur. Et alii qvidem Grammaticam, omnemqve illam litterariam peritiam ut Rudimenta qvædam habent, non ut Opera: verè Rudimenta, qvô nomine peculiariter gaudet Grammaticæ veſtibulum. Rudimentis opera danda; qvis dubitat? anteqvam graviores diſciplinæ attingantur; ſed iisné inhærendum? iisné immorandum? immò immoriendum? qvis iſte ſtupor? Anſas tenuiorem omnem litteraturam dicebat Xenocrates. Eſtne viſus unqvam negotiator, qvi in foro anſas ſolum coëmerit à plaſte, relictis vaſis? Artes liberales omnes, ad ſapientiam, virtutemqve prodromæ ſunt, veluti bellorum meditationes, & ludicra certamina, qvæ milites in otio ſuſcipiunt, ut ſe ad ſeria præparent, non iis diſtineantur. Fundamenta vocat Qvinctilianus, qvæ niſi Orator futurus jecerit, qvidqvid ſuperſtructum fuerit, corruet: fundamenta autem, niſi ædificium ſeqvatur, non ſunt uſui. Sunt, qvibus veſtibulum videntur, & portæ, ſed hæ, niſi ad palatium ducant virtutis, & veræ ſapientiæ fruſtra ponuntur. Philo Hebræus appellat procemia ac præludia, ſed qvæ virtutis drama præcedant, qvod niſi ſeqvatur, ludibrium ſcena habebit. Alteri cuidam videntur Baſes, ac Gradus, ſed non niſi ad juga ſapientiæ, ac virtutis conſcendenda. Magnus ævi noſtri Philologus, gallinæ Ovis ſubventaneis comparat, qvæ à parituris mox vera eduntur, qvod ni fiat inanis perit fœtus: ſubventaneæ ſunt amœniores litteræ, & niſi ſeqvatur ſolida ſapientia, qvæ ad cœleſtia transferat, evanidus eſt partus, abortu vilior.

† *Præter propagationem nominis & memoriæ*] Oppidò elegantia ſunt qvæ de Fama & ejus aucupio ingenioſiſſimus tradit Doctor noſter Dannhawerus in Programmate qvodam Celeberrimi Dorſchei Septenario Admirandorum Jeſu Chriſti iterùm edito inſerto, p. m. 207. „ Seqvatur, inqvit, „ fama, non invitetur; maneat umbra virtutis, „ non ſcopus: ne ſimus laudum decoctores, ſed „ nec aucupes. Dignum qvod à tergo ciconia „ pinſat, à fronte ſtigma notet. Fuit olim facinus „ Apſephæ Libyci Regis, pſittacos captare, ca„ pere, alere, docere, emittere, ſoliti, qvi paſ„ ſim canerent, Ἀψεφᾶς θεός ἐςι, *Apſe„ phus Deus eſt*. Non alio præmiô dignus homo, „ ambitioſus gloriæ ſuæ auceps. *Alex*, qvem ca„ ptat, *fama* eſt alata, fugax, mendax: *illecebra*,

propagationem nominis & memoriæ. 4 Tametſi Plato eorum Homerus, columen & decus philoſophici nominis, nonnihil de eo ſuſpicatus eſt. Qvi ſi immortalitatis humanæ rationem finemqve enucleatè intellexiſſet, qvas tandem Iliadas, qvàm diſertas, qvàm admirabiles de expetendo ſummo bono, Socrates jam dictus apud eum commemoràſſet? qvantas autem Odyſſeas vitæ civilis atqve urbanæ, qvæ monſtra, qvos errores in hujus freti tranſitu, qvot pericula ſubeunda diſſeruiſſet? Qvare antiqvorum in hac parte philoſophiæ ignorantia, nihilominus virtute philoſophicâ prædita, nobis culpam capitalem exprobrat, neglectumqve indeprecabilem redarguit cogniti nobis ſummi boni & propoſiti. 6 Mihi verò hæc noſtra philoſophia, familiæ dominicæ & cœlitùs adoptatæ peculiaris, dos eſſe videtur litterarum ſtudii: non adventitia, ut illa priſca, & extrinſecùs allata, ſed ab ipſo patre hominum creatoreqve profectitia, divinituſqve oblata. 7 Qvæ qvid tandem habet ipſa non ſolidum, non eminens, non expreſſum? omnia enim viſenda, exoptanda, expoſcenda, impetrabilia, propia & æterna mox pollicetur ſacroſancta philoſophia: eorumqve ſpem locupletem interim repræſentat ea pars ipſius qvæ hierographia (i.e. Scriptura Sacra) dicitur, iis, qvibus familiariter inſinuare in ſapientiæ ſacrarium & pinacothecam contigit. Nec verò mortalium animos inani ſaginâ ſapientiæ imaginariâqve explet; id qvod externa in Platonicis fecit, ut Stoicos nunc omittam ob vaniloqventiam irriſos: ſed ſolidis (ut dictum eſt) epulis ſalutaris doctrinæ, ſpeiqve certæ atqve beatæ qvâdam velut ambroſiâ alere ſolet ac vegetare.

LII. 1 Qvoniam verò hujus Aegeriæ congreſſus familiares non cujuſlibet hominis ſunt, non cuiuſvis aut loci aut temporis: ideo ejus amoris æmulos nobiliſſimos qvoſqve feciſſe ferè novimus, ut è medio diſcedentes, locos expiabiles qværerent procul vulgi ſtrepitu, unde præcepta ac monita ſapientiæ exaudiri ab hominibus & intellectu percipi non ægerrimè qveunt. 2 Tales ſeceſſuum amœnitates, immò vero illas macarôn inſulas à priſcis decantatas, nobile par amicorum Euſebius & Gregorius, aliiqve permulti in oriente olim habitaverunt, qvaſi auream vitam Saturniamqve agentes in theoriæ ſpecula, cùm ad luſtralem illam contemplationem abſtruſamqve ſe contuliſſent,

„ *tra*. opus *humanum*, qvodcunqve legas, qvi „ Babelicæ turris immani ſtrue nominis immortalitati velificati; audias, qvi per Dianæi fani cineres ad inania gloriæ graſſati: videas, qvi cum „ luctantem intra præcordia ſpiritum continere „ neqveunt, per annales Voluſianos, & com- „ mentariorum oculiferia meditentur

Grande aliqvid, qvô pulmo anima prælargus anhelet.

„ Rideas non ſenes ſolùm nominis ſtudiô arbores alteri ſeculo profuturas plantare, ſed & „ mulierculas, multâ cannabe fatigatâ, colô „ & ſupellectile lodicariâ, famæ ſibi conciliare „ epicedia. adeò hæret hoc virus humanæ genti, „ adeò in omnes ſtatus diffuſum eſt. Vox, qvam „ *Fama avis* canit, qvam canere docta, eſt illa „ Apſephæ, verbi gratiâ, Alexander M. tot gentium terror *Deus eſt*: Appion Grammaticus mundi „ cymbalum, *Deus eſt*! *Vanitas* eſt humana, qvâ „ vocum umbras ambit, venatur ſteriles auras, „ ac ipſam qvaſi fugam perſeqvitur, ridenda: „ qvâ Deo creatori ſuum choragium intervertit, „ huic enim ſoli celebrando fama-avis nata, perennicremis cruciatibus *pianda*. Gloriam creatori ut aſſereret, inſanum nominis ſtudium „ lueret, & exemplô humilitatem doceret, nullâ cum obſervatione in mundum venire, inglorius taceri voluit vagiens in cunis Deus.

ſent; qvam indagatrix illa & curioſa non novit philoſophia. 3 In ponto autem negotiorum civilium, in freto cupiditatum, in euripo ambitionis, qvæ tranqvillitas mentis eſſe poteſt ad oracula ſapientiæ interpretanda, animôqve verſanda? 4 At verò illa philoſophorum ſchola, qvæ Plotinos, Amelios, ſceleratoſqve Porphyrios edidit, cùm paſſim jam veritas illuxiſſet, in amœnis illa qvidem floridisqve campis, ſed à ſummi boni domicilio deviis, grandes illos animos fallaci commentatione pavit, atqve eo uſqve fruſtrata eſt, ut velut in hortis Heſperidum aurea mala legere ſe exiſtimarent, qvæ in penum philoſophiæ ſanctiorem recondenda ducebant: nec niſi viris ſummis ſuiqve ſimilibus impertienda. In ea etiam opinione miſeri diroqve animi pabulo vitâ (ut arbitror) functi ſunt. 5 Qvibus qvàm felicius ipſis atqve auſpicacius ad philoſophiam incubuerint ii, qvi indidem profecti, atqve eorum æqvales nonnulli, ſecundô flatu providentiæ in mari ſcopuloſo velificati, ad extremum tenuerunt portum orthodoxiæ, nemini non planum eſt ſanâ mente prædito, & nos majoribus ire per altum auſpiciis manifeſta fides, qvàm illis ire contigerit qvamlibet magnorum nominum philoſophis. Niſi fortè hodie qvoqve in controverſiam cadere poteſt auctoritas chriſtiani dogmatis, cujus olim tantum fuit numen, ea vis divina, ut paſſim mortalibus jus gentium & naturæ extorſerit, ratas generis humani opiniones inuſtasqve antiqvaverit: qvibus tot annorum millibus imbuta communnis prudentia atqve etiam incocta fuerat. 7 Qvid autem mirabilius, qvàm tot hominum myriadas, qvi ſibi tuendam prædicandamqve veritatem entheô afflatu inſtincti perſvaſerant, non dico à ſenſu communi, errantium duce & magiſtro: ſed à ſtemmate ſui generis unumqvemqve, à ſangvine deniqve ſuo, & verò à corpore proprio animaqve deſciſcere, & tranſire agminatim ad ſpiritum evocatorem.

LIII. 1 Eorum igitur exemplô, qvos ſuprà commemoravi, omneis qvi rectè philoſophari volunt, oportet in anchoris theoricæ philoſophiæ, & interdum in ſalo, expectare fati vadimonium. 2 Qvò inſipientiùs atqve abſurdiùs de conditione ſua mereri mihi videntur, etiamſi frugi & rerum periti à multis eſſe cenſentur, ii, qvi ſublatis illis anchoris ſtudiorum tranqvillitatis, & poſt primæ philoſophiæ ſtudium, ambitioni vela pandunt, rurſus altum pelagusqve petentes. 3 Sed qvid non deſignat ſacra cupiditas atqve avaritia? qvibus animo utcumqve inceſſentibus, faceſſit amor actutùm rerum immortalium, qvi in iiſdem præcordiis æmulum non admittit in diverſum hominem ab ſeſe abducentem. 4 Qvare qvi hoc facere non verentur, mirum eſt qvod nuncium ipſi remittere ſuſtinent philoſophiæ: id qvod ſine perfidia vix fieri poſſe videtur. Nec id tamen tam rarum eſt, qvàm halcyonem videre. 5 Qvid autem ſolidæ religionis intus fovere eum putemus, qvi ſtudii diuturni & ſacroſancti ſegetem, jam venturam ad meſſem tam uberem, inarare denuò non vereatur & evertere? nimirum qvi ita conſultò & meditatò faciant, eos conſilii & propoſiti vitæ ſummam, nec compoſitè, nec conſtanter inſtitutam habuiſſe oportet: qvô nihil eſt turpius & damnoſius. 6 Qvo accuratiùs

videre ii debent & attentius, qvibus adhuc conſulere integrum eſt & explicatum, ne in eandem fraudem incidant. 7 Siqvidem è ratione malè putata, & vel temerè vel oſcitanter ſubducta, fieri vix poteſt, ut ſumma & fructus homini conſtet ætatis contritæ, vel in litterarum ſtudio, vel in alio qvocumqve inſtituto, vitæ commodè & feliciter agendæ. 8 At eò ferè omnium ſpectare hominum videtur intentio, laborumqve contentio, ut commodè vitam & ſalubriter agamus: niſi ſi ludere nos vitam, non agere ſeriò fatebimur. 9 Qvid autem miſerius eſt, qvàm poſt tot labores excolendis moribus animóqve componendo exhauſtos, pœnitendam ſenectutem frugiperdamqve philoſophiam eſſe? 10 Qvid damnoſius ac lamentabilius, qvàm oleum & operam florentis ætatis vergentisqve perdere? 11 Noxam porro inexpiabilem admittere ob neglectum cultum animi, ob floccifacta ſapientiæ monita & præcepta, ob immortalitatis adipiſcendæ diſciplinam deſertam aut oblivione tranſmiſſam: cujus propter inanem imaginem conſectandam nullum non ſaxum movit & volvit antiqvitas ingenioſiſſima, dirum id verò atqve abominandum. 12 Deniqve qvid potius, qvid ſalubrius, qvid porro oblectabilius ſenecta ſaltem ætas & emerita agere poteſt, interim dum tanqvàm animam agit: qvàm ſublimia meditari & ſuſpicere, ſperatamqve immortalitatis pollicitationem commentandô ſibi repræſentare? 13 Et qvidem adverſus appetentis mortis tumultus, qvi imperitos homines ferè territant, lucisqve qvàm par eſt cupidiores, ſeptum eſſe oportet vallô philoſophiæ, qvæ mortis eſt commentatio, ut Marcus inqvit Tullius *, id à Platone mutuatus. 14 Tum vitæ æternæ contemplatio in exhedris primæ philoſophiæ ſpem non evariantem efficit, omnia mox hinc digreſſis longè uberiora expetibilioraque futura.

L I V. 1 In ſumma hoc habeamus: hujus philoſophiæ ſtudium, doctrinam inſpiratam, veramque & ſalutarem conſectari ſapientiam. 2 Quæ cùm olim ipſa per vaticiniorum ambages, oraculaqve figurata cœlitùs demiſſa eſſet atqve prodita tantùm myſticè & ſymbolicè, Dei filius tandem inter homines mortali ſpecie ſub carnisqve veræ integumento verſans, interpres ejus eſſe voluit. 3 Qvi cùm ipſe præcepta multa monitaqve dediſſet, humanæ ſapientiæ faſtigiô multùm excelſiora, qvædam etiam pardoxa, atqve è regione prudentiæ mortalium oppoſita, in populos omneis nationesqve promulgaſſet incredibili aſſenſu qvàm plurimorum: eô ampliùs craterem inexhauſtum beatricis ſapientiæ reliqvit in medio mundi poſitum: ex eoqve ſingulis tantum hauriendum doctrinæ dedit, qvantum unicuiqve ſatis eſt ad immortalitatem ſempiternam & beatiſſimam conſeqvendam. 4 Ipſe verò provinciâ ſibi mandatâ perfunctus; ac ſuô tempore inde decedens legatis ſuis qvos alias in provincias dimiſſurus erat: cum imperio & poteſtate inuſitatis, mœroris poculum laborisqve eodem è vaſe propinavit, unde ad fecem uſqve idem ipſe hauſerat. 5 Ita non modò mortalibus ſe magiſtrum ſapientiæ, ærumnarumqve

qve

* 1. Tuſcul QQ. c. XXX. extr. ubi tamen de Philoſophi vita id dicit.

qve vitæ exhauriendarum præmonſtratorem, ſed etiam præitorem viæ ad cœlum ferentis, qvà diſcipulos ſuos atqve ſapientiæ non ire modò docuit, ſed venire præcepit & hortatus eſt. 6 Proinde omnium diſciplinarum longè cenſenda eſt princeps ſacra illa philoſophia qvam Theologiam vocant, eiqve eam ob cauſam ſubmittere faſces omneis alias profeſſiones æqvum eſt. noſqve litterarum bonarum cupidiſſimi cum de ea loqvi inſtiterimus, caput adaperire continuò debemus: ut eſt in proverbio. 7 Hoc igitur pietate imbuti ſtudioſi teneant, qvaſi muſarum elegantium ſimul & piarum oraculum, adoleſcentis ut animi pædagogon philologiam, ita ſeneſcentis philoſophiam gerontagogon eſſe debere. 8 ipſum porro nomen philoſophiæ, ita demum venerandum & auguſtum eſſe, ſi commentationum ſuarum ſanctuarium in arce theoriæ collocaverit; qvam nobis providentia humani generis cupida & evocatrix, in monumentis ſapientiæ architectata eſt, qvos libros ſacros vocamus. 9 Neqvaqvam autem ad auſpicandum philoſophiæ ſtudium exſpectandum eſſe donec emeritos jam oculos, effœtamqve ſpeculationem homo ſtudioſus habeat. 10 Et verò homini ſtudiorum liberalium curriculum ita ingreſſo, ut inde ad primam ſummamqve philoſophiam tranſitum ſibi muniat, plerumqve ſatis eſſe debet, ſi id, qvod Græci dicunt τὸ ὅτι aſſecutus ſit: artiumqve ſingularum profeſſoribus τὸ διότι reliqverit, ne ad Sirenios ſcopulos tandem ipſe hæreat, oblitus ſibi ſedem eſſe propriam & perpetuam petendam. 11 Non enim doctum eſſe continuò præclarum eſt & optandum, ſed ſanè qvoqve doctum eſſe & ſalubriter oportet. Qvandoqvidem multi fuerunt egregiè viri docti, qvos ſiniſtras literas, non dextras, muſæ docuiſſe dicuntur, ut inqvit Athenæus. 12 Muſæ autem qvanqvàm liberales & ingenuæ, vocibus tamen ſuis lactare primùm animos juvenum ſolent, atqve ducere, deinde magis ac magis trahere ac rapere. Poſtremò agere ipſos (ut ajunt) ac ferre ſtudioſiſſimos ſui, omnibusqve fortunis interdum evertere & ſpoliare. 13 Cùm interim ita ingenio ſuo, qviſqve eorum indulgeat & obſeqvatur, ut cum genio proprio belligeret, ut utar verbô Comici. 14 Unde fit ut litteræ ſpecioſô nomine bonæ & elegantes dictæ, ſæpe tamen malè audiant ut ingratæ atqve damnoſiſſimæ.

LV. 1 Cùm autem ætas imperii tui æqvalis Princeps benigniſſime, ad lucernam jam planè illuſtrem recognoſcere inſtiterit in Francia antiqvæ doctrinæ reliqvias tùm Latinas, tùm Græcas; tuæ poſthàc liberalitatis erit; obſtrictæqve fidei (ut noſti) & beneficentiæ; ſpei bonæ & gravidæ donativô hominum verè litteratorum contentionem alere; qveri & adaugere. 2 Reges enim & Monarchæ, tametſi legibus ſoluti ſunt, nec civili tenentur actione, honorariâ tamen ipſi in judicium famæ vocari poſſunt, atqve etiam periclitari. 3 Liberales autem diſciplinæ, qvas noſtra complectitur unô hodie nomine Philologia, libertatem (ut ita dicam) liberalium eandemqve perpetuam poſcunt; cùm illæ, qvæ ad qvæſtum inſtitutæ ſunt, aut certè moribus jam diu comparatæ, Saturnalium libertate tantùm temporariâqve egeant. 4 Qvare illæ liberales & ingenuæ ab obſervantiæ & famulatus manci-

pro apud tuæ majeſtatis æqvitatem, qvaſi apud maximum prætorem aſſerendæ ſunt, eorum ſuffragationibus qvi apud ipſam majeſtatem magnâ pollent auctoritate. 5 Ita autem fert natura, ut qvàm qviſqve maximè ad colendam Philologiam feliciter natus eſt, tam ille ab obſervantia illiberali & ſuæ operæ venditatrice, maximè alienus ſit. 6 At id organum eſt ipſum præcipuum cum gnava impudentia illius hominum induſtriæ, qvam opificem fortunæ fictricemqve unicuiqve, vulgo homines eſſe dictitant, auctricemqve fortunarum.

LVI. 1 Hæc habui ferè, qvæ ſcribenda nunc ducerem de bonarum litterarum ſtudio inſtituendo, tuendo, & moderando, ſub tuo, Franciſce rex, fauſto feliciqve litteris nomine in publicum proditura. 2 A te enim expectatur cùm meô, tùm aliorum non paucorum exemplô; ut Philologia diu in Minervæ ludo, eô qvô dictum eſt modô, exculta, deinde honoris officinis pro cujuſqve captu & ingenio perpoliatur, contra qvàm moribus Franciæ ante te receptum erat. 3 Id qvod ſi facere conſtanter in animum induxeris, tu tibi novô exemplô majeſtatem conſtitueris, non regiam modò & auguſtam appellantiúmqve identidem ſermone contritam, & qvaſi obſolentem, ſed majeſtatis ipſius primordialis germanam aut ſimilem: ut jam dicere Ovidii verbis poſſimus; (*è lib. V. Faſt. v. 43. ſ.*)

Hinc tibi majeſtas, qvæ regnum temperat omne
Qvâqve die per te eſt edita, magna fuit.
Aſſidet illa duci, ducis eſt fidiſſima cuſtos
Et præſtat ſine vi ſceptra tenere duci.

4 Non enim tibi minore gloriâ dignum erit litterarum decus in Francia, ingeniorumqve honorem reſtituiſſe, qvàm olim Romæ fuit Auguſto, parthica ſigna tantô intervallô in urbem retuliſſe. 5 Nihil autem Philologiæ tantum obfuit ante te Regem, qvàm cùm poſita ſit in oculis maximè gratia, illa audita tantum fuit fando in aula: idqve obſcura fama atqve maligniſſima. 6 Nunc autem non tantùm acroamata Philologica primas gratiæ partes, in conclavi regio, & ſuper epulas tuas obtinent: ſed etiam generoſiſſima tua proles, excellentiſſimis ingeniis prædita, incredibili ſub oculis tuis profectu, nobiliſſimi cujuſqve ſtudium aut favorem, ad cauſſam litterarum tuendam & exornandam accendit. 7 Cujus rei reputatio ancipitem me tenet, incertumqve judicii. 8 Etenim anteà ſemper ipſe affirmare palamqve perhibere ſolebam, unum te omnino adnotâſſe me, non regem tantùm, non principem, non corporis inculpatâ beatâqve conſtitutione præditum, ſed hominem omnino eqveſtris ordinis, cetera non infeliciter aut natum aut ſortitum, cujus ego omnes animi dotes exoptandos mihi ducerem ad claritatem nominis adipiſcendam. 9 Nunc autem in eo ſum poſt compertum liberorum tuorum ingenium ad litteras diſcendas incredibile, cum eximia voluntate, igniculis gloriæ in iſta ætatula extimulata, ut qvaſi ex Thetide eos tibi natos eſſe cenſeam, qvi parentis qvoqve luminibus eâ parte gloriæ olim obſtructuri ſint, Deô benè volente. 10 Adeò in primaria naturæ officina & Promethei

ſummi figlina, eaqve perauguſta (in qva te fictum eſſe, omnes non imperiti judicant qvi propiùs & ſatis æſtimaverunt) non candidiſſimô lutô tantùm, ſed etiam candidiſſimô candidiore & puriore, vaſa finguntur, animorumqve conceptacula configurantur. 11 Comparandæ autem litteris gloriæ immortalis ſubſidium unum hoc habes maximum. Si enim facere perſeveràris, id qvod jamdiu non obſcuriſſimè ſemper tuliſti, ut doctiſſimorum hominum decurias, judicum aliorumqve magiſtratuum, in omni regni tui parte ſuppleviſſe meritò dictitêre (id qvod mox futurum eſſe ſperamus) cùm majoribus tuis longè inſigni gloriâ præſtitiſſe: tum verò poſteris tuis facem præluxiſſe amplificandæ ejuſdem gloriæ videbere.

II.

G. BUDÆI LIBRORUM

DE

* PHILOLOGIA PRÆFATIO

AD

HENRICUM AURELIENSEM,

ET

CAROLUM ANGOLISMENSEM,

REGIS FILIOS.

1 LITTERARUM optimarum ſtudium rectè nunc comparatum eſſe Generoſiſſimi Principes, lætari vehementer ipſe cœperam: eamqve ob cauſam meo vitæ inſtituto ſvavi cum gratulatione mecum ipſe acqvieſcere qvippe qvod nationum penè omnium conſenſu, qvarum ad nos uſqve fama pertinet, pro-

* JUDICIUM Dan. Georg. Morhofii I. Polyhiſtoris Litterar. c. I. p. 7. his de Budæi libris.

Multa hìc à nobis de vaſtitate πολυμαθίας dici poterant, verùm cum illud toto librô à Wouwerio actum ſit, illuc Lectorem remittimus. Legi & ſuper hoc argumento poteſt, imò debet, Guilielmus Budæus, Vir illuſtris, conſiliarius regius, & libellorum ſupplicum Magiſter, in libris de Philologiâ, qvos Henrico Aurelienſi & Carolo Angoliſmenſi, Regis filiis, inſcribit: ubi de ſtudii hujus amplitudine & dignitate multa agit, & inſtitutô qvaſi cum Rege colloqviô illum hortatur, ut ſtudia hæc, Regno ſuo ſplendorem conciliatura, ornanda ſuſcipiat, Viros illa profitentes præmiis afficiat, magiſtratum, honores, ac ſacerdotia illis tribuat. Non deſtituit facundum ac illuſtrem Patronum, ipſumqve libellorum ſupplicum Magiſtrum, Philologiæ cauſam agentem optatus ſucceſſus. Apud nullam enim nationem honoratiore locô illi fuêre, qvæ exempla hodieqve perdurant. Excitata hinc optima fuêre ſemper ingenia, qvorum tam uberem meſſem nulla gens alia dedit.

probari intelligerem. 2 Græcarum verò litterarum ſtudium luculenter & paſſim apud noſtros efflorecere, qvod annos ego complureis ſine æmulo deperieram (qvi qvidem certè qvoqvô modô innotuerit) gaudiô triumphabam. 3 Juvabat enim audire exploſam non paucorum hominum disjectamqve coitionem, facinoroſam & capitalem: qvi litterarum claritati denuò recens exortæ, tenebras offundere Cimmerias obſtinaverant. 4 Verùm qvoniam ita rem natam eſſe videbam, ut qvi juſtâ animi contentione atqve acriter ad eam curam incubuiſſent, ii liberali ingeniô magis homines eſſe & ingenuô qvàm frugi exiſtimarentur: ad vulgusqve ea de cauſſa non magnopere eorum conſilium, ad ordinesqve probaretur: vereri mihi ſubiit, ne ea contentio litteras bonas certatim perdiſcendi, qvæ repentè extiterat, citò qvoqve conſeneſceret. 5 Nam cùm ſingularum ferè artium profeſſio reddere fœneratò ſoleat qvod ei expenſum ingenioſiſſimus qvisqve tulit atqve ſtrenuiſſimus: è diverſo litterarum optimarum ſtudium, qvod univerſarum ſummam artium diſciplinarumqve complectitur, in ſortem qvoqve decoqvere diligentiſſimo cuiqve hodie manifeſtum eſt, iccircoqve malè audire apud multos ſolere: apud eos etiam peſſimè, qvi rei augendæ curam conditionisqve amplificandæ, omnibus aliis curis prævertendam eſſe rentur & conſectandam. 6 Et qvidem, ut nunc ſunt mores, cernere eſt luculenter in liberaliſſima ſorte ſtudiorum geminam eandem ſummamqve indignitatem. 7 Niſi verò non ſumma eſt indignitas, qvòd homines honeſtiſſimæ doctrinæ amantiſſimi, publiceqve honorificentiſſimæ, nullô locô hodie numeróqve habentur, ne extremô qvidem in * congiariis liberalitatis regiæ diſtribuendis: qvæ tamen ipſa impri-

* *Congiariis.*] A congio, liqvidorum menſurâ, ſex ſextarios continente. Data antiqvitus in populum, eaqve vel vini, vel olei Inde nomen longiùs ductum ad qvaſvis, etiam pecuniæ, donationes, ſed maximè Principum, aut publicas in plebem:, qvod *congiarium in capita promiſſum* vocat Seneca Epiſt. LXXIII. longiſſimè ad qvodvis munus privatim & in ſingulos conlatum. Idem Seneca c. XXII. libri de Conſolatione ad Marciam. *Propone illud acerbiſſimum tibi tempus, quô Sejanus patrem tuum clienti ſuo Satrio Secundo congiarium dedit.* Et II. de Benef. c. XVI *Ut congiaria tua urbes ſint.* Ubi palam eſt, hanc congiarii vocem munere pro qvovis accipi. Sanè qvoniam Principes non in pecunia tantùm, ſed aliis etiam rebus, & vino qvoqve liberalitates præſtare populo ſolebant, idcirco qvævis eorum liberalitates, qvas conferebant in populum, *congiaria* appellatæ. Seneca IV. de Benef. c XXVIII. *Rex honores dignis dat, congiarium & indignis.* Plin. Panegyr. c XXV. 2. „Datum congiarium „ populo. Et datum totum, cùm donativi partem milites accepiſſent. Qvo è loco patet, propriè ad populum pertinere *congiarium*, cùm militi, qvod præſtabatur, *donativum* dictum fuerit. Svetonius in Nerone c. VII. „ Deductus in forum „ Tiro populo congiarium, militi donativum „ propoſuit. Adde Capitolin. in Pio c. VIII. Tomô I. Hiſtoriæ Aæ Scriptor „Congiarium po„ pulo dedit. militibus donativum addidit. Noſter Budæus Adnotat. in Pandect. p. m. 67. b. edit. Venetæ M. D. XXXIV. in 8r. „ Donativum „ largitio eſt Imperatoris in milites, id eſt „ λαμπρὰ ἐπίδοσις, qvæ eadem in populum „ facta congiarium dicitur Idem noſter III. de Aſſe p. m. 250. edit Colonienſ M. D. XXVIII. in 8r. multis explicat locum Tranqvilli in Auguſt. c. XLI. „ Congiaria populo freqventer dedit, „ ſed diverſæ ferè ſummæ. qvi videatur. Aliqvando tamen hæc vocabula confunduntur auctoribus. Curtius VI. II 10 „ Sex & viginti millia „ talentûm proximâ prædâ redacta erant: è „ qveis duodecim millia in congiarium militum „ abſumta ſunt. Ubi *congiarium* pro donativo poſitum eſſe nemo non videt. Qvinctil. VI. Inſtitut. Orator. c III *Congiarii vocem communem & menſuræ & liberalitatis*, ſcribit. De *congiario* *cado* Plinii, librô & c. XIV vide rurſus in libro V. de Aſſe Budæum noſtrum p. m. 476. L.

imprimis præmia virtutis eſſe deberent, animorumqve jacentium propter fortunæ iniqvitatem, ſuſcitabula, atqve intermortuæ eorum contentionis. [8] Niſi etiam non pudendum eſt fronti publicæ, qvòd longè lateqve pauperies in eorum patrimoniis conſpicua eſt, qvi liberaliſſima ſtudia atqve jam olim nobiliſſima, negociatoris ſtudiis & qvæſtoriis anteferenda duxerunt: qvò nihil nec acerbius doctæ ac facundæ ſenectuti poteſt eſſe, nec invidioſius calliologiæ, apud ingenioſiſſimum qvemqve hominum jam mirè gratioſæ. [9] Hæc igitur animo mihi verſanti, Principes ſvaviſſimi (à natalibus ipſi ac generis faſtigio non magis illuſtriſſimi, qvàm generoſiſſimi ab ingeniis præcellentibus, voluntatumqve indole eximia) cupido inceſſit haud ita pridem, periclitandæ voluntatis regiæ. [10] Hanc enim ego numinis inſtar eſſe exiſtimabam, ád diſpellendam illam (ut ita dicam) nubem hallucinationis publicæ, qvæ certam Philologorum nationi calamitatem importatura videbatur, niſi obviam mox iretur. [11] Operæ autem precium non mediocre facturum me putabam, ſi Deô benè juvante, parentis veſtri majeſtatem cum benignitate nobis nota, litterarum bonarum nomini, præſentes, propitias ac faventes redderem. [12] Id qvod facere me poſſe eô ſperare faciliùs & confidere cœpi, qvòd uberrimâ naturæ dote præditum ipſum eſſe noveram, atqve beatiſſimâ. ſimul eruditionis germanæ & antiqvæ admiratione non vulgari, qvaſi naturæ ſponte magiſterióqve imbutum. [13] Qvô nomine cùm apud ipſum in opinionem non qvamlibet pridem ipſe veniſſem, inſinuantis demum famæ, nec etiam cujuſqvam hominis ſuffragiô, qvod mihi qvidem ipſe vel preciô vel prece comparaviſſem, perſonam aliqvando mihi patroni in univerſum ordinis litterarii, aſſumendam eſſe duxi. [14] Id verò meâ cauſſâ facere minimè inſtitueram, ut qvi jam mihi qvidqvam amplius ſperare deſiiſſem, non modò flagitare: cùm aliâs, tùm ob ætatem jam affectam, & vitæ conditionem, ſpei ejuſcemodi vacationem jam habentem. [15] Aliorum verò commodis ſpeiqve proſpiciebam, qviqve in medio curſu ſunt, qviqve in poſterum in ſpacium nobis qvoqvô modô decurſum, ingreſſuri ſunt, ſimul qvi nuper egreſſi ſunt è carceribus. [16] Qvod ſi litterarum natalem inſtaurativum (qvi in id tempus in Francia incurrit, qvô tempore parens veſter Regum Illuſtriſſimus, auctus eſt tantô diademate) benignitas afflaverit, qvam ſperamus, ſideris natalitii (qvod non ſine lætis ominibus mihi ipſe omnibusqve ſpondeo) doctorum utiqve jam centuriæ ex qvinta (qvod ajunt) claſſe in primam ſecundamqve tranſcribentur, duntaxat ſui qvæqve ordinis & generis. [17] Id porro ne fruſtra, ne de nihilo, ne temerariis de cauſſis ſperare ariolariqve videamur, regii adhuc favoris præjudicia habemus nec pauca nec contemnenda: qvædam etiam clariſſima, non ex tempore effuſa, non in labris, non inter buccas nata, nec verò qvæ ore ipſi Regi excidiſſe videantur alias res agenti: ſed qvæ initâ (ut ajunt) ſubductâqve ratione, non in occulto, non obſcurè, ſed palàm, ut ipſi ſcimus, & tanqvàm pro ſolio regali pronunciata. [18] Atqvi regiæ non modò ſententiæ, ſed etiam opinionis tanta eſt auctoritas apud Francos, qvanta uſqvam maxima eſſe poteſt gentium. tanta vis ad incitanda ſtu-

dia

dia vel inhibenda, eò ut vergant ſtatim omnia & ferantur, qvò ſenſus ejus & voluntas propendere noſcuntur. id adeò regiorum ut oculorum circumactu ſcena (ut ſic dicam) ipſa reipublicæ, theatrumqve totum communis prudentiæ, cum orcheſtra, cum ordinibus, cum cavea deniqve cuneisqve verſetur. 19 Qvòd ſi in hac fatali inclinatione animorum qvæ hôc principatu extitit, privata fortè noſtra ratio hactenus implicita eſſet, ut ordo litteratorum apud eum adjutus & ſublevatus meô patrociniô & ſuffragatu, ſuâ deinde vi in priſcum honoris gradum opinionisqve reponeretur: id mihi non minus amplum apud noſtros, tàm commemorandum in præſens & in poſterum, fore exiſtimabam, qvàm ſi ordo ipſe Philologorum, aurum (ut dicitur) coronarium, ad ſtatuam mihi contuliſſet in Athæneo collocandam. 20 Hujuſce autem generis argumentum, tantummodò inchoatum, cùm epulante more ſuô Rege, ſerii ſatis acroamatis vicem, gravisqve ſermonis non ſemel præbuiſſet: me primas ſemper agente: idqve ad primores aulæ atqve interius miniſterium, non frigere adnotaviſſem: periclitandum tandem audentius eſſe duxi, gnaviterqve tentandum, ecqvid profici hâc ratione poſſet à nobis in commune. 21 Ad qvod ſanè feriatis auribus Principis opus erat, magnaqve & multâ tranqvillitate ab interpellationibus. 22 At verò qvoniam ea res non tam conſilii eſſe ſolet atqve providentiæ (ut qvidem ſunt aulæ commercia) qvàm fortis fortunæ muneris, atqve occaſionis ex tempore arripiendæ: id demùm memineram in nobis ſitum eſſe, appoſitiſſimè ut exciperemus qvod inde oblatum foret articulo temporis imminentibus. 23 Expectata igitur ſæpenumerò oportunitas, cùm ſe mihi qvôdam die ſiſtere ex animi ſententia viſa eſſet, vacuasqve aureis regias & attentas ad cauſam attuliſſe: ilicet è re nata exorſus, eò ſtatim ſermonem ipſi detorſi, qvò cauſa ipſa poſcebat: effeciqve protinus, Rex ut audire ipſe cauſas non abnueret, 24 qvamobrem cùm litteris bonis iniqvè in Francia & præpoſterè actum eſſe ad eum diem videretur: tumqve (ut opinor) docui, communem ſenſum Franciæ, in reddendo jure diſtributivo litem ſuam hactenus feciſſe fœdiſſimè. 25 In eo autem ſermone cauſam ego egi Philologiæ, tanqvàm ad me delatam, qvam olim ipſam meam propemodùm unius aut paucorum, nunc plurimorum communem, non minus jure expoſtulantem induxi, qvàm jus æqvumqve poſtulantem, qvàm potui enixiſſimè atqve fideliſſimè. Ceterum ſpem omnem obtinendi juris ſui ponentem in imploranda fide Principis, optimi veſtri parentis: obſecrantem etiam numina benignitatis regiæ ſummæqve æqvitatis. iis enim præſentiſſimis opus erat atqve faventiſſimis litterarum elegantium nomini germanæqve eruditionis aſſertoribus. 26 Verumenimverò ejus ſermonis ſeriem & contextum illuſtriſſimi Principes, cùm librariorum officinis permittere ſtatuiſſem: vobis herilibus filiis naturâ germanis, ingeniorum exoſculandorem ſimilitudine fratribus, ad litteras condiſcendas concordiâ & facilitate geminis, chariſſimisqve ipſius Regis ſecundum Cæſarem noſtratem pignoribus, ideo dicandum eſſe duxi: qvod magnoperè & promovere incœptum noſtrum poſ-

ſunt,& ſecundare veſtræ apud ipſum ſuffragatiunculæ. Iis enim gratius utiqve nihil, nihil iiſdem jucundius eſſe poteſt indulgentiſſimo patri, eidemqve Principi. 27 Ad qvod libentibus ut animis propenſisqve accingamini, oro vos atqve obteſtor per eam claritatem gloriamqve nominis, qvæ vos olim ob litterarum ſtudium ſupra cetera manet. 28 Qvarum vos cauſſam ſuperiorem facturi eſtis proculdubio, ſi nobis eam actitantibus, cum advocationis veſtræ gratia & adſtipulationis affueritis atqve defenſioni litterarum propenſè ipſi ſubſcripſeritis. 29 Qvippe qvibus mox ipſis, utprimum adultior ætatula ſe protulerit, magnarum rerum auſpicia aut rata facere, aut dirimere ejuſdem Principis ac parentis indulgentiâ dabitur. 30 Tametſi verò ipſe à Regis colloqvio repulſô vultu nunqvàm diſceſſi, duntaxat cùm mihi rem gererem: horum tamen poſtulatorum fiduciam, tum in ejus benignitate, ut dixi, tum in interventu veſtro gratioſiſſimo apud ipſum, æqvam propè partem ſitam eſſe duximus. 31 Vos autem cùm dico, Regis regniqve delitias dicere me ſentio. Qvos duos (ut ita dicam) ſtolones, liliatâ ſtirpe enatos, brevi futuros viviradices ſperamus, in partemqve transferendos capeſſendæ reipublicæ, cum florentiſſimo Delphinate germano veſtro, ætatem jam ineunte. 32 Vosqve veluti Dioſcuros videre mihi videor, ſervatores olim futuros rei litterariæ, emerſæ ab diuturno naufragio: utpote qvibus exemplô apud nos inauditô contigerit vel longiſſimô certè intervallô relatô, elegantis & juſtæ doctrinæ incunabula & elementa diſcere, præceptore ſub doctiſſimo, idqve in ætatula patri ſvavianda. 33 Qvam ob cauſſam cùm in vobis puræ adhuc parmæ principibus, indolem fermè tantùm ſuſpicere & admirari, eamqve ob cauſſam nobis gratulari, litterisqve poſſimus: ac naturæ præſtantiam prædicare, ne paternæ qvidem fortaſſè conceſſuram: qvô nihil majus dicere poſſum: præſciſcere tamen & prædicere virtutem poſthàc ſeſe prolaturam juvat, orisqve dignitatem agnoſcere ante annos pubeſcentem, æmulam qvoqve ipſam paternæ ac ſimillimam. 34 Fuit autem ejus ſermonis ſumma in eam propè ſententiam, qvam ſubjiciam, qvantum qvidem complecti memoriâ potui. 35 Verumenimverò cùm ego alacri admodum animô laboremqve non ſentiente ſcriberem: id demum mihi moleſtum fuit, qvod rem ipſam nudam ac meram, qvaſiqve mimum qvemdam aſſum ſine actionis condimento, prodere me ſentiebam. 36 Qvòd ſi in rem præſentem homines ſtylô perducere potuiſſem, libentius nihil hilariusqve feciſſem, qvàm ut oris primùm regii dignitatem, deinde audiendi viciſſim loqvendiqve benignitatem, deniqve civilem in principali ſermone urbanitatem & comitatem, elocutionis pigmentis coloribusqve adumbrarem, qvandoqvidem verbis tantùm puris exprimi illa neqveunt. 37 Hæc ſunt qvæ mihi fiduciam diſſerendi, & verò libertatem cum Hero diſceptandi, non Decembrem modò, ut ait Horatius, & Saturnalitiam: ſed etiam perennem, omniumqve horarum penè dederunt, tanqvam perpetuis in liberalibus agenti, cùm de ſtudiis litterisqve ingenuis ſermo apud eum excitatus eſt. 38 Qvidnam autem, dicebat ille qvondam Rhodius de Demoſthene, ſi truculentam ipſam feram audiviſſetis? Qvid autem

autem lectores de eo, qvod ſcripſi, ſi facundiam, ſi humanitatem, ſi candorem regium decenter & cum dignitate veluti morigerum oculis & auribus haurire contigiſſet ipſis? 39 Sed jam ad rem ipſam veniendum eſt, cujus fuit exordium hujuſcemodi.

DE PHILOLOGIA

LIBER PRIOR.

1 ENIMVERO, Here, vereri mihi ſæpe ſubiit, ne ſtudioſior ipſe fuiſſe ſapientiæ viderer, qvàm prudentiæ, idqve hominum ſermone agitatum in cavillationem vertiſſet. 2 Qvam id tandem ob cauſſam (Rex inqvit) Budæe, aut qvî fieri poteſt? nonne ſapientia, veri, honeſti, & utilis cognitionem complectitur. ut, qvi horum cauſſas & rationes tenet, eaqve ita conſectetur ut homini expetenda, is ſapiens haud dubiè prudensqve meritò dici atqve exiſtimari debeat? Certè qvidem ego ſic ſemper arbitratus ſum. 3 Eſt ita (inqvam) ut dicis Here, ſicqve ſæpenumerò auctores magni locuti ſunt, ſcriptoresqve nobiliſſimi: Græci præſertim, Sapientiam ut appellarent * artium liberalium conſummatam

* *Artium liberalium*] At & artificibus magnum illud ac auguſtum uſus Sapientiæ nomen apud Græcos conceſſit; qvod non Principes tantùm Poëtarum Homerus atqve Heſiodus teſtantur, qvorum alter fabrum, alter Linum citharœdum, ac nautam qvoqve ſapientiæ encomiô ornat; ſed etiam præſtantiſſimus Philoſophorum Ariſtoteles firmat, primo de Moribus, capite VII. Τὴν δὲ σοφίαν *Sapientiam autem*, inqvit, „ in artibus attribuere illis conſvevimus, qvi ab„ ſolutiſſimi in ipſis ſunt: unde Phidiam ſapien„ tem marmorarium, Polycletum ſtatuarium ſa„ pientem dicimus, nihil aliud hic ſapientiæ no„ mine, qvàm artis ipſius virtutem ſignificantes. Atqve idem nos docet Nicomachus Geraſenus, 1. Arithmet. omnes promiſcuè; ante Pythagoram, vocatos communi nomine ſapientes fuiſſe obſervans, etiam architectos, & coriarios, & gubernatores, & qvicunqve ſcirent artem aliqvam, aut populare opificium. Itaqve vocem interpretatus rectè Heſychius: σοφία, πᾶσα τέχνη ϗ ἐπιστήμη. *Sapientia*, ait, *ars quæcunqve atqve ſcientia*. Qvanqvam ſapientiores judicaverint eos, qvi cauſſas rerum extruendarum perſpicerent, qvàm operarios, qvi manibus laborarent. Sic enim in Metaphyſicis ea de re denuò Ariſtoteles, lib. I. c 1. „ EOS, qvi artem tenent qvàm „ eos, qvi experientiam habent, σοφωτέρους, „ ſapientiores eſſe putamus, eò qvòd ſapientia „ propter ſcientiam magis omnes ſeqvitur. Hoc „ autem qvoniam illi qvidem ſciunt cauſſam, hi „ verò minimè. Experti etenim ſciunt qvidem „ qvod eſt; propter qvid autem neſciunt: illi „ verò propter qvid, & cauſſam cognoſcunt. „ Qvare & eos qvi in qvaqve re architecti ſunt, „ honorabiliores, & doctiores, ac eis, qvi ma„ nibus operantur, ſapientiores putamus, qvo„ niam cauſſas eorum, qvæ fiunt, ſciunt: illi „ verò, ſicut & qvædam inanimata, faciunt qvi„ dem, ſed neſcientia faciunt ea, qvæ faciunt, „ ut ignis comburit: ſed inanimata naturâ qvâ„ dam horum ſingula faciunt, manibus laboran„ tes propter conſvetudinem. Tanqvam ſapien„ tiores ſint, non prout activi ſunt, ſed prout „ rationem habent, cauſſaſqve cognoſcunt.

tam cognitionem. [4] Prudentiam † etiam Plato, hoc eſt phroneſim, pro ſcientia ſæpe accepit, & nos eam ob cauſſam qvoſdam juris eſſe prudentes dicimus & appellamus: hancqve eſſe ajunt mentis & intellectus exactam qvamdam conſtitutionem & abſolutam. [5] Verùm ſapientia propriè virtus eſt contemplatrix rerum ſempiternarum, atqve earum, qvæ ſemper eôdem modô ſe habentes, ** non admittunt mutationem. Cùm interim prudentia in iis percipiendis occupata ſit, qvæ mutabilia qvidem ipſa, ſed tamen ad humanam vitam agendam conducibilia eſſe manifeſtum eſt, duntaxat ut eſt comparata jure gentium vita. [6] Ac tametſi ſapientia cum nominis majeſtate, tum re etiam ipſa dignior ſit prudentia, nam digniora excelſioraqve contemplatur, hominibus tamen utilior eſt commodiorqve prudentia. [7] Et qvùm omnes qvidem fermè virtutes actuoſæ ſint, omnium ipſa actionum prudentia à virtute manantium, qvædam eſt velut architectura. [8] Nam & Anaxagoras & Thales & ceteri, qvi ſapientes olim appellati ſunt, ſapientes qvidem reverà, non etiam prudentes fuerunt, inqvit Ariſtoteles. [9] Ut enim ſcientiam habuerint rerum eximiarum & mirabilium & divinarum, ut fertur, nullius tamen uſûs illis ea fuit ſcientia: cùm humanorum bonorum rationem vitæqve conducibilium ipſi ignoraverint. [10] Qvippe ut medicina valitudinis, navigationis gubernatio: ſic vivendi ars eſt prudentia, ut inqvit Marcus Tullius (*a*). [11] Vereri igitur, Here, non ab re mihi videor, ne ii, qvi me omne pene tempus ætatis florentiſſimæ, omnemqve animi qvaliſcunqve contentionem, in hiſce literis conſumpſiſſe viderint aut meminerint, haud commodè memetipſum de me meaqve familia meritum eſſe, ridiculè dictitent & cavillentur. [12] Certè qvidem nulla major eſſe poteſt aut damnoſior inſcientia qvàm vitæ, rectè, commodè, atqve ordine conſtituendæ. [13] Ita hæc, qvam, gravi nomine ac ſpecioſô vocamus philoſophiam, qvaſi ſtudium ſapientiæ, qvod rerum utiqve humanarum intelligentiam divinarumqve conſectatur, & præfert, ſapientiæ qvidem titulum ſibi tueri poteſt, non item prudentiæ, niſi hominibus unà qvoqve id præſtet, unde conditionem qviſqve ſuam uberio-

† *Prudentiam pro Scientia accepit.* Sic & elegantiſſimus Nepos V. II. 1. ſumit. *Habebat* Cimon *magnam prudentiam cùm juris civilis, tum rei militaris.* Inde & *prudens* idem qvod ſciens ſæpe. Idem Nepos Cornel IX. 1 2. 3, Prudens rei „ militaris & diligens erat Imperator. Curtius VII. I. 4. „ Satis prudens, Otii vitia negotiô diſ „ cuti. Id eſt, intelligens, ſciens. exponente ita doctiſſ. Pitiſcô amicô noſtrô. Sic & Tacit. II. Hiſt. XXV. 1. „ Celſus doli prudens, repreſſit „ ſuos. Non rarò conjunguntur *prudens* & *ſciens.* Sveton. Neron. c II. „ Qvi id ſibi prudens ac „ ſciens minus noxium temperaſſet. Cicero lib VI. Fam. Ep VI. „ Sic ego prudens & ſciens ad „ peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Terent. Eun. I. I. 27.

---- „ Et prudens, ſciens,

„ Vivus vidensqve pereo ---

Ubi Donatus hæc duo ita diſtingvit: ut *prudens* dicatur, qvi intelligentiâ ſuâ aliqvid ſentit; *ſciens*, qvi judiciô alterius rem *cognoſcit*. Qvamvis, autem *Sapientia* & *Prudentia* differant, qvo de diſcrimine Ariſtoteles in Ethicis docuit: tamen, ut perſpicuum ex Exemplis eſt, non rarò confunduntur, & pro altero alterum ponitur. Cicero pro Marcell c. II. „ Nunqvam temeritas cum „ ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium ca„ ſus admittitur. Ubi *ſapientia* pro *prudentia* eſt.

** Sapientem eum adpellat Janus Nicius Erythræus Pinacotheca II. n. XLI p. m. 135 qvi totam Spem ſuam in ſe poſitam habeat, qvi nihil à rebus externis, nihil ex errore imperitæ multitudinis, pendeat.

(*a*). V. de Finib. c. VI.

berioremfacere ampliorem ve poſſit : qvem ferè finem eſſe videmus omnium more hominum viventium. 14 Qvis verò nunc non novit & exprobrantis more ſæpe memorat, (b) qvàm exiguè, qvàm diſpendioſè, qvàm exiliter, qvàm obſcurè deniqve, & penè dixerim calamitoſè, cum iis agatur hominibus, qvàm voles ingenioſis, qvi in hoc ſtudio paullò vehementius diutiusqve detinentur. 15 Proindè, ut docti eſſe dicantur, & viri probi: (harum enim laudum copiam homines qvoqve aliàs tenaces & præparci, facile iis largiuntur) parum tamen frugi vulgò exiſtimantur, ut parciſſimè loqvar. 16 Qvin & nonnulli ad rem paullò avidiorum, ad agnatos eos (ut dicitur) & gentiles deducendos eſſe cenſent, qvi aridas iſtas & jejunas artes inſani ſtudiò inaniqve proſeqvantur. 17 Qvippe qvi ſapientiæ pollicitationibus & feſtivitate nominis capti, in rei familiaris incuria interim acqvieſcant: atqve adventantem egeſtatem, obrepentemqve aſſeclam ejus ignominiam, non provideant, cùm etiam alioqvi nihil hebetius atqve contemptius iiſdem ipſis eſſe

(b) *Qvàm exiguè*] Qvandoqvidem nullum ferè unqvam fuit tempus, qvo magis litterarum ſtudia viluerint, nec, qvò majore viri doctrinâ & eruditione clariſſimi ludibrio ſint habiti, ac virtutis præmia largiùs imperitis hominibus reddita; qvamqvàm hæc non tam eſt virorum Principum ac Procerum culpa, qvàm ſemper adverſæ, litteratorum nationi, fortunæ: placet hic repetere ea qvæ non ita pridem apud Janum Nicium Erythræum legi ſatis elegantem Scriptorem, cujus in p. 136. ſ. n. XLII. Pinacothecæ II. iſta ſunt. „ Qvonam fatô fieri dicam, ut tam iniqvô
„ jure, literarum ſtudia ſint, neſcio: qvæ cùm
„ ob inſignem illorum præſtantiam excellentiam-
„ qve, cariora ac gratioſiora, qvàm cetera o-
„ mnia, eſſe deberent. Ita tamen eorum æſti-
„ matio, fere apud omnes, concidit, ut vix
„ precium inveniant. Qvod ſi qvis fortaſſè ſum-
„ mus in aliqva maximarum rerum ſcientia, à
„ viro qvopiam principe, ambitionis aut popu-
„ laris auræ cauſâ, tectò excipiatur, non ille
„ honeſtius, aut nitidius in victu habetur inter-
„ dum qvam mediaſtinus qvivis, vel qvi latri-
„ nam illi ac matulam lavat. cùm contra eunu-
„ chis, qvos cincinnatos ac meretricularum in
„ morem comtos ad excitandum voculæ ſvavi-
„ tate laſciviſſimiſqve cantiunculis, dormien-
„ tem langventemqve libidinem, habet, vel convi-
„ viorum magiſtris, aliiſqve novarum gutturis
„ ac ventris voluptatum architectis, nummos
„ modio metiatur, ac Liberi florem, & unctiu-
„ ſcula obſonia, qvotidie in prandium ac cœnam
„ affatim præbeat. Atqve eſſet optandum, ut
„ doctrinis expoliti homines, eodem apud iſtos,
„ qvos vulgus beatos appellat, honoris atqve
„ exiſtimationis loco ac numero eſſent, qvô ii,
„ qvi eqvos ipſis alunt, ac ſtrigilibus ſtringunt ac
„ poliunt. nam iſti ſæpius à dominis accerſuntur,
„ in colloqvium evocantur, rogantur, num in
„ ſtabulo ſalvæ res ſint, ut valeant eqvi qvos in-
„ gentibus mercati ſunt preciis, ut pingves, ut
„ nitidi ſint. at miſeri illi, tanqvam ſi eos, qvi
„ devorat omnia Orcus exſorbuerit, evulſi ab
„ illorum memoria, jacent, nunqvam ad collo-
„ qvium, nunqvam ad rem aliqvam, niſi neceſ-
„ ſitas cogat, admittuntur. Verum, id fortaſſe,
„ (qvod nemo tamen vir cordatus ac prudens de-
„ derit,) ſed id, inqvam, ferendum videretur,
„ in literatis illis, qvos mendicitas premit, qvod
„ magnas omnibus diis eos æqvum eſſet gratias
„ habere, ſi ſuppetat, unde, parce ſaltem ac du-
„ riter, vitam poſſint exigere, neqve cogantur,
„ in triviis ac plateis, inopia atqve egeſtate enecti,
„ animam exhalare. ſed id etiam magni Princi-
„ pes conari nonnunqvam audent in iis, qvibus
„ nihil deeſt, immo, qvibus eſt domi, unde in
„ omnium rerum abundantia vivant, qvos, ut
„ ſe, apud imperitam hominum multitudinem,
„ literarum cupidos probent, atqve ut, ex ex-
„ cellentium hominum doctrina ſibi famam ac
„ domui ſuæ ſplendorem arceſſant, magna ſpe,
„ magniſqve ad ſe pollicitationibus advocant, ac
„ venire compellunt; ſed cum venerint, nihilo
„ eos honeſtius ac liberalius tractant, qvam ſi
„ obſcuro orti loco, vel potius ſi mendicabula
„ hominum eſſent. Ut olim in excellentis doctrinæ viro Paullo Manutio Romam evocato uſu venit, qvem in ea re Cratonem eleganti ſſima conqverentem epiſtola vide apud Morhofium primum illam evulgantem in primi ſine libri Polyhiſtoris Litterarii p. 319.

artibus videatur, qvæ nec roſtratæ, nec ungvibus formidoloſæ (ut ajunt) propulſare foramen neqveant, iniuriamqve cum opus eſt, aut arcere, aut inferre. 18 Unde fit ut homines frugi, id eſt rei augendæ prudentes & ſtudioſi, muſarum commerciô interdicere libris ſuis alumniſqve ſoleant, ut patrimoniis exitiali & cenſibus tabifico. 19 Tabifico autem? Rex inqvit. Qvid hoc tandem verbi eſt Budæe? vide ne temetipſum fortè religione ad populum eruditum, piaculoqve alligâris, qvi litteras tantoperè jam celebres & expetitas, ut noxam nocentes crimineris. Mihi enim qvodammodò vidêre Minervam ipſam, etſi alienis verbis, conviciô tamen affeciſſe, ut impoſtricem & maleficam. 20 Atqvi, inqvam, Here, propitium mihi numen ejus divæ imprimis ſemper eſſe optavi, nec habeo, qvod ei privatim ſuccenſeam, niſi qvòd me ſupra modum affeciſſe philtris ſuis, & ſirenibus miris pellexiſſe dicitur, id qvod non tam mihi vitio, qvàm illi crimini ab hominibus, me reclamante verſum eſt. 21 Et qvidem qvando nunc feriatas aureis tuas, Here, & propenſas huic ſermoni nactus ſum (ut opinor) non ab re id, nec injucundum fortaſſe majeſtati tuæ futurum eſt, ſi à carceribus (ut ita dicam) commemorare ſtudiorum meorum curſum progreſſumqve ad hunc diem, cœpero, qvi mihi cumqve exitus eorum futurus eſt. Id qvod ſi per tuam mihi notam nobilemqve adeo humanitatem perorare licuerit, eoqve tute animum iſtum tantiſper adverteris, inde jam utiqve exemplum ſtatuetur, unde juvenes ingeniô præditi, conſilium ſumere debeant tanqvàm in viarum divortio exiſtentes, aut ſapienter vitam aut prudenter inſtituendi. Ejus enim conſilii examinandi capiendiqve momenta, ſic è regia pendere ſententia, qvaſi è libra lances, homini dubium eſt jam nemini. 22 Qvônam autem pactô (Rex inqvit) rectè nos cenſere iis de artibus poſſumus, qvas nunqvam coluimus? 23 Utinam (inqvam) Here, tam id velis qvam potes. Nam qvod in omni artificio inſtitutoqve civili ſemper valuit, tanti ut unumqvodqve eſſet, qvanti à regibus vel qvibuslibet æſtimaretur, in hoc qvoqve ſtudio non dubiè, in iſtaqve præcipuè majeſtate valebit. 24 Proinde in eo ſum, ut qvùm ærumnas permultas diſcendi cupiditate ſuſceperim, diuqve pertulerim, haud dum tamen ſtatuere poſſim, prudenter an ſecus ſtudiorum meorum rationem comparaverim: niſi ſententiæ regiæ calculus rationi à me initæ acceſſerit & ſubſcripſerit, qvaſi conſilii mei propoſitiqve ornamentum, operæqve litteris à me navatæ, ab aliiſqve adeò navandæ, clara (ut ita dicam) & memorabilis indicatio. 25 Id verò ſi mihi (ut ſpero) contigerit, æqvis, iniqvis, majoribus, æqvalibus, hujus deniqve temporis hominibus & poſteris, illico perſvaſero, non prudenter modò me & frugaliter, ſed etiam feliciter & auſpicatò vitæ inſtituendæ conſilium cepiſſe. 26 Tametſi certô qvôdam conſiliô (ut ingenuè loqvar) ad id ſtudium me contuliſſe affirmare non tàm auſim, qvàm fateri non pudet, rem eam fati fuiſſe ſideriſqve mei natalitii, qvi nullum ejus inſtituti (c) exemplum nec vidiſſe tunc vernaculum, nec meminiſſe poſſem: ne translatitium qvidem externumqve ſeqverer, qvippe qvi (d) tridui nunqvam aut qvatridui ab incunabulis meis digreſſus eſſem. 27 Memini verò, Here,

qvum ante aliqvot annos neſcio qvid hujuſce ſeu conſilii ſeu eventus & fortis coram te commemorarem, tuqve admirantis ſpeciem vultumqve præ te ferres [eram enim recens in aulam mandatô tuô litteriſqvè accitus, famaqve tantum tibi, aut ſermunculis hominum notus.] 28 Verùm memini adeſſe tum forte in eo ſermone, qvi ſuper menſam itidem tuam, vel à menſis protinùs ultimis habitus eſt, virum mihi & municipii jure & neceſſitudine qvâdam conjunctum, nunc primario in magiſtratu urbano conſtitutum, tunc in aula fungentem honoratiſſimô munere. 29 Is igitur admirantis ſimilem te intuens, Atqvi (inqvit, Here, cùm Budæus è regione ædium mearum plus decennium jam habitârit (tum autem ego vicinus illi eram magiſtratui) nunqvam vidiſſe eum memini, non feſtô, non profeſtô, in limine domus, ut aſſolent noſtrates, ociantem: nunqvam horis pomeridianis circulantem, aut viatores & prætereuntes circumſpectantem: nunqvam deniqve tempuſculum animi cauſâ conterentem & tranſmittentem. 30 Tum alia addidit nonnulla, novi qvidem illa & rariſſimi exempli, ſed in viro jampridem & parente, omnino inuſitati: addo etiam publicô munere præditô, & cetera civili more vivente. 31 Qvæ cùm ille dixiſſet, ibi tu ad me converſus leniter, & tanqvàm expectatione ſuſpenſus: cùm & ſciſcitari ex me aſpectu tuô placidô viderêre, ecqvid ille vera prolocutus eſſet, & ſermonem (ut fit) longiorem qværere? 32 Sanè (inqvam), Here, ſunt ut dixit ipſe, vera. & iis vera ego alia majora perdiu facere perſeveravi, qvæ foràs non prodierunt: & qvæ, ſi prodita eſſent, fidem (ut opinor) non invenirent. 33 Sed omnia majorem in modum facere, atqve etiam maximum mihi neceſſe erat, homini nec ingeniô felici prædito, & qvi in adoleſcen-

(c) *Nullum ejus inſtituti exemplum*] E recentioribus Cujacio in Juriſprudentia, Budæo in humanioribus litteris. Mureto in arte Oratoria; at qvibus viris ! ſummam ſine Præceptoris opera perfectionem obtigiſſe, referente in Diſſertatione de Studio liberali Gabriele Naudæô, miraculo propius eſt. Vide Morhof. 1 Polyhiſtor. Litterar. c I. p. 6 & Vivem locô ſub initium hujus operis productô.

(d) *Tridui nunqvam*] Ubi naſcimur, ibi denaſcimur dicebant olim Veteres: nunc nemo non orbem terrarum perreptat emendicandæ ſapientiæ gratiâ, tanqvàm rem omnium ſummè neceſſariam. locorum qvaſi circulis rerum natura circumſcripſiſſet, è qvibus ſe expedire non poſſet, ut *Scarabæus apud Olynthum in Thraciâ*, cui à loco *Cantharolethrus* nomen eſt.

Felix, qvi patriis ævum tranſegit in arvis,
una domus puerum qvem videt, una ſenem.

Claudian. in epigr.

Nam iſta „locorum crebra mutatio qvid aliud eſt, „ qvàm febrientium voluptatula, qvæ morbos animi tantùm abeſt, ut curet, ut magis exaſperare ſoleat. „ Proprium ægri eſt, diu pati nihil, „ & mutationibus ut remediis uti. Seneca de Tranqvill. animi. c. II. Nam hodiè ambulatores nonne ſæpius locum mutant, qvàm ingenium; & ſi hoc aliqvando, ſemper in deterius. Credas eos ad ſcamma neqvitiæ progreſſos id unum ſeriò egiſſe, ut, qvemadmodum medicorum cucurbitulæ, nihil niſi damnatos ab ipſis iis populis, qvos æmulantur, humores imbiberent. Hinc enim orti ſunt

-- fracti enervi corpore greſſus.
& laxi crines, & tot nova nomina veſtis,
quæque virum quærunt. Petron. Satyric.

Qvi ſpatiant hanc optimè adornaſſe videntur,
„ Sarcula hinc profecti redierunt rutra.

Socrates qverenti cuidam, qvod nihil ſibi peregrinationes profuiſſent, *non immeritò*, inqvit, *tecum enim peregrinabaris.* Seneca ep. CIV Germani noſtri id feſtiviter.

Qvisqvis ab æde ſuâ patriâ volat improbus anſer,
Ille domum rediens anſer ut ante manet.

Brant. in navi ſtultifera.

leſcentiæ clauſula, non dico diſcipulus, ſed tantum tirunculus hujus ſtudii eſſe cœpiſſem, & verò gentilis illius Ariſtippi qvi Metrodiđatus appellatus eſt. deniqve à memetipſo omnia mutuarer: ſiqvidem nullus erat, undè rogare poſſem. 34 Hæc autem magna ex parte patris mei obitum conſecuta ſunt. Qvem cùm indulgentem ipſum principiò nactus eſſem & benignè ſuppeditantem, tametſi tres me fratres ætate anteirent, qvatuor ſubſeqverentur (erat enim ut temporibus illis, ſatis amplè prædiatus, & ſtipendiis munerum publicorum claſſicè conſtitutas habebat facultates) poſt aliqvot annos ſenſim favere ſtudiis meis deſtitit. 35 Namqve is, ut me ſenſit cuncta juventutis ſtudia, omnia ludicra atqve ſeria, qvibus anteà flagraveram, litterarum ſtudio planè poſthabere conſtituiſſe, ferventisqve ab ætate & natura animi contentionem ad ſolam Philologiam detuliſſe, qvam ſine rivali perditè amare me tunc abſurdum videbatur, fortunisqve meis & fortunæ calamitoſum futurum. 36 Igitur ſimul ut, qvem impetum cepiſſem, animadvertit, homo tum ſeptuagenario jam proximus, cuiqve ægrâ valetudine aſſiduè ab anno qvinqvageſimo laborare contigiſſet, ob idqve medicinæ ſtudioſus experiensqve evaſiſſet, revocare me & retrahere inſtitit tanqvam vehementiorem in modum incitatum, & jamjam præcipitaturum in exitium. 37 Itaqve ſvadere, monere, diſtinere in diverſa me parte, imperatisqve operis aliis ſuper alias avocare. 38 Id verò ejus commentum non mihi minuere laborem & induſtriam, ſed geminare cœpit. cùm ego nihil mihi deperire temporis litteris deſtinati ſinerem, qvin tantundem lucubratione & vigiliis exactè rependerem. 39 Tandem autem, qvùm ipſe tum indulgenter, tùm, pro ſuo jure mecum agendo perficere non potuiſſet, ut temperatius id, qvod agebam, agerem, atqve ex aliorum more (mihi enim nunqvam ſic temperare potui, qvin ultra ſtadii ſulcum, ut eſt in proverbio Græcorum, jam tum aſſilire geſtirem) tùm deniqve ille offenſiore jam animô fremere, indignari, non obſcuriſſimè ferre deniqve, me unum habere ſe deploratæ ſpei filium, in qvo tamen non qvamlibet olim ſpem collocâſſet ſubſidii familiaris & imaginum gentis. 40 Erat enim jam olim multis honoribus publicisqve muneribus, iiſdemqve perpetuis ornatus indulgentiâ Regum: qvos etiam avus meus geſſerat. 41 Harum autem perſonarum civilium, cùm mihi unam (ut fit) veniâ Regis impetratâ induiſſet: qvaſi eô auctoramentô abduci à litterarum ſtudio poſſem, & ad majoris ornamenti ſpem erigi: ſenſit ſe non hominem, ſed ſtatuam (ut dicitur) eô factô titillâſſe. 42 Id igitur & ſupradicta qvum infenſiùs aliqvando, qvaſi in Litterarum amorem proloqveretur, non miſereſcere tamen eum ſortis meæ, ut fatalis, non poterat, qvòd diceret, inſani me ſtudii fructum geminum non dubiè laturum, patrimonii qvaliſcunqve luculentam tabem, corporisqve perennem infirmitatem, aliàs non inféliciter conſtituti. 43 Hoc ejus ego verbum ſerò experimentô cognovi, non tàm irati parentis dictum, ab indignatione (ut fit) expreſſum, qvàm hominis prædictum ſagacis & providentis fuiſſe. 44 Nam ut mittam facultates, ut in hac ſorte mediocres, qvæ ſenſim illâ tabe philtrorum deliqverunt, alias res omnino me agente, ad valetudinem inſuper profligatam delapſus ſum per incu-

riam

riam corporis, ac ſæpe jam conclamatam: ipſe adeo mihimet, Here, ut Virbius alter eſſe nonnullisqve videar, cui numerum augere comitatus tui poſteà contigerit identidem commeantis. Qvod nunqvam profectò facere potuiſſem, ni tua me ſingularis humanitas qvaſi Peliam recoxiſſet. 45 Qvidnam ibi tùm ego (arridens *Rex inqvit*) Budæe, meminiſti, qvid dixerim, qvum tu hæc palam commemorares? 46 Memini verò (inqvam) Here, atqve ita memini, ſic mente adhuc teneo, ſpem ut inde certam aſſiduè in ſinu vero foverim, magnum tandem ſpecimen edituram liberalitatis iſtius & beneficentiæ, ad litterarum elegantium illuſtrationem apud nos, ornamentumqve ſanè litteratorum propenſæ. 47 Et verò te, Here, verbi tui dictiqve memorandi, qvod ſæpe ego ſtudioſorum juvenum nationi denarrare ſolitus ſum, admonendum fortaſſe habuiſſem, niſi ultro ſatis memorem eſſe intelligerem. 48 Cùm enim in geminam illam fraudem capitali non abſimilem, incidiſſe me dicerem, qvam mihi eventuram parens meus prædixerat, deterrere me volens ab illo litterarum amore præcipiti: tua extemplo majeſtas (ſive illa fuit benignitas tua potiùs) ſermonem excipiens profari hæc verba non dubitavit, Sarcire qvidem nos patrimonii tui jacturam Budæe, ac ſi ita res tulerit, naufragium facilè poterimus, de eoqve magnoperè te angi veto. qvod pater iratus, tibi ominari viſus eſt hereditatis (ut ajunt) cynicæ delationem, baculum & manticam. Valetudinis autem affectæ detrimentum non ita nobis promptum eſt, ut tuarum tabem, qvam vocâſti, facultatum. qvare id tuæ ipſius curæ medicorumqve delegamus. qvanqvam morbus vicenariô jam major, ut audio, non qvamvis manum, ſed Pæoniam poſcit atqve eam fortaſſe, qvæ ea conferre poteſt, qvæ humanum faſtigium excedunt: ut malorum finem, & mentis tranqvillitatem. cetera te jubemus in univerſum bonô atqve alacri animô eſſe. 49 Tum ille, Ecqvid igitur ſpes illa Budæe in ſinu iſto tamdiu concalefacta, qvamqve domi & militiæ diu & ſedulò circumtuliſti, contepuit tandem ipſa, irritaqve facta, decollâſſe [ut dicitur] tibi viſa eſt aliqvando? 50 Decollâſſe autem? [inqvam] Deus diuiqve omen avertant, Here. Memini enim aſſecla tibi caſtrenſis cùm eſſem in expeditione Belgica, grandiuſculâ jam ætate, homo pacis alumnus qvietisqve domeſticæ noctu ſæpe & interdiu ad arma conclamari. me etiam ſecundâ interdum, tertiâqve vigiliâ ſemiſomnem è lecto proſilire, cum qvibuſdamqve aliis tumultuari, bellicarum rerum & ipſis inſolentibus: nonnuſqvam etiam jam in procinctu ſatagentem (ut aſſolet) ſuprema conſilia animô agitare. qvùm interim hæc ipſa ſpes nunqvàm mihi è ſinu exciderit: non armato, non inermi: non accincto, non diſcincto, utpote qvam toto [ut ajunt] pectore complexus eram. Et verò nunc eam ipſam ad futuros uſus aſſervo. 51 Ac tametſi ejus militiæ emerita jam accepi luculenta, nihilominus tamen æra, non caſtrorum illa qvidem, ſed comitatus mereo, qvæ jamdiu procedunt vacationem habenti, cùm inter honeſtè & bona cum venia miſſos, humanitate tuâ connivente me aſcripſerim. 52 Noſti enim, Here, cauſſarium me eſſe cùm ab invaletudine, ut dixi, tùm verò ab ætate iam graviore, tùm ab re œconomica.

53 Et qvidem munificem hanc, qvam uſurpo, vacationem, non ſupinam ipſam nec inertem inſtituiſſe, qvam te mihi tacitam induſiſſe libens feci, ut judicarem. 54 At verò munus me id à te accepiſſe, qvod nominatim anteà in diem incertam depopoſceram [in locum enim primùm demorituri petieram] amplum qvidem per ſe fuit, amplius eô etiam, qvòd homini mihi novo delatum. præſto enim erat eorum non nemo, qvi creſcere licendis honoribus cupiunt, digitum tollere paratus, ſi qvis cenſu olim eqveſtri eum ipſum indicaret magiſtratum, qvô tua me ornatum liberalitas voluit ſummâ humanitate conjuncta. 55 Novi etiam aliàs & certò ſcio, qvi pulpamentum illud benignitatis regiæ, mihi à te ſemel deſectum [ut ajunt] atqve deſponſum, aliud agenti præripere, cæcâ & furcâ machinâ neqvidqvàm experti ſunt. eadem enim Vulcani conjunx, qvæ me in regiam admiſerat primùm, abſenti qvoqve ſtrenuè ſuffragata eſt, atqve ipſo in articulo temporis, & cardine (ut ita loqvar) ornandi noſtri genii. 56 Illa igitur etſi ampla ſunt & ſanè clara: tamen nihil amplius eſſe & memorabilius homines honeſtiſſimi, rerumqve harum experientiſſimi exiſtimabant, qvàm qvô exemplô tu id factum concupieras, faciendumqve conceptis verbis ac dictatis, pro imperio juſſeras. 57 Nam qvid majus ſperare, qvid votô exoptare ingentius ſine amentia aut ſumma vanitate potui, qvàm ut mihi, inter aulæ tuæ clientes tironi, decem ampliùs dierum itinere ab comitatu tuo agenti, vel domi potiùs cum meis me amoribus, ideſt Philologia, procuranti & oblectanti codicillos Octoviratûs prætoriani ultrò mitteres, tanqvam ſtipendia juſta ſolenniaqve emerito aulicæ obſervantiæ? 58 Qvibus ad me allatis, non minore ipſe lætitiâ repentè perfuſus ſum, qvàm ii fere ſolent affici, qvibus caducæ hereditatis nuncius, ejuſdemqve locupletis adfertur, nihil ſuſpicantibus. 59 Qvid qvòd honoris eximii gratiâ, benignitate tantæ etiam corollarium humanitatis addidiſti, ſanè commemorandum & prædicandum? Qvippe epiſtolâ ad me miſſâ cum codicillis ipſis Octoviratûs in verba concepta herilis comitatis, ne qvid amplius dicam: qvâ non inferiora etiam ſperare me jubebas, atqve ſuſpenſô alacriter animô tanqvam porro meritum ad aliam expectationem eſſe? 60 Et major erat reverà fides atqve locupletior, qvam ſuperiore illo ſermone & aliàs prolixè pollicendo, vultu & verbis mihi feceras, uberiorqve modus, qvem tecum utiqve ipſe deſtinaveras, qvaſiqve præfinieras liberalitati regiæ, qvàm ut unô munificentiæ impetu aut in uno capite conſumeretur. 61 Beneficentiæ enim mihi deſponſæ modulos, ad mea etiam pignora dimanare tute velle videbâre, ſiqvando ſeſe illi in medium protuliſſent, indeqve beneficentiâ regiâ non indigni apparuiſſent. qvod qvatenus & qvomodo eventurum ſit providentia ipſa viderit. prolixæ enim tuæ voluntatis atqve propenſæ prædem habeo locupletem: fidem à te mihi verbô qvidem datam, ſed vultus feſtivitate factam. 62 Qva in re meritiſſimô tuô deprædicanda, ſi non tam multus, certè penè tam libens eſſe ſoleo, qvàm Marcus olim Tullius in Nonis ſuis Sextilibus jactandis & inculcandis, qvas alterum natalem ſuum eſſe dicebat, & Græcè palingeneſiam appellare ſolitus erat. 63 Hoc à te profectò ornamentum, Here, decuſqve

(ut

(ut ita dicam) impenſi in litteris temporis, capiti meo impoſitum, mihi qvidem ipſum honorificum ſanè fuit & feſtivum, qvippe qvod turbam ſtatim ſalutatorum mihi gratulatorumqve excitaverit, operam & fortunas [ut fit] urbanâ commitate prolixè offerentium. 64 Ceterùm tibi, Here, tibi inqvam, Here, illuſtre & fuit, & olim futurum eſt, ad benignitatis iſtius eximiæ commendationem, fideiqve gentilitiæ inſignem memoriam, qvam tu juriſjurandi peculiaris uſurpatione nobilitatam & illuſtratam, factis qvoqve clariſſimis ſancire voluiſti. 65 Res verò ita evenit, diplomatis ut regii cum epiſtola adventu, qvæ per ſtationarios ipſe curſores mittenda mihi mandâras, ſecundiorum jam rerum omnia magnifica, amici, propinqvi, neceſſarii & aliàs familiares, & coràm & abſenti largirentur: nimirum præterqvàm qvòd hominum ſermo & augurium, ad auram proſperam & adverſam hûc illûcqve verſatilia eſſe ſolent, etiam conjecturam ex tuis moribus ipſi ingeniòqve factitantes. 66 Ob eam autem fidem à te mihi cum acceſſione ſplendida [ut dixi] & benigniſſima præſtitam, omnes jam, ad qvos ea res fando pervenit, qvæ clariſſima fuit, auream fortunam ſalute perenni conjunctam, in regiam tuæ majeſtatis immigraturam certatim ominabantur, à Deoqve expoſcebant votis penè conceptis. 67 Adeò popularis ea fuit beneficentia, qvam non homini ſed litteris delatam eſſe omnes opinabantur. 68 Enimverò id mihi præter multorum opinionem contigit, aulæ qvoqve comitum: utpote qvem homines ex comitatu tuo ſemel abſceſſiſſe exiſtimarent. alienô enim tempore & repente apparere tibi pro more mihi omnibusqve ſolenni, deſieram. at divinâ primùm, deinde tua benignitate res malè conſulta, commodiſſimè vertit. 69 Qvod autem ad me attinet, omnia, ut evenerunt, ita vel expectatione penè certâ antè præſumpta erant, vel auguriô [ut fit interdum] lætiore anticipata. In eamqve ipſam ſpem, aut aliam non imparem ipſe ſuſpenſus eram & divinitùs & humanitùs, etiamſi intus animum meum ſubgeſtientem premebam & continebam. 70 Qvæ cùm ego dixiſſem, Rex vultu leniter ridibundô ad circumſtanteis converſus, hæc attentè auſcultanteis. Eqvidem [inqvit] nunc in memoriam redeo, cùm Budæus hîc Blæſios ad me venit, qvò Lugdunô profectus paullò antè ieram, amictu novæ perſonæ conſpicuus, qvam recens induerat. ſic enim res ferebat, ut ſacramentô togatæ militiæ rogatus, in numeros conſultorum in urbe, atqve in noſtro comitatu ſeſſum admitteretur. Is igitur cùm ad me venerabundus adiiſſet, ſupplicesqve gratias ob acceptum honorem illum ageret, memini ipſum ita mihi dicere, ſe honorem qvidem acceptum plurimô, ut erat, æſtimare: ſic autem à ſe acceptum, & à nobis ultrò domum ſibi delatum, qvàm plurimô. Ceterùm tu Budæe meminiſtin [inqvit Rex ad me reflexus] qvid tibi tùm reſponderim? 71 Commemini verò, (inqvam) Here, & ſæpe commemorare libenterqve ſoleo. dixiſti autem, non meâ tantùm cauſſa fidem ita mihi præſtandem ſed tuâ etiam te duxiſſe. Ejuſmodi enim pollicitationem fuiſſe, qvam non mihi magis qvàm tibimetipſi ac regiæ majeſtati, debere te arbitrabare. Qvam ob cauſſam nec à me, nec à qvoqvam ea de re appellari ſuſtinuiſſe, ſed

primô qvoqve tempore repræſentandam eam exiſtimâſſe. Cujus etiam
dicti tui interpretationem meam eſſe, omniumqve volebas, ad qvorum au-
res aliqvando id perveniſſet. 72 Verùm heus tu (inqvit) Budæe, qvænam
te tanta fiducia ad eam expectationem erexerat, cùm veniâ abeundi non im-
petratâ, atqve etiam tibi à me pernegatâ, è comitatu noſtro te furtim ſub-
duxiſſes? Qvâ culpâ à te admiſſâ, ſi tecum lege agere, ac ſummô uti jure
voluiſſem, qvid te tandem hominum judiciô factum eſſet? age, fac ut ex
reis ob hanc culpam aut cauſſa qvædam ſpecioſa, aut clementia te noſtra exi-
meret: ære certè dirutus eſſes annuô, & è numeris expunctus ſtipendia
facientium: ignominiâque notatus inſuper abiiſſes, ut deſertor apparituræ.
73 Etenim qvid erat aliud è conventu prætoriano excedere contra inter-
dictum noſtrum, qvàm veluti ſalute ultimùm nobis dictâ, augendæ rei tuæ,
lariſque familiaris exornandi, incuriam contemptumque conſciſcere?
74 Spiritus illos (ut opinor) alacres, aliqvâ offenſione aulicâ perturbatus
abjeceras, homo utiqve aulicis in rebus non ſatis experiens & ſtrenuus.
75 Hîc ego conſcientiâ percuſſus & obſtrictus, cùm æſtuare cœpiſſem, ali-
qvàmdiùqve hæſitare, ſubinde ita reſpondi. Eqvidem, Here, ſi hanc an-
ſam reprehenſionis præcidere cupiens, qvam in me non tibi modò ipſi (cui
jus in caput meum, & in fortunas divinitùs datum eſt) ſed compluribus
aliis dedi, qui improbare tantum verbô factum id meum poſſunt, qvippiam
excuſare occepero: vereor, ne in aliqvam plagam inextricabilem me in-
duam. forſan enim parum ſpecioſum videbitur colorisque non probabilis, qvod
in medium afferam. 76 Nam ſi interviſendæ tantiſper Philologiæ meæ cau-
ſâ, id conſilii cepiſſe me dixero, cujus deſiderio omnino jam impar eram:
& ut aliqvot menſium uſu interpoliqve contuberniô, familiaritem illam no-
ſtram, arctamque (ut noſti) neceſſitudinem denuò conglutinarem, me-
tuo ne imperitum tute me arbitrêre temporum occaſionumqve aucupem:
qvi retia tum collegerim, biennium totum expanſa, cùm præda luculenta
capiti meo impenderet. 77 Id qvod me ignorâſſe excuſare non qveo, qvi
anteqvàm è comitatu digrederer, eum demoriturum ſuſpicari debui, in cu-
jus locum ſuffectus ſum, cùm gravi illum morbô correptum eſſe conſtaret:
& in eum ipſe eventum noſſem eſſe mihi certò deſponſam provinciam.
78 Si qvid igitur hujuſmodi excuſare inſtitero, id in me protinus utiqve vali-
turum eſt, qvod proverbialiter ajunt, dum anſulatum hunc nexum & ducti-
lem digitis eſſe cenſeres, nodoſiùs temetipſum imperitiâ & errore obligâſti.
Potius eſt igitur (ut arbitror) & culpam agnoſcere & mulctam deprecari.
79 Quin & ſi mihi cauſſificator nunc qviſpiam præſtò ſit ſolertiſſimus, qvi
velut tragicus (ut ajunt) deus, ex hoc æſtu me eripere poſſit, excuſationeſ-
qve alias atqve alias mihi, qvaſi pragmaticus jura cauſidico imperito, ſub-
miniſtrare, uti ego, Here, ſanè eâ occaſione nolim: nec qvidqvam apud
te aut alium qvempiam cauſſari ſuſtineam, quamobrem id me admiſiſſe non
fatear, qvod inficiari non impudenter neqveo. 80 Neqve verò libens alio-
qvi facerem, ut munificentiæ tuæ atqve humanitatis magnitudinem clari-
tatem-

tatemqve imminuerem : qvod hominis eſſet inepti, nec ſatis gratam beneficii accepti memoriam habere ſe ſignificantis. 81 Id eſt autem hujuſcemodi, ſicque à me tibi acceptum referri debet, atqve commemorari, ut qvod numeris omnibus b neficentiæ elegantis & decoræ, & porro appoſitæ danti & accipienti conſtitit, ſiqvidem ineundâ ejus ratione calculi utrinqve plenè ponantur, & ſcitè ſubducantur. 82 Sed enim Here, qvamqvam inconſultiùs furtivô illo exceſſu de ratione mea ſtatuiſſe me poſt aliqvot dies animadverti, non tamen ſtatim mihi ignavum & ſocors exilium à comitatu tuo conſciſcendum eſſe cenſui magnam enim ſpem veniæ in clementia tua collocaveram, vel in humanitatis potiùs ſingularis conniventia : qvæ erroris qvoque confeſſionem condonare ferè & remittere lapſis unà cum animadverſione ſolet, qvod genus liberalitatis mihi videtur eſſe candidiſſimum & generoſiſſimum. 83 Recordabar enim obſtrictam tuam fidem me habere, obſidem expectationis meæ, non illam modò communem ordinis gentilitii, qvam tu peculiari jurejurando (ut ſupra dixi) nobilitatis imaginibus condecorâſti, aureorumqve (ut ita dicam) annulorum jure donaſti: ſed ſanctiorem illam fidem & auguſtam, ſeriis rebus ſeveriſqve dedicatam, qvâ tute eas ſancire ſponſiones ſolitus es, qvarum fiduciam certam eſſe jubes, atqve expectationem nec anxiam nec ſollicitam. 84 Hujuſce fidei pignus, etſi verbis mihi dederas neqvaqvàm conceptis in juris jurandi formulam, tamen rata pollicentis ſpeciem, vultumqve eum præ ſe maieſtas iſta tulerat, chirographi ut locô numerôqve ducere id deberem. 85 Accedebat augurium ex genio frontis tuæ, mihi interim ſemper ita feſtivæ: ſic ſpei meæ confirmatricis, ut expromiſſoris inſtar eam ipſe ducerem tùm locupletis, tùm qvotidie denuo conſtituentis, qvod ſemel ſponſum erat, nec tamen ſtipulatum. 86 Verumenimverò, Here, cum honoris litteratum cauſſâ feciſſe ab omnibus exiſtimeris, ut ornamentô me non uno, ſed altero jam ita cohoneſtâris, ut paria propemodùm utriuſqve commoda ſint : alterum, non modò ultrò mihi nec opinanti, ſed etiam primo dederis, additoqve elogiô, ut ſupra dictum : officii mei eſſe duxi, qvando ipſe abſtuleram à te, qvæ optaveram, in communem jam cauſſam incumbere, ac de me conqvieſcere, cùm me ſponti meæ reddiderim bonâ (ut ſpero) tuâ veniâ optimâqve conditione. 87 Itaqve qvod nunc & aliàs à te contendendum ſuſcepi, litterarum ut bonarum exiſtimationem, jacentem nunc & proſtratam in regno tuo, alleves & erigas, non eam mihimetipſi operam me navare, ſed cunctis iis conteſtor & profiteor, qui ad tutelam earum atque patrocinium nomina jam dederunt, in poſterumqve certatim daturi ſunt. 88 Qverelam autem & poſtulata ad majeſtatem tuam ea defero, quæ ſine ignominioſo prævaricationis crimine, non recipere ad me delata, non potui, cùm eam mihi perſonam benignitatem tuam impoſuiſſe, Aius ille Locutius, tacente me, vel reclamante potiùs, pervulgaveris. 89 Qvænam ſunt ea tandem qverimonia & poſtulatum? inqvit. Utrum ex eo genere, qvod cognitionis eſt Octoviratûs tui, an alterius cujuſdam generis, & cognitionis majoris, quæ præfatione

tione iſtâ qvaſi ſollicitâ egeat? 90 Eget verò, Here, (inqvam) non præfatione modò, ſed & oratione juſtâ, & peroratione diſertâ atqve, etiam eloqventi: ſiqvidem cauſſidicum tàm facundum ipſa, qvàm fidum nacta eſſet. Qvod qvoniam non contigit, id quod in promptu fuit non reſpuit, ad eum ſe contulit, qvem gratioſum ſatis, & jucundum ad tribunal tuæ benignitatis eſſe arbitrabatur: tum qvidem certè, exponendi locum horamqve obtinentem, cùm huic generi poſtulatorum operam dare tibi vacat & libitum eſt, qvod freqventer evenit. 91 Nempe ejuſmodi (inqvit Rex) qvæ ad te non Octovirum & ſupplicum libellorum præfectum, ſed bibliothecæ noſtræ ſcriniorum magiſtrum (qvod alterum eſt munus tuum & primum, ut dixiſti:) deferri ſolent, vel ad Budæum ipſum purum potius & vacuomni * perſonâ. 92 Purum verò, Here, (inqvam) Budæum, atque etiam putum, ut verbô utar antiqvô, id qvod facilè judicaveris, qvum rem ipſam indicante me, non eloqvente, nec acriùs exaggerante cognôris. 93 neqve enim

* *Perſonâ*] Auctore Vallâ VI. Elegantiarum c. XXXV. p. m. 596. „In homine perſona ſignificat qvalitatem qvâ alius ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in extra poſitis, qvæ à Rhetoricis enumerantur in attributis perſonæ. Animi, ut qvô ſtudiô ſe exerceat, medicinæ an juris civilis, an militiæ. Et qva mente, iracundus an moderatus: avarus, an liberalis. Corporis, juvenis, an ſenex: pulcher, an deformis: fortis, an imbecillis: mas an fœmina. Extra poſitorum, dives, an pauper: clarus, an obſcurus: maritus, an cœlebs: parens liberorum, an orbus, & his ſimilia. Ideoqve figuræ & ſigilla qvædam, qvæ roſtris, aut alia corporis parte aqvam fontanam emittunt, qvia repræſentant varios hominum vultus & geſtus, perſonæ dicuntur. Et hiſtriones in ſcena perſonas accipiunt, aut cùm ſervum agunt, aut ancillam, aut matronam, aut meretricem, aut ſenem, aut adoleſcentem, aut patrem, aut matrem, aut filium, aut regem, aut militem, aut lenonem, aut paraſitum & mille hujuſmodi, qvæ non ſunt ſingula in ſingulis, ſed plurima: velut in me eſt perſona humani, liberalis, timidi, iracundi, hebetis, ſomniculoſi, literati, ſenilis, mariti, ſoceri, generi, patris, filii, fratris, pulchri, fortis, divitis, nobilis, & interdum contraria. Nam ad ditiſſimum, fortiſſimum, pulcherrimum non ſum dives; nec fortis, nec pulcher: ſed imbecillis, deformis, pauper. Alia itaqve ad hunc perſona ſum, qvàm ad eum, cui in his omnibus antecello. Et ad Priamum ſum perſona filii, ad Aſtyanacta perſona patris, ad Andromacham perſona viri, ad Paridem perſona fratris, ad Sarpedonem perſona amici, ad Achillem perſona inimici. Hactenus Valla. De ſententia Julii Cæſaris Scaligeri IV. de Cauſis Lingvæ Lat. c. LXXIII p. m. 158. edit. Commelinianæ M. D CXXIII. in 8. „Perſonâ intelligitur ſtatus hominis ab animo, aut fortuna. Neqve verum eſt, qvod ajunt, ſignificare individuam ſubſtantiam rationalem, ut vulgo utuntur, cùm Itali numerant turbam nomine perſonarum: ſed accidens notat, ut ſervum, liberum, ingenuum, Heroem, Senatorem, fœneratorem, militem. Itaqve cum definivimus ab Animo, virtutem & vitia comprehendimus: qvum Fortunam, libertatem & dignitatem, & contraria. Sic enim ſemper locuti ſunt probati autores. Nam M. Tullius in octavo ad Atticum in epiſtola ad Pompejum cum dicit, Mea perſona ad improborum civium impetus ſemper habuiſſe videtur aliqvid populare: non intelligit ſuum corpus ſimpliciter, ſed virtutem, ac fortunam ſuam, qvæ meritorum nomine jam commemorat. Itaqve in primo Rhetoricorum loca à perſonis explicat, nomen naturam, victum, habitum, & alia ejuſmodi. & in oratione pro Sylla ſic locutus eſt: Si mihi propter res meas geſtas hanc imponis perſonam. Cùm dixit Mihi, intellexit ſubſtantiam: cùm dixit Res geſtas, intellexit cauſſam perſonæ, & circumſcriptionem. Et, Suſcipere perſonam boni viri: & Suſtinere idem alibi ſæpe dixit. At neqve ſuſcipit ſubſtantiam, neqve mutari poteſt ſine interitu. Igitur idem eſt; ſi dicas, Perſona Ciceronis: & Status conſularis: ſic enim ad Atticum ſcribens, qvum negat eſſe è dignitate conſulari, dicta qvædam jacere in Clodium, poſſis interpretari, non pertinere ad perſonam ejus.

enim eſt hic locus vehementiùs rem augendi, ne exordium quidem utendum rogabo ab ipſa eloqventia, qvod ſupervacaneum eſſe cenſui, cùm apud te æqvum (ut ſpero) judicem huic cauſſæ & attentum, verba mihi facienda ſint. Rem ipſam ſtatim exponam. 94 Qveritur autem chorus ille diſciplinarum ingenuarum atqve liberalium, qvem Græci eruditionis orbem patriô verbô appellaverunt, non eôdem ſe numerô, non pari locô univerſum haberi, qvô ſingulæ artes longè illiberaliores habentur. 95 Jamprimùm medicinæ profeſſores, artis qvidem mortalibus commodæ & utilis, ſed tamen qvæſtuariæ, apud omnes ordines ferè gratioſi ſunt. 96 Theologia qvaſi morum cenſura, verendos & honoratos ſui ſtudioſos efficit. cujus ſtudii doctura, populi magiſterium defert ad multos non peritiſſimos hominum. Juris vel prudentes vel verſuti interpretes, cauſſarum diſceptandarum artifices, litium conſarcinatores, qvos Græci δικορράφους appellant, præter honores ſupra commoda, quæ multa ex publico à ſingulisque accipiunt, in hanc etiam auctoritatem venerunt, id ſibi jus omnium conſenſu, moribus qvidem certè noſtris & multorum, aſſerunt, unicuique ut hominum inermi, qvà principi, qvà privato conſtituant ſuis reſponſis, conſultis & decretis: qvid ſui habere, qvid alieni: qvid ſacri, qvid religioſi: qvid jure, qvid injuria qvibus denique finibus, qvô jure, qvatenusque videatur. id qvod meri, pleni, juſti imperii conſpicuum inſtar habet, latiſſimè patentis qvoqve verſum in capita fortunaſque mortalium, atque etiam in nomina, in bona jam divorum. 98 Qvùm interim (ſi divis ipſis placet) pontificii juris profeſſio pomœria qvædam effata ſuæ ditioni circumdederit, anguſtiora qvidem illa, ſed non minùs ſuperba, altéqve minantia: 99 At orbicularis illa doctrina omneis numeros profeſſionis complexa, omnium ſcientiarum elementa rationesqve commentans, earum etiam diſceptatrix honorariaqve arbitra, qvam Pædiam Græci, nomine parum ambitioſô, nos litterarum ſcientiam vocamus: ex adytis qvidem ipſa ſanctioribus, ex editis tribunalibus, è curiis, è conſiliis, è conventibus juridicis, è conciliis panegyricis, jamdiu ſummota eſt, velut qvædam rhapſodia, inter ea cenſetur acroamata, qvæ animi tantum cauſâ in ocio qværuntur. 100 O multa, Here, abſurdè, ô indignè qvædam & præpoſterè moribus comparata. 101 Ceteris artibus legitimum tempus ad magiſteria ſui generis adipiſenda conſtitutum eſt, & tanqvam ad clepſydram dimenſum contentionis ſpacium: at ſtudio litterarum elegantium tot luſtra non ſufficiunt, qvot anni ſingulis aliarum attributi ſunt. 102 Nam etiam hujus ſtudii magiſterium ſapientia ‡ dicta eſt antiqvitùs, princepsqve philoſophia: qvô nomine meritiſſimò (ut temporibus illis) inditô, nullum nec amplius, nec auguſtius excogitari poteſt. 103 Hanc indignitatem, Here, qvot, qvantosqve Democritos paſſim nobis, noſtratibusqve adeò omnibus excitâſſe cenſes, homines acutiſſimos

‡ *Sapientia*] Magnum ſemper doctioribus veterum, atqve tam auguſtum habitum eſt ſapientiæ nomen, ut, cùm artificibus illud apud Græcos fortè conceſſiſſet uſus, ne qvidem in numero ſapientum reponi vellent, qui, qvod plus ſaperent cæteris, exiſtimati ſapientiſſimi ſunt.

mos ac rerum perſpicientes, ut recti praviqve diſcimen ignorantibus. 104 Memini vèrò, cùm primùm à te accerſitus ſum, inter alia hoc te de me percunctatum eſſe, Cuinam maximè diſciplinæ ſtuderem, & qvô nomine ſtudium id vocarem, qvô ardere dictitabar: ipſum autem aliqvamdiu addubitâſſe, deinde in hanc ſententiam reſpondiſſe. 105 Viam diſcendi me ingreſſum eſſe non leniter acclivem, duabus velut orbitis cinctam, qvas duas Lingvas eſſe dicebam omnium Lingvarum celeberrimas. Haſqve duas orbitas varia dicebam habere diverticula: qvibus in ipſis per illuſtria interdum & plana expatiari; interdum per opaca & ſalebroſa neceſſe eſſet, iis duntaxat qvi ad duo juga montis evadere conſtituiſſent. 106 In his porrò jugis priſcæ ſapientiæ gazas qvarum philoſophia indagatrix eſt, & admiratrix, conditas eſſe dicebam doctorum hominum opinione: iis omnibus inacceſſas, qvi * fallacia diſcendi deviaqve compendia capeſſenda cenſuiſſent & conjectanda. 107 Cumqve me, Here, urgeres, ſcitè & appoſitè repetitâ percunctatione, ut huic ſive diſciplinæ, ſive ſtudio, in qvod incubuiſſe vehementer dicerer, nomen ſuum attribuerem, qvô ſignificari poſſet atqve ab aliis artibus internoſci. 108 Neqve enim nefas eſſe ajebas hodie nomina diſciplinarum vera prodere, ut olim fuiſſe urbis Romæ fama eſt, nec ineffabilem artem ullam vitæ innotuiſſe, ne maleficam qvidem. 109 Ibi ego velut deprehenſus & aliqvantiſper æſtuans, porrò fari non audebam, qvoad regiæ frontis hilaritate feſtivâ confirmatus, periclitari judicium tuum, magnoperè jam tum celebre, ac fando mihi ſæpe auditum, conſtitui. 110 Eqvidem inqvam, Here, nec ſapientiæ ſtudium nobis id appellandum eſſe duxerim, qvam oracula ſacroſancta inſipientiam appellant: nec primæ philoſophiæ, qvod nomen meâ qvidem ſententiâ jam deſponſum eſt divinarum rerum ſtudio & cultui. Itaqve non alio vocabulô utar, qvàm qvô à peritis vocari paſſim cœpit, bonarum hoc litterarum ſtudium, Here, meritò, niſi fallor, appoſiteqve appellatur. 111 Ut enim priſci Romani deam qvamdam delegerunt ex illa vi innumera commentitiorum numinum, qvam bonam ille deam, Græci muliebrem nuncupaverunt, veluti caſtitatis præſidem & cuſtodem: ſic litteræ, lautæ, & elegantis, & perpolitæ eruditionis magiſtræ, bonæ appellatæ ſunt: nimirum qvô nomine ſine fuco & illecebra inani, omnia ſumma ſignificantur atque commodiſſima. 112 Hæc tum ferè inter nos, Here, niſi memoriâ lapſus ſum. Mihi videtur, inqvit. 113 At verò inqvam

* *Fallacia diſcendi*] Video & doleo cum magni ingenii, induſtriæ atqve laboris Philologo & Theologo Joh. Henr. Urſino Eccleſiæ Ratiſponenſis qvondam Paſtore & Gymnaſii Scholarcha in Dedicatione utiliſſimorum Paradigmatum ſacrarum Concionum juxta diverſas tractandi Methodos, Francof. cIɔ Iɔc LIX in 8t. edit. & nobiſcum, ſine dubio, boni doctiqve plures, plurimùm deflexiſſe nos ab eâ ratione inſtitutionis, qvæ Sapientiſſimorum Magiſtrorum conſenſu unanimi, velut ſtatua vialis, præfixa, longô uſu approbata, & ad veram ſolidamqve eruditionem comparandam commodiſſima inventa fuit. Itaqve per varias ambages & multa diverticula, qvæ compendia videbantur, eò perventum eſt, ut omnis ratio ſtudiorum, niſi omina Catos cordatoſqve fallant omnia, in præcipiti jam ſtet, ac cùm nec procedere poſſit, & retrocedere veretur, jamjam caſura appareat.

qvam, Here, pervelim ipſe & optârim, in animum ut inducas, ſtudio in Francia ignobili, ac penè adhuc ignoto, ut qvidem eſt ſenſus multitudinis, nomen aliqvod jam indere, qvod claritatem litteris ſplendoremqve, conciliet, qvando bonitatis ſignificatio frigere nunc perhibetur apud homines frugalitatis amantiſſimos. 114 Nam cùm in tuum principatum litterarum bonarum ſtudium apud tuos incurrerit, ipſæqve litteræ impietatis ſervitutem perteſæ, ſervire jam religioni rectæ, tranſcribiqve in familiam chriſtianæ ſapientiæ geſtiant, operæ utiqve precium, Here, facturus es, ſi unicus tute arbiter initialis hujus ſacramenti, nomen earum ſtudio prodas: ut aſſolent nomen prodere ii, qui manus officioſas terni, moribus noſtris, homines mares atqve feminæ adhibent ad ſanctificum fontem, myſticô parente homunculos intingente ad alteram genituram, qvæ παλιγγενεσία dicta eſt. 115 Id qvod ſi tibi cordi erit, obſecro te & obteſtor per tûæ majeſtatis genium, ut fauſtô, felici, fortunatô, dignô deniqve te nomine, nedum Regis auctoritate, id ſtudium nuncupes. Nam cùm inditi à te nominis ômen omnium ordinum ſenſus haud dubiè ſecuturus ſit, litteras non tantum ipſi bonas, ſed fortunatas qvoqve colere videbimur. 116 Tum Rex ſubridens, Non, enimverò (inqvit) Budæe, id temerè facturus ſum: non (inqvam) id faciam, niſi prius à te cavero, neminem eô nomine acturum mecum de tutela, alimentiſqve iſtarum litterarum, qvarum tu me initialem nominis proditorem eſſe poſtulas atqve nominatorem. 117 Eſt enim ita (ut audio) moribus comparatum, ſi aut infantibus, aut pueris aut etiam jam majuſculis egentibus eſſe contigerit, vel parentibus propinqviſque deſtitutis, ut honoraria qvædam actio ad eorum nutricationem in eos prodita ſit, qvi in chriſtianiſmi tirocinio, & dum aqvâ luſtrali perfunderentur, arbitri & advocati, in ſacroqve contractu ſtipulatores affuerunt. Qvid igitur futurum eſt, ſi ſimul ut nomen, qvale tu poſtulas, indidero, tu aut alius qviſpiam veſtri ordinis, lege aut more mecum agere inſtiterit: atqve eatenus agere, ut natalibus (ſic enim dicam) litterarum bonarum, qvibus tu tot aſſeclas artes, tantum comitatum tribuis, educationiſqve tempus nullô fine præſtituis, pro dignitate qvoqve alimentorum conſtitutio reſpondeat? ſcilicet hoc illud eſt, idqve agere te video, ut parens ego ſim & dictiter litterarum, cùm illæ ſint mihi numerô ac locô filiolarum. 119 Qvanqvàm id ego facilè fortaſſe admitterem, niſi ſimul atqve filiolæ illæ agnitæ à me fuiſſent ut parente, continuò alumnæ qvoqve regiæ futuræ eſſent magnis cum impendiis. 120 Qvod etiam ſi tibi aut alii ſtipulatori publico & cautori, hoc à me contendenti, annuerim, ecce tibi alter, aut idem rurſus, ſimul ut qvæ nunc infantes ſunt litteræ, adoleverint, qvi mecum ob collocandas eaſdem nuptui luculento & illuſtri, experiatur: qvi mundum etiam fortaſſe muliebrem, qvi alia atqve alia (ut fit) poſtulet. 121 Hæc autem qvam tandem acceſſionem expenſorum, qvantam paginam penſitationum allatura ſunt rationario regni noſtri? 122 Ne id qvidem modò, (inqvam) Here, ſed etiam qvi tecum jam agat ex ſponſo ob locum incunabulorum ipſarum lit-

litterarum, & diverſorium Pædiæ, qvæ aut genitrix eſt ipſa, aut certè altrix earum. Isqve memoriam tuam atqve conſcientiam] tibimetipſi judicem ferat nedum arbitram: teſtimonium etiam tibi apud te denunciet: deniqve ſacramentô tecum contendat, ac ſponſionem nomine publicô faciat, ni tu palam, iterumqve & tertium pronunciâris, id qvod meminiſſe tecum ſatis norim, commemorare neceſſe non habeo. 123 Ceterùm hanc hirudinem abundanti ærario admoviſſe haud dubiè juvabit in poſterum, qvæ & modicè ſorbere & ſalubriter ſolet: nec verò ægrè exemptilis eſſe, cùm ita res fortè tulerit: non ut aliæ permultæ, qvæ avelli citra mortem neqveunt, dente intùs affixô. 124 Ecce autem Rex, inqvit, deinde pauliùm immoratus, & deliberanti ſimilis; De eo verò Budæe mox viderimus, vel primâ qvâqve occaſione potiùs, qvandoqvidem tu mecum tantâ cauſſæ fiduciâ jam agis. Fuit enim, ſi rectè commeminiſti, pronunciatum illud tametſi purum, non tamen præſentarium, ſed qvod in primum qvodqve tempus conceptum eſſe videatur. 125 Neqve dùm verò ſatis litteræ iſtæ bonæ ſe mihi ſuaſqve facultates approbaverunt, ut ſciam, qvibus finibus architectari illa earum incunabula debeam, vel theatrum potiùs Pædiæ veſtræ, in eoqve orcheſtram chori diſciplinarum, ut tu aliqvando inter ſermonem de litteris dixiſti: qvibus modulis admetiri frumentum ſtipendia illic merentibus: qvæ emerita, qvantaqve ſtatuere poſt miſſionem honeſtam. 126 Per me tamen interim dum ſplendidius nomen meditor, aut etiam appoſitius, licebit litteræ ut bonæ appellentur: regiô qvoqve placiti auctoritate, nomine (ut mihi videtur) vobis non pœnitendô. Siqvidem (ut tu ajebas) ad locupletiſſimum illud priſcæ ſapientiæ gazophylacium deducere ipſæ ſtudioſum hominem poſſunt. 127 Nam & vitam civilem antiqvorum inventis ac præceptis temperatam eſſe videmus & exornatam, mores etiam inde compoſitos, omnis deniqve diſſerendi eloqvendiqve facultas, omnesqve adeo artes, qvibus homines erudiuntur, originem ſuam & primordia, ad priſcam, ut vos dicitis, ſapientiam referre non gravantur. 128 Verùm ut apertè dicam, qvod ſuſpicor, vel veriùs, qvod mihi in mentem te hæc diſſerente venit, litterarum iſta bonarum venditatio ex vaniloqventia nonnihil (ut parciſſimè loqvar) haurire videri poteſt. 129 Qvam enim tandem eam profeſſionem eſſe oportet, qvàm ſuperbam, qvàm impotentem ſui & alieni, qvæ nullis finibus jus ſuum cognitionemqve ſuam terminârit? qvæ velut qvædam artium regina præpotens, vectigales ceteras artes ſibi, & tamqvàm clientulas in fide ſua ſemper eſſe dictitet? 130 Vide igitur, vide inqvam Budæe, ne ſi illæ ſcientiæ, qvibus ſuprà dixiſti ſtudiorum ſuorum fructum uberiùs conſtare, controverſiam ſui iſti veſtræ grandiloqvæ, artium, ut perhibetis, & ſcientiarum dominæ, facere inſtiterint, clientelamqve abnuere, vos deinde hominum judiciô inane nomen bonitatis ſtudioſiſſimè colere amplectiqve videamini. 131 Enimverò (inqvam) Here, non magnoperè mirum eſt tibi id in mentem veniſſe, qvi ex ſenſu inſtitutoqve noſtræ, avorumqve & longè ſuperioris memoriæ, jura & fines ſtudiorum metiaris: qvod multò maxima pars hominum facit, eo-

rum

rum qvoqve qvi docti eſſe vulgò exiſtimantur. At verò nos eloqventiæ ſtudium, qvod præcipuè conſectantur homines litterarum bonarum cupientes, finibus antiqvis complecti inſtituimus, qvi laxiſſimi fuerunt: ut qvi divinarum humanarumqve rerum cognitionem & prudentiam ambitu ſuô cingant: ætates autem recentiores ſua jam & veluti propria peculiariaqve tractare volentes, velut ſocietatis ipſas pertæſum eſſet, communi dividundo arbitros delegerunt, haud ſcio an puſillos metatores & imperitos. Qvorum arbitratu factum eſt, illos ut in campos vetuſtiſſimæ ſapientiæ, incuriâ & inertiâ ad fines regundos miſſæ ſint, indignitate, ut mihi qvidem videtur, non abſimili, atqve ſi clariſſimus aliqvis potentatus in plura imperiola obſcuraqve tribueretur ſucceſſorum ignaviâ, qvi cum impares ſe ſentirent ob ſocordiam univerſo imperio obtinendo, in ſuis ipſi modulis ignavè acqvieſcere inſtituiſſent. 132 Ita multipartitò diviſa eſt una illa amplaqve profeſſio philoſophiæ, qvæ parens prima fuit altrixqve eloqventiæ: cujus æqvales fuerunt homines illi doctiſſimi, qvi qvæſtionem poſcere (ut dicitur) in conventibus ampliſſimis non verebantur, cùm res ita tulerat: parati de re qvacunqve diſſerere explicatè atqve facundè, qvam qvis in medium attuliſſet. 133 tametſi eô potiſſimùm nomine profeſſioni ſapientiæ inclareſcere non contigit: qvæ ſuarum facultatum copias exponere decenter & compoſitè, non venditare didicit & oſtentare. 134 Hujuſcemodi autem ſapientiæ, cujus nos majeſtatem colimus & veneramur, ne aut comentitia eſſe exempla, aut de medio ſublata dicere iſti poſſint, extant Ariſtotelis monumenta, in qvibus magnitudinem ejus ſapientiæ intueri effigiemqve licet: illam verò & in Platonicis expreſſam & eminentem. hi duo autem præcipuè philoſophi, eorumqve familiæ, finium regundorum arbitros nunqvàm adeundos audiendoſqve duxerunt. 135 Ne M. qvidem ille Tullius eloqventiæ non tam parens ut appellatur, qvàm filius & alumnus, ac penè Græcorum gloriæ hæres apud nos ſolus relictus: ejuſdemqve claſſis, non tam ipſi Tullio proximi qvàm ſecundi, cives illi Romani, eloqventiâ qvoqve nobiles, orbis diſciplinaris ſectionem, minutamqve illam conciſionem probaverunt. brevioribus verò partibus orbem doctrinæ coagmentandum ſibi ad vitam civiliter agendam, meritò exiſtimarunt. qvod nobis (ut cenſeo) imitandum eſt pro cujuſqve noſtrûm captu & inſtituto vitæ. 136 Noſſe etiam unumqvemqve ſe oportet. nec enim ſi heroica geſtamina aut exuvias conſecratas, viſendas interdum eſſe ducimus: etiam nobis aptandas eſſe aut tractandas arbitramur, ſed tantùm attingendas. 137 Hodie autem poſt conſtitutam religionem, poſt natales germanæ veritatis agnitos & receptos, philoſophiæ primæ nomen atqve ſapientiæ dicandum eſſe opinor ſacroſanctæ philoſophiæ, qvam vitæ pædagogum providentia & myſtagogum dedit: cujus qvidem certè fundamenta jacta ſint in orbe ſæpe dicto diſciplinarum, qvas ingenuas vocant. 138 Qvem orbem qvi aut amplecti aut ambire certè gravantur, ſuperficiarii ſint ipſi ſapientes ac Theologi neceſſe eſt, nulloqve doctrinæ fundamentô nitentes. 139 Neqve enim meâ qvidem

ſententiâ illius ſinuoſiſſimæ ſapientiæ tam multiplices, tam Dædaleæ figuræ, totius vim naturæ arcanaqve abdita tanqvam allegoriæ ſupellectilem complectentes, ſylvamqve ſymbolicam, percipi ſatis poſſunt, priusqvam illum (ut ita dicam) cinnum priſcæ philoſophiæ diſcipuli ipſius ſapientiæ hauſérunt, ex mixtura expreſſum & confuſum omnium diſciplinarum. 140 At ſummâ diligentia, aſſiduâ lectione, & diuturnâ opus eſt, ingenioqve non qvôlibet, ut ex univerſa lectione, non ex ſingulis modò orbis partibus, atqve ex litteratura plena, juſta, & proba, exiſtat illa ſapientia. 141 At verò eloqventia claris natalibus orta, præcipuè ſervire tàm amplæ commentationi debet, reiqve ſummâ veneratione dignæ: atqve ita ſervire, ut fines ſuos pro cujuſqve captu ingeniiqve facultatibus extendat, qvàm fieri poteſt, maximè: duntaxat qvantum rerum antipathia, ut Græci vocant, non refragatur, qvæ eſt diſſidentium inter ſe rerum pugna & colliſio. 142 Nam cùm olim rerum publicarum magnorumqve imperiorum domina fuerit ipſa & gubernatrix eloqventia, nunc verò à gubernaculis rejecta ſit (è concionibus enim & foris, à capitalibus periculis, controverſiisqve civilibus ſummota eſt: in qvibus olim ornatus ſuos ingenteis, veſtemqve ſplendidam venditabat, & expandebat, omnium oculos præſtringentem.) Verùm cùm hodiernô tempore à publicis ipſa actionibus feriata ſit, ubinam potiùs & clariùs qvam circa ſacra monumenta verſabitur, qvaſiqve in arce Palladia commentabitur? 143 Nimirum, ut video, Rex, Budæe, inqvit tuam iſtam eloqventiam, cum ſuo qvaſi mundo matronali, lauto, nitido, & fulgenti, ad ſacroſanctam philoſophiam, ab ipſa (ut pleriqve arbitrantur) abhorrentem, qvaſi ad aram inviolabilem aſylumqve deportâſti, metuens illi fortaſſe ab illis ſuperciliosarum diſciplinarum magiſtris, qvi cenſoriâ auctoritate compellare vos, venuſti & elegantis ſermonis amatores & patronos, ad populum ſolent, & ad primarios ordines. 144 Qvin & iſta, qvam tu Philologiam vocas, qvæ intra ſua veluti pomœria omneis penè ſcientias non ſine ſuſpicione curioſæ aviditatis, concluſit, qvantum ex te modò audivi, invidiâ vobis non contemnendâ nuper flagrare cœpit, ut fama eſt, qvaſi receptæ & fixæ jam diu religionis labefactatrix errorumqve multorum inſititrix provinciatim & adornatrix. 145 Qvæ invidia niſi qvamprimùm opprimatur, in magnum fortaſſe incendium evaſura, nomenqve litterarum bonarum (ut jam verbis veſtris utar) prorſus deletura eſt. 146 Siqvidem Here (inqvam) cùm ejuſmodi calumnias adverſus honeſtiſſima litterarum ſtudia magnô ſudore iſti proferunt, fidem apud tuam majeſtatem homineſqve rerum peritos atqve ingenioſos, ut apud imperitam plebem faciunt: nec calumniæ planè manifeſti ſunt, charitati evangelicæ per lineam (ut ajunt) dimetientem oppoſitæ. 147 Qva de re qvid ſentiam, non neceſſe nunc habeo hîc dicere: cùm alioqvin eam ob rem non magnoperè (ut reor) angere nos debeamus, qvod qvidem ad te attinet. cujus judicii acrimoniam cùm animadverſam habeamus & perſpectam, nobis utiqve non verendum eſt, ne litteræ bonæ in-

dicti

dictâ cauſſâ pro poteſtate damnentur, iſtorumqve coitione tumultuoſâ è numero diſciplinarum connivente regiâ majeſtate circumſcribantur. 148 Qvod cùm Rex mihi annuiſſe oris ſerenitate videretur, tùm deniqve velut ſpe novâ recreatus, Sed enim, Here, (inqvam) cùm dicendi facultas, qvam eloqventiam vocant, ars una ſit omnium temporum & locorum: cùm etiam in civilibus actibus publicisqve rerum adminiſtrationibus, ingentem ac multiplicem uſum præſtare poſſit, ſi moribus rectè res eſſet publica atqve ordine adminiſtrata: nimirum ipſa antiqviſſimô qvôqve locô, in conſiliis, in curiis, in ſenatibus, in conventibus & ſtatis & extra ordinem indictis, ſententiam rogaretur, ultrò etiam ipſa princeps jure ſuô cenſeret. eâdeniqve eloqvi exordiente, favere omnes lingvas non gravarentur, aureſqve expurgare & erigere ad audiendum, in ejus ſententiam partim pedibus conſulti homines diſcederent, partim voce ipſi aſſentirentur, poſtremò in ejus verba ſenatusconſulta fierent, leges & ſanctiones perſcriberentur. 149 Jam verò legationes apud exteras gentes maximis de rebus obire compoſitè, appoſitè & efficaciter, qvis ſine comitatu ejus poſſit, vel eâ potiùs non præeunte. 150 Qvis cohoneſtare patriam & illuſtrare juxta peregrè atqve domi? 151 Age, qvid ſi etiam reges & principes viros, egregiè de patria ſinguliſqve meritos, immortalitate donare ſola poteſt, atqve inter divos propemodùm cceliteſqve referre? qvô nihil amplius in rebus humanis exoptatiuſqve cenſetur. 152 Jam bellorum incendia, ſeditionum flammas, nonne hæc eadem reſtingvere novit eloqventia? rurſus cùm opus eſt, & reipublicæ intereſt, inerteis homines ac pacis alumnos, ad aras focosqve tuendos, aut ad jura ſua ferrô flammâ omni ope repetenda, exſtimulare & accendere? ad ſummum non aqva & ignis majorem uſum & commodiorem in re privata præſtant, qvàm ipſa præſtare poteſt in republica eloqventia. 153 Hic circumfuſam turbam Rex intuens * ridibundam, qvaſi in vaniloqventiam præ impetu & fervore exarſiſſem, Eqvidem (inqvit) exſpectabam, ut eloqventia ab Aeſculapio artem mutuata, qvem medicina deum ſibi qvondam adoptavit mortuos exſuſcitaret: qvæ cùm omnibus è diſciplinis coagmentata ſit, ſi Budæo credimus, in-

* *Turbam intuens ridibundam*]. Qvemadmodum Heſiodo in Ἔργοις v. 40. dolet, neſcire mortales, qvantum & Malva & Albucum adferre commodi rebus humanis qveant, tametſi viles herbæ, ita nos qvoqve non nunc primùm qverimur, ignorare non modò vulgus, ſed & adoleſcentes, ſtudioſos, aulicos, nonnulloſqve primores, ſibi omnino ſapere videntes, qvantum momenti habeant ſolidam ad eruditionem parandam dicendi artes, qvæ in ſpeciem nihil profitentur ejuſmodi cui vulgus adplaudat, ceterùm utilitate facilè res humanas omnes vicerint. Neqve enim uſqvam qvidqvam in tota rerum eſt univerſitate, unde ad mortales ampliora commoda, qvam ex hoc artium genere redeant. Sed cùm earum pretium juventus cum vulgo ignoret, fit ut pleriſqve ſordeant, minimèqve dignæ judicentur, qvibus diſcendis operam navent. Præclarum ſic ſatis eſt, Advocatum & JCTUM audire; Habet ſuos cultores Medicina. Theologicô nomine nihil ad vulgus plauſibilius eſt. At Philoſophiæ veræ, Philologiæ & eloqventiæ ac ſtyli, tamqvàm Megarenſium, nulla ratio habetur. Dixit pro ſtudio artium dicendi & eloqventia Philippus Melanchthon olim Tomò I. Declam. Witteberg. p. 394. ſ. & Georg. Sabinus ibid. p. 423. ſ. Petrus Joannes Perpinianus Valentinus Jeſuita Orat. VI. p. 220. ſ. edit. Ingolſtadienſ. M. DC IX. in St. & Orat.

finitam qvoqve vim ut habeat utiqve conſeqvens eſt. 154 Qvod ſi mihi planè tandem ipſe, divæ eloqventiæ numine tantiſper inſtinctus, perſvaſerit, cauſſam (ut opinor) haud dicturus ſum, qvin litteræ ipſæ qvarum beneficiô hæc facultas tàm utilis, tàm commoda, tantarumqve rerum conficiens paratur, non jam litteræ bonæ, ſed optimæ nuncupentur, qvod hactenus dicere ſuperſedi. 155 Atqvi (inqvam) Here, qvod de mortuis exſuſcitandis dixiſti, aliàs fortaſſe viderimus, ſi in eum ſermonem opportunè incurrerimus: nunc autem perfecturum me ſpero, non modò, ut litteræ, qvæ nunc mentes ingenuas exercent, qvæqve jam pridem exercuerunt, optimæ & voce tuâ & tuæ majeſtatis auſpiciis appellentur, ſed etiam ut maximæ. 156 Cujus appellationis honorem antiqva ſuperſtitio Jovi ſuo conſecravit ut ampliſſimam: ſed ita, ut priùs Jovem ipſum optimum vocaverit qvàm maximum: majus eſſe ſignificantes (ut Marcus inqvit Tullius) optimum eſſe, hoc eſt beneficentiſſimum, qvàm ſummâ poteſtate præditum 157 Perge igitur (inqvit) qvâ cæpiſti, qvoniam auſcultatore me non minùs æqvô qvàm attentô uſurus es, atqve etiam clarè plauſurô, ſiqvidem in fabulæ clauſula non hæſeris. 158 hoc tantùm receptum mihi volo, ut tàm mihi percunctatorem, cùm ita videbitur, qvàm auditorem eſſe per te liceat: ita ut eam ob rem ne conturberis, ſi omnia tibi non aſſenſero. 159 Enimverò, inqvam, Here, hanc infinitam eloqventiæ vim dicendiqve facultatis potentiam, veteres illi ſapientes per Mercurium ſignificaverunt: qvem uterqve Homerus ad ſuperos identidem inferosqve commeantem finxit, & utrò ierit ipſe cunqve, aditum ſibi liberum & patentem, reditumqve præſtruentem: ad cœlum animas qvaſdam evehentem humanas, ad orcum viciſſim alias deducentem: tùm homines conſopientem qvos velit, & rurſus excitantem qvos libuerit cunqve. 160 Qvantumqve inter numina patere potentiam Hecates antiqvi poëtæ prodiderunt (qvam unam Heſiodus tantum honoris & præſtantiæ ſortitam eſſe dixit, qvantum univerſam cœli & terræ progeniem) tantundem eloqventiæ inter ceteras diſciplinas patet facultas & amplitudo, cùm eam priſci eſſe voluerint herebô cœloqve (ut ait ille) potentem. 161 Num qvid igitur cauſſæ eſt Budæe (Rex inqvit) ſi tanta hæc facultas visqve adeo, humana illa qvidem, ſed tamen prope divina (ſiqvidem vera ſunt illa, qvæ tu de

ea

Orat. XI. p. 333. ſ. Item M Anton. Majoragius Orat. XII. qvam habuit adverſus eos, qvi ornandæ Orationis ſtudium & dicendi elegantiam vituperant p. 257. ſ. & XVI. qvæ eſt de modo proficiendi in Eloqventia, atqve in ſtudiis optimarum artium, p. 337. ſ. edit. Lipſienſis Vœgelianæ CIϽ IϽCVI. in 8t. cujus in fine habes qvoqve Majoragii de Eloqventia Dialogum non ſpernendum. Faciunt & huc maximam partem elegantes Julii Nigronii Jeſuitæ orationes lectu non indignæ; ſicuti & omni laude major Aonii Palearii Verulani oratio IV. de Laudibus Eloqventiæ p. m. 154. ſ. edit. Bremenſis M DC. XIX Qvô neſcio an eloqventiorem nanciſci potuerit laudatorem eloqventia. Adde Orationem de cura rectè loqvendi recitatam â Petro Vincentio Uratiſlavienſi, & inſertam Tomo IV. Declamationum Philippi p. m. 690. edit Argentorat. M. D. LVIII. in 8t. Doleo non rarò & vehementer angor interdum, ubi video pleroſqve non depravatè & corruptè ſolùm ipſos de hac tota dicendi facultate judicare, verùm omnes etiam in eo nervos contendere, ut qvo in errore ipſi ſunt, in eundem ceteros inducant.

ea nunc magna cum aſſeveratione dixiſti) in hominem improbum pravæqve mentis inciderit, qvin cœlum ac terras (ut dicitur) miſcere ipſa poſſit, & ſumma imis æqvare? ita Philologia tua, qvam mihi ut potentiſſimam, ſic optimam, & præſtare & probare ex pacto te oportet, idqve meô arbitratu, rurſus in illam invidiæ flammam revolvitur, qvam ii homines, qvos ſuprà diximus, vobis excitare non ſine colore luculento ſpecioſoqve conantur, ex qva erepſiſſe qvoqvômodô ipſa te dicente videbatur. Neqve hîc tamen attingo qvod aliqvando tibi objeci, cùm tu eloqventiæ regnum & potentatum magnoperè imminutum fuiſſe diceres, ex qvo in foro judiciali ſpecimen ſui facere deſiiſſet. Mihi enim videri, reſpondi, Eloqventiam ipſam qvam tu (ut opinor) velut exarmatam vocabas, & umbratilem, longè capitaliorem eſſe factam: qvippe qvæ olim reorum patrocinia libentiùs atqve populariùs qvàm delationes ſuſciperet reorumqve damnationes, hodiernô autem tempore hominum paſſim exiſtimationis carnifex eſſe cœpiſſet. 163 Tanta etiam contentione (ut fama eſt) nullo ut alio argumentô qvidam ejus ſtudioſiſſimi, ingenium commendare ſuum proferreqve niterentur: non acumine figurarum, non troporum integumentis & venuſtate gaudentes, ſed qvô vulnificentiùs eloqventes ſint, nominatiſſimum qvemqve hominum, & ſummum qvodqve caput, integrum juxtà ignominiaqve aſperſum, ora deniqve adverſa ac jugulos petentes. qvô qvid invidioſius litteris eſſe poteſt, non pridem, ut dicitis, reſtitutis? 164 At verò (inqvam) Here, unum hoc fuit ſemper eritqve in infinita hac potentia eloqventiæ cautum atqve receptum, ne res præclariſſima decuſqve humanitatis (duntaxat qvod ad immortalitatis munia pertinet) ſit malæ mentis organum. 165 Qvippe veteres illos etſi veritatis ignaros germanæqve ſapientiæ, puduit tamen virum malum qvemqvam eloqventem eſſe fateri: neqve eloqventem hominem eſſe poſſe dixerunt, qvi non idem † vir bonus eſſet: adeò rem honeſtiſſimam atqve commendabiliſſimam, uſu indecorô obſoleſcere Deus & natura noluerunt, mortalibuſqve peſtifero. 166 Neqve enim Herculis virtutem natura Siſypho accommodavit, qvam ad juvandos mortales comparaverat. neqve Pitho ſedere in labris ejus poteſt, qvi corde vitioſô ſit. Et ut philoſophiam ἠθοποιὸν, ut Græci dicunt, id eſt morum informatricem eſſe oportet, ſi nomen ſuum tueri vult & dignitatem: ſic morata ut ſit eloqventia neceſſe eſt, qvæ alumna eſt philoſophiæ. 167 Dicendi autem facultas, qvâ homines qvidam mali omni ætate uſi ſunt ad res malas & ſceleſtas, in ſcenam, ut ita dicam, in mediumqve producendas, aut logis intervallis reducendas, non eloqventia eſt illa qvidem, qvæ tùm efficacem vim habet tùm perpetuam: ſed verſutiloqventia po-

tiùs:

† *Qvi non idem vir bonus*] Non parùm refert, judiciô Philippi Melanchthonis in Oratione de corrigendis Adoleſcentiæ ſtudiis Tomô I. Declamat. p. m. 490. ad vitæ tuendæ rationes, qvô genere litterarum rudis ætas initiò formetur, cùm ob alia multa, tùm hoc maximè, qvod nihil efficacius eſt ad mutanda ingenia, moreſqve hominum, litteris. Nam ferè ſemper talis eſt, unuſqviſqve qvalem ſtudia faciunt. Nec mihi bonæ litteræ, niſi qvæ mentis bonæ ſunt, videntur. Itaqve præſtat optimis juventutem erudiri, mores enim optimos optimæ litteræ conſervant:

tiùs, qvæ tum deniqve fallere deſinit, cùm color & fucus illitus exolevit. 168 Qvare falſô crimine eloqventia ab iſtis hodie arceſſitur, qvaſi patrona & aſſertrix perverſarum opinionum olimqve exploſarum: qvod non minus habet ipſum imperitiæ qvàm çalumniæ. Qvid enim ſit eloqventia homines infantiſſimos ignorare, non magnoperè mirandum eſt aut indignandum. 169 Alteri autem crimini ſi reſpondere cœpero, vereor, ne ulcus ſit, (ut ajunt) qvod attigero. uſqve adeò eâ parte noſtra cauſſa laborat, qvaſi dirô qvôdam & ferô malô. 170 Diſcordia, qvam Græci Eridem vocant, in deorum olim convivio malum illud aureum miſiſſe dicitur: unde inter deas contentio Paride diſceptatore orta eſt: haud ita pridem exitiabilior qvædam noxa, livoris ſtygii virus in hominum qvorundam doctorum præcordia inſpiravit, ex qvo litteræ malè audire apud multos non dubiè cœperunt. 171 nam qvaſi materiâ jucundiore conſumptâ ingeniorum proferendi, compellandi ipſi qvos oderint, obtrectandi apertè, laceſſentibuſqve reſcriptitandi, argumenta comminiſcuntur indies alia atqve alia. 172 Qvam ob cauſſam, etſi maximè pridem typographorum officinæ viſebantur, nunc tamen ut obſoleta acroamata jam minùs atqve minùs vendibilia eſſe dicuntur. 173 Mihi verò aliqvando experienti (ut apud te ingenuè fatear, Here,) id malum tametſi acre, tamen non ingratum viſum eſt, qvamdiu qvidem certè tumebant præcordia: pudendum autem ipſum deinde & pigendum cùm tumor reſederat. 174 Quare felices qvoſdam eſſe judico homines doctiſſimos, qvibus integris & puris ab hac peſte, ad extremum eſſe contigit. qvam peſtem Achilles, ut diram & capitalem animorum contentionem, apud ſapientiſſimum poëtarum execrans, velut ſerâ reſipiſcentiâ extimulatus, dulciorem melle ait eſſe, in hominumqve iratorum pectoribus qvaſi fumum gliſcere ac glomerari. 175 Abſit igitur ne hominum vitium in crimen vertatur eloqventiæ, ſive obloqventia eſt illa qvædam potiùs, qvæ animam in vulnere, non etiam perſvaſionis aculeum, in auribus linqvere conſvevit audientium. 176 Condonetur deniqve qvoqvô modô litteris hoc facinus, qvod fatale, (ut opinor) erat huic ætati, ut & alia atrociora, impietatiſqve impurioris redolentia. 177 Poſtremò hoc tibi, Here, mihiqve perſvaſum ſit, gladiaturam illam ſtyli, non eſſe ludi eloqventiæ, qvæ ſummorum auctorum elogiis teſtantibus, ſeſe non niſi viris bonis & æqvis indulget liberè pertractandam. 178 Mihi verò (Rex inqvit) ii, qvi eruditione eximiâ & eleganti, ad ornanda exacuendaqve maledicta, aut tuenda & armanda maleficia uti inſtituerunt, eſſe non abſimiles illis ſemper viſi ſunt, qvi vaſis aureis aut gemmeis ad propinanda utuntur venificia: aut qvi prudentiâ, ad circumſcribendum: aut qvi ſcitâ ratiocinatione, ad aſtruenda commentia dogmata & exitialia. Hi enim ut perverſam mentem habent ipſi, ita rerum qvoqve pervertunt uſum, ſanitatiſqve præſidia in exitium vertunt hominum. 179 Qvibus eqvidem ipſis non pudendam, tantummodò, ſed etiam eſſe dico pigendam doctrinam & pœnitendam: cùm tot tantiſqve vigiliis (ut audio) tantòqve tempore à vobis comparetur.

180 Vi-

180 Vitium eſt hoc eorum, Here, (inqvam) qvos Græci apirocalos vocant, qvi rerum honeſtarum compotes facti, aut abſurdè, aut præpoſterè aut deniqve ineptè iis utuntur & incommodè. 181 Sed qvemadmodum (ut inqvit M. Tullius) * proverbiô teſtatum eſt, hominem frugi omnia rectè facere, qvod Stoici de ſapiente dixerunt: ſic doctrinam eximiam, moribus cumulatam eſſe bonis oportet, ut eloqventiam pariat totô organô (ut dicitur) inſtructam commodiſſimè. 182 & qvantum Pythagorici numeris & muſicæ, tantum debent egregiè litterati candori tribuere & probitati. 183 Verumenimverò ô ſummam indignitatem, Here, qvæ inſcitiâ matre orta, non modò multis ſeculis adolevit, ſed etiam publicâ auctoritate regiâqve corroborata eſt, ut jam flecti neqveat. 184 hæc tanta juvandæ, componendæ, cohoneſtandæ vitæ facultas: hoc organum tàm inſtructum reipublicæ ſplendidè adminiſtrandæ, moribus tamen Franciæ inter lucifugas (ut multi cavillantur) in locis obſcuriſſimis. 185 Qvippe cùm ejus diſciplinæ profeſſores ex eorum numero circumſcripti ſint, non modò qvi æra merent Principum aut publica, ſed qvorum ratio, qvantulacunqve habetur in commodis diſtribuendis. 186 Nihil in anniverſariis rationibus Regum expenſum iis ferri ſolet, non magiſtratus, non honores, non ſacerdotia deferri. In claſſe deniqve formularium, libellionum, amanuenſiumqve homines adhuc cenſentur omnium doctiſſimi. nimirum qvoniam eorum ſcriptô plerumqve locupletes & ornati viri, ſed non perinde litterati utuntur, qvando orationes ipſi aut domi, aut peregrè habituri ſunt. 187 Nec verò minùs indecorè in Francia ſervit eloqventia, qvam Hercules qvondam in Lydia dictus eſt ſerviviſſe. 188 Et qvidem ſæpe mecum ipſe æſtimans ætatis noſtræ contentionem ad litteras cùm Latinas tùm Græcas in integrum vitæ reſtituendas, admirari ſoleo, quô numine tandem acti ſtudioſi qvidam homines, iidemqve leviter peculiati, nihil aliud penſi præter id habere videantur. 189 Nam cùm in omni ordine conditioneqve vitæ civilis, ſi unqvàm aliàs, nunc maximè, ſinguli univerſiqve, rei qværendæ, augendæ, tuendæ, faſtigio ſuo tollendo, amplificando, exornando, omnem curam animadverſionemqve inpendant: hi abjectâ patrimonii componendi nedum amplificandi aut expoliendi curâ, toti optimâ fide incumbunt ad interpolandam, reconcinnandam, denuò perpoliendam eloqventiam, qvæ tot ſeculis in ſqvallore jacuit & ſitu fœdiſſimo. cùm interim nulla ſpes præmii aut numerandi tandem, aut rependendi oculis eorum obverſetur. 190 Qvos eqvidem ipſos non minus de poſteris mereri æqvalibuſqve cenſeo, qvàm illi olim majorum (ut ita loqvar) gentium auctores Græci atqve Latini, inveniendis artibus prodendiſqve promeriti ſunt: etiamſi faſtigium ipſi inventis, manumqve impoſuiſſe ultimam jure debent exiſtimari. 191 Nam illi qvidem, qvod acumine & judiciô facilè præſtiterunt, ea fuit temporum magis, qvàm hominum præſtantia. Ceterùm eorum induſtriæ non cedit memoriæ noſtræ pervigil diligentia.

* IV. Tuſc. c. XVI.

gentia, qvibus bona pars florentis ætatis in lingvis ediſcendis conterenda eſt, qvæ prorſus jam alienæ ſunt & peregrinæ ſermoni vernaculo uniuſcujuſqve gentis. 192 At labori hominum ingeniorumqve præcellentiæ ſua olim præmia ſemper, aut certè pleriſqve ſeculis conſtiterunt. Ex qvo verò homines nunc meminerunt, veræ eruditionis æſtimatio uſqve adeo jacuit, ut juvenes parum frugi indoliſqve deploratæ judicarentur, qvi litterarum diſcendarum ſtudio unum aut alterum annum prorogantes ultra ſolenne vulgò ſpatium, tantiſper fortunam ipſi ſuam morari, ſeſeqve fraudare iis artibus viderentur, qvæ ad rem faciendam pertinent. 193 Hancqve ipſam ob cauſſam memini me olim ab hujuſcemodi prudentum natione deſignari oculis nictantibus, ut fanaticô amore litterarum inanium correptum, qvi oleum cum opera perdere me non ſentirem. ac niſi natalitius qvidam inſtinctus, ſerò qvidem ille, ſed vehementi atqve univerſâ animi contentione, mentem meam huic piſtrino alligatam aſſiduè teneret, ſtimulôqve Philologiæ indies magis ac magis exacutô aſſiduè perurgeret, amoribus illis meis utiqve aridis & jejunis, nuncium jamdiu remiſiſſem. 194 Nam diſcendi cupiditas qvamqvàm homini honeſtarum rerum admiratione imbuto, tum lectionis blandimentis, tum profectus illecebris, lenocinari mirè ſolet: tamen niſi pabuli qvippiam extrinſecùs objiciatur, pro qvo ipſo ſpei vel inanis vel caſſæ illicium ſæpe cedit, animus ſenſim laſſeſcens, ad extremum neceſſe eſt ut fatiſcat. 195 Juris civilis ac pontificii non dico prudentibus, ſed utcunqve conſultis, ſpes certarum capturarum propoſita eſt ad cancellos forenſes oberrantibus. Qveîs & ipſis cùm forenſem laborem gravari cœperunt, à togatorum ordine emigrare ſtatim licet, ſi fortunam nacti ſint adminiculatricem, ad tribunaliaqve ſcandere, & in ſubſelliis liliatis eniteſcere. 196 Ex nulla autem ferè vel diſciplina vel natione homines tot evadere videmus: non ſuâ vi, non propriâ, non juſtâ magnitudine grandes: qvaſi qvoſdam grallatores. Nam ut hi calopodibus ſublati inceſſu prægrandi giganteam proceritatem ementiuntur, ſic illi in ſummis magiſtratibus altiſqve cothurnis honorum conſtituti, ſummi ſibi viri multiſqve videntur eſſe. 197 Qvô nomine præcipuè juris interpretum libris officinæ palam & tabernæ refertæ ſunt, bibliothecæqve ipſorum magiſtratuum, juris qvoqve interdum imprudentium. 198 Qvippe lumen & foro & conciliis prætuliſſe juris enarratores, & ut vocantur, conſulti, ampliſſimorum ordinum præjudiciô exiſtimantur, cùm apud peritos conſtet, hujuſcemodi commentariis jus antiqvum illuſtrantibus, ipſum jus civile excæcatum eſſe, nonnullaqve ex parte pontificium. 199 Hujus autem ſcientiæ & aliarum diſcipulis, poſt annum unum aut alterum, & à primis ſtatim rudimentis, excedere è tironibus ſolenne eſt, ac tirocinii depoſiti inſignia capere, * baculariosqve (ut opinor) vocitari: poſtea aliqvot annorum acceſſione pro cujuſqve diſciplinæ inſtituto, mellodidaſcalos moris eſt deſigna-

* *Baculariós*] Rectiùs fortaſſe de ſententia maximi Buchneri noſtri Diſſertation. in Academic. D. CCII. p. m. 202. b. certò eruditè magis, qvàm Baccalaureos eos voces.

deſignari, ac prælegendi jure donari, qvi ſecundus gradus eſt inſignium
acceptorum in omnibus diſciplinis: inde porrò ad docturam provehi, qvi
apex eſt magiſterii, jus jam plenum conferens ac decus publicè reſponſitandi.
200 At verò noſtræ Philologiæ aſſeclis tanqvàm perpetuis diſcipulis ac ſem-
per tironibus nunqvàm exanclatæ ſunt ærumnæ ſtudiorum, nulli tituli, non
docturæ, non prodocturæ vel mellodidaſcaliæ, non cujuſvis magiſterii
propoſiti, nulla inſignia honorum exſpectata, nulla decora, nullæ ſpes eme-
ritorum. 201 Profectò cùm multa iniqvè & noſtris & omnium penè mori-
bus comparata ſint hôc tempore, in omni parte vitæ: tùm id iniqviſſimè,
niſi nimium ipſe hominum nationi faveo arctâ mihi neceſſitudine conjunctæ.
202 Nam qvid iniqvius eô eſſe poteſt, qvàm qvòd diſciplinam ad omnium ar-
tium honeſtarum interpretationem, explanationem & judicium, omnium ho-
norum adminiſtrationem illuſtrem & ſpectandam viam munire & gradum fa-
cere non dubium eſt apud homines peritiſſimos, ea una diſciplina omnibus ho-
norum gradibus dejecta, omnibus caſſa dignitatum inſignibus eſt, ut nec in or-
cheſtra, nec in ordinibus theatri reip. noſtræ ſeſſum ſpectatumqve admittatur.
203 Momi † certè hæc jam indigent, & Momi ſanè acris, & prævaricationis
inſcii. 204 Qvamqvàm hujus indignitatis culpa penes eos eſt, qvibus qvaſi de-
ſignatoribus reſp. uſa eſt ad hunc diem, ſive imperitiſſimi ipſi, ſive fuerint ini-
qviſſimi, qvi iis locum nullum omnino qvaſi trioboli civibus reliqverint,
qvos primorum ſubſelliorum ſeſſores eſſe, & decebat & æqvum erat. 205 Atqvi
ſeculi cujuſqve propudium eſt & grande opprobrium cùm viri inſigni doctri-
nâ præditi, & morum honeſtate commendabiles, nec alioqvi ſocordes, aut
egentes ipſi & jacentes domi ſuæ videntur, aut in familia divitum verſantes
& oberrantes tanqvàm mediaſtini. 206 Videlicet hoc illud eſt qvod ajunt.
Sed jam nimis multa hujuſcemodi fortaſſe, & vereor, Here, ut de fece
jam qverelarum haurire apud majeſtatem tuam videar. 207 Age, age por-
ro, Rex inqvit, age qvod agis Budæe, interim dum ** aqva tibi fluit: qvan-
doqvidem aurem vacuam tibi ac tuæ Philologiæ utendam accommodare
nunc conſtitui. Proinde tu non tanqvam ad clepſydram, ſed tanqvàm ad

M 2 ampho-

† *Momi certè*] Qvemadmodùm ſemina ac plantæ ſingulos in annos degenerare ſolent, fatô qvôdam omnia ſucceſſu temporum in pejus trahente, ità homines qvoqve ſingularum ætatum deteriores naſci, ac ſemper à ſuperioris ſeculi ingenio & moribus longè degenerare videamus. Qvare ut agricolæ arte ac diligentiâ, dum qvotannis maxima qvæqve manu legunt illi ſeminum mutationi mederi ſtudent, ita viros honeſtos qvoſqve cum ſuorum temporum vitiis pugnare oportet, qvod niſi fiat, omnia brevi in præceps ruitura videamus. Ad eundem modum niſi totis viribus reſiſtatur horum temporum negligentiæ atqve inertiæ metuendum eſt, ne ad poſteros magna ex parte & religionis doctrina, & ceteræ qvoqve diſciplinæ ſint interituræ. Nam eccleſia, non jam dicam de alumnis vel diſcipulis, Doctores certè non eſt habitura, & diſpenſatores myſteriorum Dei, cùm ita negligantur ſtudia. Deinde qvalem putemus militiam in ſuperioribus diſciplinis futuram, cum in his primarum artium rudimentis nullum ſit tirocinium? Non igitur debet prætermitti ulla occaſio, qvâ utcunqve rerum tantarum ruina fulciri ac prohiberi poſſit.

** *Aqva tibi fluit*] Id eſt tempus tibi ad dicendum permiſſum durat. Sumta phraſis à clepſydris, ad qvas olim dicebant Rhetores & cauſſarum Patroni, qvæ à judicibus ſive arbitris, pro tatione cauſſæ, vel pluſculæ, vel pauciores dabantur.

amphoram dicas licet: ac ne id qvidem modò, ſed dolium vel totum qverimoniarum ut exhaurias. 208 Pergam igitur, inqvam, Here, qvando bonâ veniâ majeſtatis tuæ licet, apud qvam aliàs qvoqve ferè aqva non malignè mihi funditur, præſertim litterarum bonarum cauſſam defenſitanti: ſed qvàm maximè potero de liqvido tamen hauriam. 209 Qvod utinam mihi amoribuſqve meis, non vacantem tantùm autem & utendam, ſed proclivem etiam & fruendam, Here, olim commodâſſe dicâre. Et verò his & hujuſmodi acroamatis animadverſionem ſtrenuam accommodâſſe. 210 Hoc igitur illud eſt, ut dicere cœperam, qvod qvidam olim vir prudens dixiſſe commemoratur, Mundum hunc tanqvàm theatrum qvoddam eſſe prægrande, & viſendâ varietate diſtinctum, ſed in qvo deterrimus qviſqve optimum qvemqve locum occupare ſæpe ſoleat, occupatumqve eundem iniqvè retinere, ſummotis inde viris longè melioribus atqve dignioribus. 211 Legibus regiis atqve pontificiis, juris utriuſqve ſtudio, Medicinæ atqve Theologiæ, in conventibus ſcholaſticis Franciæ, gradationes ſuæ, annariæqve denunciationes apud pontifices & alibi conſtitutæ ſunt: indeqve ſacerdotiorum petitiones, ac legis actiones proditæ: ne dialecticis qvidem hujus beneficentiæ regiæ exortibus, atqve pontificiæ. 212 Hâc lege tertia pars ſacerdotiorum earum artium diſcipulis ita contributa eſt, ut ſint qvi in candida pura petant, & qvi in candida commendatorum: qvos candidatos ſcholarum vel conventuum ſcholaſticorum, rectè (ut opinor) qvi volet appellaverit: ut olim candidati Cæſaris appellati ſunt, ii qvi à Principibus Romanis ante ſublata ab auguſtis comitia, nominatim tribulibus commendabantur. 213 Et qvidem moris eſt, ut ii qvibus candidatos eſſe licet, hoc eſt, qvi in unaqvaqve diſciplina gradu aliqvô præditi ſunt, annô ſuô petere ſe apud eos profiteantur, qvi ſacerdotiorum conferendi jus habent, conſtitutô anni tempore, qvod denunciare vocant: & in candida verò pura petentibus, & à ſcholaſticis conventibus proditis juvenibus, qvos nominatos vocant, utriſqve ſui menſes ad petitiones attributi ſunt, ſi modò ſint ritè ex formulaqve profeſſi. 214 Hæc igitur cùm rectè atqve ordine conſtituta eſſe videantur, qvænam eſt tanta vel hominum ignorantia, vel temporum iniqvitas, ut circularis diſciplina, ut omnium diſciplinarum arbitra & diſceptatrix in pontificiis atqve regiis conſtitutionibus præterita ſit, & exhæres planè omnium bonorum honorumqve facta: qvæ legibus, qvæ decretis, qvæ moribus inſtitutiſqve deferuntur. 215 Qvis porro non indignetur, eam diſciplinam & profeſſionem, qvæ omneis alias complectitur, atqve intra ſuum orbem coërcet, qvæ ſuis finibus ſingulas qvaſi architectonicô jure circumſcribit, à ſchola Pariſienſi (qvæ ut metropolis ſit ipſa omnium ſcholarum, & cenſeatur omnium, ut opinor, ipſarum bonâ veniâ & aſſenſione licet) inſcitiâ temporum, & pauperie in re litteraria factâ, è numero diſciplinarum exauctoratam eſſe? è præſidiiſqve ejectam Palladis, atqve ejus ære dirutam? Qvando autem eloqventiæ facultatem adeptis, & verè doctis & litteraris, eâdem lege aut aliâ, annô ſuô petere? qvando decimô luſtrô ſtu-

diorum

diorum licuit? 216 At enim ſi minùs in legis auctoritate, tamen aliàs ſpem habent ſubſidii in æqvitate pontificum & antiſtitum piaqve eorum beneficentia & populari collocatam. 217 Qvotus igitur qvisqve pontificum, aut aliorum qvi deferendi aut conferendi ſacra beneficia jus habent, cùm tot curialia flaminia, urbana atqve ruſtica, tot ſodalitates canonicas, tot primatus, tot honorata miniſteria, tot eccleſiaſtica munera variis nominibus functionibusqve diſtincta, qvotidie in multos aut commendatos ſibi, aut meritos vel de ſe, vel aliàs conferant, unum tantùm imputare Philologiæ noſtræ poteſt? 218 Qvis de litteris bonis hâc ratione benè merendo, gratiam à populo aut ab ordinibus aucupari viſus eſt? nam qvæ clientelæ longæ & famulatui deferuntur, non commendationi doctrinæ: ſed obſervantiæ & obſeqvio tribuuntur. 219 Qvoto porrò cuiqve homini doctiſſimo eô nomine vidimus aut meminimus, ejurandi (ut fit) ſacerdotii veniâ impetratâ, per manus traditum hujuſmodi beneficium? 220 Nullô igitur nec locô (Rex inqvit) nec numerô habetur, qvantum ex te audio, ea ſtudioſorum natio doctorumqve hominum, qvos ſolos Latinos eſſe & litteratorum appellatione dignos, ab iis cenſeri video, qvi Latinæ antiqvitatis periti eſſe dicuntur: cùm tamen ejuſdem ordinis ſcriptorum induſtriâ atqve doctrinâ illuſtrium olim regum populorumqve res geſtæ, memoriæ proditæ ſint, & ad hodiernum uſqve diem eorum memoria prorogata. 221 Id qvod moribus comparatum & receptum, iniqvitatem non mediocrem, aut ignorationem ſummam apud nos ejus numinis præfert, qvod tu religioſiſſimè ac diutiſſimè coluiſti. 222 Tametſi iſti veſtræ dicendi ſcribendiqve facultati, inſignis gens Gallorum (ut audio) nihil habet magnoperè memorabile qvod acceptum referat. 223 Qvod utinam nobis contigiſſet, ut tàm accurati ſcriptores mediocris notæ, in veris laudibus majorum noſtrorum extitiſſent memoriæ mandandis, qvàm nobilis ille Romanarum rerum ſcriptor Livius, cupidè feciſſe videtur, ubicunqve occaſio homini ſeſe dedit, * Gallorum

* *Gallorum ut gentem*] Improbat hunc qvoqve Livii morem Barthius: *certiſſimum hoc*, inqviens lib. LX. Adverſar. c. VI. col. m. 2878. ſ. edit. Francof. M. DC. XXIV. „omnes Scriptores re„rum Romanarum, qvi nunc ſunt, datâ occaſio„ne panegyriſtas ſimul laudum eſſe Patiæ ſuæ. „Livius, merito eorum princepsqve paterqve „qvàm frigidè aliarum gentium præconia præter„it, cùm fortiter fecerunt. Gallorum verò et„iam deditâ operâ non tàm obſcuravit qvàm ob„ruit & maledictis etiam extirpavit, Romano„rum autem facinora illuſtria longis præconiis „obliqvis directisqve extollit ubiqve. Ejus cor„reptor Florus non tàm Hiſtoriam qvandam aut „Compendium Geſtorum qvàm victoriarum Pæ„anem deſaltavit, etiam in cladibus anqvirens „præconia ſententiolis vibrandis, & erigendis „infortuniis maliſqve moribus interſtingvendis „ex memoriâ. Vellejus Paterculus tantum præ„conem Romani nominis agit, ut eô ſolô fine „ſcripſiſſe videri poſſit. Jam Valerius Maximus „fine ſuô caderet, ſi qvid ſecus, non adigente ope„ris velut neceſſitate, proponeret. Idem de Ce„teris judicium eſt. Salluſtius invehitur in mores „malos, nec tamen hoſtium virtutes æſtimat. „Cæſar non tàm Hiſtoriam rerùm ſuarum qvàm „Diarium ſucceſſuum contexuit. Alii pleriqve „non abſcedunt ab iis qvos exſcribunt, ut Plu„tarchus, Appianus, Dio, Xiphilinus, & ma„gna vis aliorum. Rariſſimos ſupereſſe qvi veri„tatem viderentur exqviſitè ſectati & ſibi com„perta ſcripſiſſe, in ceterorum tamen copia non „ſpernendos, voluit divina Benignitas; in his „principem ponere ſoleo Polybium, cujus pre-

ut gentem nomenqve in hiſtoriis ſuis maledictis concideret, cum indecora ſanè & conſpicua ſignificatione inexpiabilis odii, niſi me fallit opinio.
224 Eqvidem Here (inqvam) memini haud ita pridem, ſuper prandium tuum (ut ſæpe inter epulas reficere animum ſoles hujuſmodi recitationibus) cùm locus hiſtoriæ, Joſephi, ut opinor, ſive alius fuit auctor Græcus, ad Gallorum laudem pertinens, recitaretur: te protinus lectorem revocare, locôqve explanatiùs recitatô, dicere, multum nos æqviore illô ſcriptore uſos eſſe, qvàm Liviô Latinô qvamlibet illuſtri Hiſtoricô: in qvo injuſtum Gallici nominis odium propemodum Vatinianum, facilè eſſet animadvertere: fidemqve hiſtoriæ qvatenus ad eam gentem pertineret, eô nomine labefactatam eſſe. 225 Me verò ſubridentem reſpondere memini, Oportere hominem Patavinum, malè aliqvando atqve durè à Tranſalpinis Gallis & agro Patavino finitimis, acceptum eſſe, & pugnis fortaſſe converberatum, qvi acerbè magis & ſtomachoſè, qvàm hiſtoricè & compoſitè Gallorum mores vaſtos corporaqve fingeret. Eamqve ob rem fortaſſe Patavinitatem ‡ in eo reprehendi potuiſſe ut abſurdam & indecoram. 226 Verùm qvod Gallorum res poſt annos mille geſtæ, parùm feliciter proditæ ſunt, aut projectæ potiùs: nec tam poſteritatis memoriæ commendatæ, qvàm qvôvis modô mandatæ, culpa fuit principum, qvi poſteritatis rationem vel nullam vel minimam habuerunt, ſicut nec anteriorum temporum, tan-

qvàm

„ tium diſci poteſt ex doctiſſima Dedicatione
„ Iſaaci Caſauboni, deinde Svetonium, & Vi-
„ tarum Auguſtarum ineptos plerumqve conſar-
„ cinatores niſi ſi ita interpolatos, Tacitum, &
„ Ammianum Marcellinum. Qvibus etſi diverſiſ-
„ ſimis ſcriptoribus maximè omnium veritatis
„ ſtudium cordi fuiſſe ſcimus. Reliqvos, demtis
„ tamen Cæſare & Salluſtiô, cùm legas, cen-
„ ſeas Hiſtrioniam laudum Romanarum ad nu-
„ meros Eloqventiæ pro ſeculo ſuo cuiqve com-
„ poſitam audire.

‡ *Patavinitatem in eo reprehendi*] Poſtqvam hæc fortaſſis non ſeriò rem agentis verba Budæi, partium in Livio ſtudium, ſive qvòd de Gallis Livius acerbè & non ſatis integrâ fide judicat, per illam Patavinitatem explicantis, ſeu potiùs illud Patavinitatis nomine in Livio reprehendendum judicantis adduxerat Cl. D. noſter Morhoſius, ſubjicit in c. II. p. 22. egregii de Patavinitate Liviniana libri Kilonî CIↃ IↃC LXXXV. in 4to editi ſeqventia: „ Nimiô hic erga populares
„ ſuos ſtudiô ducitur Budæus, in qvibus cùm
„ Livius ferociam aliaqve nonnulla reprehendit,
„ (ut ſuperârunt illô tempore Romani Gallos lit-
„ teris morumqve elegantiâ) non eſt illi eam ob
„ cauſam dica ſcribenda, cùm nec virtutes in il-
„ lis, qvod candidi ſanè hominis eſt, diſſimu-
„ let. Seneca certè Svaſ. 6 eum vocat candidum
„ magnorum ingeniorum æſtimatorem. Henri-
„ cus qvoqve Glareanus Livium exagitat, qvod
„ bellicoſæ Gallorum gentis res odioſè tractârit.
„ Eandem qverelam recoxit etiam Brodæus com-
„ mentario in Epigramma qvoddam Græcum,
„ qvo de Galatis Aſiam depopulantibus agitur
„ *Anth. lib* III. *p.* 357. cæteras qvoqve in Livium
„ calumnias his immiſcens. *Livium citare*, in-
qvit, *quid attinet, ſempiternum Gallorum adverſarium, ſicut rectè colligit Glareanus, cujus fides meritò infamatur atque ut invidia plena ab Antonino Pio, ut gloriæ à Plinio, ut mendacii ab Auguſto, Liviomaſtige ſcilicet Pompejanum illum appellante, ut peperam, cum Halicarnaſſeo Diodoro, Polybio, à multis ut ſecum pugnans à Laurentio Valla, ut fabuloſa, velut de Caco & Evandro loqvit, notatur lactea illa ubertas: Patavinitatem ſanè non dicam aut verboſitatem negligentiamque poſt Caligulam, quæ tamen in Patria defenſionem à me dicta ſint.* „ Hæc ille, qvibus ſingulis con-
„ viciis nunc reſpondendi locus non eſt, nam de
„ Patavinitate hic ſolliciti tantùm ſumus. & pa-
„ rum hoc vel nos vel Pollionem tangit, qvi
„ cùm ipſi Patavinitatem objecit, ne per ſo-
„ mnium qvidem de hoc Gallorum odio, cujus
„ ipſum inſimulat Budæus aliiqve, cogitavit,

qvàm nihil ad ſe pertinentium. 227 Nam ut vetuſtiora prætermittamus rudioraqve ſecula, cui unqvàm poſt hominum memoriam in Francia ea cura mandata eſt, eamqve ob cauſſam ſtipendium conſtitutum, qvod qvidem ipſum commemorare non pudeat, Gallicas ut hiſtorias ſcriberet? aut cui tandem in mentem venit eorum, qvi actibus ſummis rerum à regibus qvâqve ætate præpoſiti ſunt, id ipſum eſſe magnoperè videndum & accurandum, ut è re ſumma Franciæ exiſtimationeqve futurum? Itaqve iis temporibus qvibus limina regiæ Franciccæ, inſigniaqve regum laureata conſpicuè fuerunt & auguſta, litterati nulli extiterunt, qvi victoriarum epinicia ſcriberent. Sicqve magna ex parte lauri exaruerunt. 228 Qva qvidem in culpa, inſtar eſſe plenum capitalis criminis auſim ipſe contendere hominum prudentium ſententiâ, qvi qvidem vicem publicam doleant, ut par eſt, & indignentur. 229 Etenim qvid eſt aliud egregia majorum facinora, inſtituta memorabilia, conſilia eximia, deniqve mores commemorandos deleri ſiſilentiô obruiqve ſinere, qvàm antiqviſſimi & celebratiſſimi imperii originem, incrementum, progreſſum, monumentorumqve veterum auctoritatem, & fidem, oblivione ſepelire, & planè de medio tollere? 230 Prorſus qvidem, Rex inqvit, nihil aliud. Sed tamen qvi cum majorum noſtrorum manibus indulgentiùs æqviuſqve agendum eſſe cenſuerint, excuſare temporum conditionem ipſorum nomine poterunt, qvæ litterarum obſcuritate qvaſi qvâdam caligine obducta fuiſſe offuſaqve novimus: tum regum ipſorum procerumqve inſcientiam, qvi hiſtoria qvidem ipſi ſermoni qvid præſtaret, nunqvàm ſuſpicati ſunt. 231 Qvippe qvi commentitiarum coagmenta nugarum & anilium propemodùm fabularum congeriem, pro juſtis hiſtoriis ducerent & legerent. unde adhuc hodie diſpulſâ rudiorum ætatum nebulâ hâc litterarum luce, imbutas tamen imperitorum mentes videmus. Qvi poſtqvàm ſe in mari (ut vocant) hiſtoriarum ingurgitârunt, rerum geſtarum commenta mirabilia in cœtu imperitorum fundunt. 232 His nos hiſtorias ſuas interdum ſeriò & graviter memorantibus, (qvi jamdiu emerſimus ex eo fabularum figmentorumqve pelago,) velut ſcurrilibus acroamatis auſcultare ſolemus. eaſqve nugas eô locô habere, quô mythiſtorias illas nobiles menſæ orbicularis, qvæ tamen ipſæ lectores ſcitâ & artifici varietate delectant, miriſqve illecebris commemorationum, hominum attentionem illitteratorum retinent. 233 Tum ego, Here, illicò inqvam, libebit ne adhuc pauca bonâ tuâ pace benignaqve veniâ? qvando hûc ego provectus ſum ubi inſiſtere neqveo. 234 Per me qvidem licet, inqvit, & qvidem paucis pluſcula, & verò etiam plura, & plena cum fiducia, ad id qvidem certè, qva de re nunc agitur, pertinentia. 235 Benè habet (inqvam) Here: utar non modò petitâ à me veniâ & impetratâ, ſed etiam benignitatis tuæ corollariô. 236 Velim igitur ipſe, per (inqvam) velim, Here, ut recordêre, eâ rerum peritiâ, qvam verè regiam & mirificam, cùm iſta majeſtas præ ſe fert conſpicuè & inſigniter, tùm facundia profert: & verò iſtô omnium facilè inter reges atqve imperi-

tam-

tantes principe ingeniô, ad omniumqve rerum diſceptationem aptô atqve accommodatô: qvod in ſermonibus ſeriis ſeſe ſolet indicare nativâ facilitate, qvantopere temetipſum oneres. velim (inqvam) hoc ut animadvertas & recordêre etiam etiamqve 237 Cave verò exiſtimes in ordinem te Regum (ut ita loqvar) hominum judiciô redactum eſſe, qvi hactenus fuerunt in Francia. certè qvidem noſtrâ avorumqve memoriâ. ad tua enim præſcripta, non ad majorum exempla ſpem de te conceptam homines metiuntur: duntaxat qvi te nôrunt, qvi qvantuſqve ſis, qvotqve paraſangis (ut ajunt) tute ceteris ingeniô anteeas. 238 Qvare cùm hujuſmodi naturâ judiciôqve præditus ſis, & hiſtoriæ cupidiſſimus, & tuus principatus in hanc litterarum claritatem incurrerit, tum præſto mox futuri ſint, qvibus mandes qvidqvid velis, homines doctiſſimi nimirum, nihil tibi in excuſationem ceſſerit, non ſuperſtiti, non fatô functo, non alias res agenti: iſtorum qvidem certè, qvæ anteceſſorum regum nomine, probabiliter ipſe ſummaqve æqvitate excuſaviſti. 239 Immò verò (ut planè jam tecum, non cum majeſtate regia loqvar) niſi majorum tuorum manes, in flumine Lethe ſubmerſos cum vetere regni gloria, in ſummum tute extrahas, ſplendorique ſuo reſtituas, omnem hujuſce rei culpam ipſe in præteritum & in poſterum utiqve præſtaturus es hominum opinione. 240 His illud addam, Qvòd ſi cujuſqvam interfuit Regum unqvam, regni ſui claritatem poſthumam, ſplendoremqve hæreditarium relinqvere, tuâ id, Here, maximè intereſſe videtur, qvi & numeroſâ qvidem ſatis ſobole, & ſanè eximiâ, ac lætæ ſpei auctus, hæredes (ut ſperamus) relicturus ſis ſummæ liberos indolis & ingenii. 241 Qvos ad hunc diem impuberes, viro utrâqve lingvâ doctiſſimo Benedicto Theocreno, ſic erudiendos mandâſti ac tradidiſti, ut tamen ſub oculis paternis & tanqvàm in ſinu tuo inſtituantur, ingentem olim ipſi ſplendorem atrio addituri (ſi vota valuerint) illuſtriſſimorum Franciæ penatium. 242 Nihil autem poteſt nec excelſa tua mens, Here, præclarius inſtituere, nec imperii fortunæqve magnitudo amplius efficere ad tui tuorumqve memoriam ſplendidè propagandam, qvàm ut honeſtiſſimæ doctrinæ atque probatiſſimæ cultoribus & exornatoribus, præſidia ad vitam ſubſidiaqve ſtabilias, procul ab egeſtate agendam. 243 nondum enim id ago, qvod aliqvando non gravatè (ut ſpero) conceſſurus es, (qvi mihi qvalicumqve homini, ſed tamen eô nomine hæc ornamenta detuliſti) dicendi ut facultas civili ſcientiâ imbuta, à te velut prudenti taxiarcho atqve deſignatore, in gradum ſuum honoris locumqve congruum collocetur, vel tantô potiùs intervallô ſplendidè reponatur. 244 Verùm, ſi, qvod dicere cœperam, Here, tute facere primô qvôqve tempore, ut conſtituiſti, inſtiteris, hoc te effecturum ſpondere, pignoreqve capitali cavere non dubitabo, noſter hic ut conventus comes Philologiæ, non metropoliticus modò conventuum ſcholaſticorum, ut ante ſemper habitus eſt, ſed Athenæ (ut ita dicam) togatæ ac palliatæ, exiſtimetur eſſe ac dictitetur: ob idqve agminatim viſatur omnibus è provinciis atqve gentibus, vel longiſſimè remotis. 245 Qvòd ſi qvo minus id ex ani-

animi tui ſententia facias, deſideriiqve noſtri, humanitùs qvid acciderit (ut fluxæ ſunt res mortalium, leviqve momentò interdum evanidæ) ominari non auſim, qvò res nobis litteraria, qvæ gliſcit nunc indicis conſpicuè, rurſum ſit recaſura. 246 Tametſi vix fieri poſſe puto incolumi re Francicâ & regiâ, ut ipſa Philologia ab animis generoſis & ſtrenuis pro derelicto habeatur: cùm ſuâpte ipſâ gratiâ mirâ & incredibili prædita, cancellatis (ut dicitur) manibus amplectendam ſe præbeat illis ſemper atqve ſvaviandam. 247 Et ut primore ſtatim acceſſu feſtiva eſt, & blanda hominum conciliatrix, ita poſtea prævalida qvædam habet philtra, illecebris illita liberalium ingeniorum, queîs cum ſemel conſilii & inſtituti rationes communicavit. 248 De me certè conjecturam aliorum facio, qvem nemo non invitum & gementem, animumqve mox deſponſurum, à litterarum cultu conſvetudineqve abduxerit, qvi non idem cavum & convexum (propè dixerim) diducere qvôdam artificiô poſſit. Niſi verò ſuo qvis ingenio, ſideri, & genio cum ſucceſſu repugnare tandem poteſt. 249 Vide verò, (inqvit) Budæe, ne complexu qvôdam hederaceô iſta tua Philologia te ſemel complexa ſit, hedera enim (ut ajunt) ſic arboribus hæret, ut tandem eas enecet. tu verò ne ſic in illam tibi deamatam incubueris, ut viſcum in arborem: ut jam ſine ea vivere & tolerare neqveas. & ſi ita uſu venerit, tibi ut ab ea confeſtim abſcedendum ſit, tu protinus ægritudinem tibi exitialem conſciſcas, patriſqve tui ratum prædictum tuâ ingenti culpâ facias. 250 Eſt ita, ut dicis, Here, inqvam. Verùm qvid jam facerem? deſponſum ei ratis verbis animum atqve in præſens (ut dicitur) conceptis, complexu etiam & ſvaviô obſtrictum & auctoratum, dirimere nunc ab ea nefarium eſſe cenſeo, & nihiloſecius tandem exitiale futurum. qvin ut legibus id dirimere conſortium & moribus liceat noſtri ordinis hominibus, alioqvi qvoqve jam meæ ſpontis rem eam non eſſe memini. 251 Valeant hæc fortaſſe inter eos, qvi tranſlatitiâ formulâ, vitæ conſortia cum Philologia inierunt. ipſe verò mihi reliqvi feci nihil, qvò numeroſiore nexu atqve tenaciore obligandum me illi permitterem. 252 qvippe qvi non modò ſponſalia cum ea ſemel atqve præſentaria (ut dixi) & fide optimâ contraxerim: ſed etiam ſocietatem bonorum malorumqve coierim, valetudinis atqve invaletudinis, adverſarum rerum ac ſecundarum, domi deniqve & peregrè, eamqve perpetuam. 253 Qvam ita & ſanctam & ratam adhuc eſſe, & ad extremum uſqve diem fore ſpero, ut ad hæredes qvoqve fortaſſe manatura ſit, ſi ſuprema mea mandata valuerint: contrà qvàm natura ſocietatis ferat jure ac moribus proditæ. 254 Jam verò ipſa mihi ſponſalia, cùm diu ſine dote qvidem illa, & magno cum diſpendio, ceterùm cordi mirum in modum fuerint, propter gratias, veneres & lepôres, qvibus ipſa Philologia ſemper * comitata eſt, indieſqve

* *Comitata eſt*) Paſſivè, ad imitationem Ovidii II. Artis v. 279. „ Ipſe licet Muſis venias comitatus, „ Homere. Imo & Ciceronis II. Catil. c. II. „ Illud „ moleſtè fero, qvòd ex Urbe parum comitatus „ exierit, Qvi & comparativô, qvô & hic Budæus ſtatim, utitur in V. Tuſc. c. XXXIX. „ Aſclepiadem ferunt, cùm qvidam qværeret, „ qvid ei cæcitas attuliſſet? reſpondiſſe, ut uno „ puerô eſſet comitatior.

fit comitatior & auguſtior: qvî fieri nunc poteſt, ut minus ejus amore flagrem, minùs in ejus cultu acqvieſcam, ac mihi ceteriſqve placeam, poſtqvam à tua majeſtate dotem ipſa nec opinatam mihi attulit? uberem qvidem illam, ut in hac vitæ ratione, & voto meo majorem, ſed qvô exemplô allata eſt (ut dixi) longe ſplendidiorem. 255 Ceterùm qvoniam alienam nunc cauſſam, Here, acturum me profeſſus ſum: ſi jam non mea ſed communis Philologia (æmulos enim jam æqvis oculis aſpicio, tametſi ſemper ejus amantiſſimus) ad bonorum poſſeſſionem ex illo tuo ſummæ expectationis edicto admiſſa fuerit, qvod editurum te non ſemel palamqve pronunciâſti, non venuſta modò comptaqve & lauta futura eſt Philologia, ſed eò ampliùs ornata, ſplendida & viſenda, cum beneficentiæ tuæ & liberalitatis inſigni illuſtratione. 256 Sin id ne fiat aut divinitùs qvippiam, aut humanitùs [qvòd ominari iterum nolim] evenerit, & ad bonorum poſſeſſionem à me ejus nomine petitam, non admiſſa fuerit, ad hereditatem illam utiqve gloriæ agnoſcendam, inde ut ſe conferat neceſſe erit, qvaſi ad ultimum bonorum unicumqve ſubſidium. 257 Ad hanc autem cernendam hereditatem communis jam illa Philologia, meam olim Philologiam ducem auctoremqve ſecutura eſt: ſive illa locuples ſatis per ſe eſt hereditas, ut ab ingenuis animis eſſe exiſtimatur: ſive inanis tandem & caſſa futura eſt qvorundam hominum judiciô. 258 Nec verò periculum eſt, ne ab ea ſpe adeundæ hæreditatis ſponſa ipſa noſtra, tot à procis expetita, deſtituatur, cùm à diſciplinis qvæſticulariis hæreditas illa repudiata, ab omnibusqve adeo artibus, degeneris cupiditatis ambitioniſqve pediſſeqvis, neglecta, ad ipſam haud dubiè Philologiam eamdemqve Callilogiam, ut caduca reditura ſit. 259 Nec præ bonorum poſſeſſione, ad qvam vulgus animorum aſpirare magnô ſæpe & ſudore contendit & horrore, ea hereditas à nobis repudianda eſt, qvæ in ære ſuo eſt multo ſemper, & nunqvam in alieno. 260 Abſit enim, abſit inqvam à nobis tam præpoſtera animi ſententia, præſertim principum virorum illuſtriumqve auctoritate fretis, atqve æmulatione accenſis & ardentibus. qvorum præſtantiſſimos qvoſqve videmus, meminimus & legimus, rationum ſuarum ſummam ad gloriam comparandam contuliſſe. 261 Verumenimverò priſci fabularum conditores, cùm alia ingenioſe permulta prudentérqve tum illud commenti ſunt prudentiſſimè, treis ut eſſe Gratias dicerent, qvas nominibus appoſitis ſingulas nuncupaverunt, præſides eas eſſe ſtatuentes atqve arbitras impendendi beneficii & rependendi: tùm earum matrem ex Jove, Eurydomen, eandemqve Eurymeduſam vocaverunt: his nominibus ſignificare volentes, eos maximè munificos eſſe liberaleſqve debere, qvi & amplis natalibus, & ſplendidis orti ſunt, & qvibus latè imperitare contigit 262 Qvoniam autem beneficentia gratam memoriam, benignamqve commemorationem promeretur, etſi ſuâpte naturâ non poſtulat, ideò Mercurium Gratiis præſidem moderatoremqve iidem deſignavêre. eô figmentô homines docere volentes, inſignitas liberalitates in eos exerceri oportere maximè, qvi eas maximè teſtari & celebrare dicen-

do

do poſſent atqve ſcribendo. 263 Idqve maximi olim Reges & Principes factitare in animum induxerunt: Alexander magnus imprimis, ejuſqve ſucceſſores, qvorum unus rex Antigonus, cùm Demetrium filium cum magnis copiis, grandiqve apparatu ad Græciam liberandam à tyrannis tùm oppreſſam, mitteret: ideo ſeſe id facere dicebat, qvòd intelligeret, ejus liberalitatis gloriam ſic è Græcia qvoqvoverſus emicaturam, ut ignem prænuncium è ſpecula totô orbe conſpicua. 264 Jam verò Romanis principibus & auguſtis auream in cubiculo fortunam habere moris fuit, tanqvàm inſigne Principatus: qvam regiam fortunam nonnulli ſcriptores appellavêrunt. 265 Nempe hôc inſtitutô ſignificantes, ſe tantos principes eſſe, tamqve late dominanteis, ut fortunatores hominum eſſe & deberent & cuperent: ob idqve auream ut fortunam qvoqvò circumferrent gentium. 266 Verùm inter fortunam illam regiam, & popularem fortunam, hoc videri intereſſe volebant: qvòd hæc cæca & volubilis indignorumqve fautrix (inqvit Plinius *) ut in qvemqve incurrit, illum beatum imperitorum opinione facit. At aurea fortuna, ſceptrorum contubernalis & ſocia, perſpicax eſt ipſa, eademqve ſtabilis: hæcqve ab illis pingebatur aut aliàs fingebatur, manu gubernaculum cum copia dea tenens. 267 Proinde Reges rerum humanarum prudentiſſimi, qvàm plurimos habere homines in comitatu ſuo ſemper concupiverunt, dignos qvi munificentiâ principali fortunarentur, honoribuſqve publicis aut regiæ cumprimis ornarentur. 268 Qvid? qvi Reges & Principes hoc parum animadverterunt, Rex inqvit, aut qvi animadverſum, in animum non induxerunt? (pauci enim litterarum & doctrinæ aut cupidi aut ornatores fuerunt) auream illorum negabitis fortunam aut argenteam fuiſſe, vos Philologiæ ſponſi, & ab alio qvodam inferiore metallo conflabitis? an etiam auream ut aliorum eſſe dicetis: ſed cæcam tamen temereqve verſatilem, ut illam popularem, nec hominum delectorum fortunatricem? facile autem erit, opinor, qvemadmodùm poëticæ, ſic eloqventiæ artifici ſolertiſſimæ alias atqve alias, ut rerum ſic hominum, ſpecies informare, & tanqvàm aureas ſtatuas & argenteas, qvibus commodum ipſi fuerit, editis in locis & conſpicuis undiqve, qvaſi ex Senatuſconſulto Philologorum excitare & affirmare. Tales enim multas videmus in hiſtoriis antiqvis, qvaſi in theatris orbis terrarum erectas: nunqvam ita vetuſteſcentes, ut non indies magis viſendæ admirandæqve exiſtimentur. 269 Sanè qvidem, Here, (inqvam) ſic enim naturam hujuſce rei ferre videmus: ut auri argentiqve in hoc genere materia, atqve opificium ipſum, qvô vetuſtiora ſunt, eô vendibiliora ſint, præſtabilioraqve cenſeantur. hocqve in univerſum valet, ut in iis qvæ nec interitum nec vitium ab ætate ſentiunt, ſenium ipſum & veluti caries vetuſtatis, precium atqve auctoritatem intendat. Nec tamen ſtatuæ hujuſcemodi aurô argentôqve ætate hâc conflatæ, non in ſecula qvoqve poſteritatis ituræ ſunt, materiamqve ſuam atqve artificium illis venditaturæ. 270 Prorſus qvidem, Rex inqvit, ſi ex officinis ipſæ celebribus exierint &

* lib. II. c. VII.

mangonii neſciis: qvod nota ſtatim peculiaris cujuſqve officinæ indicat; qvæ adulterari non poteſt. alioqvi ut ex te aliqvando audire memini, eorum ſimiles futuræ, qvæ uno aut alterô luſtrô obſoleſcere ſolerent, dignæqve exiſtimari, qvæ non in æde (ut tu dicebas) Saturni, ſed qvæ Vulcani fornacibus dedicarentur inſpectorum ipſius artis cenſorumqve arbitratu. at eorum ferè præjudicium tribus urbanæ ſeqvi ſolent, jam verò & ruſticæ. 271 Verùm heus tu, Budæe, (Rex inqvit) ad fortunam illam redeamus aut cæcam, aut oculatam, ut porrò intelligam, qvorſum id pertineat. 272 Eqvidem (inqvam) Here, qva de re nunc agitur ſic ſentio, qvoniam in eo dicendi veniam prolixè mihi & cum auctario tua admenſa eſt humanitas, qvamqvàm verecundè petenti & exiguè. 273 Reges ante te omnes Franciæ auream qvidem illam fortunam habuiſſe in contubernio cenſeo: ſed vel cæcam nonnullos, vel oculis fortaſſe perverſis, vel certè noctuinis, tenebras ut faciliùs ac jucundiùs qvàm claritatem ſplendoremqve cernerent. Qvod per me qvidem licet, ut temporum magis qvàm hominum fuerit vitium. 274 Vereor autem, ut explanatè & aptè dicere poſſim, qvod animô concepi. Reges duos conſecrandæ memoriæ vidi, qvibus tute ſucceſſiſti, Carolum octavum, & Ludovicum duodecimum ſocerum tuum, qvorum manes rectè conditos eſſe divinâ benignitate, utinam non falſò cum multis, ipſorum meritô ſperaverim. 275 A Carolo ego commodùm in aulam accerſitus fueram, cùm ille repentinô caſu ſublatus eſt, & exierat jam rumuſculus qvidam ſtudiorum meorum, qvi ad eum permanaverat, nihil minùs me agente, qvi clancularius tum eram amator impuberis adhuc Philologiæ, & penè etiam infantis. 276 Paulò ſuperiora tempora meminiſſe magis poſſum, qvàm ſatis animadverſa compertaqve habere. 277 Verùm ex qvo certiſſimè memini, ſic fuit Franciæ ſtatus conſtitutus, aurea ut illa fortuna (qvantum qvidem pertinet ad eam rem, qvam agimus, & ad litteratorum hominum ornamentum) oculis atqve auribus perinde capta fuerit. tametſi Rex uterqve acrem unum oculum probumqve habuerit, Gvidonem ab Rupe forti, virum omnia ſumma meritum, ſi eô multùm uti ad eam rem explorandam ipſi inſtituiſſent. 278 Obrepunt autem ſæpe cùm privatis, tùm Regibus ſimulatio atqve diſſimulantia. qvibus velut præſtigiis atqve Gygis annulô, capitalis ſæpe fallacia, oculis præſtrictis ſe ſubducit alioqvi non hebetibus, praviqve hominum mores, aut inertes, aut degeneres fallunt ſub integumento frontis vultuumqve tectoriis. 279 Sed longè capitalius eſt, (ut mihi qvidem videtur) aurium ludibrium in Principe, qvàm oculorum: qvoniam in eo non tam ſuô errore Principes, qvàm imaginariâ fide, elogiorumqve auctoritate ementitâ circumveniuntur. 280 His autem moribus præditi erant illi Principes (etſi diſſimili ingeniô nati) ut ſi incorrupta hominum fama ad aureis aulæ interioris penetrare potuiſſet, cum multis ipſi benignè atqve commendabili beneficentiâ acturi dubio procul fuerint, qvibus tamen juvandis ſeſtertii unius nummi inſtar ſibi nunqvam expenſum ferri juſſerunt. Contraqve complureis ut munificentiâ ſuâ indignos contempturi fuerint, qvos opi-

mis

mis iidem ipſi congiariis proſecuti annuis qvoqve opimis inſuper auctoraverunt. 281 Itaqve vivis illis principibus, famæ commendatricis inani prærogativâ, & votis irritis popularium multos deſignari in urbe magiſtratus, antiſtitiiſqve ornari non paucos ſacerdotes audiebamus, qvi punctum ne unum qvidem in comitiis regiarum regum ipſorum tulerunt. 282 Sed ſic fuit ſemper fortunæ iniqvitas, non cæcæ qvidem modò, ſed etiam cæcatricis eorum plerumqve qvos arctè complexa eſt, bonorum virorum ut calculis ipſa & ſententiæ, iniqvis eventibus enixè refragaretur: 283 Verùm eorum regum tempore, litteris bonis operam dare (id qvod mihi maximè, ut ſi cuiqvam alii contigit) nihil ferè aliud, multitudinis atqve etiam honores obtinentium hominum opinione fuit, qvàm ſtultorum ferias (ut ita dicam) agere, qvi dies olim feſtus apud Romanos fuit. In eorumqve ſtudiorum vacatione functionumqve immunitate acqvieſcere, qvæ ad fortunam unicuiqve faciendam, & ad fortunas augendas moribus comparatæ ſunt. 284 Tametſi Rex Carolus humanitate ſingulari, liberalitateqve memorabili præditus, & litterarum elegantium opinione qvâdam imbutus, qvarum nomen tantùm in Italia raptim qvaſiqve per tranſennam audierat, earum me gratiâ, & Græcarum præcipuè, qvæ tùm in Francia penè erant inauditæ, evocandum mandârat, ut ſupra dixi. 285 Eram enim tum plus minus qvadriennium in rudimentis utriuſqve lingvæ, nullo cum ſodali, ſed mecum ipſe tantùm & cum lare familiari clàm & verecundè verſatus, qvod ad eum fando (ut fit) permanaverat. 286 Namqve eam ob rem, non clarus ipſe qvidem apud noſtros, ſed ſpectandus tamen & monſtrabilis eram: utpote qvi ad muſarum contubernium tuuc infreqvens atqve inane, ſic viam affectaſſem, ut qvi ad deſertum diverſorium, nulloqve inſigni notum obſcurumqve divertunt. 287 Et erat tum in Francia litterarum bonarum doctrina fermè tam vendibilis & expetita, qvàm olim erat Lacedæmone ars ſcenica atqve hiſtrionica. 288 Ceterùm qvòd Philologia noſtra eorum regum tempore ſic jacuit, culpa fortaſſe nonnulla fuit ipſorum. Sed crimen & ſcelus penes oculos aureſqve regales fuit, à qvibus ipſi Reges circumventi ſunt capitali coitione. 289 Ita enim more hominum comparatum eſt, ut monarchi, ut populi, ut optimates, ut Senatus etiam freqventes interdum & curiæ, dolô & decuriatione paucorum circumveniantur, eorum præcipuè, qvi ſuper admiſſiones præpoſiti ſunt. Qvæ virtutis tanqvàm tabes qvædam, atqve interitus eſt tandem, præcipuè verò ubi plurimum habet licentiæ atqve impunitatis. 290 Ab hoc autem cæco ſerpentiqve veneno ſacroſanctas eſſe regias aureis in magnis imperiis admodùm difficile eſt: (etſi id maximè par erat, & publicè conducibile.) nec ad id excogitari antidotum tam appoſitum unqvam potuit & validum, ut ſecuritatem præſtare iis potuerit à captione tutam. ſicuti nec adverſum ſycophantiæ venenum: ut eſt in proverbio apud Comicum Ariſtophanem. eſt enim majus id malum humanâ providentiâ. 291 Ea tamen, Here, expectatio & alacritas ſtudioſorum ex ſorte mea excitata eſt, qvi ſolius famæ commendatione, ac ſine ambitûs ineptiis & mo-

moleſtia à te tuli, qvod optabam, & verò alterô penè tantô amplius: ut Philologia jam noſtra candidatos ſuos comitia te habente & regente, deſignatum iri ad honores & magiſtratus, idqve ſuâ tantùm gratiâ, ſperare occeperit. 292 Qvis enim tibi fucum facere, qvis imagines rerum pro rebus confidet ſe poſſe commendare? qvis hominum ſimulachra pro viris doctis & prudentibus approbare? qvis deniqve doctrinam hominum & dignitatem prævaricando, apud te diſſimulare auſit, qvi ingenium tuum qvidem, qvi experientiam, qvi judicium norit? 293 At ea verò qvis ignorare poteſt tuorum? ingenium dico & judicium. immò verò omnium (pròpè dixerim) diſciplinarum inchoatam non leviter notionem atqve etiam cognitionem: partim informatam naturæ mirâ benignitate, partim freqventibus & aſſiduis doctis cum viris diſputationibus? 294 Et perridere qvidem mihi interdum ac lætari ſupra modum contigit, cùm qvoſdam pingvis Minervæ homines, & lemis (ut dicitur) Saturniis lippientes, de litteris ultrò cenſentes & litteratis, qvaſi ſexagenarios de ponte dejiceres hujuſcemodi ſuffragiorum. 295 Qvibus exemplis ceteri ejuſdem ordinis edocti, te iisde rebus diſſerente, aut ſermones laceſſente, favere jam lingvis ſoliti ſunt, ſtupenteſqve auſcultare. 296 Age, (inqvit) age porrò qva de re inter nos agebamus, & de me nunc, Budæe, conſileſce. 297 Sanè verò, qvaſi ego illa artium principia diſcere potuerim, qvi Latinæ Lingvæ tantùm rudimenta, vel elementa potiùs puer attigi. 298 Et qvidem qvòd vernaculô ſermone tecum unà nonnunqvam & cum multis, hiſce de rebus diſſero, non qvaſi meô jure id facio, non eâ fiduciâ fretus ſum. novi me nec ſecundas nec tertias hujuſcemodi actuum exſeqvi poſſe, nec verò mediocriter ſuſtinere. ſimiliterqve mihi facere, cùm id accidit, videor; atqve cùm adventitii qvidam homines (ut fit interdum) muſicâ qvoqvô modô imbuti, & ſpecie cultuqve conſpicui à ſymphoniacis diſſentaneô, ad odeum delubrorum verecundè accedunt inter ſacra peragenda, & ſenſim illis intermiſſimqve accinunt voculoſis illis numeris & vibrantibus: ſic & ego de diſciplinis loqvi exordientibus ſuccino interdum, haud ſcio qvàm ſcitè & appoſitè. 299 Juvat etiam ſæpenumero fungi vice cotis (ut dicitur) aut incentivæ tibiæ, diſputanteſqve acuere ſermones laceſſendò. 300 Hîc ego enimverò facere non poſſum, Here, qvin paullulum digrediar, etſi me pergere porrò jubes. Neqve enim veniæ qvaſi liberaliùs datæ, repoſcitor eſſe (ut opinor) ſuſtinebis: cùm rata (ut noſti) eſſe deceat & propria principum beneficia. ſineſqve meô me jure uti ex animi mei ſententia: qvando etiam eadem beneficia pleniorem atqve uberiorem interpretationem admittunt juris prudentum auctoritate. 301 nam qvæ dicturus ſum in hac digreſſiuncula, non tibi jam, Here, ſed mihi intus, ut Aſpendius olim cithariſtes, iiſqve qvi hîc propter me ſtant, canere conſtitui, tantiſper à te averſus. 302 Tuô verò (inqvit) Budæe arbitratu, modò qva de re nunc agitur (ut prædixi) tute nunc qvoqve memineris. 303 At verò, Here, inqvam, æqvum hoc ego eſſe contendo, ut mihi gratiam pauliſper legis à te latæ facias, dum ipſe hanc ab iſta majeſtate apoſtrophen facio. 304 Vide igitur (inqvit) ne longiuſ-

culam

culam, neu qvid medium intercinat actum, qvod non propoſito conducat & hæreat aptè. 305 Qvod cùm ego annuiſſem, tùm aliqvantum ad circumſtanteis eoſdemqve attentos converſus, Poſtridiè, ut opinor (inqvam voce jam ſubmiſſiore) aut ſummum die tertiô, qvàm in aulam ab Rege pridem evocatus ſum Ardeam: qvò reges charitate germani ætate & aliàs florentiſſimi, ad colloqvium coierant celeberrimum, atqve utrinqve ornatiſſimum: incidit epulante eo ſermo de noctium brevitate ſolſtitiali ad littus Oceani. qvi cùm aliqvantum progreſſus eſſet, ſuper ea rè ſtatim hominem me tum hujus aulicæ militiæ tirunculum, ipſe rex percunctatus eſt. 306 ego autem ita in comitatum veneram, ut rerum Mathematicarum inicium eum prorſus eſſe crederem: & rei, qvam rogabar, rationem tenere me confidebam. 307 Rogatus igitur ſententiam, intrepidè cœpi ac ſine cunctatione ea de re diſſerere, ut qvi in ludo meo verſari me putarem, nec mihi ab ipſo ſententiæ rogatore qvidqvam eſſe, aut aliundè metuendum. 308 Ibi cùm finitorem orbem æqvinoctialemqve imaginariâ delineatione, qvaſi in abaco, ſic ſuper regiam menſam digitô circumſcriberem, indeqve nocturni circumactûs ſolis diurniqve rationem ductu manus colligerem, velut aliud agens atqve in ſupina ſecuritate, hallucinari aliqvantulum cœpi, nullô circumſtantium præter Regem animadvertente errorem. 309 eram enim ſi unus ipſe Rex non affuiſſet, qvaſi ſimiola (ut dicitur) inter aſellos ludens. qvod qvidem certè ad eam rem attinebat. 310 Ibi verò ille ſermonem meum leniter excipiendo, erroris me admonens, molli (ut ajunt) brachiô in gradum repoſuit. & erat non imperitiæ culpa (ut dixi) ſed hallucinatiuncula mentis, qvaſi oſcitantiùs vagabundæ. 311 Verùm cùm ego caſu nec opinatô perculſus, & rubore ſuffuſus, errorem illicò agnitum deprecando, in viam rediiſſem, faciendum mihi eſſe intellexi, ut cautiùs in poſterum attentiuſqve diſſerere pergerem. 312 Ante hunc autem Regem, atqve ante eum fortaſſe diem, ſic ſenſus erat hominum peritorum, ut qvi hiſce de rebus & ſimilibus in regia diſſereret, is non modò ineptire, ſed myſteria (qvod dicitur) effari in cœtu videretur hominum profanorum 313 Ceterùm aderat tùm ibidem vir qvidam ingenioſus, alioqvi mihi notus, ex eorum numero, qvi litteras more hominum & aliqvantò ampliùs didiciſſe exiſtimantur. Is collectâ de me opinione altioris doctrinæ ex hominum rumuſculis, prævaricationem eam eſſe ambitioſam ſtatim interpretatus eſt; aſſenſionemqve obſeqvioſam, regiæ utiqve majeſtati cedentem: non veritati atqve conſcientiæ. 314 Itaqve ille cùm me poſt eum ſermonem ponè digitô (ut fit) impulſum, paullùm illinc concedere, ad colloqvium innuiſſet, Euge (inqvit) tiruncule; jam aulicæ urbanitatis rudimenta (ut video) poſuiſti. nimirum depoſiti tirocinii mox inſignibus decorabere. hem, qvàm appoſitè adveniens aulæ genio lenocinari in mentem tibi venit? ut ſcitâ autem doctrinæ ſubmiſſione gratiam hanc primam à principe ineundam duxiſti? à qvo (ſi divis placet) cùm in arena tua, veſtigia credo nota fallente, lapſus eſſes, jure tu reprehenſus es, manuqve ſublevatus. 315 Vel hoc tandem Budæ

qvis

qvis non credat, qvi te & illum nôrit, qvod qvidem ad id certè, qvo de agitur, attinet? Profectò ſecundâ (ut dicitur) avi aulicam diſciplinam tute auſpicatus es, tantoqve omini [ut opinor] progreſſus mox reſpondebit, ſi ad ludum tute ventitare perſeverâris. 316 Cùm hæc & hujuſcemodi ridens ille & cavillabundus diceret: egoqve qvæ ipſe mihi ominabatur, neqvaqvam agnoſcerem, homo ſtomachari pene cœpit & iraſci, qvaſi delitias facerem, ſecumqve velut homine imperito diſſimulanter ipſe agerem. 317 Qvod cum ægrè ferre cùm animadvertiſſem non ante fidem ipſi conſcientiæ meæ feci, qvàm aſſeverantiùs & jurejurando confirmavi, ſimpliciter à me eam rem actam eſſe atqve ex animi ſententia. Idqve multis pòſt ille exemplis edoctus, facile verum eſſe tandem credidit. 318 Ceterùm hoc ut certum tenetote, me primùm panegyricâ fretum fiduciâ cum Rege diſſerendo de rebus ad litteras bonas & eleganteis attinentibus, meticoloſum tandem eſſe factum ac mihi diffidentem. 319 Dein ad Regem ego reflexus, Noſtrum nunc, inqvam, Here, ſermonem interciſum ferruminaturus ſum, clepſydræqve tantiſper obturatæ jam demam epiſtomium. 320 Tametſi igitur proximô tuô ſermone intelligendum nobis dediſti, cùm de litteris diſciplinisqve verba facis, non id tàm jure tuô, qvàm qvaſi occupatitiô facere, aut precariô, claris tamen exemplis admonitus ſum, ſollicita cum animadverſione hiſce etiam de rebus tecum ſermocinandum eſſe, cùm ego in auſpicando ſpecimine impegiſſem nimiâ ſecuritate. 321 Qvamqvàm rurſus ut dominus es in officiis miniſteriisqve exigendis minimè moroſus, famulisqve tuis indulgens & miniſtris, qvos à cura corporis habes, omniumqve horarum apparitura, ut ſi qvis unqvam regum: ita in rebus diſputandis diſceptator ſanè qvàm æqvus, & fortaſſe æqvior æqviſſimô. 322 Et qvidem in ingenio tuo moribuſqve regiis nihil nec ſvavius animadverti, nec commemorabilius, cùm omnia ſint maxima & propè exemplaria, qvàm qvòd vel connivere in eorum culpa ſoles qvi in diſſerendo coram te hallucinantur, vel ſi illi à te liberè diſſentiant, aut molli articulô erranteis ac ſine imputatione corrigere, lapſoſqve non ægrè erigere. 323 Atqve hæc ita facis naturæ mirâ dexteritate, imperium qvidem ut interim ſceptrumqve regium deponere, oris autem ſummam dignitatem, incredibilem facundiæ lepórem, regiam deniqve majeſtatem retinere auctoritatemqve videâre. Tute verò ut etiam tuo de jure decedere non graveris in cauſſa apertè ſuperiore: ſi tamen ejuſmodi cum hominibus diſceptes, qvi in ſua ipſi arena à te vinci ſine pudore neqveant. qvô nomine memini qvantum etiam aliàs tuæ humanitati debeam. 324 Jam verò ſi te audiente (ut ſæpe fit) inter aliqvos acrior diſputatio animoſiorqve exoriatur, auſcultatorem agere non modò civilem, ſed officioſiſſimum nôſti: interim etiam cùm opus eſt, exiſtimatorem in neutram partem propenſiorem, earum qvoqve non minùs rerum, qvæ cognitionis tuæ ſunt: qvarum etiam diſceptator jure non regiô ſed privatô eſſe poſſes, juſtuſqve æſtimator. 325 Qvam morum æqvitatem atqve civilitatem, in proceribus primariiſqve magiſtratibus atqve ſecundariis

riis indignabundi ſæpe deſideramus. 326 Harum rerum exempla ſi tam hîc memoranda duxiſſem, qvàm alibi & paſſim memoratu digna ſunt, longior foret ab inſtituto digreſſio, qvàm pro modo aqvæ nobis fluentis, & tua me humanitas hæc tramittere jubet, qvæ ad rem eam, qvæ in cauſſam deducta eſt, nihil pertinere cenſes. 327 Ideò etiam memoranda mihi eſſe multa non duxi, qvamlibet memorabilia, qvia qvotidiana atqve omnibus penè nota. 328 Cùm igitur, Here eô ſis ingeniô, eô judiciô natus inter ſummos principes, ut apud te facundia, doctrinâ juſtâ ſubnixa, viros bonos tàm commendet, qvàm venuſtas mulieres & puellas honeſtiſſimas apud eos, qvi ſciti & elegantes formarum ſpectatores videri volunt: facere ipſe non poſſum, ut cuiqve juveni ingenioſiſſimo occurri & indole magnâ prædito, qvin omnes de litteris bonis magnificè ſentire ſperaréqve jubeam, ad ſtudiúmqve earum vehementiùs cohorter: futurum etiam recipiam, atqve exiſtimationis meæ pignore cavere non dubitem, qvicunqve ad doctrinam evaſerit partibus ſuis abſolutam: ſi modò induſtriam doctrinæ ingenuam moratamqve addiderit, atqve in regiam tuam nomen ejus, aut cognitore gravi datô, aut ingenii documentis qvoqvô modô inſinuârit, ut conſtet ei ratio operæ in litteris bonis impenſæ. 329 Cujus rei ſpes atqve exſpectatio, ideo geſtientior eſt atqve impotentior, qvòd ante hunc diem ſemper qvi ad hoc ſtudium ita ſe contulerunt, ut in philoſophia conſeneſcerent, eos cum inſtrumento & cibariis venire oportuit qvaſi irent Sutrium, ut Plautinum hôc locô uſurpem proverbium. 330 Neqve hæc, Here, qvùm fiduciâ benignitatis tuæ facio, fidem meam periclitari opinionémqve non recordor, poſſeqve me in jus vocari eam ob ſponſionem ad judicium hominum doctiſſimorum: ut ſi in fraudem hâc ſponſione juvenes attraxiſſe captionemqve videar, & me & prædes meos ſtilis indignantium ac frementium concidi viſurus ſim & lacerari. 331 Sed cùm ad hoc ſtudium omnia mea pignora, omnia ornamenta, poſtremò ſpes omneis meas meorumqve etiam nunc contuliſſe videar, qvid jam habere potero reliqvum, cui metuam, ſi hæc mihi atqve aliis exſpectatio in te poſita, decoxerit? 332 Qvod autem ad commune eorum pertinet, qvi ad litteras perdiſcendas & docendas ob eam exſpectationem incubuerunt, tanta eſt animorum alacritas, ita ſpem propoſitam avidè auribus haurire illi ſolent, cùm hæc & hujuſmodi tanqvàm tuis verbis, non à me modo, ſed etiam (qvod aliqvantum me ſublevat) ab aliis pronunciantur, qvibus excipere vocem ex ore tuo ſæpe licet, ut non tàm ſpe homines ſuſpenſi, qvàm exſpectatione certâ erecti geſtienteſqve videantur. 333 Credunt enim hæc velut oracula fundi ab Apolline (ut dicitur) reſponſa, hoc eſt, à majeſtate tua atqve liberalitate edita in interiore adyto, & fide gentilitiâ ſancta & confirmata. Sed ita, ut antiſtitem me tibi eſſe principem oraculorum hujus generis, invitô me illi qvidem & reclamante, ſed tamen meô vel meritô vel culpâ meâ ſibimetipſis perſvaſerint. 334 Qvocirca etſi compertam me habere & perſpectam voluntatem tuam confido, qvod qvidem adjuvandam & ornandam Philologiam noſtram attinet, nonnunqvam

tamen reputare mihi ſubit, ſi ſecus qvippiam evenerit [multa enim mortalium conſiliis nec opinata impendent, multa etiam inter calicem & labra, ut eſt in proverbio.] Sed ſi qvid non ex ſententia ceſſerit, Here, qvid me tum futurum eſt divi boni? qvi ſponſionis aſſeclam noxam eſſe, cùm hæc futura recipio, non meminerim, vel oraculô teſtificante nobiliſſimô.
335. Verùm hoc omen [ut ſpero, ut confido, ut non dubiè auguror] magnificentiæ tuæ aureæqve fortunæ genius primô qvôqve tempore averterit.
336. Prorſus qvidem, inqvit Rex, cum Deo benè juvante: & qvidem primâ qvâqve oportunitate qvam mihi ocium ab inſtantibus negociis largietur, congiarium illud Philologiæ tuæ pronunciatum, bonâ fide dabitur, ad qvod alludere ſermonem tuum jamdiu odorabar. 337 nec ideò tamen à te aut ab alio tui ordinis admoneri, atqve etiam appellari me veto, fidem ut à te datam meâ cauſſa, ab aliiſqve, liberem, qvi tantæ pecuniæ conſtitutum haud cunctanter ſtrenuéqve feciſtis fiduciâ noſtræ pronunciationis fideiqve palàm obſtrictæ gentilitiæ: non mihi minùs ſanctæ, qvàm Stygos olim numen fuiſſe deis poëtæ cecinerunt. 338 Id verò conſtitutum ego, ut mandatô meô factum, & agnoſco libens & ratum eſſe jubeo: tantum abeſt ut à vobis laudatus auctor in tanta cauſſa, vos in lite deſtituam. 339 Qvid ni enim, Here, id non hæſitanter faceremus, qvi & voluntatem tuam exprompta m, & facultates nulli non voluntati pares eſſe ſciremus? 340 Sed enim qvid tua efficere auctoritas benignitate conjuncta poſſit, ſi Muſæum extruendum (ut exſpectamus) curârit & mandârit, annuiſqve congruis & menſtruis fundârit ac ſtabilierit, inde æſtimari poteſt. 341 Etenim qvaſi illa pollicitatione nobili atqve etiam omnibus notâ, utpote palàm ac teſtatò pronunciatâ, iterumqve intervallô ſatis longô repetitâ, teſſeram qvandam vigiliarum ſtudioſis hominibus dederis. 342 Omnes jam ferè ingeniô felici ingenuâqve voluntate nati, è veterno priſtino incuriæ ac ſocordiæ excitati ſunt, liberaliaqve ſtudia capeſſere, id eſt litteras bonas lautioreſqve, certatim inſtiterunt, gnaviterqve colere. 343 Qvippe egregii tui propoſiti inſtitutiqve magnifici obſides habent regios prælectores: qvos famæ tibi ſuffragiô commendatos, ſpecimenqve ſui ac doctrinæ anteà factitantes, ſtipendiis conſtitutis auctorandos mandâſti, cùm eos etiam coràm verbis benignè ſingulos appellatos me ſpectante, cohortatus priùs eſſes. 344 Mandavi verò (inqvit) à te commonefactus, qvantoperè jam flagrarent homines iis ſtudiis litterarum, qvæ tu dicere mihi ſoles expolitionem eſſe humani intellectus, qvaſiqve corruptæ humanitatis elaboratam qvandam reconcinnationem. 345 Et verò tu eadem hac de re mecum ſæpe egiſti, cùm velut deprecandæ offenſionis gratiâ diceres, te conventus Philologici actorem deſignatum omnium ſuffragiis, id à me contendere. 346 Qvod nolim (ut dixi) exiſtimetur mihi moleſtum eſſe, ne injucundum qvidem. velimqve te hujus mihi, qvaſi æris alieni è rationibus meis honorariis expungendi, aſſiduum admonitorem eſſe: nec ideò deterreri ſi interdum aliud agam, hoc ipſum te agente. 347 Vereor enim ne ſuſurras qvoqve appelles ab ipſo muſarum choro, qvas debere me for-

taſſe

taſſe exiturâ jamjam die nonnulli arbitrabuntur, ut ſunt judicia imperitæ rerum multitudinis. 348 Eqvidem, Here, etſi dimitti flagitatores iſtos Philologiæ nomine exopto & percupio, qvorum verbis neceſſe eſt ut ſæpe te admoneam, & velut jam morantis munificentiæ interpellem, tamen uſurarûm nomine repromittam neminem æqvum & bonum qvidqvam à te petiturum, qvamdiu prælectores ſupradicti, aut eorum ſimiles annuis honorariis ornati & allecti, publicè profitebuntur. 349 Sit modò hoc ſemel ac ſatis nobis cautum, ne qvi ſub Palladis ſignis merent, unqvam centurientur expunctis (ut Plautus inqvit) in manipulis. 350 Nam cùm inter optima nomina illam majeſtatis tuæ pollicitationem habeamus, qvid eſt qvod magnoperè angamur, qvoad hoc qvaſi interuſurium penſitabitur, unde ſpem exſpectantium interim alere & ſuſtentare poſſimus, qvamlibet id aventem. 351 Videte igitur (Rex inqvit) ne nomen hoc, locuples qvidem & idoneum, ſed idem tardiuſculum eſſe exiſtimetis, imo verò vide tuipſe ſtipulator Philologiæ, ut dies promiſſi donativi ceſſerit & venerit. Hujuſcemodi enim nomina non in præſens plerunqve, ſed in diem contrahi ſolent. 352 Hoc autem ipſum eò ampliùs in hæc ſi non verba, certè hanc ipſam in ſententiam conceptum eſt, qvod qvidem commodo noſtro, qvatenuſqve è republica & qvando futurum eſt. 353 Sanè qvidem (inqvam) Here: & verò ſi res eſſet privatæ controverſiæ, non placiti principalis legum nexu ſoluti, ex æqvo tamen utiqve bonoqve diſceptaretur, qvod jus plenum eſt indulgentiæ, neſciumqve ſummi juris: qvod vinculis forenſibus utitur. 354 Neqve nos neſcii ſumus, pace qvamvis jam confectâ, omnibuſqve numeris pacificationis, ac multis pignoribus tranqvillitatis coagmentatâ, niſi qvid fata (ut fit) moveant invitis mortalibus, tamen reliqvias negociorum non mediocres ſupereſſe, cum rei nummariæ difficultate plurima. Qvarum rerum explicandarum ratio antiqviſſimam curam poſcit, nulliqve poſthabendam. 355 Interea igitur cùm tu mihi admonendæ tuæ majeſtatis fiduciam ultrò feceris, non committam, ut cauſſæ ad me delatæ (ut dixi) & receptæ, & verò ut tuæ voluntati egregiæ, defuiſſe videar & regiæ, qvodqve nunqvam in rebus mihi ſtipulandis facere potui, ut os naturâ verecundius qvàm mearum rationum familiæqve intererat, ſuffricare mihi metipſe imperitarem, qvò ad rem meam aliqvantum auxiſſem, conditionemqve amplificâſſem: multis me amicis, ut inſcitè atqve intempeſtivè pudentem veluti cubitô crebrô perpellentibus: id ego ſub hac perſona ſtrenuè (ut opinor) & præſidenter fecero: qvam tua mihi benignitas induit cum conventu Philologico. 356 Verùm ut eò rurſus, qvò tendebam, redeam: qvantum in ſingulis tuis verbis, Here, atqve etiam nutibus poſitum ſit, ad flectendas voluntates hominum, & qvò velis cunqve circumagendas, ex eo declaratum eſt qvod nuper exoptandum nobis evenit. 357 Hâc enim animi proclivitate ad litteras bonas fovendas, qvam haud ita pridem & præ te ferre cœpiſti & verbis expromere, litteris etiam Græcis civitatem (ut ita loqvar) in Francia tua dediſti. Tametſi civitatem dico in Francia? immò verò in regiam tuam aditum hoſpitalem, fe-

 ſtivum

ſtivum & plauſibilem. 358 Nam qvod Philologiæ noſtræ rivales nobiles jam non paucos habemus, nonnulloſqve domeſticos tuos, & circum pedes famulos: ne id qvidem modò, ſed proceres & puberes honorarios, & pueros diſcophoros, litteris Græcis imbutos: (qvod inter hujus temporis paradoxa præcipuè numerandum duxerim) nihil aliud cauſſæ eſt, qvàm qvòd cordi tibi eſſe cultiores litteras jamdiu innotuit. 359 Qvare ſimul ut à curis antiqvioribus feriatam mentem habueris, ad inſtruendamqve illam perpoliendæ humanitatis officinam animum applicueris, magnum utiqve atqve memorabile operæ precium protinus, æternumqve feceris. 360 Qvantum enim divi jam immortales, qvàm amplum, qvàm ad memoriam tui principatus memorabile futurum eſſe cenſes, Pædiæ illius olim celeberrimæ, cùm Romanæ, tùm Græcæ, diverſorium, domicilium, ſedes deniqve ac tabulas in patriam deportâſſe aut adſciviſſe? 361 Qvale porrò additamentum, qvantumqve huic urbi florentis qvondam Romæ nunc propemodùm æmulæ, fore exiſtimandum: in qvam tute longô intervallô larem regium retuliſti deſtinatione animi, ſi Camœnarum ædes ipſi pro ornamento inſigniqve acceſſerit? 362 Eqvidem ipſe dignam cauſſam eſſe arbitror, qvamobrem ſubſtruendis fundamentis, regia tua majeſtas inſignibus regiis geſtaminibuſqve ornata, primigenium lapidem jacere non gravetur, cùm ipſe in forma operis ejus arbitranda, architecti priùs munere perfunctus ſis. 363 Hunc enim diem poſteritas, qvaſi natalem palingeneſiæ litterarum ingenti ſtudiô colet & celebrabit. Ne eum qvidem modò, ſed etiam ipſius qvinqvatria & octatria. 364 Neqve verò ſi in hoc eſſe tui ſimilis perſeveràris, ſatis eſſe arbitrabere, rei tam memorabili inſigniqve futuræ, tùm titulum atqve auctoritatem regiam impertire, tùm ſumptus ſuppeditatorem benignum eſſe: niſi operis qvoqve totius amplitudinem, deſcriptionem, rationemqve architectatus fueris, (qvod in multis operibus egregiis feciſſe te novimus) & veluti primam manum operi, ſummamqve accommodâris. 365 Regiæ certè magnificentiæ eſt, & tuæ animi magnitudinis atqve providentiæ hujuſmodi mauſoleum extruere, omnibuſqve partibus abſolutum in regium modum reddere, in qvo vivus (ut ajunt) & videns nominis tui atqve animi memoriam inciſam eſſe nôris, perpetuumqve manibus tuis monumentum futurum. 366 Dignum certè prorſus opus, per (inqvam) opus dignum, qvod à te ipſo inchoëtur, Here, ſimul atqve vacabit, accuratéqve & amplè abſolvatur: non qvod hæredi mandetur abſolvendum. Cujus tu exactor ipſe ſis, non mandator. Qvod tuis non tantùm auſpiciis, ſed arbitratu tuô fiat. Deniqve qvod tibi ſuperſtiti Philologia, non manibus tuis tantùm & memoriæ, ſupremiſqve mandatis debeat. Cujus tu magnificentiæ recordatione atqve conſcientiâ diu ſuperſtes ſenexqve perfruâre. 367 Nam ubi * tandem potiùs nomini tuo, atqve honorificentiùs parentari te adhuc hîc

* *Ubi tandem potiùs nomini tuo*] *Nullum*, auctore communi Germaniæ Præceptore, Philippô Melanchthone, Tomô I. aurearum Declamationum p. m. 457. „ DEO gratius eſt officium, „ qvàm

hìc agente, ubi te fatô perfunctô animæ tuæ ſanctiùs venia Dei expoſci &
religioſiùs, qvàm in eo loco poterit, qvi omnium gentium convenis fre-
qventabitur, beneficiô tuô obſtrictis? Id certè nominis tui monumentum,
tanqvàm locô ſemper vernante ſitum, indies effloreſcet. 368 Nam cùm
illic Francia ſeminarium habitura ſit elegantium hominum, doctrinâqve ju-
ſtâ & multiplici expolitorum, qvod ex tuo inſtituto cuſtodibus publicè præ-
poſitis, diligenti & exqviſitâ ſcholarum diſciplinâ coletur, nimirum ex eo
velut alveario Atticæ & Romanæ eloqventiæ, examina (ut ita dicam) juve-
num qvotannis, omneis in partes nobiliſſimi tui regni dilapſura ſunt, qvæ
gloriam & decus pulcherrimi inſtituti ubiqve illuſtrabunt gentium. 369 Ve-
rumenimverò Here, cùm hoc in exſpectatione nobis tam certa poſitum ſit,
ut alias res jam curare atqve agere poſſimus poſt geminatam pollicitationem,
& conceptis verbis agnitam, ampliùs etiam à te hoc poſtulandum habemus:
qvod niſi me longè fallit opinio, jam exorſis non gravatè confeſtim attexue-
ris, cùm ſit illis magnoperè conſentaneum. 370 Nempe (inqvit) ut *Philo-
logiæ* poſt annua conſtituta annarias qvoqve leges, & candidas petitionum
& gradationem ſolennem fortaſſe, claſſemqve ſuam attribuam, ſcanſili ex-
ſpectatione ornatam: id enim ex iis qvæ in qverimoniam deduxiſti, facile
conjicio. 371 Hoc Ipſum, inqvam, Here, par erat omnino, ſi commo-
dè conſtitui potuiſſet, certiſqve finibus temperari. qvod qvoniam non pot-
eſt, id modò poſtulamus, ut nos ex capite tantùm cenſis, vel ex prorſus
non cenſis, inter cives, in claſſicos jam cenſoſqve facultatibus primariis
tranſcribamur. Deinde in comitiis flaminum, curionum, archiflaminum,
honoratiorumqve ſacerdotum, primatum, & cænobiarcharum atqve pontifi-
ciis, Philologorum nationem ita commendatam velis ſuffragii tui prærroga-
tivâ, ut candidatos regis eſſe eos homines intelligant. 372 Inde enim ſeqve-
tur, ut glorioſiſſima apud omneis homines *Philologia* qvamprimùm eſſe
incipiat & gratioſiſſima: ſimul ut primores & proceres ordinis conſecrati,
homines doctiſſimos habere non modò inter comites, ſed etiam inter bene-
ficiarios ſuos cupiant & evocatos. 373 Nec nobis jam dictis facultatibus vel

„ qvàm veritatis, & juſtitiæ ſtudium & propaga-
„ tio. Nam hæc ſunt præcipua Dei dona, in qvi-
„ bus Dei præſentia maximè cerni poteſt. Hæc
„ Deus præcipuè conſervari poſtulat, imò ad hunc
„ finem præcipuè conditi ſunt homines, ut alii
„ alios doceant de Deo & aliis rebus bonis. Ad
„ hanc utilitatem addita eſt divinitus humano
„ generi ſermonis communicatio. Qvare non du-
„ bium eſt, qvin hoc vitæ genus, qvod in do-
„ cendo & diſcendo verſatur, Deo gratiſſimum
„ ſit, & hôc nomine antecellant ſcholæ templis
„ & aulis, qvia majus eſt ſtudium veritatis in
„ ſcholis. Qvare ſi qvis ſanctum vitæ inſtiturum
„ qværit, non abdat ſe in ſolitudines, non pu-
„ tet aliud eſſe ſacratius vitæ genus, ſed in his di-
„ ſcentium conventibus maneat, hic conetur be-
„ ne mereri de genere humano doceat alios, &
„ ſciat hoc officium prodeſſe ad conſervationem
„ & propagationem optimarum rerum, erudiat
„ ambigentes conſcientias, reſpondeat de jure,
„ deqve omnibus vitæ officiis, inqvirat rerum
„ naturam, morborum remedia, cauſſas muta-
„ tionum in natura, motus & effectus cœleſtes,
„ præparet juventutem ad majores artes, enar-
„ ret hiſtorias, mandet litteris res geſtas, illu-
„ ſtret artes: Hæc qviſqvis facit, Deo gratiſſi-
„ mum cultum præſtat, & de genere humano
„ præclarè meretur: Conſervat enim doctrinam
„ utiliſſimam vitæ, format mores, judicia ho-
„ minum, retinet pacem, mitigat multa mala
„ publica. Tale vitæ genus non ſolum præſtat
„ monaſtico, ſed vere divinum eſt.

cenſis vel cenſendis, aut primam aut ſecundam claſſem petimus (noſti enim, Here, probè, qvæ conſtitutio claſſium fuerit olim apud Romanos) ſed ut juſtæ, germanæ, humaniſſimæqve doctrinæ (ut olim appellata eſt) auctoritatem, in omni parte reipublicæ fundatam velis & ſtabilitam, atqve ita per omnia membra fuſam, ut ſangvis & ſuccus civilis corporis eſſe exiſtimetur. Ita enim fiet potiſſimum ut locô jam & gradu moveri Philologia neqveat: nec ab ſuis inimicis imperitiæ patronis & cultoribus, è medio rurſus ut ſupervacanea exigi & explodi. 374 Sic autem homines docti & prudentes ſentiunt, Gymnaſii inſtituti exſtructionem tanqvàm fundamentum ædis eſſe Muſarum: at litteratorum hominum ornamenta, veluti exædificationem ipſius eſſe muſæi atqve expolitionem. 375 Profectò (Rex inqvit) Budæe, non primum aut ſecundum locum tuæ philologiæ (ut dixiſti) petis: ſed ſummum, imum & medium flagitas ſubſellium in conſeſſu reipublicæ: congruenter iis utiqve, qvæ anteà dixiſti, ut ea facultas, qvæ orbi diſciplinarum oram circumfuſam cingit & cludit, etiam ad centrum ex omni parte ipſius circuli tendat. 376 In eo enim puncto finis eſt (ut opinor) ſitus, & veluti ſcopus hominum, qvi civili ratione vitam ſibi agendam eſſe inſtituerint. Multiplex qvidem ille pro ingeniorum animorumqve varietate: ſed tamen eò ſpectans, ut qvàm poteſt qviſqve commodiſſimè inter cives pro captu ſuo vivat. 377 Verumenimverò cùm ſermonis noſtri progreſſus inoffenſô ſatis curſu porrò iviſſe mihi adhuc viſus ſit, hìc ego tamen aquam (ut dicitur) hæſuram ad obicem ſuſpicor: qvem haud ſcio, an amoliri non pronum futurum ſit. 378 Velim igitur, ut, qvod Philologorum ordini petis, qvaſiqve jure & æqvô poſtulas, id commodè qvoqve fieri poſſe doceas: ac ſi factum fuerit, id è republica futurum exiſtimationeqve noſtra atqve regali. 379 Ecce autem eô adhuc loqvente, importunus qvidam nobis reiqve litterariæ obnunciator advenit, qvi colloqvium hujuſcemodi repentè nobis diremit, qvod hactenus feliciter ac ſine interpellatione ceſſerat. 380 Qvod cùm ego fremerem ac gemerem in ipſo penè cardine cauſſæ, in qvo ſumma qvæſtio caputqve vertebatur, & judicem mihi eô eventu ablatum, & coronam dilapſam eſſe, cogitare tamen cœpi, poſſe & aliam fortaſſe occaſionem ſarciendæ diſputationis, ab eadem fortuna reſtitui, qvæ ipſam ademiſſet: id qvod ſi eveniret, fore putabam ipſe, ut id aqvæ qvod fluxerat, cauſæ non periiſſe, mihiqve videretur. 381 Qvapropter ei deinde occaſioni imminere accuratè inſtiti, metuens ne longiore intervallô ægrè conglutinabilis eſſet, cùm differendi alacritas & materia jam refrixiſſent, qvæ commodè anteà incaluerant. 382 Ecce tibi igitur tandem, cùm dies compluſculos vigilem & freqventem apparituram à primo accubitu ad clauſulam epularum regiarum feciſſem, nactus ſum forte (ut dicitur) fortuna qvod captabam. 383 Rex enim, qvi tunc vel anagnoſtæ * operam plerumqve dare ſolet, vel ſi litterati

* *Anagnoſtæ*] Servorum nomen eſt, qvi ſuper menſas legebant libros. Eruditi enim & opulenti homines inter alia miniſteria habebant qvoqve, qvi ipſis cœnantibus, lavantibus, aut vigilan-

ti viri adſint, eos qvæſtionibus è re natis jucundè ipſe ac civiliter exercere, aut inter ſe committere, me verò non in poſtremis, inde mecum ſermonem appoſitum exorſus eſt, unde ego ſtatim eum in memoriam reducere interruptæ dudùm ſermocinationis potui. 384 Huic verò ſermoni poſteriori librum alterum deſtinandum eſſe cenſui, qvoniam viſa mihi eſt diſputatio ad juſtam excreviſſe magnitudinem.

DE PHILOLOGIA

LIBER ALTER.

1 QVI priùs igitur Illuſtriſſimi Principes, ereptam mihi in circulo occaſionem perorandi, qveſtus fueram atqve ingemueram, ſimul atqve ſenſi redditam mihi in manum anſam pertexendæ ſermocinationis, præclarè mecum egiſſe fortunam intelligere cœpi, plaudendumqve fuiſſe & gratulatione dignum quod ægerrimè tuleram. 2 Nam cùm anteà mihi pertimeſcendum eſſet, ne longius producta loqvendi viciſſitudo tædium Regi afferret, auriumqve faſtidium, idcircoqve aqvam mihi fluere jamjam deſituram ſemper exiſtimaturus eſſem, factum eſt eô caſu, aliqvot ut dierum intercapedine inſtauratâ audiendi voluptate, tanqvàm denuò refuſam mihi occaſionis manu aqvam in clepſydram interpretarer. 3 Ab integro igitur oportunitate arreptâ redordiendi, qvod inchoatum à me erat, aut jam orſis attexendi qvæ animus ferebat. 4 Res nata (inqvam) Here, id ferre mihi videtur, ut ſermoni tuo nunc reſpondeam, qvem improviſus caſus excipiens, ad hodiernum diem qvaſi comperendinavit. Hinc autem ſi placet auſpicabor. 5 Cum litteræ verè Latinæ annos plus mille intermortuæ fuiſſent, Græcæ etiam conclamatæ citra mare Ionium, & tanqvàm funere elatæ ac conditæ. Jam diu tamen in Italia, regione † litteris ſemper hoſpitaliſſima, redivivam auctoritatem ac ſplendorem utræqve habere cœperunt. Cùm interim Alpes mulis etiam cli-

gilantibus noctu, aut alio tempore libros vel aliorum, vel ſuos legerent, cujuſmodi ſervos à re ipſa *Lectores* adpellant Svetonius in Aug. c. LXXVIII. & Plinius VIII. Ep. I. Sed Græcâ voce utitur Cicero I. Att Ep. XII & V. Fam. Ep. IX. Item Nepos Cornel XXV. XIII. 3. XXV. XIV. 1. Vide Pignorium de Servis p. m. 218. edit. Amſtelod. 1674. in 12. Joan. Meurſii c. III. Auctarii Philolog. p. m. 117. ſ. edit. Lugdun. Batav. ann M. IɔCI. Auguſt Buchner Addit. in Lexicon Fabri col. 153. 154. edit. Lipſienſ. M. DC XCII.

† *Litteris ſemper hoſpitaliſſima*] Venit in mentem, qvod apud doctiſſimum Joh. Caſelium noſtrum in epiſtola ad Carolum Sigonium. p. 738. Operis epiſtolici à Dranſfeldio curati & Francof. annô M. DC LXXXVII. in 8. impreſſi librô X. n. XI. non ita pridem legi. *Utinam tuis tantis vigiliis digna etiam præmia perſolvantur. Apud nos rem faciunt, qui qvaſlibet artes tractant.* Quô *locô ſint ſtudia ſapientiae non libet queri, ne patriam trans Alpes accuſare videar. Neqve neſcio, ut Italia perpaucos etiam alat, & ſæpe digniſſimos prætereat, neqve non ejus rei cauſſa fugiunt.*

clitellariis pervias, armillatiſqve tabellariis curſu diurnô ac nocturnô ſuperabiles, litteræ ipſæ bonæ tranſire aut neqviverint, aut reſpuerint, ut qvidem ad nos accederent; qvaſi commerciô nobis earum ademptô, aut noſtrô illis interdictô. qvoad tandem tuô appetente principatu, ipſas pedetentim qvaſiqve ſeſe diſſimulanteis, Philologia mihi primo noſtratium, & (qvod eqvidem nôrim) uni diu, verè familiaris, ingenti contentione accitas, ægréqve evocatas, eâ hoſpitalitate proſecuta eſt, ut jam ipſæ diverſari in Francia non nollent: qvanqvàm vel unum præter me, æqvè cô nomine nobilem, dare cognitorem nondum poterant. 6 Nuper verò ex qvo favor tuus ipſis non obſcurus acceſſit, non modò apud nos tuoſqve omneis paſſim peregrinari, ſed etiam ad nos immigrare prorſus conſtituerunt. 7 qvod ſine captione aliarum gentium factum eſſe non neſcius ſum. In omnibus enim provinciis, in qvibus incolis illis eſſe contigit, liberaliter, comiter, benignè atqve ambitioſè, æmulâ contentione acceptæ ſunt. Proinde ipſa Philologia earum nobis conciliatrix, ut dixi, atqve proxenetria, ſemetipſam & litteras utriuſqve lingvæ veras, puras, & germanas, ad fidem tuam liberalitatemqve confert, ut eis in Franciam tanto ex intervallo redeuntibus, juſtum eſſe primum jubeas poſtliminium: deinde ad tribunalia, ad ſubſellia, ut ajunt, ſtragulaqve liliata, ad collegia honeſtiora, ad ampliſſimos ordines, aditum eis pandas, ibiqve ſeſſum mandes admittendas: qvibus in ipſis olim litteras ipſas bonas clara ſui documenta dediſſe, antiqva monumenta teſtantur. 8 Priſcarum enim litterarum ſplendori, caligini multâ ignorantiæ privatim ac publicè offuſâ, homines verè litterati in ſcenam reipublicæ, atqve in ſolem, ut dicitur, & pulverem forenſem non prodire, non in gradibus ſedere, non in orcheſtra videri, ut homines ſine re, ſine lare ſoliti ſunt: ob idqve nullo locô numerôqve haberi: certè qvidem ut nihili notæ in abaco arithmetico, loca tantùm lacunoſa inaniaqve occupare. 9 Litteris igitur converſione temporum tuaqve commendatione in lucem atqve in publicum, ex umbratili ſtudio ac labore domeſtico exeuntibus, in claſſes utiqve litterati viri jam permulti, in primaſqve centurias eqvitum & patritiorum pro cujuſqve captu referendi ſunt. 10 Regiæ porrò vocis favoriſqve prærogativam, cum omnes tribus principum, procerum, patritiorum, atqve omnium ordines ducentium, protinus ſecuturæ ſint, nullum majus operæ precium, Here, facere majeſtas tua poteſt, qvàm ſi & rebus, (ut facis) & verbis, luculentas ſignificationes dederis qvàm tibi ex animi ſententia ſit litterarum bonarum illuſtratio: ſi mactos eſſe virtute, ſtudioqve pertinaci & conſtanti, aliqvot eorum juſſeris, qvi rei amplificandæ curam, ambitioniſqve ſtudium, litterarum peritiæ idcircò poſthabenda duxerunt, qvòd lucripetas homines atqve ambitûs aſſeclas, Philologia è familia ſua ſummovere ut ſpurios nothoſqve ſolita eſt. 11 Id bonum & æqvum eſſe, id bonis moribus convenire, idem è rei Francicæ exiſtimatione, regiæqve benignitatis illuſtratione futurum, nemo non arbitrabitur litteris non iniqvus. 12 Ita qvod bonâ pace tuæ majeſtatis, Here, dixiſſe mihi liceat, non video

pror-

prorſus, qvo in obice aqva noſtri ſermonis hæreat, qvod tu in altero ſermone noſtro ſuſpicari videbare. 13 Neqve enim jam ut antehàc, clitellæ bubus impoſitæ videbuntur, cùm honores vel civiles, vel prætoriani, litterarum ſtudioſis mandabuntur, qvaſi aſininis tantùm tergis, qvod ad litteras bonas attinet, inſtrata hujuſcemodi ſedeant. 14 Niſi verò litterarum ſplendor, decus humanitatis, index & prolator ingeniorum in umbra atqve in tenebris exhedrarum conſpici & eminere poteſt: in luce & in ſole non poteſt. 15 neqve tu, Here, qvâ ingenii bonitate natus es, dixeris ſic homines ſtudioſos & litteratos, in inſtituto vitæ tenebricoſæ, ſplendidâ famâ eſſe, ut caudices qvidam putres & aridi, noctu demum fulgent, aut nitedulæ volitantes poſtqvàm contenebravit: aut ſi qvædam ſunt alia ejuſdem modi, qvorum ſplendor evanidus in luce exoleſcat. 16 Mihi verò litterati homines graviſſimorum celebritate illuſtrari poſſe videntur, ut carbunculi, ceteræqve ardentes ſuâ vi gemmæ, ad ſolem flagrare ſolent: & oratores tum maximè diſerti & eloqventes fiunt, cùm maximam & honeſtiſſimam coronam ſibi circumfuſam eſſe ſentiunt. 17 Neqve enim æqvè doctrina facunda eſſe poteſt in toga & in purpura, neqve tàm in plano qvàm è loco ſuperiore, qvi cùm ipſe audientiam liberam unicuiqve largitur, tum fiduciam facit auctoritate ſubnixam. hucqve pertinere puto antiqvum proverbium, Magiſtratus virum oſtendet. 18 Ecqvid igitur (Rex inqvit) Budæe oblitus es, te me audiente pridem aut dudum parum certò memini, ſed tamen aliqvando dixiſſe, Minervam illam judicialem, ſqvallidam & horridam (ſive illa eſt muſa qvædam craſſa atqve ruſtica, natalibus tetricis oriunda, & virus barbaricum olens:) ita à veſtra Minerva lauta atqve urbana abhorrere, Romani fori odores ſenatuſqve priſci referente, ut in eundem ægrè hominem ambæ coire ſine colliſione non poſſint, graviqve offenſione. 19 Atqvi ipſe memini cùm diceres, juris utriuſqve diſceptationem * uſumqve fori formularem, ita nunc eſſe conſtituta, ut ſi qvis elegantis Minervæ qvaſi juris ſui retinentior, virus illud hircoſum & alpinum cendendo vitare vellet, antiqvamqve notam dicendæ ſententiæ qvoqvô modô imitari, juris periti nomen protinus eſſet opinionemqve amiſſurus: duntaxat opinione & judiciô hominum ejus ordinis, qvæ multò maxima pars eſt eorum, ut ajebas, qvi fata juriſdictionis regunt. 20 & ut conſecrata in ceremoniis ſacriſqve faciundis verba mutare nefas eſſe ineptumqve exiſtimatur: ita iſtum juris interpretum ſermonem, verbis multis permixtum, è foro, non qvidem Romano ac ſubſelliis dicato, ſed olitorio potiùs & boario ſuarioqve collectis, tum reſonanantem illos, tum plaudendum eſſe putare, atqve ad dicendam ſententiam plenum auctoritatis & villicum commendat (ut ajunt) animæ graveolentia,

* *Juris diſceptationem uſumqve fori formularem*] Sanè Juriſprudentiam à præſtantiſſimis antiqvitatis hominibus excultam, auctam & propagatam tanta vi ſuperiore ſeculô invaſerat barbaries, ut nemo Juriſconſultus haberetur, niſi idem barbarus, aut certè barbaricô cultu inſtructus exiſteret, qvod qvidem, malum dicam neſcio, an flagitium, non eſt adhuc profligatum ubiqve.

index alliati pulmentarii. 21 Qvem errorem uſqveadeo ajebas invaluiſſe, ut antiqvorum juris conſultorum verba, barbaris illis, tanqvàm feſtivioribus ceſſerint, aut ſignificantioribus. 22 Hunc igitur obicem neceſſe eſt ut ſummoveas, niſi aqvam vis hærere. etſi enim libens jam facere ſolitus ſum, ut qvos ſtipendia multa ſecundâ famâ feliciterqve feciſſe ſub ſignis Minervæ veſtræ comperi, aut civilibus honoribus ornandos, aut ſacerdotiis jubeam: tamen in judicandi muneribus hoc ſemper exceptum volo, niſi civilis juris atqve pontificii uſuſqve adeò forenſis, imperiti reperiantur. 23 Qvippe qvi intelligam nec civiles facultates, nec uſum formularum judicialium, nec opinionem integram in qvoqvam deſiderari oportere, qvi judicandi munere functurus ſit. 24 Id verò præcipuè in iis obſervandum eſt, qvi in curias ſummas conſiliaqve adoptantur; qvoniam ita de cauſis ipſi diſceptant omnis generis, & judicia agitant tùm capitis, tùm fortunarum, tùm fori tranſlationum in iis reis, qvi ſe eximi civili cognitioni poſtulant cœlibatus uncti patrociniô, ut ad majores inde judices provocatio non ſit. 25 Qvare (ut noſti) in eos qvi à nobis codicillos ejuſmodi muneris impetraverunt, anteqvàm magiſtratum ineunt, exerceri legem cenſuræ probatoriæ ſinimus & jubemus, à majoribus noſtris ſanctam. nec anteqvàm doctos & experientes curiis ſeſe deſignati ipſi probârint, aut iis qvi explanatores deſignatorum ab ipſis delecti ſint curiis, rata eſſe noſtra beneficia volumus. 26 Voluiſti verò, Here, inqvam, eam legem valere ſemper: & cùm ceterarum legum gratiam qvibuſdam qvaſi tuis candidatis diplomate feceris, neminem unqvam qvod meminerim, ſic eximium habuiſti, lege ut exploratoriâ ſolveris. 27 Ceterùm tantum eſſe diſſidium hôc tempore non puto inter Minervam Philologiæ noſtræ numen, & illam qvæ intra cancellos & fori & curiæ, ſanctiùs qvàm par erat, & ſuperſtitioſiùs, multis jam ætatibus culta eſt, ut aliqvatenus inter ſe conciliari neqveant. 28 fuit ea tanta perdiu diſſenſio, nunc, ut nihil non dies affert, ſocietatem illæ qvidem coire, ceterùm non omnium facultatum, non ægrè, ut ſpero, perſvaderi poterunt: & verò ſi auctoritatem regiæ majeſtatis interponere non gravabere, etiam facillimè. 29 Profectò, inqvit, interventor rei bonæ, claræ & probabilis is futurus eſt, cui agglutinatori ipſi contigerit eſſe & dictatorem elegantis doctrinæ atqve ſermonis, cum juriſprudentia forenſibuſqve muniis. 30 & qvidem libenter ad eam rem perficiendam operam navaverim, ſi fieri poſſe comperero non ægerrimè, nedum auctoritatem meam auſpiciaqve regia accommodârim. 31 Vide verò Budæe, vide inqvam etiam etiamqve, rem ut ſatis conſiderâris, nec interceſſores hujus coëundæ ſocietatis confeſtim duos, eoſqve pervicaces habiturus ſis: morem vetuſtum carioſi illius ſermonis ac mucidi, in mentibus hominum inuſtum, qvi in cunabulis rancidis & barbaricis educati ſunt: amoremqve alliatæ illius hircoſæqve Minervæ, cum tabulis ipſis forenſibus ſic, ut ita dixerim, fixum, inde ut revelli ſine ſeditione neqveat. hunc nodum niſi ſolveris, id qvod agis nunqvam expedieris. 32 Qvid ſi, inqvam, Here, tragœdia in comœdiam incurrere, & hæc in illam

illam interdum ſine offenſa poteſt, qvod Horatius auctor eſt? deſperare debemus patriciam & eqveſtrem Minervam, cum plebeja atqve officinaria, in loco, interdumqve poſſe non diffidere? 33 Sed fac eſſe difficillimum. poteſt ne qvidqvam qvod bonum, æqvum & honeſtum ſit, non pronis bonorum animis, regiæ auctoritati, non ſecundis claſſicorum voluntatibus, judicio tuo & ſanctioni cedere? 34 atqvi digna res, Here, mihi eſſe videtur, qvam propter & fidem tuam ipſi & manum implorare debeamus & impetrare: ut Alexandri magni exemplô, ſi ita res tulerit, gladiô imperii abſcindas, qvod à nobis enodari ratiocinandô non potuit. 35 Sed enim qvàm facilè non dico imperiô exprimere principali, ſed æqvis efficere plurimorum animis poſſis, eruditior ut illa ornataqve Minerva, jus dicendæ ſententiæ in curiis habeat, & verò populariter ipſa, ſecundiſqve auribus plurimorum atqve animis, cenſeat, inde intelligere poſſumus. 36 Fuit ex qvo certiſſimè res hujuſcemodi memini, atqve adeo fuit adhuc jam te Rege, cùm politior hæc eruditio ſermoniſqve lautitia, ingrediendi fori, & repaguli curiæ ſuperandi, prorſus inſolens & videretur & eſſet. & ſi qvando qvis paulò liberaliùs inſtitutus (qvod tam rarum erat qvàm Alcyonem videre) rogatus ſententiam, qvidpiam cenſendo protuliſſet doctrinæ melioris & elegantis, univerſi ſtatim ut conſeſſûs obtutu ille obrueretur, qvaſi qvid deſignâſſet & admiſiſſet reclamatione dignum. 37 adeò tritâ & duriuſculâ fronte opus erat, qvi qvidqvam hujuſcemodi in medium cum fiducia afferret. 38 Mihi verò ex qvo & in curia urbana, & in hac tui comitatus aſſecla, & in omnibus curiis, jus dicendæ honeſtiſſimô locô ſententiæ, beneficiô tuô conſecutus ſum, ita ferè comparata cenſendi ratio fuit. 39 In tirocinio magiſtratus hujus initi, morem aliorum cum aliqvo temperamento ſeqvebar. Poſteà qvaſi pedetentim & verecundè Philologiæ meæ ornamentorum neſcio qvid, mecum in judicium ferre, cum prætexta, ut ita dicam, & inſignibus inſtitui. 40 Id cùm ego jure meô facere æqviſſimô cuiqve viderer, qvod notum omnibus erat qvo ex loco, qvôqve nomine à tua majeſtate in eum ordinem traductus eſſem: primò non ingratum, deinde ſatis populare eſſe cœpit, id adeò, ut dimiſſô nonnunqvam conſilio à qvibuſdam æqviorum revocarer, tanqvam acroama qvod placuiſſet. 41 Qvod qvoniam accidebat, cùm qvædam qvaſi ſententiæ condimenta ſpargerem, qvæ reconditæ apud collegia doctrinæ, atqve foro inauditæ, inſtar qvoddam habebant, ea ut ſorberi potiùs auribus, qvàm reguſtari ab aliqvibus poſſent, cœpi hæc verecundiùs deinde uſurpare. 42 Sed qvia rurſus interdum, cùm loqvendô incaluimus, difficile eſt & ſcitum & appoſitum verbum tenere, qvod etiam non meditatis interdum inter buccas ſeſe offert, mihi nonnulla & muſis, ut ille olim Antigenida, canenda eſſe ſtatuebam. 43 In deliberationibus aliqvando inſignioribus (non ſemel enim neqve iterum tantùm hoc genus qvæſtionum, tempore meô in curia centenaria extitit) ita evenire memini. 44 Qvi à Minerva Attica & Romana ſententias mutuari verbaqve auſus erat in ſententia dicenda: is ſi ſcitè, & ad cauſſam tempuſqve non ineptè id facere videretur,

 deretur,

deretur, & ex ære idem ſuo illa non ex alieno proferre, ipſe ita ferè audiebatur, qvaſi perſonæ olim adventitiæ, aut ejuſmodi acroamata, qvæ aut miraculi aut hilaritatis gratiâ in medium interdum prodeuntia, videmus ſpecimen ſui plauſibiliter facere. Græci ἰχνεσίδια vocant. 45 Nunc eouſqve profectum eſt & in toga & in prætexta, (ut omnia ferè uſu evaleſcunt, etiam conceſſu multitudinis) certatim ut qviſqve juniorum præſertim, velut in ludo nitidiore verſatus & inſtitutus, lepôres ſermonis, ſententiarum priſcarum auctoritatem, figurarum troporumqve gratias, deniqve ſententiæ expromendæ concinnitates, controverſiarumqve exponendarum, aucupetur atqve venditet. 46 Adeò Philologiæ noſtræ ſupellex, res ſuâpte naturâ jucunda & gratioſa, omnibus probare ſeſe jam cœpit, colendamqve præbere, qvibus ſe cunqve vel tantulum indulſit. Simul enim (ut Ciceronis verbis utar) aſpecta & probata eſt, ut Minerva qvondam Phidiæ. 47 Nam paucorum ducendam rationem nullam cenſeo, qvi nimium memores ruris cunabulorum, olentiſqve pulticulæ, & ſqvallidæ (ut ita loqvar) incocti ruſticitati, allitatis magis epulis & ſuccidiâ rancidâ, qvàm jucundè conditis gaudent & opiparè. 48 Hujuſmodi enim ſunt, qvi pingvis illius & plebejæ Minervæ rudimentis perditè imbuti, in ejus diſciplina libentes acqvieſcunt, cujus etiam modi in omni arte profeſſioneqve ſordidi qvidam atqve horridi reperiuntur. 49 Qvi cùm in prelis ſitu annoſæ imperitiæ, ſtriaturam ſuam ceperunt, ut eſt in proverbio, ſemel atqve irreplicabiliter, ſpei jam ſunt depoſitæ, emendationiſqve neſcii. 50 Hos Minervæ eqveſtris & patriciæ diſcipuli & cultores, cùm audiunt differenteis, tàm injucundè fermè afficiuntur, qvàm ego in ſtupore aliqvando dentium ferras exacuentem audivi, aut pumicem ſecantem, aut aſſes ſubæreos. 51 At illi Latinè loqventibus ſic aurem viciſſim accommodant, ut aſelli, qvod dicitur, ad lyram ipſi eſſe videantur. 52 Qvanqvàm illis fortaſſe nonnihil veniæ habendum eſt, in qvibus temporum infelicitatem ea de cauſſa miſerari magis qvàm culpam inſcitiæ reprehendere jure poſſumus: ſi modò æqvali ſibi litteraturâ acqviſcere, non etiam gaudere præ ſe ferant, puræqve anteferre. 53 Hìc Rex ore renidenti circumſtanteis perluſtrans, En, inqvit, ſocietatis conglutinandæ exordium, qvam iſte meditatus eſt, & coitu facilem eſſe contendit. Jungentur jam gryphes eqvis, ut puer audire memini: Saturnum & Jovem eodem in homine videre erit conſociatos: & utramqve Minervam eadem in ara venerari licebit, ſi Budæo credimus, qvi tantam antipathiæ interceſſionem ſuſtulit. 54 Non in eadem ara, Here, inqvam, fortaſſe: neqve enim ſunt illæ deæ, qvod Græci dicunt ὁμοβώμιοι, ut Venus & Gratiæ, ſed in eodem delubro, eſt enim, eſt hæc animorum diſſenſio, non tàm hominum qvàm temporum, nec à naturæ vi diſſidentis & renitentis nata: non magis qvàm illud, qvod moribus non rerum diſſidiô invaluit ad hunc diem, conſenſuqve multitudinis invenit patrocinium, ut ſermonis lautitiæ & nitores ultra luſtrale, ut ſic dicam, labellum non admittantur in templa, tanqvam & aqvâ & igni ſacris, interdictum ſit illis. 55 Tùm ut intra repagula, ut dixi,

tribunalis curiæ, iidem nuper non ingrederentur, qvaſi juris dicendi munerum non capaces. 56 Indidem etiam enatum, qvod verba Græca non ita pridem in cœtu aut in conciliis gravioribus prolata à cenſentibus, dira & malefica, & fulmen (propè dixerim) elicere credebantur, ut magica, tonitruqve ciere. 57 Hæc enim & alia hujuſcemodi, cauſſam illa qvidem publicam, moribuſqve receptis corroboratam habent, & tamen perridiculam apud homines rerum intelligentes. 58 Illud verò penè inexpiabile propudium eſt hodie juriſdictionis ſummæ, qvod Latini ſermonis illuvies commentitia, exqviſitæqve fœditatis barbaries, è tonſtrinis, è ſutrinis, ex circumforaneis locis ſtudioſè converſis, collecta & corraſa, in actis, ſi divis placet, curiæ, & in formulis decretorum ipſius, ſummâ & ſolemni religione dedicata eſt. Cùm alioqvi curia centenaria, in qva regia majeſtas ſedendi ac cenſendi principatum obtinet, ſententiaſqve rogandi, cum aſſeſſu XII. primorum Franciæ, nulli nec priſcarum nec nobis æqvalium cedat amplitudine, gravitate, majeſtate, judiciorum, & conſultorum auctoritate, duntaxat ſecundum Senatum Romanum, atqve eum duntaxat, qvi ſub Cæſare Auguſto & ante eum fuit. 59 Unum ſanè hoc ipſum ex omnibus eſt inſtitutis, qvæ carioſa illa, qvaſiqve noſtratium aboriginum pingvis Minerva nobis peperit, qvod ætatem jam prorſus ferre neqveat. 60 Hic cùm Rex qvid indignitatis eſſet, ex me percunctatus intellexiſſet, aliqvot enim exempli gratiâ vocabula, qvæ mihi tunc ſubierunt, ex illa colluvie cetarii fori ſalſamentariiqve protuli: indigna qvæ extra ſcenam prodeant, qvæqve ſine honoris præfatione in cœtu Latinorum, aut citra veniæ petitionem audiente Rege, proferri non impudenter neqveunt. 61 Rei igitur putorem cùm Rex ſubodoratus ex illo ſpecimine in univerſum eſſet. Profectò, inqvit, hæc mihi verba non Latinum, non roſtra, non ſubſellia Romana: ſed alpinam Latinitatem & montivagam, ſed lanienas & ſutrinas radolent, aut ſiqvis eſt alius locus & ager ruſticitatis putidæ & obſoletæ, deſputandæqve retinentior. 62 Noſtram certè & curiæ regiamqve omnino majeſtatem imminuere & lædere illa ſermonis ſpurcitia mihi videtur, nec verò regiam modò majeſtatem minuere, ſed etiam ipſum (penè dixerim) numen juſtitiæ lædere, cui ſolenne pulvinar non ſemel nos decrevimus qvod vulgò lectiſternium vocant. 63 Id qvod ſemper im more fuit regibus facere maximis de rebus relaturis ad curiam, omnibus ſuis numeris & claſſibus freqventem, & celebrem, duodecim, ut dixiſti, ſelectis primoribus evocatis, ordineqve conſidentibus. 64 Verùm hæc (inqvit) fortaſſe tùm viderimus cum aliis nonnullis, qvæ reconcinnatricem haud dubie manum poſcunt, cùm feriatos ab iis eſſe licebit, qvæ curæ ſunt antiqvioris. 65 Ceterùm iniqvis, ut ſuſpicor, uſuri ſumus, atqve reclamatoribus illis, qvos dixiſti, infeliciter antiqvariis, qvi avitam, proavitam, vermiculoſamqve Minervam, venerandam eſſe credunt, ut æqvalem pietatis atqve innocentiæ, conſertisqve manibus publicè retinendam & adorandam. 66 Qvod autem ad curiam attinet, inqvam, Here, auctoritati tuæ rationiqve, ut reor, æqvis animis

ceſſuri ſunt, ſi adurgere inſtiteris, tametſi qvis eſt, qvi hac litterarum claritate, non ad imum exhauriendam tetram illam ſentinam ducat: qvæ auribus hominum jam purgatioribus putidior eſſe videtur, qvàm ut ultrà ferri poſſit? 67 Sunt tamen (Rex inqvit) qvi ajunt mala; * qvæ inveteraverunt, interdum utilius eſſe immota prorſus manere, qvàm turbulentè moveri. 68 Non negaverim, inqvam, Here, non defuturos, qvi vetent eam camarinam tangere, qvoſdam etiam clamoſè interceſſuros, qvô minùs religione non contemnendâ curia obſtringatur, ſi qvidqvam ex priſca illa majoribuſqve complacita Latinitate, & veluti conſecrata mutetur. 69 Sed tamen, Here, id augiæ, ut ajunt, bubile primô qvôqve tempore repurgandum eſt, qvod indies putoris incrementum accipit ex colluvione verborum: qvæ etiam ipſa colluvies in omneis Franciæ partes graveolenter redundat, ob latè patentem curiæ ditionem. 70 Qvare vel exprimendum hoc iſtis vel eblandiendum erit, ut aut Latinè loqventem regiam majeſtatem in curiæ conſultis ſententiiſqve velint, aut certè ſermone vernaculô longè nitidiore, qvàm ille eſt commentitius & barbarie concretus. 71 Næ, & majeſtatis tuæ refert, Here, & curiæ dignitatis, ut id effectum huic ætati præbeas vel vi, vel clàm, vel precariò, ut inqvit ille amator Terentianus. 72 Precariò qvidem illud, inqvit, potiùs certum eſt, mihi tentare. ſed tamen ſi porrò improba paucorum coitione curia eſſe obſtinaverit (qvod futurum non puto:) nec mihi ſeſe dare indulgenter non ſummô jure agenti, non opinor committam, ut ignoràſſe modum regiæ poteſtatis in cauſſa tam æqva videar, aut ipſe impar fuiſſe paucorum pertinaciæ. 73 Neqve verò neſcius ſum in armamentario monarchiæ multiplices eſſe machinas, qvaſdamqve ad id olim comparatas, ut illis ea exprimantur, qvæ impetrari poſtulando neqveunt. 74 Sed veteris inſtituti fuiſſe novimus, ut curiæ Areopagiticæ dignitatis æmulæ, qvæ eximia ſemper regibus habita eſt, duodecimqve primorum Franciæ collegio qvaſi inſigni emblemate, nobilitata, propter auguſti conſeſſus amplitudinem, rara ſenatuſconſulta reges expreſſa voluerint neceſſitate & imperiô. Qvapropter ipſi qvoqve majorum auctoritate & aliàs adducti, libenter hactenus fecimus, ut qvæ ab ipſa decerni claſſibus, ut fit, coactis, intereſſe rei ſummæ comperimus, allegatis viris primariis è noſtro ſelectiore comitatu atqve contubernio, poſtulare potiùs, qvàm mandare decernenda ſoleamus. 75 Sanè qvidem Here, inqvam, id rectè atqve ordine cùm faceres, ipſiuſqve meritô curiæ (qvæ ſeveritatis exiſtimationiſqve majeſtate, ut verè tu dixiſti, Martiæ illi Athenienſi & nobili non cedit:) ex tua humanitate id facere nobis viſus es: nedum eorum è more regum, qvorum jucunda & feſta memoria in ore eſt hominum ob placidum ingenium ipſorum & clementiam. 76 Qvi etſi juris ſui prudentes & conſulti, & poteſtatis regiæ non ignari fuerunt, tamen principum placiti pomœria, à qvibuſdam longiùs latiuſqve lege magis imperiali qvàm regiâ prorogata, intra æqvi, boni,

* Malum benè poſitum non facile removendum ajunt Politici.

boni, & honeſti ambitum contrahenda cenſuerunt: qvamdiu rerum divinâ benignitate potiti ſunt. 77 Nam machina illa toto, ut ita dicam, organo monarchiæ inſtructa & contenta (qvod imperium appellant abſolutum, qvaſi juris atqve legum neſcium) eſt illa qvidem legis imperialis atqve etiam imperioſæ æmula, & à regibus identidem in edictis veteri inſtitutô citata: ceterum perrarò ad cervices honeſtæ, piæ, francæqve libertatis inflectendas & infringendas: ab optimis principibus, tuiqve ſimillimis, adhibita & uſurpata. qvippe qvæ ad ultimæ difficultatis tempora ad eventus nec opinatos, ad tabernas, ut ajunt, occluſas, ad juſtitii deniqve edicta, in tumultibus nobis abominandis, deſtinata ſit & rejecta: idcircoqve in armamentario ſanctiore continenda, ſitu & ſqvallore obſito, & clauſtris ferruginoſis occluſo. 78 Verumenimverò de abſtergendo ex actis pædore illo barbarico, curiæ conſultum ſimulac tu velle cœperis, auferemus. 79 Si non eblanditum, ut dixiſti, certè molli brachiô ereptum auctoritatis regiæ, non illâ briareâ manu placiti licentioris extortum, non minaci & ſublatâ, aut capulo innitente. 80 Et ſunt fatales qvædam temporum rerumqve viciſſitudines, qvæ res, qvamlibet arduas, confeſtim planas reddunt, verſanteqve ſe occaſionum cardine, deinceps magis ac magis pronas. 81 Nam litterarum reſtitutio atqve cultus, neſcias proclivioribus ne fatis, an animis ceſſerit; poſtqvàm eò homines incumbere bonâ fide cœperunt. 82 Francia verò tua earum illuſtrationem non multorum annorum felicitati debet, ingeniorum fertili: & tuæ benignitati, qvi earum ſtudium partim elogii prolixi & freqventis ſuffragiis, partim liberalitatis adminiculis ſuſtentare inſtituiſti. 83 At qvàm opportune? qvàm in articulo, ut dicitur, id facere divinitùs in mentem tibi venit? cùm qvidam homines factioſi, litterarum Græcarum nomen apartis coitionibus circumvenire, decuriatis & allegatis declamitatoribus obterere, decretis inconſultis præcipitibus & crebris peſſumdare conniterentur, ad extremumqve proſcribere. 84 Nunc verò exſibilatâ à pueris eorum temeritate & audaciâ, ob libros maxime Græcos tabernæ & officinæ bibliopolarum viſuntur & freqventantur, ludi ſcholaſtici conventuſqve ſtudioſorum, vocibus prælegentium Græcorum ſcripta perſonant. 85 Idqve adeo evaluit ac in dies evaleſcit, luculentaqve incrementa accipit, altero ut crure, ut ita loqvar, calobatæ ii exiſtimentur hodie, qvi ad illum ſæpe dictum orbem diſciplinarum circumeundum, libris in Lingvam Latinam verſis utuntur pro autographis ipſis Græcorum. 86 Hujuſmodi temporum opinionumqve converſio in tuum principatum, Here, incurrit, tuiſqve auſpiciis brevi, ut ſperamus, futurum eſt antiqvaria ut illa manus, columen factionis miſologicæ, ſuperciliô tantùm amictuqve cenſoriô venerabilis, ſtare jam in theatro ſecundis admurmurationibus neqveat: cùm omnes, ut dixi, centuriæ haud cunctanter ſecuturæ ſint regiæ proclivitatis elogiiqve tui non obſcuri gravem & plenam auctoritatis prærogativam. 87 Jam verò Attica illa pædia, qvæ mihi jam penè viro moroſè admodùm ſeſe & faſtidioſè indulſit: tametſi ambitu gnavô ac ſtrenuô fidem ejus imploranti (amore enim ipſius inſanô

inſanô correptus perdius, ut dicitur, & pernox limen ejus occentabam) nunc adoleſcentulis, ac pueris paſſim morigera eſt. Adeo tàm nihil ferum eſt, qvin tractando diſcat manſveſcere. 88 Feram ne igitur tute tandem, inqvit, doctrinam Græcam appellas Budæe, & tibi fuiſſe dicis adeo intractabilem? qvam mihi ſæpe commendando, ceream eſſe ajebas, vitiliqve qvâdam lentitiâ flexibilem, ductili etiam facilitate ſtili ſcriptitantibus mirè obſecundantem. 89 Enimverò, Here, inqvam, id verbum, ut fit, temerè mihi ore excidit, contrà qvàm animi mei ſenſus ferebat, feram ut eam lingvam dixerim: cum Græcô ſermone nihil lenius eſſe ſentiam & ſeqvacius: Atticum eò amplius, ſvavem ſupra mel hymetium ſemper eſſe duxerim, & tropis ac figuris lectori ſcriptoriqve mirè lenocinantem. 90 Verùm infantia, ut ſic dicam, eruditionis meæ, qvalis illa fuit cunqve, & ipſa diſcendi incunabula, in id tempus inciderunt, cùm ipſa lingva Græca vix prodere nomen ſuum auderet, nedum mihi ſeſe credere homini ex memetipſo nato, & qvi cognitorem vix ullum ei dare poſſem. 91 Id adeò, ut lumbricus multis eſſe diu viſus ſim (ut Plauti verbô utar) qvi è terra tunc crepſiſſem, qvod qvidem ad hoc inſtitutum vitæ pertinet. 92 Qvô nomine non deſpicere ac miſerari ſortem meam æqvaliumqve meorum non poſſum, præut eſt hujus temporis juvenum, ut dixi, conditio, omniumqve rerum opportunitas ad ſtudia colenda utrâqve lingvâ, qvi viam eam munitam complanatamqve nacti ſunt, qvam nos arduam permenſi ſumus & ſalebroſam. 93 Memini verò, Rex inqvit, qvemdam dicere aliqvando, te cùm fictorem tui non invenires, ipſum tibi metipſi informatorem ac Prometheum eſſe voluiſſe. idcircoqve non magnoperè vitio tibi vertendum, ab hominibus æqvis, ſi qvædam in te hiulca fortaſſe & aſpera, ad ungvem ſeveritatis non cohærerent. 94 Qvi artificiô nullo, inſtrumentô exili & incommodô formatus, etiam expolitricem nanum adhuc deſiderâſſes. 95 Cum eo qvoqve, qvòd in cunctis ferè artibus, eos demum exactè inſtitutos eſſe dici ſolet, & palæſtram artis tenere, qvi ab ineunte ſtatim ætate in ludum ac diſciplinam dati ſunt. 96 Id qvod ſerò tibi contigit: ſi qvoqvô modô contigit. certè qvidem inter noſtræ militiæ experientiſſimos convenit, vix juſtum eqvitem eſſe poſſe, qvi non eqveſtrem diſciplinam auſpicatus ſit, priuſqvàm ex ephebis exceſſit. 97 Utinam autem, Here, Prometheus, inqvam, tantùm, ac non germanus ejus fuiſſem Epimetheus, qvorumdam opinione. 98 Qvid id eſt tandem, Rex inqvit, qva de cauſſa Epimetheum te etiam fuiſſe dicis? audiviſſe enim memini de Epimetheo, qvi fratri cœlibatus auctori dicto audiens eſſe noluit. 99 An te pœnitet igitur, qvam aut cujuſmodi uxorem, aut qvod omninò uxorem acceperis? parum rei Philologicæ fortaſſe cum uxoria convenit, qvæ examen ipſa curarum in comitatu trahit, qvas illa planè ut libera & cum liberis agens, reſpuit. 100 Non ea res, inqvam, admodùm malè me habet, Here: non tàm iſtorum prudentiſſimorum ſimili & rivali eſſe mihi libuit, ut beatum illum & ſvavem amaſium, ſic arctè complecterer conſtanterqve cœlibatum, & cum eo mihimet uni indulgerem procul omni anxietate: non

tàm

tàm Prometheum eſſe mihi contigit, non viſum eſt, non libuit. 101 Statuì tandem cum plurimis non excordium hominum, periclitari eàm vitæ conditionem, in qva natos eſſe ſe omnes exiſtimari volunt, etiam qvi non nati ſunt. niſi ſi qvi ſunt, qvi in notham gentilitatem principum ſeſe adoptant: à qvibus agnoſcuntur. 102 Altera eſt etiam mihi Pandora, qvam Epimetheum feciſſe me nonnulli arbitrantur, altera inqvam mea conjux, qvam ſæpe Philologiam nuncupando, vereor ne obſoleſaciam, præterqvàm etiam qvòd à plurimis nunc attrectatur, cùm uni mihi noſtrorum olim eſſet contubernalis. 103 Qvæ cùm deorum omnium muneribus ornata, locuples, cumulataqve à nobis eſſe dicatur: tamen multorum opinione, jejuna & egenti ſapientiâ prædita eſt magis, qvàm prudentiæ dote beata & exoptanda. 104 Id qvod ſero ego intelligere cœpi, & noxâ jam contractâ ab ejus contubernio: ut olim illi Epimetheo uſu venit, poſt Pandoram admiſſam & deductam ab ſe domum, ut errorem admiſſum perpenderet & æſtimaret. 105 Ad exordium hujus ſermocinationis, Rex inqvit, Budæe, tute revolvi velle vidêre, ſi tamen ex animi tui ſententia, non aliqvorum tantùm loqveris. 106 Id enimverò velim, inqvam, Here, deus diviqve ut prohibeant. Me ne ut Philologiæ meæ pertæſum ſit unqvam aut pœnitere poſſit? qvæ mihi jam doti omnia bona ſua dixit: qvibus ego in bonis cornu illud copiæ uberrimum ſemper eſſe cenſui? non uſqve adeò ſapientiam præ prudentia contemnendam eſſe reor. 107 Qvam ego, etſi procis à paucis ita uti par erat flagitatam & expetitam ſcio, tamen locabiliorem eſſe cenſeo atqve dotatiorem Homeri Alpheſibœâ, à dote inſigni nobilitatâ. 108 Verùm ex opinione illorum loqvor, qvi illius Minervæ ſacramento dixerunt, quæ ære tantum numeratô homines auctorare novit, non etiam annona antiqvæ ſapientiæ, qvæ ſtipendia ſunt & emerita mentium ingenuarum. 109 At verò, ut ad rem redeam, qvam narrare occæperam, ita mihi res erat nata, vel temerè conceptô litterarum amore, vel aſpiratu qvôdam natalitiô, ut cùm eam feram (iterum enim feram dicam, qvando hoc verbum adhuc mihi inter labia oberrat) obſcuris veſtigiis ac jam propè nullis indagare inſtitiſſem, fugacibus illa qvidem me illecebris exerceret: non tamen eo uſqve ut aut exanimatum redderet, aut labore fatiſcentem, ne ut in veſtigio qvidem pauliſper inſiſterem, aut dieculam unam intermittendam ducerem. 110 Ut autem rem abſolvam, nonnihil, Here, nunc per te licebit tuo ut ex ære mutuer. 111 Tot illa me fera fugax, fallax, lubrica, tamqve longis anfractibus, perdiu fruſtrata eſt: qvot tibi curſim venanti & qvô modô mæandros, ut ita dicam, fugæ implicare inſignes cervi ſolent, cùm illud Dianæ latrabile ſatellitium truciqve rictu terribile eos è veſtigio ſeqvitur. 112 Tùm Rex ore hilariter diductô, Tute verò, inqvit, ut audio Budæe, & ut conjicere poſſum, ex Commentariis illis Græcis, qvos mihi nuncupaſti, iſtius feræ tandem qvamlibet fruſtratricis, ambages explicuiſti: & tanqvàm in penetrale labyrinthi perſeverantiæ ductu gyroqve inſinuans, feram ipſam, ut audio, in latebra ſinuoſa ſe condentem, ad extremum ita comprehendiſti, ut jam manſveſce-

re non nollet. 113 Nos qvoqve in illo venatu præcipiti atqve irreqvieto, non ante contentionem remittere ſolemus, qvàm cervum à nobis exagitatum, ita exanimatum cernimus, ut jam latus ferro præbeat: qvod olim in theatro facere, ut nôſti, gladiatores jam fracti & ſemineces ſolebant. Id autem nos pernici & perpetuò agitatu irreqvietôqve conſeqvimur. 114 Deprehendiſſe certè, inqvam, Here me ſpero, latebramqve ejus junioribus atqve integris ipſum jam feſſum, ita aperuiſſe & indicâſſe, comprehendi ut ab iis poſſit, nec in poſterum fallere, ſi paulùm adnitantur. illa porrò ut etiam feritatem ponere: vulgoqve tractabilis eſſe, nedum cuiqve ſolertiſſimo. 115 At in illo montivago tuo venatu, nec alipedis feræ pernicitas, nec veteratricis vafricia, qvarumdam, ut audio, penè præſtigiatrix, venatici comitatus fugere ſagacitatem poteſt, veſtigiis ſemper hærentis: non magis, qvàm corpus umbram fugit, aut qvàm priores rotæ qvadrigarum, longiuſculè præterire poſteriores poſſunt. 116 Qvòd ſi vis inveniendi (qvam Homerus ille ſummus antiqvorum ſapientum, propriam hominum eſſe dixit, hominibuſqve ingenitam, qvos ipſe ideò alpheſtas ſæpe vocavit:) ſi vis, inqvam, illa inventrix tàm certa in hominibus eſſet, aut tam rarò peccabilis, qvàm eſt in canibus venaticis veſtigatio: illis præſertim, qvos tu inſtituendos in ludo Dianæ tuæ curâſti, multò minus homines in inventione errarent. 117 Nam qvæ tandem ſe tibi ſubducere fera poſſit, aut fatô ſe eripere, cùm veſtigatores famulos habeas artis callentiſſimos, hiqve moloſſos echemythos qvaſiqve canes Pythagoreos manu regant, moderenturqve & imperitent eorum aviditati? qvorum ſit prudentiâ ut fera indagationis orbe in luſtro ſuo circumventa, canibus excurſoribus improviſo objiciatur, qvi recentia perluſtrent & odorata veſtigia fugitantis, iiſqve pertinaciter inſtent. 118 Hæc autem exercitatio antiqvam originem habet, avorumqve & proavorum memoriâ miris artis præceptis jucundiſqve conſtituta eſt. à te verò, * Here, ita

* *A te verò Here ita culta*] An Principes deceat venatio, inter Politicos res controverſa & plena diſſenſionis eſt. Cauſſam qvæſtionis à venationibus alieni dederunt Romani, cùm tamen alias apud gentes proprium Principis exercitium habita fuerit venatio. Vononius è Perſarum oriundus familiâ, odium ſuorum incurrit, qvòd more Romanô minùs venatione oblectaretur. Artabanus Parthorum Rex venator erat & ſummum ex hoc exercitio adeptus eſt commodum, regnô pulſus alimenta arcu expediens. Xenophonte teſte, nulla ars bello ſimilior eſt, qvàm venatio, hâc ad opera matutina adſueſcunt homines, ad calorem tolerandum frigusqve; ad varia corporis exercitia, cognitionem montium vallriumqve & fluminum perveniunt, qvæ exactè noviſſe non parum principis intereſt *Ariſtot. lib I. Pol. c. V. Renſner. lib. III. art. ſtratag. Xenophon. de Venat. Jul. Pollux, lib. II. Onomaſt.* Nec veteres Romanorum obſtant mores, bellis qvippe domi foriſqve occupati, Venatoriæ rei vacare non potuerunt; tum qvia procul ab urbe ſitus erat Sylvarum, intermedia loca prætoriis referta: juventus ad venandum apta militiæ addicebatur: ceteri ex ſpectaculis, qvibus intermixtæ erant & belluarum venationes, gaudia qværebant; Non ergo Imperantes dedecet venatio, præſertim ſi obſervatô verò Dei cultu, Reip. conſervandæ, expulſis iniqvitatibus, ratio habeatur, ipſorumqve venationem potiùs honeſtas & neceſſitas, qvàm ſola voluptas comitetur. Commendatur Meleager, qvòd aprum Caledoniæ vaſtatorem non ſuæ voluptati, ſed utilitati Reip. confixerit, patriam ab vaſtatrice bellua liberans, *Henr. Cornel. Agrippa, de vanit. ſcient. c. LXXVII.* & *Scip. Amirat. in Tacit. lib. II. diſc. I.* Encomia Vena-

ita culta & ad faſtigium ſolertiæ expolitionemqve perducta, nihil ut reliqvi poſteritati feceris, qvod inventis tuis adderent & majorum. 119 Duas enim exercendi corporis ſpecies imprimis elegiſti, venationem id genus & alteram aprorum, & Trojanam ſub armis decurſionem in hippodromo, lanceis plerumqve pyxidatis aut aliàs hebetibus: non tàm ipſam atrocem, qvàm minacem qvandam in ſpeciem & infeſtam hoplomachiam. 120 Atqve ita ceteris ferè omnibus in utraqve præſtare te docuiſti, ut in iis ipſis artibus non modò egregius, ſed etiam ab omnibus Roſcius eſſe cenſeâre. 121 Qvanqvàm qvid in his artibus dico? cùm in qvocunqve genere periclitari corpus ingeniumqve voluiſti: cuicunqve, ut Græci dicunt, paleſtræ veſtem ponere exuiqve inſtituiſti: id ſimulac facere ſtudiò acriore cœpiſti, in tuo ferè ſemper pulvere verſari certareqve viſus es. 122 Ceterùm, ut dixi, venatorio ludo ultimos, ut fama eſt, plenoſqve numeros addidiſti. Spectavi te non ſemel cupidiſſimè in præludiis decurſionum, ſocerô tuô adhuc rege, cùm ante oculos ejus, ut moris eſt, cum turma tibi peculiari, & teſſerâ tuâ inſigni, ſaltabunde tranſveherêre, & iterum ludicrô peractô, cùm exodium claſſicum qvaſi plaudite ultimum tibicines canerent. qvô ſpectaculi genere à puero vehementer delectari ſolitus ſum, propter eqvitandi in adoleſcentia ſtudium. 123 Verùmenim tu in eqvo volitante inſiſtens nihiloſeciùs hæreres, atqve ſi feminibus cum ephippio, calcibus cum ſubicibus pedaneis coaluiſſes, memini tùm qvoſdam mecum dicere, non eqvitem te eqvo inſidentem videri, ſed hippocentaurum eſſe: qvalem, ut eſt apud Xenophontem in Pædia Cyri, Chryſantas homo Perſa ſeſe eſſe dicebat, viciſſim (ut ille ait) coagmentatum & compactilem, & rurſùm dividuum & exemptilem. 124 Qvi cùm eqves ejuſmodi ſis, rurſum pedibus ingrediens, aut inermis aut ſemiermis, decenti corporis proceritate vel Orioni illi inclyto cedere non videâre, qvem etiam ipſum Homerus venatorem fuiſſe prodidit. 125 Manedum mane (Rex inqvit) Budæe: de me aliàs fortaſſe, deqve arte eqvitandi: in qvam tu qvaſi deſultor ab arte venatoria repentè tranſiliviſti. 126 Vereor enim, nedum ab inſtituto digredimur, fera illa, qvam ſeqvebamur, qvoqvò abierit gentium. 127 Artis eſt enim venatoriæ, ſuccidaneam feram vitare, & qvam primùm deſtinaveris, eam unam urgere. 128 Eqvidem vitium non eſſe, Here, magnum rebar (inqvam) in curſu non magnoperè citato, qvadantenus in finitima animi cauſſâ digredi, qvaſiqve reſpirare pauliſper. 129 Eqvitatio autem in vicinia eſt eqveſtris & rapidæ venationis, ut mihi qvidem videtur, qvi artis utriſqve video ſtudioſam eſſe nobilitatem. 130 Verùm qvandoqvidem ultrà excedere tua me vetat majeſtas, jam hinc ad curſum ſermonis noſtri revertor. 131 Cùm igitur in iſta

 arte

Venationis, qvibus, præter alias ejus laudes & utilitates, oſtenditur potiſſimùm cum omnibus militibus; tùm principi qvàm maximè eſſe colendam; è Platone, Xenophonte, Polybio, Julio Polluce, Cicerone, Virgilio, Horatio, Seneca, Plinio, Juſtino, Symmacho, Vegetio, Jacobo Rege Angliæ & Andrea Riveto; adfert Janus Vlitius à Dedicatione ſuæ Venationis Novantiqvæ, in officina Elzeveriana annô 1645. in 12. curatæ.

arte multa ſint memoratu digna, qvantum ipſe capere qvà oculis, qvà auribus potui, tùm verò hoc, qvod dicam, imprimis eſt memorabile. 132 Moris eſt tibi, Here, iiſqve qvi principali apparatu regiiſqve copiis inſtructam exercitationem ipſam habent, non gregarium cervum, non qvemlibet etiam ſolivagum venari. Solenneqve eſt vobis non minorem ad curſum eligere, qvàm qvi juſtæ proceritatis eſſe videatur. 133 Id autem non aſpectu modò cervi, ſed plerumqve cervinis veſtigiis, excrementorumqve ſtercuſculis judicatur: qvæ inventa venatores diligenter colligere ſolent, atqve intra cornu venaticum condere. 134 Sunt & magnitudinis indicia: affrictus ad arborum ſtipites, qvi conſpicui ſæpe ſunt intra fines ſtabulationis ejus: tùm cubilis inventi amplitudo, & ſubſtramenti laxitas ubi interqvieverit. 135 Hæc enim & alia renunciari in concilio venatico à veſtigatoribus ſolent: qvos velut mancipes habetis inſtrumenti venatorii atqve miniſterii, eorumqve arbitratu conciliò ſaltuenſi dimiſſò, venatum committere ſoletis. Qvod ſermone peculiari dicitur, cervum aut feram cujuſvis generis canibus permittere: & copulas canum qvaſiqve juga ſolvere. 136 Proindè & inveniendi & inventum comprehendendi vos magnoperè certam. aut minimè certè erraticam viam perſeqvimini ac rationem. 137 Enimverò (Rex inqvit) Budæe, eò ſenſim progreſſus es digrediendo, ut mihi feram tuam illam Græcam & fugacem, pro derelicto habere videâre, dum obviam tibi factam aliam qvaſi opportuniorem conſectaris, qvi ex tuo curriculo in noſtrum qvaſi imprudens dilapſus ſis, in qvo te exiſtimo aliqvando fuiſſe exercitatum. 138 Sed tamen cùm tu in juris noſtri ſpatium penitùs ingredi non veritus ſis, jubeo te porrò pergere, ac vero ſine commeatu regredi aut digredi: qvoad intelligam, ecqvid è commentario (ut ajunt) in hoc ſermone facundus eſſe meditatus ſis: an oculis etiam aliqvando venatûs proceſſum tenoremqve arbitratus. 139 Eqvidem Here (inqvam) & ſi mihi olim contigit ocioſè venatum ſpectare indagine circumdatâ præfinitum, ita ut non modò numerum venantium augerem, ſed etiam ut penes me eſſent auſpicia privati venatus in qvo exercebamur: hactenus tamen præ me ſemper ferre volui, me velut hoſpitem & peregrinum verſari in hoc ſermone, in qvem nunc non deſtinatò & conſultò, ſed aliud (ut fit) ex alio dicendo digreſſus ſum. 140 Itaqve vereor, etiamſi minus tibi (qvi omnia animô plus qvàm civili interpretari ſoles, qvæ homines tuâ humanitate freti coram te proloqvuntur) at coronæ iſti videar ineptire. qvippe qvi coram te, qvi apud te, qvi ex æqvo pene loco tecum hiſce de rebus diſſeram, qvarum rerum Ariſtarchus inter artis cultores auctoreſqve tu unus eſſe diceris. Non aliter atqve peripateticus ille qvondam Phormio philoſophus, meritò irriſus eſt, qvi apud Annibalem de imperatoris officio orationem habere, & de ſtratagematis auſus eſt. 141 Age, age (inqvit) Budæe, pertexe qvæ exorſus es, & pone metum à corona circumfuſa: qvandoqvidem id per me licet, & tibi parere neceſſe eſt. Cujus auctoritatis placitiqve patrocinio, facilè apud omneis te tuebere ab ineptiæ crimine. 142 Nam & ego interdum

de

de ſtudiis tuis aliorumqve loqvor, cùm me in alienum ludum pedem ponere oblectandi cauſsâ animi meminerim: & cùm de iis (ut fit) ſermocinando cenſeo, pedariam me ſententiam habere nec ignoro, nec ægrè ipſe (ut debeo) patior. 143 Siqvidem (inqvam) Here, ars eſt pene nulla hodiè celebrata, in cujus ludum minimè ventitâſſe te qviſqvam credat, qvi ſcitè diſſerentem te omnibus de rebus audierit, etſi omnium minimè hominum fucatas ſpecies peritiæ præferre conſvêſti, & oſtentare. 144 Qvi etſi in hujuſce generis diſputationibus, non tàm vel regiô jure, vel privatô ſententiam dicere ſolitus es, qvàm in alterutrius partis ſententiam tranſire: periti tamen & prudentes intelligunt, curulem (ut ita dicam) ſententiam ſæpius tuam eſſe, dignamqve in qvam pedibus omnes tranſeant, qvi pervicaces ſtultè videri nolint. 145 Verùm age, ſi ita jubes verecundè utar, Here, veniâ à te conceſſâ: immò verò te jubente & imperante vel ineptire ſuſtinebo ſi res ita nata ſit. 146 Vereor enim ne intempeſtivo pudori cedens, in ruſticitatis crimen incidam. 147 Fiduciam etiam mihi facit non modicam, qvòd te ſæpe de venationis arte ita ſermocinantem audivi, ut ejus artis diſcipulum forſan agere jure poſſim. 148 Qvem ego compertum habeo in ipſa ferarum exagitatione, omnia venatoris munera exſeqvi ſolitum eſſe, pernici curſu venatûs ſpatia permetiendo: contraqve cervi vafri (ut vos dicitis) & exercitati, ſtrophas, venatoris antiſtrophas ex tempore comminiſcendo: deniqve per ſaltuoſa loca, per denſa, prærupta, ſpinis obſita, manus ori in curſu oculiſqve prætendendo: cùm interim per ſtationes diſpoſitas ex eqvo exanimato recentem in alterum, atqve in alium nonnunqvam aſſilias. 149 Adeò tu non præceptis tantùm artis atqve exercitatione, ſed Dianæ magiſteriô mediis in ſaltibus uſus eſſe mihi videre. 150 In aprorum autem luſtra pedem omnino non inferam, ne altiùs in luto hæream, & ſi te aliqvando in ſylva denſiore ſpectavi ſpumantem aprum ex eqvo laceſſentem, irruentemqve ultro eundem mucrone conficientem. 151 Cùm ego interea tutus, inermi cum comitatu, Carbaſeum ſeptum curriculô ambirem in eqvo ſedens: capiteqve ſupra carbaſa eminens, certamen ipſum arbitrari oculis, atqve circumſpectare ſine diſcrimine poſſem. 152 Suſpenſô etiam gradu eâ viâ ingrediar, qvâ tu me pergere jubes: pedemqve referam qvàm citiſſimè potero, bonâ (ut ſcio) tuâ veniâ. 153 Novi enim, Here, qvàm turpe ſit, & penè ignominioſum, in hujuſmodi theatro offenſatorem eſſe. 154 Qvis verò neſcius eſt, cùm de venandi arte, de aucupandi, de caſtrenſi & militari inſtrumento, de apparatu bellicarum copiarum ſermo in comitatu præſente te & arbitrô excitatus eſt, qvàm callentem eſſe verborum oporteat, qvàm accuratè omnia tanqvàm numerata habere, qvàm ſolicitum & anxium, aut certè qvàm impudentem eſſe & ineptum, qvi ibi diſſerere ſine ſumma religione audeat? hominem dico, non in campis, non in ſylvis, non in caſtris inſtitutum. Qvare in hac via mihi & inſolita & formidoloſa incedere plenô gradu neqveo. 155 Verùm, Here, cùm harum artium cunctarumqve nobilitatis exercitationum, ſic rationem univerſam teneas cum decore & palæſtra, ut qvi unius

artis maximè: cùm in ipſarum diſceptatione lingvam facundam imprimis & explanatam habeas, cùm aureis ita teretes, ut nullam vel minimam offenſionem ſine ſenſu tranſmittere ac devorare poſſint, etiamſi diſſimules: deniqve cùm. 156 Ohe jam! (inqvit) ohe Budæe! etiam ne his jam tot dictis deniqve additurus es? perge qvæſo aliqvando quâ cœpiſti, nec ultrà ſuſpenſos auribus nos teneto. 157 Scire enim avemus an Minerva & Diana colloqvia ſerere inter ſe conſentanea didicerint, cùm ex te alijsqve intellexerim orationem Latinam hodie in multis partibus vitæ, moroſam ſeſe adhuc præbere, & reſtitantem ſubinde cum à ſtilo ducitur: ſive copias ſuas ad inſolita accommodare gravetur & pigeat, ſive copiis hujus generis defici ſe qvidem illa ſentiat, ſed fateri pudeat. 158 Eqvidem, Here, inqvam, copioſam ſatis ac beatam Lingvam Romanam eſſe cenſeo, nec tàm moroſam aut contumacem explicandis copiis ſuis eſſe, qvàm ob inſolentiam verecundari, cùm reconditum qvid expromere opus eſt, aut ad novos uſus promere, ut in cujuslibet inſtituti, tirocinio inceſſere ferè pudor ingenuiſſimo cuiqve homini ſolet. 159 Atqui (inqvit) ſi vera ſunt, qvæ audire ipſe ea de re memini, aut pudorem illum jamjam exuat neceſſe eſt, qvi hodie illiberalis eſſe malignusqve videtur, aut multis è partibus vitæ Latinitas faceſſat, è foro etiam explodatur, è curia, è baſilicis, ne in conciones qvidem ſacras prodeat, lociſqve Deo diviſqve nuncupatis arceatur, dùm ſacris homines operantur, id qvod tu ipſe ſuprà indignari videbâre. 160 Itaqve juris divini & humani formularumqve forenſium ignara, tùm aucupandi venandi ſtudiorumqve ferè nobilitatis neſcia. in curia muta, in ædibus ſacris lociſqve dedicatis profana, deniqve in omni hujus temporis recentiorumqve inventis infans, in inſtrumento vitæ, in ornamento & apparatu inſolens, in aula erubeſcens & peregrina, è medio ſe ſubducat neceſſe eſt, atqve in umbraculis exhedrarum cum manibus tantùm loqvatur, & cum umbris Romanæ antiqvitatis. niſi ad mores præſenteis tranſcribere antiqvas ſuas facultates, ad uſumqve adeo noſtrum aſſveſcat non gravatè ipſas accommodare, qvod qvidem ſine captione juris ſui fieri & qvatenus poterit. ac ſine diſpendio integritatis priſcæ atqve opinionis: qvod tute cavere Budæe & excipere ſemper ſoles. 161 Agedum igitur, tu qvi Lingvæ Latinæ & parentis ejus Græcæ, acer, ac fidus, ſeduluſqve defenſor, ac ne id qvidem modò, ſed etiam largus, prolixus, animoluſqve ſtipulator apud me ſæpe fuiſti: doce nos (ut dixi) ecqvid ipſa verſari Latinitas in concilio venatico poſſit, ſententiamqve explanatè ac diſertè in conventu ſaltuenſi dicere. 162 Omnem eqvidem Here (inqvam) aut præcipuam certè in eo fiduciam pono, primùm qvòd imperiô tuô hoc facio, qvod detrectare neqveo. 163 Deinde qvòd tu ipſe talis es, qvalem ego dicere cœperam & gaudebam, ſi per te licuiſſet. 164 Poſtremò, qvòd cùm tu felici, opimâ, ac beatâ iſtâ naturâ tàm artium penè dixerim conſultus ſis, qvàm alii permulti diſciplinâ ſunt & labore, judiciô tamen uti ſoles æqviſſimô & indulgenti, in noſtra & aliorum interdum vel culpa vel imperitia exiſtimanda. 165 Qvare ita tecum diſſe-

differentis modô verba ſæpe facio, ut non è loco inferiore loqvi me, ſed ipſe ex æqvo exiſtimen, cùm per tuam id liceat humanitatem & mihi, & aliis, duntaxat qvi fidem tibi fecerunt non leviſſimam ingenii ſui & induſtriæ. 166 Proinde, ut qvod agitur, jam agam, in more eſt hoc poſitum, Here, inſtitutiſqve venationis (apud eos qvidem, ut dixi, qvi artis inſtrumentum & apparatum omnibus numeris plenum habent & abſolutum, qviqve non capturis præcipuè, & augendæ rei culinariæ, ſed voluptati ſtudent inde percipiendæ cum exercitationis utilitate.) Verum morem vobis hunc eſſe comperi, ut cervus grandis vocetur is demum, qvi decem corniculis, qvod minimum ſit, inſignitus eſt. hunc ego eximium voco & decumanum: non qvaſi denarium, ſed tanqvam eminentem & egregium. 167 Ejuſmodi cervus ſæpe comitatus incedit uno minore cervô, qvi nondum tutelæ ſuæ factus ſit, qvem vos armigerum ejus vocatis. Ego etiam optionem decumani, & comitem, & paraſitum, atqve emiſſarium vocari poſſe credo. 168 Qvi autem cervi ætate adhuc ſunt gregariâ, aut licet ſolivagi ſint, indigni tamen venatu judicantur, qvaſi nondum annos ætatis impleverint curricularis. rejiculi (niſi fallor) à vobis appellantur. 169 Mediocrem etiam cervum venatores cùm ſignificare volunt, ajunt cervum eſſe venabilem, venabili magnitudine, venatui jam adultum, ſed veluti tironem & novicium. 170 His enim verbis utuntur indagatores, cùm indagationem antelucanam & matutinam renunciant in conventu ſaltuenſi. ſignificantes cervum qvaſi ſubdecumanum. 171 Conventus porro ſub divo celebratur, ibiqve cœtum omnem ſtratum per herbam, in ſtibadiiſqve folioſis diſcumbentem, ac toris viridantibus, epulari moris eſt circa menſam regiam, aut principis. conſilia etiam agitari, qvem potiſſimùm cervum venandum ſuſcipiant ex iis, qvi digni venatu eſſe renunciati ſunt. 172 Diverſæ autem provinciæ mandari indagatoribus ſolent, ita ut qviſqve ſuam obeat: in alienam pedem non inferat indagandi gratiâ. néve in ea qvid obturbet, nêu pro poteſtate faciat. 173 Indagator porro cervi veſtigiis inſtat. aut ſoleatis, ſi locus uliginoſus eſt, vel pluviæ anteceſſerunt: aut odoratis arente ſolô, ad qvæ ſeqvenda moloſſô veſtigatore utitur, atqve eò uſqve perſeqvitur, qvo ad decumanum recubuiſſe in proximo certis ſignis exploraverit. 174 Verùm ne ille fortaſſe aut acceſſu indagantis propinqviore, aut moloſſi fremitu, aut panicô (ut fit interdum) territus, inde exceſſerit (tametſi enim ejuſcemodi canes inſignitè auriti, generis ſint harpocratici, tamen cùm propiùs acceſſère, neſcio qvid præ fervore obloqvi, atqve gannire plerumqve ſolent, maliſqve increpitare.) ne igitur cervus hujuſcemodi aliqvô caſu aut culpâ, è cubili matutino proſilierit, indeqve longiùs abierit, ſolennis eſt cautionis indagine latiore cubilis locum circumſcribere: moloſſum numellâ regentem & compeſcentem, nec inde diſcedere, donec exploratum habeat, feram intra ſpacium à ſe circinatum jacere. 175 Hôc ferè modô ſtatores venatici, qvaſi apparitores qvidam Dianii, decumanos ipſos cervos vadimoniô ſui fori obſtringunt. gyrô claudere cervum vocant, & ibidem ſiſtere. 176 Id qvod

niſi

niſi accuratè ac providè fieret, cùm ad commiſſum ludorum ventum eſſet, irrita ſæpe ſpectaculi expectatio, cohortem totam buccinatam numellatamqve fruſtraretur. 177 Tute vero, Here, hanc propemodùm formulam venatici proceſſus (ut audio) inſtituiſti. Cùm poſt renunciationem circuitorum, de conſilii ſententia decumanum unum aut alterum, ad ejus diei ſpectaculum delegiſti (nam interdum pomeridianam etiam venationem matutinæ addere ſoles, cùm ſuccenturiatas copias canum habeas, geminumqve inſtrumentum,) conventus ſolvitur. ad vadimonii locum itur. moloſſus rurſus èloro numellæ, cubilis indicium facit: feram inde impetu factô excitat, qvod vulgò lancinare (ut opinor) dicitur. tùm decuriæ canum levis excurſus ſolvuntur: buccinis ſignum venatus commiſſi datur, & tanqvam bellicum canitur ad canes exhilarandos & acuendos. ſubſidiariæ canum decuriæ ad locos deſtinatos dimittuntur, qvæ feſſis ſuccedant, ſi res ita tulerit: & aliæ rurſus ad poſtmeridianum miſſum aſſervantur integræ, decumanus ipſe cervus canibus excurſoribus, eqvis celeribus, buccinarum clangore, venatorum clamore, concentu allatrantium canum urgetur. 178 Qvòd ſi caſu aliqvô evenerit, ut ante venatus auſpicatum indagator non liqvere renunciârit, certamen in poſterum diem rejicitur: aut cervus comperendinatur. nam ut diutiùs ſpectaculo eximatur & certamini, rariſſimè contingit. 179 Sin cœli intemperie, aut antiqvioris curæ avocamentis evenerit, velut reus ampliatus, primô qvôqve die venaticô ad curſum repetitur impetu atroci & pervicaci. 180 Illud verò qvod dicere cœperam, præcipuâ admiratione dignum eſt, qvòd is eximius cervus, qvem venationi deſtinatum, canibus peritis magiſtri ſemel exagitandum dederunt, ita in prædam illis objectus eſt, ut interdictum ſibi eſſe omnibus aliis intelligant. 181 In multiplicia autem ſæpe veſtigia mediis in ſaltibus ut incurrant neceſſe eſt: preſertim in qvibus feri greges ſacro ſancti ſunt legum regiarum ſanctionibus: qvas aqvarias ſaltuariaſqve dicimus. 182 Verumenimverò in auſpicando venatu nonnunqvam noxia admittitur, & ab ipſis ſtatim qvaſi carceribus perperam curſus inſtituitur, ſi impoſtura fiat canibus: qvam hujuſmodi eſſe freqventerqve accidere conſtat. 183 Diximus ſuprà inſignem cervum ætate & uſu veteratorem, ſolere ſatellitem ſuum cervum, nunc pediſſeqvum, nunc anteambulonem habere, qvem armigerum dicitis, qvaſi grandi cervo ſubſervientem. hunc ille inſignis in cubili ſecum deprehenſum & repente emicantem, interdum canum cæcæ aviditati objicit, veluti victimam venatrici deæ pro ſe ſuccidaneam, præſtigiâ qvâdam eorum ſeſe oculis naribuſqve ſubducens. 184 Verùm hoc illicò animadvertere experientis eſt venatoris, præcipitiſqve canum impetus errorem compeſcere, & fallaciam cervi irritam ſolertiâ ſuâ facere. 185 Id frangere canes vos (opinor) appellatis, qvod ſignificat curſum illum malè cœptum ſiſtere. 186 Agmine igitur retrò per ſtatorem illum venatorem inhibitô: qvod clamoſô, crebrô, caſtigabundô vociferatu fieri ſolet: inſtaurativâ indagatione opus eſt, & cane rurſus numellariô, ut agmen excurſorium in veſtigium majoris cornigeri reponatur. 187 Qvâ denuò arreptâ, decuma-

[illegible]us ille corniger præcipiti primùm fugâ, deinde ludificante rapitur, [illegible]aci canum agmine certatim eum urgente, clangenteqve comitatu: qvo- [illegible]diuturnô curſu fractus atqve exanimatus, tandem ab univerſo Dianæ ſatel- [illegible]o circumveniri ſe minaciter mordicuſqve patitur, qvi exitus eſt clauſula- [illegible] ludicri. 188 Poſt qvæ verba qvaſi penſô meô abſolutô, cùm aliò flecte- [illegible]ermonem noſtrum pararem, Hîc hîc inſiſtendum (inqvit) Budæe, præ- [illegible]perè enim feram miſſam feciſti,qvaſi jam confectam & exanimem.at mul- [illegible] adhuc fortaſſe ſupereſt ei animæ ad curſum inſtaurandum. Proinde [illegible]rgere eam perge, ne interim animam ab integro recipiat, & nobis ne- [illegible]ium alterum denuò exhibeat. 189 Neceſſe verò eſt (inqvam) mihi, [illegible]e, ſummas rerum ſeqvi, qvi ex digreſſione & obiter jam diu evagatus [illegible] cum eo etiam, qvòd varietati rerum ob inopiam verborum reſpondere [illegible] poſſum. qvâ tanqvàm inſuperabili ſalebrâ inhibeor, ne penitus inſinuem [illegible]aſtam illam ſylvam nomenclaturæ veſtræ, qvæ Lingvæ Latinæ (ut dixi) [illegible]è incognita eſt. 190 Atqvi, inqvit, cùm huculqve pedem promoveris, [illegible]ianimi feræ inſtandum, qvoad hoc vel ſpectaculum vel acroama nece [illegible] claudamus. 191 Qvid ſi (inqvam) Here, ſic ſancta eſt, & rituum [illegible]rorum & ſaltuenſium verborum religio, ut vel tantulum ex tanta copia [illegible]tare, piaculare penè ſit atqve ignominioſum: etiamne periclitari me [illegible]rtet, ineptiarumqve culpâ tandem me obſtringere? 192 Vide, Here, [illegible]tor ego multa jam ultra crepidam, dum imperio tuo pareo. id qvod ve- [illegible] mihi ſubit, qvorſum ad extremum evaſurum ſit, niſi benignâ tuâ veniâ [illegible]e indulgentiâ artem modò mihi cœptam, hîc deſinere liceat. 193 Non [illegible]mverò (inqvit) licebit Budæe, ne fruſtra ſis. Jamdiu enim tibi qvaſi [illegible]lomacho inſto medium (qvod ajunt) ſeptum catadromi fugitanti. vide igitur, ut jam Lingvæ iſti Latinæ hic finis ſit delitias faciendi, qvam tu mihi dicere ſolebas longè feliciorem eſſe lingvâ noſtra vernaculâ, amplioribuſqve copiis ac ſplendidioribus inſtructam & ornatam. meminiſti enim (ſcio) te non ſemel hoc dixiſſe. qvod ſi verè dixiſti, non eſt hic locus detrectandi ſpe[illegible]minis, ſed copiarum protinùs explicandarum: cùm etiam Latinis & Græ[illegible] ars venandi nota atqve celebrata fuerit. 193 Eſt ita, ut dicis Here, (in[illegible]m) ſed non ſi in univerſum Lingua Romana elegantior eſſe & uberior [illegible]ſtrâ à me dicta eſt, ideò non in qvibuſdam noſtra felicior eſt & Latinâ & [illegible]æcâ: ut in hac ipſa arte deſcribenda & explananda, in qva certè tàm [illegible]ta & dives eſt propè noſtra, qvàm Græca eſt in tractanda philoſophia. [illegible] Verùm age, ne detrectator intempeſtivus eſſe majeſtati tuæ, circum[illegible]antibuſqve videar cum ignominia Lingvæ Latinæ, qvam honori ſemper [illegible]bendam eſſe duxi: qvà potero in ſaltum divâ bene juvante pedem rurſus [illegible]feram. qvò evaſurus cumqve ſim tandem. 195 Dixi ſuprà veteratorem [illegible]vum verſutumqve vocari, qvi multa & exqviſita perfugia atrocis ſupplicii [illegible]vit vitæqve præſidia. 196 At vos majorum (ut ita dicam) gentium exer[illegible]tores ferarum, non ut alii, planum & vafrum cervum, ſed cordatum & [illegible]udentem vocatis. multaqve artis vocabula propria jam feciſtis: è medio

R qvidem

qvidem illa ſumpta, ſed plenioris & venuſtæ in ſaltu ſignificationis: tum qvidem certè cùm pronunciantur cum ſua hypocriſi habituqve venatico: qvæ ad emphaſim ipſa mirè faciunt. 197 Sed operæ eſt precium indagatores ipſos audire & obſervare, cùm ad ſenatum ſylvaticum inqviſitiones ſuas (ut ſuprà dictum) referunt, & cùm, qva de re agitur, cenſere ipſi jubentur à ſenatus principe, qvô tu Here munere perſæpe fungi ſoles. 198 Sermo rarus, & non niſi percunctando expreſſus. pronunciandi religio major, qvàm olim hiſtrionum in proſcenio theatri æmulis ſpectatoribus. non contemnenda autem pars pronunciationis atqve renunciationis, in nutibus, in vultibus, in geſtibus, in academica cunctatione & conſideratione eminet. 199 Cordatos porrò cervos & catos eſſe, & de ſalute ſua cum qvodam intellectu mirè mereri ajunt ob incredibilem ejus animantis ſolertiam, qvâ à natura munita eſt, præter volucrem celeritatem & corniculare propugnaculum. 200 Et hæc tot tamen tantaqve præſidia, paria eſſe neqveunt arti venatoriæ. 201 Solere cervos, ajunt, ſimulut ſenſerunt rem ſibi eſſe cum aſſeclis infeſtis ſimul & ſagacibus, primùm alios alioſqve fugæ lapſus & gyros agglomerare: deinde ſi porrò urgeantur, ſtabula cervarum, populariumqve cervorum diverſoria petere. ibiqve intra turbam promiſcuam qvaſi intra nebulam erroris canini, ſeſe condere. 202 Interdum gregarios aliqvot inde abigere atqve ad aliqvantum ſpatii permixtum veſtigia facere, ad negocium canibus exhibendum. 203 Cùm autem aliqvantiſper hâc ratione contechnati ſunt, ab illorum comitatu repentè ſe ſubducentes: per tramitem devium longiuſculè abſcedunt, deinde interſiſtunt, ut interim canes veſtigia cervulorum aut cervarum excipientes, diverſi ab eis auferantur. 204 Cumqve hæc ſtropharum commenta canum experientiſſimorum vis odorandi vicerit, circumſpicientiâ utiqve venatorum adjuta, ad alia denuò ſe vertunt ſubſidia ſalutis: cujuſmodi ſunt per ſua qvadamtenùs recurrere veſtigia: deinde ſpiras fugæ intorqvere multipliciter & variè, & qvàm fieri poteſt perplexiſſimè: tum raptim longiùs procurrere. qvæ omnia comminiſcuntur adverſus ſollertem canum ſagacitatem. 205 Itaqve interim dùm canes intenti ſunt deducendis elapſibus & extricandis qvi ab ipſis cervis glomerati ſunt, ſpatia magna illi permetiuntur: cùm intereà buccinarum hortamenta curſitantium canum hiantem acuant aviditatem. 206 Mihi verò aliqvando Faunorum clangorem audire, Dianæqve cornicinum, viſus ſum, cùm ſylvæ baubantium canum vocibus buccinarumqve clangore circumſonarent. 207 Venatorum etiam laborem per ſylvam volitantium, canes (ut ita dicam) ſymphoniaci levant, qvorum concentu mirificô nemus totum perſonat. 208 Solent autem cervi plerumqve ſecundô ventô ferri, treis (ut perhibent) ob cauſſas. principiò cùm adverſô ventô feruntur, ventus ore & naribus irrumpens, fauces eorum vehementer arefacit, animæqve ductum inhibet. deindè ſecundo vento cedentes, cùm canum vocem facilè excipiunt, ex eaqve colligunt propinqvi an remoti ſint: tùm verò olfactum ſui ſeqvaci turbæ adimunt. 209 Inter exempla hujus animalis, ultima perfugia exqviſita-

qve experientis hæc commemoratu digna comperi. 210 Viſum eſſe cervum in armentum bubulum irrumpere, in bovemqve inſilientem, primoribus cruribus armiſqve complexum, ad longiuſculum ſpatium velut eqvô vehentem, poſtremis tantum ungulis terram ſtringere, ut odorem ſui canibus, qvoad fieri poſſet, exilem incertumqve relinqveret. 211 Ludovicô Rege ſocerô tuô, Here, venatoriæ turmæ decurio, qvi venator maximus appellatur, ad duodecimum ab urbe lapidem venabatur, viro præſidi id ſpectaculum gratificans, qvi me comitem ſecum amicitiæ cauſſâ eò duxerat. Ibi cùm mentio hujuſcemodi mirificentiarum cervinarum incidiſſet, recordor eum inter alia hoc affirmâſſe. 212 Me (inqvit) pridem venante cervum qvemdam ab ætate & experientia vafrum, evenit fervente venatu & longè jam progreſſô, fugitivus ut ille non compareret: & tamen canes nec ultra procedere vellent, nec in ſua veſtigia redire. Ibi omnes ſtupere, circumſpicere, inter ſe aſpicere, lapidem (qvod dicitur) omnem venatores & magiſtri movere. 213 Res erat miraculi plena, & Apollonianæ præſtigiæ ſimilis, qvaſi ſublimis fera alipes abiiſſet, aut terrâ diſcedente, rurſumqve coëunte, non compareret, aut oculos noſtros canumqve præſtrinxiſſet, tandem omnia (ut fit in tali caſu) à nobis perluſtrando, deprehenſus eſt planus ille cornipes in furto ſui manifeſto atqve memorabili. 214 Alba ibidem erat ſpina enata in loco denſo atqve opaco, qvæ ad magnitudinem arboream excreverat. In eam cervus dolis ſolennibus conſumptis ſaltu ſe conjecerat. Stabat autem ille ſublimis, ramis fruticis ipſo ſaltu divaricatis: ſic interceptus, inde ut deſilire non poſſet, ſive erat forſan exanimatus: ibi enim qvaſi compeditus imbelliſqve confectus eſt. 215 Dignus certè ob rei miraculum qvi fato truci eximeretur, ſi devotæ ſemel divæ victimæ miſereri liceret. 216 Sanè qvidem (Rex inqvit) hujuſcemodi præſtigiarum animans illa interdum eſt deſignatrix: ita ut & claſſes multas canum qvamlibet callidorum atqve emunctæ naris, ad ſtuporem venatorum decurias ad inopiam redigant conſilii: qvod cùm evenit, nos vadimonium deſertum appellare ſolemus. 217 Qvòd niſi eâdem horâ ille vadimonii deſertor, iterum ſiſti potuerit, diem diffundere moris eſt, matutinôqve iterum vadari fugitivum moloſſô ſollennium cautionum prætermiſſâ, ne illi ludificatori cervo impune res abeat. 218 Immò verò (inqvam) Here Chamæleonti & Proteo, cui tàm verſatilem ſollertiam natura cum aliis adminiculis tuendæ ſalutis ſuæ dederit. 219 Atqvi (inqvit) ut omnes ſeſe in facies Proteus ille vertat, niſi ſolum qvoqve noctu verterit, poſtridiè latrabiles illas manus ac reſimas, auribuſqve inſignitas, minimè ad extremum eluctabitur. 220 Non ſi anhelus & æſtuans in amnem ſe conjecerit, undiſqve ſecundis vehendum ſe dederit: qvod ſæpe refrigerandi cauſſâ facit. Non ſi amnem trajecerit, ut canum curſum intercidat. Non ſi incitatione curſu diuturnôqve profligatus, animum jam deſpondens, undis potiùs perire, qvàm laniari malit. 221 Mira eſt certè (inqvam) agriophagæ illius turbæ pertinacia, dirum autem fatum cornigeræ animantis, cùm ad extremum laſſitudinis adducta, opperiri cogitur atrocem

 cem

cem illam clamoſamqve coronam, undiqve ſe rictu petentem minaciſſimô atqve infeſtiſſimô. 222 Qvâ tandem circumventa, poſt omnia ſalutis præſidia deplorata, repente ſæpe aſſiliens, primum qvemqve venantium, in qvem incurrit, cornu petere ſolet, niſi ferrô protinus excipiatur. 223 Qvod ubi factum eſt, aut ſi aliàs fera afflicta & ſtrata eſt: tùm demùm receptui canitur ab eo, qvi primus in eam confectam occurrerit. 224 Tùm ſimonum chorus ille ſilonumqve inclamatur, & venatores coëunt qvoqvoverſùs palantes: qvæ tanqvàm ovatio eſt ob rem bene & feliciter geſtam. 225 Qvam deinde ipſam excipit viſceratio extemporalis, & tanqvàm extiſpicina victimæ Dianæ immolatæ. qvæ ſic debetur ipſa canibus venaticis, ut libamentum capturæ accipitribus in aucupio volucri. 226 Viſceratorem autem peritum eſſe oportet, qvi lanienam ferinam venatoria cum palæſtra exſeqvatur: qvi ſcitè feram deglubere noverit, membratimqve incidere, & proſecare inciſam. 227 Tergore autem detractô caput abſcindendum eſt, moloſſoqve therelencho porrigendum & permittendum: qvem ſæpe indagatorem appellavimus. Has enim ei primitias peculiares placita majorum largiuntur ob indicium feræ. 228 Nimirum ut in capite ferino lacerando & obrodendo, fructum navatæ operæ ipſe percipiat ante omneis alios, in poſterumqve irritetur, is cujus auſpiciis ductuqve rem alii executi ſunt. Cùm interim viſcerator gratulabundâ voce fruenti parte ſuâ animali blandiatur, & tanqvàm mactum virtute induſtriaqve therelenchicâ ipſum eſſe jubeat. 229 Deinde venatoriæ plebi infimoqve miniſterio venationis, ſuæ ſunt partes viſcerationis iiſdem ſcitis attributæ. 230 Epulum autem caninum omnibus in unum evocatis venatoribus, & cunctis claſſibus canum, decuriiſqve coëuntibus, fieri hôc modô ſolenne eſt. 231 Venatores intra tergus ferinum panis fragmenta ſangvine feræ madentia, miſcent cum omaſo, in minutas particulas conciſo. 232 Nonnunqvam prætereà, ſi canes ſtrigoſi ſint & macie exhauſti, aut ſi ſtrenuam inſignitè operam eô die navaverint, liberalitatis eſt venatoriæ, opiparis eos impenſiùs epulis accipere, cervicem extis addentes, & nonnihil, ut ita loqvar, è vivo reſecare. 233 Hæc cùm rectè atqve ordine facta, concinnatæqve epulæ fuerint exerti manu venatoris: tùm deniqve luculentos illos deæ venatricis epulones, ad epulum ſui generis admittunt cum ovantium vociferatu. 234 Nam anteà & interim dùm epulæ illæ parabiles expediuntur, coronæ geſtientis ac canoræ rapacitas, culinæ circumfuſæ nidoremqve captantis, à miniſtris arcentur fuſtes in manu geſtantibus. 235 Priore porrò epulô peractô, fit & alterum eôdem momentô, ſed non eôdem locô: ex interaneis perpurgatis & dilutis, (ſunt enim hæc qvoqve Dianæ ſacra ejuſqve ſatellitio) non conciſis fruſtillatim aut proſectis, ſed integris: ita ut cùm aliqvamdiu illa viſcerator ſublimia tenuerit & oſtentârit, ad irritandam edacis agminis voracitatem, tum ea demum repentè in medium porriciat. 236 Inter cæſa verò & porrecta, cuncta venatorum cohors cum auxiliis, & calonibus, ſublatis buccinis canere capturam, qvam vocant, debet, eô qvô ſuprà dictum eſt modô, cùm cervus in pote-

ſtatem

ſtatem venit agminis venatorii. 237 Jam verò buccinaturæ modos venatores alios atqve alios habent pro ſignificationum varietate: qvandoqvidem indagatores non alio vocis commerciô utuntur interim dùm in qvæſtione cervi ſunt. qvi abſqve eo foret, aut inter ſe ipſi cum noxa incurrerent, aut longiùs interdum evagarentur inqvirendô, cùm receptu opus eſſet. 238 Nam ſi unus fortè, ut fit, fortunâ, primore inqviſitione cervum decumanum indagine opportunâ vadatus fuerit, confeſtim ſignum receptus ceteris buccinâ ſuâ dabit, ut illi ad conventum extemplò ſe recipiant. 239 Eſt autem interdum venandi ratio ita conſtituta, aut caſu comparata, præſenti ut conſiliô opus ſit. ut ſi diffuſus dies heſternus fuerit, & ſiſti tum cervus certô locô non poſſit: aut ſi cervus, qvi ad qvæſtionem deſtinatus eſt, ſtabulum certum nullum habeat: ſi meticuloſus & panico conſternabilis, qvi interqvieſcere interdiu, cubileqve mutare identidem gaudeat. 240 Nam & ii qvi recenti venatu exagitati fuerunt, ad omnem ſtrepitum conſternabiles, ſtatarii ferè non ſunt. 241 Sunt & qvi cubili excitati, illicò in pedes ita ſe conjiciant, ut non per finitima ſtationis ſuæ loca curſitare, & commeare remeareqve ſoleant (qvod pleriqve cervi faciunt) ſed rectis itineribus porrò ſemper excurrant. 242 In hac igitur ſpecie is, qvi canibus regendis præfectus eſt, ſimulac id comperit, ſignum canore buccinæ dare ſolet, ut ii qvi in ſubſidiis locati ſunt, & reliqvi omnes venatores atqve auxiliarii, caloneſqve venatici, ſui miniſterii protinùs vaſa colligant, cùm cervus caſtra moverit. 243 In ſuperioribus autem ſpeciebus ſignum copulis ſolvendis canitur in ſemita veſtigiali, ſimul ut inventa fera eſt. 244 Hæc habebam ferè, qvæ de arte hodie clariſſima, tuiſqve auſpiciis, Here, ad ſummum ſublata faſtigium, Latinô ſermone dicerem. Id qvod niſi majeſtatis regiæ imperiô facerem, non ineptus eſſe utiqve ac videri non poſſem. 245 Sed neſcio quô pactô aliqvando (qvod nimiô plus, qvàm mihi opus erat, majeſtas tua meminit) cùm hujus artis ejúſqve vocabulorum varietatem admirari viderer, tuqve de me qvæſiviſſes, an Latinè ars ipſa ſcribi poſſet? 246 Ego qvi multum tribuere Latinæ eruditioni gaudeo, in hanc ſententiam reſpondi. Here (inqvam) & hujus inſtituti & multorum, qvæ recentia ſecula pepererunt, ſummam adhuc eſſe verborum inopiam Latinorum video, qvæ qvidem certè in uſu hodierno notam perferre antiqvæ auctoritatis poſſint, locabiliaqve eſſe apud eos, qvi religione imbuti ſint Minervæ ſanctioris & delicatæ: qvales jam omnes ferè eſſe litterati & cupiunt & cœperunt. 247 Tanta tamen eſt meâ qvidem ſententiâ Latini ſermonis utilitas, tranſlationum ejus úſus tàm multus, tamqve fœcundus ſignificationum, uſqve adeo morigera verſabilitas, tractabilis & certa flexibilitas, nihil ut nobis non ſperandum ſit: ſi ut ad litterarum Græcarum cognitionem ſtudia exarſerunt, ad hoc qvoqve meditandum ingenia incubuerint. 248 Qvod omnino futurum eſt, ſi huic certamini digna palma propoſita fuerit, & corona: non lemniſcata modò & regia, qvales à te aliqvando litteris eximiis deferendæ ſunt, ut & tuis verbis, & ſignificationibus non obſcuris adducti, credere inſtituimus: ſed etiam ſi civica

& popularis. 249 Simul enim litteræ honori utcunqve habebuntur, ingenia ſe proferent olim geſtientia. 250 Hæc igitur cùm te ſciſcitante non ita pridem dixiſſem, auſus ſum ſermonem hunc laceſſere, cui jam par eſſe non poſſem ſi longiùs prorogaretur. 251 Qvanqvam domeſticum mihi habere eundemqve vernam nomenclatorem jamdiu inſtitueram, ex qvo multa diſcere harum & ſimilium rerum nomina potuiſſem, atqve in re præſenti tanqvàm è penu domeſtica promere, cùm uſus ita tuliſſet: ſi omnium dierum & temporum nunc qvoqve ut pridem, diſcipulus eſſe poſſem. 252 Verum enimverò qvòd nota & exercita priſcis Romanis * & Græcis venatoria fuit, non magnoperè nos adjuvat ad verborum copiam conqvirendam, & colligendam. 253 Nam qvæ de venatione Xenophon Græcè ſcripſit, ad eos tantùm pertinent, qvi tendiculis ac pedicis, reticulatâqve indagine & tibicinibus arrectâ, cervos & cervas hinnuloſqve, & alia venantur. 254 Nec verò Cephalus, nec Aeſculapius, nec Neſtor, nec Peleus, ne Meleager qvidem carmine Homericò nobilitatus, nec univerſa Chironis ſchola, qvos antiqvitas ut majorum gentium Venatores fama ad cœlum tulit, ad eam amplitudinem artis & magnificentiam venationem perduxit, ad qvam tuô principatu pervenit. 255 Siqvidem majoribus omnino auſpiciis, viſendâ magis ſpecie, choragiôqve ampliore, hoc ludicrum hodie qvàm olim peragitur. Deniqve tàm amplum, ſic accinctum & comitatum, ut ita dicam, genium, hæc exercitatio neqvaqvam tunc habebat. Elegantiam enim & palæſtram artis antiqvi non noverunt, qvantum conjicere poſſumus ex monumentis auctorum. 256 Qvin & volatile aucupium, cujus eſt hodiè ſtudium flagrantiſſimum, atqve omni organô oblectandi animi inſtructiſſimum, antiqvitas ipſa nunqvàm ſuſpicata eſt. 257 Qvod certè mirum videri poteſt, cùm in tantum hodiè creverit id aucupandi artificium, ut nec ardeæ nec milvi intra nubes conditi, evadere humanas manus poſſint. 258 Immò verò cùm hujuſmodi alites ſublimipetæ, cum genere illo prædonum in nubium ſuperficie tanqvam in theatro commiſſi, ſpectaculum ſuæ necis præbere adigantur aucupantium oculis: ſic vociferantibus aviariis dimicantes certamine atroci & capitali, qvaſi laniſtis imperantibus. 259 Uſqve adeò pollet hominum artificium in auctorandis accipitribus, & ad venatum ſublimem inſtituendis & manſvefaciendis ad obſeqvium. 260 Enimverò, Rex inqvit, etſi minimè tu qvidem de gallinaceo (qvod ajunt) in aſellum, qvi de altero nobilitatis ſtudio ad alterum tranſieris ejus penè germanum, velim tamen ut in eo, qvo de agitur, adhuc paullùm immorère. 261 Qvod mihi paullò magis cordi hactenus fuit ſemper, propter exercitationem corporis:

* *Romanis*] Sunt in medio Gratii Faliſci Cynegeticon, ſive de Venatione liber unus. Cui accedunt Halieutica. M. Aurelii Olympii Nemeſiani Poëtæ Carthaginienſis Cynegeticon; ſive de Venatione liber unus. Ejuſdem de Aucupio Fragmenta duo, Eclogæ IV. Et ad eundem T. Calpurnii Siculi Eclogæ VII. Qvæ ſcripta notis inluſtravit doctiſſimis Janus Vlitius, & ante eum Caſpar Barthius duodecennis tùm puer, ut fatetur in Adverſariis, libro LVII. c. XVII. col. 2712. Ejus commentarius editus eſt Hanoviæ annò 1613.

poris: etſi aucupandi diſciplinam non leviter colui & exercui, libenſqve nunc ipſe, ſed animi tantùm cauſſâ ſpectare alites illos prædones in campeſtri & lacuſtri rivaliqve aucupatu ſoleo. 262 Qvi venatus tamen qvidam ſublimis videtur magis eſſe, aut volaticus, qvàm aucupium: tametſi in utroqve ludicro, non tàm capturæ & prædæ ſtudere inſtituimus, qvàm voluptati aucupandæ aurium & oculorum. 263 Nam ut in ſylveſtri venatione omnes aditus cervis liberæ fugæ pandimus: ſic in illa ſublimi & aëria, milvos & ardeas non humi captare, non in volatu depreſſiore opprimere, aut incautis antevertere ſolemus. ſed alite priùs emiſſariô generoſô more utimur: imbelli qvidem illô, ſed tamen eas aves anfractu inaniter infeſtô, conſectante & territante, qvoad ſublimes evaſerint: cùm interim prædones illos alites, ſiniſtrô brachiô geſtemus, obnuptis capitulis: nec antè manumittamus, qvô ſublimius ſit aucupium & cœleſtius. 263 Verùm ex ijs qvæ ſuprà diſſeruiſti, nondum planè mihi liqvet, attentus ne artis auditor tantùm fueris, & auſcultator in umbraculis, an exercendarum qvoqve ferarum in ſylvis ſpectator & ſocius. qvod tu non aliter iſtis perſvaſeris, qvàm ſi à capite, & velut à repagulis ipſius curriculi cervini incipiens ordinem & ductum ludicri explanatè enarres & percenſeas. 264 Ita enim Budæe de arte venatoria diſſerere ipſe exorſus es, ut longè certiora ſeqvi nos videremur veſtigia inventionis in noſtris indagationibus, qvàm vos ſcriptores in veſtris commentationibus. 265 nimirum qvi Dianæ noſtræ tramites qvamlibet (ut apparet) labyrinthoſos, tamen minoris errationis eſſe duceres, qvàm Minervæ illius veſtræ, qvas methodos appellatis. 266 In qvo tibi jam videndum ne opinio te fefellerit: qvi tantum nari caninæ tribuas, venantiumqve ſollertiæ, ſimul Dianam noſtram ſaltuariam & montivagam, procul urbe ſummotam, litterarioqve commerciô, iterùm Latinè loqventem audire nos juvabit, qvod futurum non cogitâram. 267 Eqvidem (inqvam) Here, qvantum ipſe meminiſſe poſſum, ſive ejus rei olim arbitro & ſpectatori fuiſſe mihi contigit, ſive fandô audîſſe & didiciſſe: venator totius ludicri architectus, anteqvàm manum excurſoriam ſolvit, ita univerſi actus ſcenam inſtruere poteſt: ſic ſecundarum ac tertiarum partium manus locis opportunis locare: plus ut in ſua induſtria canumqve natura docili, poſitum eſſe confidat ad prædam illam palmarem, non ſine multô pulvere ſudoreqve potiundam, qvàm nos in noſtris commentationibus auſpicandis ſitum eſſe in nobis meritò ſperare poſſimus. 268 Vix eſt enim, ut ita deſcripta omnia, ſic digeſta habere nos qveamus, eorumqve coagmentationem compoſitionemqve exſpectationi hominum reſponſuram, confidere ut meritò debeamus, laborum noſtrorum clauſulam, vos plaudite, futuram. Cùm interim venatores inſtar propè dixerim olympionicarum, clamore, canore, clangore, teſtari ac celebrare exitum certaminum ſuorum ſoliti ſint. 269 Nec ſi actus noſtri ſtatarii ſunt & umbratiles, veſtri motorii & pulveris excitatores, ideò noſtri minùs turbulenti ſunt, animiqve exercitatores. 270 In utriſqve verò ſumma volupta eſt cùm bene inſtituti ſunt & opportunè, laboriſqve vehementis ſenſum ex æqvo propè adimens.

menſ. 271 Verùm qvòd me ſylvis curſim egreſſum, Here, iterum reverti penituſqve inſinuare in eas jubes, vereor, ſi imperare perrexeris, ut perinde iterum inde pedem referre poſſim: ita plenæ ſunt interiùs ſalebrarum opacæqve denſitatis. Ubi ſi deprehenſa Latini ſermonis elegantia, qvaſi jam inops & exhauſta hæſerit, num inde tandem ipſe reverti, & velut pro derelicto illam habere; ſine crimine temeritatis potero? 272 Nam qvòd ſemel in aſpera & ſibi inacceſſa ut deſcenderet auctor ego ipſi fui, id mihi non imperium modò regium & auctoritas, ſed aſpectus iſte ſummæ humanitatis index & fiduciæ largitor expreſſit, qvodammodò vel excuſſit: cum ſermonis tui lepôre atqve illecebra, qvæ mihi obrepſerunt incauto, & qvò progrederer non providenti. 273 Qvin & rei venatoriæ ſylvam, ut ſentio, incompoſitam fundere tibi viſus ſum, nec rectè & ordine de arte diſſeruiſſe. 274 Id qvod ſi iterum committam, ut faciam, non video, qvid mihi aut inſolentis ſermonis crimen, aut inepti ignominiam vel levare vel deprecari qveat. 275 Agedum (inqvit) age Budæe, & bonô eſto animô. Ars enim ipſa venandi ſuâpte naturâ liberalis eſt, & amœnitas ſylvæ in qva nunc ſpatiamur, tibi materiam affatim in re præſenti ſuppeditabit. Cujus ipſam utiqve benignam eſſe ſuggeſtricem oportet, cùm tu materiam primam appellatione ſylvæ ſignificari, mihi non pridem tute dixeris, ut meminiſſe videor. 276 Ibi tum ego qvaſi regi dans manus, qvod felix igitur (inqvam) fauſtum, fortunatumqve ſit, Here, mihi univerſoqve nomini Latino, ingrediar, iterum fiduciâ tuæ humanitatis, atqve indulgentiæ plus qvàm ſodalitiæ: eaſqve mihi præſentis cujuſdam mercurialis numinis inſtar eſſe exiſtimabo, & ita ingrediar pedetentim, ſi potero, ne ad caudices cæcos (ut ajunt) aut ceſpites, in opacis locis offendam. 277 Sit autem hoc mihi ab eadem humanitate tua & cautum & exceptum in hoc noſtro convento, mihi vitio ne vertatur imperitiæ, ſi minus enucleatè de hac arte atqve exactè diſſeram, cujus incunabula nunqvam percognita habui. 278 Qvàm voles, inqvit, cautè & pedetentim ingredere, modò ne prævaricabundè. Nolo enim te ſalebras qvaſlibet ſuperſtitioſiùs vitare, per qvas ingredi ſtrenuus homo poſſit, idemqve religione * perimbutus conſervandæ comiter Latini ſermonis majeſtatis.

* *Religione perimbutus conſervandæ comiter Latini ſermonis majeſtatis*] Cave nova omnia recenterqve excogitata rejicias vocabula promiſcuè. Puerili qvidem ætati his interdici rectè, agnoſcimus. In iis verò, qvibus judicium firmavit ætas, feram potiùs, qvam vel laudem, vel culpem. *Longè alia*, qvarto Inſtitutionum Orator. c. I. n. VIII. p. m. 23. Voſſius ait, *ratio eſt eorum, qvæ novata ſunt vulgi imperitiâ; cùm pro* albore *aut* nigrore, *dicunt* albedinem *&* nigredinem: „ alia „ verò eorum, qvæ novârunt docti; inprimis, „ ſi non auctore modò commendentur, ſed etiam „ neceſſitate, & elegantiâ. Nec tamen hoc ita in„ telligi debet, qvaſi noſtri ævi hominibus planè „ ademta ſit fingendi poteſtas. Rectè Horatius „ Epiſt. ad Piſ.

--- Licuit, ſemperqve licebit,
Signatum præſente notâ procudere nomen.

„ Scitè ſanè Theodorus Gaza, cùm alia finxit, „ tum *depedes*, *deplumes*, & *depiles*: qvæ planè gemina iſtis Tertulliani, qvi beſtias *exungves*, & *excornes* vocat. Atqve hujuſmodi „ ille imitatione finxit Græcorum: idqve „ in ſerio argumento. Qvod magis etiam „ conceſſum eſt in amœnis, & ludicris.

tis 279 Audendum eſt enim aliqvid, ut tu dicere ſoles, qvi redivivâ Latinitate uti velit ad res nobis æqvales & recenteis translatitiâ. 280 Faciam, inqvam, Here, qvàm potero accuratiſſimè: frontem etiam ſi res ita poſcere videbitur, leviter perfricuero: ne defunctoriè (qvod dicitur) voluntati tuæ ſerviviſſe, & imperio obtemperâſſe videar. 281 Verùm hanc partem,

„ dicris. Philippus qvidem Beroaldus non invenuſte hoc in genere luſit. Nam cùm is Bononiæ, qvâ in urbe publicè humanitatis ſtudia docebat, aliqvando à contubernalibus ſuis Polonis interrogatus eſſet, qvomodo Latinè appellari poſſet edulii genus, qvod ipſis appoſuerat, (erat autem. qvod vulgò *tartam* vocant, ſive qvaſi *tortam*, à torqvendo; ſive κατὰ μετάθεσιν, & unius literæ adjectione à Latino *tracta*, qvo uſus Cato) lepidè reſpondit, *herbicaſeovium* vocari, qvia ex herbis, caſeo, atqve ovis, conficeretur. Ac feſtivum hoc reſponſum ab auditoribus cum riſu exceptum eſt. Nec certè id hilò deterius eſt, qvàm veterum *ſuovitaurilia*: qvomodò, Fabiò teſte, vocabant ſacrificii genus, qvia fieret ſue, ove, taurò: niſi potiùs *ſolitaurilia* dixêre; qvod longè eſt veriſimilius, ob ea, qvæ ſcribit de hoc Feſtus, item Chariſius lib. primò. Qvin cùm multa hodiè ignorentur vocabula, qvæ olim erant nota; major nobis injecta eſt fingendi neceſſitas, qvàm veteribus illis: qvi tamen ipſi etiam conqveſti fuêre de lingvæ ſuæ paupertate, vel, qvod amplius eſt, egeſtate. Seneca epiſt. LIX. Qvanta verborum nobis paupertas, imò egeſtas ſit, nunqvam magis, qvàm hodiernô die, intellexi. Plinius lib. IV. epiſt XVIII. Inopiâ, ac potiùs, ut Lucretius lib. I. & III. ait, hâc egeſtate patrii ſermonis. „ Eodemqve modò, at in re aliâ, hæc diſtinguit vocabula M. Tullius in Paradoxis *Paradox ult.* Itaqve iſtam paupertatem, vel potiùs egeſtatem ac mendicitatem tuam, nunqvam obſcurè tuliſti. „ Et Ovidius in primo de Arte:

--- *Alter egens, alter pauper erat.*

„ Ac Martialis qvoqve lib. III. epig. XXXIII. Neſtorem deridens, qvi, cùm egens eſſet, pauper dici volebat, hoc pactò claudit epigramma:

Mentiris, vanôqve tibi blandiris honore

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Hæc Voſſius. Sanè novas excogitare voces ipſa qvandoqve jubet, durum telum, neceſſitas. *Novæ* [illegible], auctoritate Rodolphi Goclenii hominis in Latinitate minimè infantis III. Probl. Gramm. XVI *nova vocis ſignificatio convenit*. Docendi gratiâ haut rarò novô & Veteribus inauditô utendum eſt vocabulô. Sic Theologi, JCti, Philoſophi & Medici peculiares qvandoqve adhibere ſolent terminos, qvibus multò expeditiùs rem conficiunt, eamqve auditores docent, qvàm ſi veteres eosqve uſurpâſſent obſcuros. Præclarè, qvod ſolet, maximus Buchnerus noſter p. 129. Acceſſion. ad Fabri Lexicon edition. M. DC. LXIV. (qvod addo, ne in noviſſ. Cl. Cellarii edition: ea qværas, cùm adducenda ibi omiſſa ſint) Voce *Barbariſmus*. Qvotus, inqvit, qviſqve Latinos Auctores omnes legit? aut meminiſſe omnium poteſt? Itaqve periculoſum eſt de Latinitate ex paucis auctoribus pronunciare. Licet unus & alter ex Scriptoribus non æqvè cultâ politâqve oratione uſus ſit, Latinè tamen uſus eſt. Aliud enim eſt parum eleganter, aliud barbarè, id eſt, non Latinè loqvi. Jam de Latini ſermonis egeſtate ipſi Latini jam olim fuerunt qveſti. Et nota ſunt qvæ apud Horatium de neceſſitate augendi ſermonis Latini in Epiſtola ad Piſones legimus. Qvid ergo piaculi admiſerit, qvi nova verba invenerit, propter inopiam veterum; aut cui melius aliqvid & efficacius reperire licuit, qvàm Veteres olim qvod excogitârunt, modò Analogiæ ratio cuſtoditur? Sic ingratitudinis reperta eſt vox: qvæ apud neminem veterum exſtat; neceſſaria tamen ad denotandum vitium teterrimum, qvod hactenus nomine deſtituebatur. Non gentis certè ampliùs, ſed eruditarum ubiqve gentium propria qvaſi, Latina Lingva eſt. Qvod ſi Veteribus, ubi neceſſe fuit, ὀνοματοποιεῖν licuit, cur nunc id doctos & Latinarum litterarum prudentes in ſimili tempore id facere non liceat, modò Latino ſermoni ſua lex & indoles conſtet? Porro alia in Diſſertatione, ubi diſciplinæ & inſtitutionis tantùm agitur res; alia in Oratione aut Declamatione, ubi cumprimis eloqventiæ qværitur laus; & licent & decent. Ibi enim ſatis eſt, non barbarè loqvi; hic nitor & lux & qvædam majeſtas etiam reqviritur. Qvæ omnia qvi non attendunt circa dijudicandos & accuſandos Barbariſmos, qvos vocant, peccant ex facili; & iniqviores rigidioresqve ſe præbent, qvàm fieri par eſt.

qvam recepiſſe me te deferente conteſtatus ſum, non mihi depopoſciſſe;
nudam ipſam ac ſine exordio exponam, ne longiùs exornandô aut altiùs re-
petendô, negocium majus mihi faceſſam. 282 Omittam artis præludia:
transmittam auſpicandi certaminis palæſtram, atqve omneis concinnitates,
qvibus velut digeſtis frondibus feſtis & virentibus, ludi venatorii veſtibulum
artis ipſius magiſtri viſendum faciunt & ſpectandum. 283 Non dicam qvòd
viridi veſte ad venatum cervi, fuſcâ & villoſâ ad apri utendum eſt majorum
inſtitutô. Qvòd certò qvôdam modô amictum eſſe oportet. Qvòd enſe ſuc-
cinctum & cultrô ad improviſa munitum. Qvòd ternos aut minimùm binos
eqvos uno die, eòſqve pegaſidas, oris morigeri ac ductilis habere, ad de-
ſultoriam viciſſitudinem è feſſo in recentem aſſiliendi. 284 Non venatoris
inſignia, non geſtamina, non inſtrumentum enumerabo. Non genera ca-
num, non formas, non naturam, non educationem, non inſtitutionem,
non probationem generoſorum, non degenerum notas dicam. Non blate-
ronum atqve petulantium caſtigationem attingam. 285 Qvâ ratione fortaſ-
ſe fieret, ut opus à majeſtate tua locatum tametſi non mediocre, gratuitis
tamen fortaſſe acceſſionibus atqve additamentis cederet. 286 Omittam et-
iam, qvòd, ut pueris ingenuis pædagogi, ſic canibus generoſis cynagogi
ſui attributi ſunt. 287 Principiò igitur, ut accepi, cùm poſt coitionem il-
lam ſylveſtrem de cervi nece coactam & ſolutam, ad locum indaginis ven-
tum eſt à cohorte venatoria: princeps ille venator, qvi ductor eſſe canum
moderatorqve juſſus eſt, & penes qvem faſces, ut ità dicam, ejus diei eſſe
contigit: priuſqvàm paria canum reſolvuntur, ſtatuere ſolet, qvô locô
grandiores canes veloceſqve locandi ſint. 288 qvos licebit, cervarios voce-
mus: qvamvis eos in ordinem leporariorum lingva vernacula redegerit:
qvomodo & ſuarios lupariosqve qvi etiam cervipetæ, apripetæ, & lupipetæ
dici poſſunt. 289 Sic autem ferunt placita hujus juris prudentum, uſusqve
comprobavit, ut pernices illi canes atqve emiſſarii, ſtationatim collocen-
tur in locis abditis, latera procurſus cervini cingentibus. 290 Qvem pro-
curſum ad apertum locum ſylvæ, & veluti glabrentem, vel in ſylvam glan-
diferam proceram & illuſtrem pertinere oportet, ut natura habituſqve lo-
corum tulerit, qvà maximè veriſimile eſt cervum tandem tranſiturum:
qvia ea via forſitan fert ad amnem, aut ad aliud perfugium, aut ſtabulum
cervo notum & amœnum. 291 Juſtum eſſe ajunt ternas qvidem ſtationes
diſponere, ſed geminas: ſenos verò in ſingulis cervarios, hoc eſt, utrinqve
ternos, medius ut cervus tranſcurrens utrinqve ab ipſis urgeatur. 292 Senis
autem cervipetis (qvi terni, ut dixi, ex adverſo ſibi collocati ſunt,) latrun-
culi bini è numero miniſterii aſſignantur, qvos vos titularios appellare ſoletis,
qvi numellis eos cohibeant, qvoad cervus præterierit: tumqve demum à
latrunculis canes emiſſi, ilicet emicantes & improviſi, cervum tanqvàm ex
inſidiis territum adoriuntur. 293 Interdum etiam bini ternorum vicem ſup-
plent, ſi fauces procurſus longiores ſint, plureiſqve latrunculorum ſtatiun-
culas poſcere videantur. 294 Procurſum autem ipſum conſtitutum oportet

locô delectô, & qvàm fieri poteſt (ut diximus) apertiſſimô: qvippe in qvo ſylvaticum ſpectaculum editur vel principibus feminis vel proceribus, qvorum gratiâ interdum unius diei venatus comparatus eſt. qviqve per ſylvam evagari gravantur, aut cervum è veſtigio perſeqvi. 295 Perniciſſimorum porrò canum latebra primô locô ſtatuenda, & deinceps perniciorum ad ultimam procedendo, qvæ ipſa eſſe debet validiſſimorum atqve atrociſſimorum. 296 Id qvod ideò conſtitutum eſt, ut primi, qvi ſunt velociſſimi, præcipiti curſu alipedem ipſum exerceant: tùm deinde ſecundi primis ſuccedentes & accedentes, & tertii rurſus ſecundis, ſi qvatuor ſint ſtatiunculæ, fractum jam & exanimatum ad ultimos urgeant: ſiqvidem ad triarios, ut dicitur, res ipſa redierit, & manus ſupradictas cervus eluctatus ſit. 297 Hæc porrò manus non à tergo, ut aliæ, qvæ velocitate valent, ſed adverſæ feræ objicienda: qvia robore & ferociâ prævalens, ſiſtere eam poteſt, & morſu retinere, ceteriſqve lacerandam ocioſè præbere. 298 Ceterùm non cujuſlibet miniſtri latruncularium munus eſt. namqvæ niſi canes emiſſarii tempeſtivè emancipentur & appoſitè, extemplò inſidias fera ſuſpectans, ac tergiverſans, recurret, aut tranſverſô impetu aliqvà erumpet ex anguſtiis illis, ſicubi rimam nacta fuerit aut clauſtra curriculi perrumpet. 299 Qvòd ſi ſemel fecerit, nullâ vi poſteà ſubigi poterit, in eamdem ut curriculi naſſam vel caput ſolum inſerat. Id ne qvâ ratione eveniat, alariis aſtitibus latera procurſûs vos freqventare ſoletis. 300 Qvorum munus eſt, ſimul ut fera carceres curriculi ingreſſa eſt, eam vociferatu & eqvitatu utrinqve abſterrere, qvò ipſa intra ſepta curriculi compulſa, ad ultimum tandem ſinum fatalemqve irrumpat: cum regreſſus nullus ei pateat, propter aſſeclas illos qvadrupedes, vociferatores infeſtiſſimos. 301 Eſt prætereà ſupradicti venatoris, primarum partium actoris, ſubſidia canum veſtigatorum, qvi excurſores vocantur, opportunis ſtationibus deponere, miniſtriſqve committere. 302 Ad hoc autem ſunt decuriæ canum integræ comparatæ, qvas relictas appellatis, ut decuriis jam feſſis ſuccedant, aut temerè expatiatis: cervumqve qvi ſui furtum fecerit, ſi per ſubſidiorum loca veſtigia duxerit, recenti, venatu profligant & exanimenr. 303 Secundæ igitur tertiæqve manus excurſorum ea de cauſſa diſponuntur: ut ſi res ad ſubſidiarios aut triarios devenerit, ab ipſis venatus denuò inſtauretur. 304 Verùm hoc maximoperè cavendum, ne ſubſidiarii ipſi canes averſa veſtigia protinùs pro adverſis ineant: qvod tanqvàm in portu eſt impingere, averſaqve, ut ajunt, avi certamen auſpicari. 305 Cùm verò architectus ille, & inſpector arbitratorqve venationis, ſupradicta rectè atqve ordine diſpoſuerit, , qvaſiqve omnes ejus certaminis acies inſtruxerit, ad eum ipſe locum revertitur unde copulæ reſolvendæ ſunt, cervuſqve agmini latrabili ad excurſum objiciendus, & exponendus ad prædam. 306 Sic autem (ut comperimus) rem temperant, ut ab ipſo commiſſu venatûs, hortamenta primùm remiſſiora faciant: qvia canes ſuôpte ipſi impetu ab initio ardentiùs feruntur. leniter igitur venator cogere agmen flaccorum gentis debet, ſinereqve eos certa veſtigia legere. 307 ſimulac

mulac verò cervus longiùs in pedes ſeſe dederit, gyrosqve qvoſdam circumſcripſerit, ſolet primum per veſtigia ſua regredi, ut derelictæ ſtabulationis memor, æſtivorumqve ſuorum amœnitatem reqvirens, blandam atqve jucundam. qvam tamen poſtqvàm perſentiſcere cœpit ſe retinere ſine præſentanea certaqve nece non poſſe: tùm deniqve ſalutem illi qvaſi ultimam dicit, identidem reſtitans, & mœſtus ſolum vertit. 308 Eſt etiam cum præceleri fugâ ingens ſpatium ſylvæ præcipiens, exin arbitratu ſuô alias atqve alias in aliis ſtrophas comminiſcitur. 309 Poſcit autem ipſius venatoris officium, ut ipſe agmini illi clangenti atqve excurſorio, alleclam ſeſe eveſtigio præbeat qvoad fieri poteſt: Et ut vos dicere ſoletis, ut actus canini tractum inoffenſô tenore pereqvitet. 310 Actum appello verbô qvaſi veſtrô & ſaltuenſi, ſemitam, per qvam canes ipſi veſtigatores agere cervum dicuntur. 311 Sin ſalebrarum montiumve occurſu homo inhibeatur qvô minus id faciat, debet qvàm citiſſimè poteſt, aut circuitu aut flexu compendioſô canibus occurrere: idqve adverſô ventô tùm actum ab eo interciſum illicò repetere, qvi niſi ſub oculis identidem agmen ſuum habuerit, mendoſam eorum excurſionem emendare non qvibit. 312 At ubi conticuiſſe canes ſenſerit, aut incertas voces ambiguasve edere, metuere jam à cervi dolo malo incipit, aut ab hallucinatione canum veſtigia ejus legentium: ne aut ſemitâ exceſſerint actuariâ: aut venatum verterint, & cervum ipſum decumanum temerè pro qvolibet cervo dereliqverint. 313 Qvod ut comperire poſſit, receptui canere moris eſt, & retrorſùs, iterùm atqve iterùm ingeminare canorô vociferatu. 314 Fecerint porrò verſuram cervi canes, necne fecerint, hâc ratione qviſpiam maximè compererit. 315 Alicubi inſiſtat, unde canes arbitretur & obſervet commeanteis & remeanteis. Nam ſi dolus fugitivi in cauſſa eſt illius repentini conticinii, omnis canum caterva eôdem ſtupore affici videbitur. 316 ſin verſura temere à canibus arrepta eſt (qvod vos colligere qvaſi agglomerare permutationis actum dicitis) claſſis excurſoriæ ductores, & coryphæi caninæ ſymphoniæ, qvi ad hujuſmodi ſpecies uſu occalluerunt, actum verſuræ cum tironibus neqvaqvam exſeqventur. 317 Hujuſmodi enim excurſores vix unqvam nuncium remittunt prædæ ſibi ab initio deſponſæ ac deſtinatæ. 318 Errore igitur intellectô actuarius venator eos retrò inhibitos reducet, unde repetere priſtinum actum certiùs legitimumqve poterunt, cum clangore ſymphoniaco. 319 Aut ſi error dolô ferinô admiſſus eſt, unde eos in gradum, ut ita dicam, reponere legitimæ excurſionis, ex adulterina aut ſubdititia poterit. 320 Ecce autem rurſus aliud atqve aliud incommodum, qvod ſæpenumerò negocium illis exhibet, & qvaſi vitium auſpicantibus affert. 321 Canes ſic errore aut fraude lapſi, in integrumqve ſubinde reſtituti, in errorem nonnunqvàm denuò æqvè gravem impingunt, averſis ungulis venarum illum ineuntes repetitum: totâqve adeò ſylvâ, qvaſi toto cœlô (qvod ajunt) aberrantes, excurrunt, nonnunqvam huc illucqve tranſverſi rapiuntur, ferarum gregariarum ſeqventes veſtigia, aut cervorum etiam qvorumvis abgregatorum, qvibus ſylvarum ſemitæ tramitesqve referti ſunt. 322 In qva ſpecie

cie non modò venatore circumſpectô, ſed perſpicaci opus eſt, qvi fugacis feræ veſtigia ungulata colligat cernuus ex ephippio, vel eqvum habenâ poſt ſe trahens: alioqvin inter artis magiſtros prævaricari per inertiam dicitur. 323 Et qvidem ut in cane vulturina ſagacitas, ſic acies aqvilina in venatore neceſſaria. 324 Jam verò unius ejuſdemqve cornigeri veſtigia ſolcata, odorata, cubiliaria, ſedentaria, & curricularia, non eadem, non paria, non ſimilia ubiqve ſunt: ex qvo alia rurſus exiſtit nec modica difficultas & erratio. 325 Interdum enim evenit, ut ſelectus cervus, nactus viam qvampiam ſqvallidam & pulverulentam, tùm diu, tùm longè per eam veſtigia faciat: in qvo canum ſagacitas cum experientia fallitur. 326 Nam præterqvàm qvòd canes tùm exiſtimant cervum viam ab hominibus tritam vitâſſe, in denſaqve & avia penitùs ſe condidiſſe, ob idqve viâ tritâ decedunt: exilis qvoqve admodùm odor & fugax, in locis illis hæret glabris, & ſqvallore pulvereqve obſitis: cùm alioqvi ſolis ardor in univerſum omnem ſtatim humorem in qvo veſtigii odor hæret, haurire & abſumere ſoleat. 327 Contrà in locis herbidis & in vepreculis odoratiora ideò ſunt veſtigia, qvòd non ſolo tantùm pedum, ſed & cruribus, & corporis affrictu, veſtigiaria ſemita odorata remanet. In locis etiam opacis odor minùs fugere ſolet. 328 Jam paſtores loca in ſylvis calventia, & retorridis herbulis ſcabriſqve virgultis obſita, ob id ſæpe incendunt, ut ex ſolo concalefacto herbida ſeges exoriatur, qvæ armentis perutilis eſt. Ita cùm per buſta (ut ſic dixerim) illa, recentibus adhuc favillis cervus viam fecerit, canes odore fuliginis offenſi, ac crebrò ſternutantes, veſtigationem deſerunt. qvi ſi etiam ipſi ibidem pertolerârint, tamen odorari veſtigia neqveunt, hebetante utiqve ſenſum & prævalente odore fuliginoſô. 329 Hoc ubi venator actuarius animadvertit, lacunam illam (ut ita loqvar) veſtigiorum, circumactu vitare debet: deinde interciſam veſtigii ſemitam ſarcire, & actum repetere: duntaxat niſi cervus in ſua retrorſus veſtigia ceſſerit. 330 In ſumma autem addubitatione harpocratidem illum labeonem è numella venator ipſe conſulit. qvem therelenchum ſuprà ab indicio feræ diximus. qvi qvaſi qvidam antiſtes Dianæ, non voce, ſed caudæ verberatu atqve murmure & gannitu dare reſponſa ſolet: non flexiloqva, non ambigua, omniqve veſtigiali argumentô indiciôqve certiora. 331 Solet etiam in hujuſmodi caſu ductor ipſe agminis ac moderator actus, cùm fera per detrectationem ac dolum abeſt, & buccinæ canoræ & inclamatu palabundos canes, ſocioſqve ludicri & miniſtros jubilatu evocare, & celeuſma reqviſitorium edere, qvod vos reqveſtam, ut opinor, canere appellatis. 332 Id eſt fermè perinde, ac ſi juriſconſultorum verbô dicerem, cervum reqvirendum adnotare, ut delatum ac reum doli mali, buccinæqve præconiô pervulgare furtum ſui feciſſe. 333 Tùm autem operæ eſſe putant precium, caninum comitatum, ſqvallore, fervore, laſſitudine confectum, ob idqve imperia hortamentaqve detrectantem, qvæſitô fonte recreare: ibiqve pane & qvaſi curandis corporibus reficere: tùm cornuum clangore alacritati reſtituere, plauſu & blandimentis ad venatum ab integro ineundum

exuſcitare. 334 Intetim etiam, ut opinor, actum à capite denuò arceſſere. qvaſiqve ad carceres revocari excurſô penè ſpatiô. 335 Mos verò cervorum eſt, cùm profligatos ſe ſentiunt & exagitatu enectos, aut (ut vos dicitis) durè & atrociter actos, ſylvarum opaca relinqvere, atqve in campeſtria ſe conjicere. interdum ad vicos villaſqve propiùs accedere. qvod ferè non antè facit, qvàm animum deſponderit, omni ſpe depoſitâ ſolennium perfugiorum. 336 Eô tamen pactô ſæpe evenit, ut canibus ſe ſubducat. in campeſtri enim planitie, lociſqve proſciſſis & in vervactis, & verò in novalibus, tractus veſtigiorum non æqvè odoratus eſt, ut ſuprà dixi. atqve in vepribus & in ſylvarum cæduis. qvia ſoleata tantùm veſtigia relinqvuntur exiliterqve odorata, nullo nec crurum contactu nec corporum. In recens autem inaratis eô amplius negocium exhibet canibus odor ſoli ſubacti. 337 Sed tùm venatoris eſt officium nec inertis nec prævaricatoris, oculis veſtigia in mollibus locis legere: tùm canum langvorem impetumqve ſeneſcentem hortatu claſſicôqve ſylveſtri erigere & renovare. 338 Verumenimverò & venatoris ipſius, & canum calliditas & ſollertia, & ut vos appellare ſoletis, ſapientia, in verſuris extricandis, & in emendanda canum hallucinatione, maximè vendibilis eſt, ut ſi in ulla venationis parte. 339 Verſuræ duplicem modum eſſe ajunt. unum, ſi cervus ſelectus & curriculo diei præſentis deſtinatus, aut ſatellitem ſuum, aut vegrandem alium cervum, ſimonibus illis pediſſeqvis ſuis objecerit qvaſi pro ſe piacularem hoſtiam: tùmqve intortâ vertigine impoſtoriâ protinùs ſe ſubduxerit. 340 In qva, ut ſuprà dictum eſt, ſpecie, venator peritus & veterator, non temerè fallitur, ſi modò canes prætereunteis obſervaverit, aut eorum tantùm clangorem exaudierit. 341 Qvippe omnium cervi aſſectatorum voces notas habere debet, eorum præcipuè qvi claſſis ductores appellantur, & naris emunctioris eſſe noſcuntur. 342 Vos ſermone ſylvaticô fauces & actum cujuſqve canis noſſe venatorem dicitis. 343 Alter modus eſt, ſi decumanus, qvi primum qvemqve cervum in venatum, aut paraſitum ſuum in diſcrimen, qvaſiqve in reatum tranſcripſit, ſocium fugæ ſeſe tranſcripto illi adjunxit. 344 Qvod idcircò interdum facit, qvô majore ſtupore & perplexiore venatu homines caneſqve afficiat atqve implicet. 345 Id qvod ubi accidit, dicere (ut opinor) vos ſoletis, legitimum actum unà ferri cum verſura. 346 Hujuſcemodi impoſturæ duas indices notas minimè ut perhibent, fallaces, à technologis venationis proditas eſſe comperi. 347 Si compertæ fidei auriti excurſores nec vaniloqventiæ qvoqvô modô ſuſpecti, repentè ita inſiſtant, ut nec progredi videantur nec regredi, ſed qvaſi ſtare in veſtigio. aut ſi porrò ita agant, ut inerter id ſe facere ac ſine ſpe præ ſe ferant, ob idqve vocem baubantium non edant: nimirùm qvos veluti deprehenſos pigeat & pudeat incaſſum porro progredi, qvaſi per calliginem. 348 Is caſus etiam præſentis conſilii hominem poſcit, qvi ſtrategematibus aliqvando venaticis documenta luculenta ſollertiæ ſuæ dederit: qvi in eodem (ut dicitur) veſtigio, conſilia expedire ſtrategematica, alia atqve alia poſſit. 349 Poſtremò cervus exercitus & jam fatiſcens omnibus com-

commentis fugæ ac præſidii conſumptis, ſolet (ut antè dictum eſt) aut flumen aut ſtagnum perqvirere, in idqve ſe ſaltu conjicere. Qvod interdum refrigerandi cauſâ facit, ſæpiùs tamen Nympharum ædem qvaſi aſylum ultimæ ſpei & deploratæ petens. ob idqve inde plerumqve non niſi captus ejici poteſt. Ibi autem modò adverſâ undâ, modò ſecundâ fertur. 350 Qvò cùm venator feſtinus & curriculô venit, imprimis animadvertere ſolitus eſt qvô locô cervus in flumen inſiliit, locumqve animadverſum deſtrictâ fronde, aut humi ſtratâ notare, aut ex arbore ſuſpenſâ. 351 Reliqva jam vix memoratu digna, qvæ in utraqve ripa facienda ſunt. qvibus modis innatans corniger urgendus ſit & lancinandus. qvomodo fugitivus enatator perſeqvendus, ſi ulteriorem ripam ſuperaverit, aut ſi per citeriorem retroceſſerit. 352 Proinde cùm è ſylva in flumen, Here, & ad locum ſupplicii cervum ipſum qvaſi reum peractum damnatumqve deduxerimus : ad cataſtrophen (ut opinor) actus priùs qvidem comici, poſteà verò tragici & capitalis, pervenimus. 353 Iſtam verò (Rex inqvit) Budæe, vel artis vel hiſtoriæ venationis commemorationem, ſic fermè tu orſus es, ut Homerum audivi Trojanum bellum exorſum eſſe. ſive ita res nata tulit fortè fortuna : ſive id à te actum eſt, aut idoneam ob cauſſam ut ille maximus auctor fecit : aut qvod magis cenſeo, ut tot rerum nomenculationis compendium faceres. 354 Qvod tamen conſilium ſi ſecutus es, qvo uſqve tibi lucri ratio conſtet, tecum ipſe videris. nam ego verſuram etiam ſolviſſe te arbitror, in explicandis illiberaliter & gravatim lingvæ tuæ copiis. 355 Non inauditas autem tibi, aut aliàs non cognitas reliqvas qvoqve partes hujus artis arbitror, qvi ſupradictas noveris. 356 Qvanqvàm à te invito non magnoperè jam contendam, ut uſqve ad umbilicum (qvod dicitur) & extremam coronidem progrediàre, ſi id ipſe ultrò facere gravabere. 357 Tute verò videris ecqvod ulterius etiam ſpecimen ſui, qvaſiqve imperatæ operæ corollarium, præbere Latina Lingva in hoc genere poſſit. Rem enim ferè tenes (ut video) totam. 358 Digitis (inqvam) Here, fortaſſe primoribus. 359 Immò verò (inqvit) perceptam ſatis & comprehenſam, ut ab homine qvidem in diverſo foro aſſiduè negotiante. 360 Atqvi (inqvam) Here, vereor, ne in his paucis, qvæ dixi, fanda infandaqve dixerim : qvi in regiam palæſtram imprudens primum ingreſſus, deinde humanitatis tuæ illecebris provocatus, diſſerere auſus ſim de muneribus ipſorum palæſtritarum. 361 Qvi ſi etiam porrò appendices ſupradictorum acceſſioneſqve attingere te jubente cogere, è ſuperiore illa hæſitantia, in qva vereor ne indecorè conflictatus ſim, ad infantiam fortaſſe redigerer. 362 Nam qvis antiqvis & probis verbis exprimere vel ſummas rerum poſſit, qvas vos copioſiſſimè eloqvi & explanare ſumma cum ſermonis venuſtate & dignitate noviſtis? 363 Et qvoniam egregii cervi & ſpectandi, cornibus maximè inſigniti ſunt (video enim qvid hiſce verbis tuis agatur) ab ea parte exemplum ſumam ex qvo conjectura logodædaliæ veſtræ in univerſum fieri poſſit. 364 Primùm exuvias illas anniverſarias, qvibus orbati latent cevi, qvaſi honore

nore atqve inſigni amiſſô : non cornua ut Latini, ſed caput, qvaſi decus ferinum appellatis. 365 Qvod cùm ſignificare venatores eximium eſſe atqve honeſtum volunt, ab eoqve cervi ſpectandi atqve memorabilis judicium indicaturamqve facere, Capite (inqviunt) præditus eſt commodè natô, compactili, concinnô, rectè, ordine decenter conſtitutô : hancqve cenſuram his penè verbis faciunt ſigillatim æſtimantes. 366 Stipitem enim corneum qvam vos materiem dicitis, aptè ajunt erumpere è molis ſuis & exiſtere : qvæ ſedimenta ſunt cornuum; tùm tabulata ipſa fruticantia è molis concinnè in ramos eſſe expanſa. ſcapos è caudice proportione enatos : è ſcapis porrò cornicula producta in mucrones congruè deſinere : non contractiora ipſa qvàm juſtum eſt, non diffuſiora, non abſurdè confornicata. tùm probè clavatum eſſe caput, & congruenter patulum, & æqvabili fruticatu decorum : materiam autem ipſam caudicis, pulchrè ſulcatam eſſe, atqve inter ſulcos ſtrias ve (qvas vos qvaſi colliqvias appellatis atqve ſtillicidia) ſcabritiem eminere æqvabiliter unionatam : qvod mihi verruculoſam ſignficare viſum eſt. 367 Tam multiplici varietate vocabulorum atqve etiam aliqvanto numeroſiore, decus illud cervinum coagmentare à majoribus inſtitutum eſt. 368 Qvod mirum eſt id animal qvotannis exuere qvaſi vernationem, reſtibiliqve ſobole velut materiam recidivam paucis menſibus in integrum reſtituere, qvemadmodùm & ipſum ex macie hyberna, ac tabe libidinoſi temporis ſub menſem viciſſim Majum citò in corpus ire è gregariisqve catervis ac locis abditis & abſtruſis, in qvibus delituit, emigrantem, in loco delecto ſtabulari, undè commoda & propinqva ſit pabulatio, illicqve velut in æſtivis inſtaurativum decorem ac ſaginam recipere. 369 Rurſus ad decimum octavum Cal. Octobris, cervos libidinari incipientes, catulientium cervarum concilia qværere, & velut ad forum Veneris undiqve convenire. 370 Qvô tempore ſi cervum venandum qvis duxerit, indagandi ratio mutanda eſt. 371 Neqve enim à circumſcripta indagine venandi initium faciunt, ut ſolenni tempore, qvoniam rabie pruriginis admiſſarii efferati, & canes & homines atrociter invadunt cùm primùm aſpexerunt. 372 Rancere ficticiâ voce tunc dicuntur. Rancentes autem ololygones (ſic enim tum vocantur) diluculô venator ſecundô ventô exaudiens : decumanumqve eſſe rancore dijudicans, aut alias memorabili magnitudine : eò decurias canum admovet, indagatore numellatô venatûs auſpicatum præeunte, ut ferè aliàs ſolet. 373 Libidine autem flagrantiſſimâ admiſſarii ad menſem agitantur. Deinde paulatim deſævientes, alterum paulo minus menſem abſumunt. 374 Hâc habitudinum viciſſitudine nunc flaccentes, nùnc ſtrigoſi : tum evaleſcentes, tum obeſi : alias corniculoſi & ſublimes, aliàs mutili & inermes, & tanqvam pudibundi. 375 Apri etiam (ut opinor) circa Cal. Decembris ſubantes ſues ſectari ſolent indeqve callum obducere venabulo qvoqve refractarium. 376 Unum penè præterii, qvod eſt venatori neceſſarium, iisqve qvi aſſeclis ſymphoniacis inflare eqvô vehentes inſtituunt, ut inſignia loca ſaltuum, ferarumqve conventicula noverint : ut trivia & compita ſylvarum, qvaſi Fauni ac Sylvani memoriter

ter recenſeant: ut amfractus eorumqve circuitus & compendia tanqvam digitos ſuos teneant: ut deniqve velut arenæ ſuæ omnes angulos,diverticula,anticos & poſticos exitus & meatus notos habeant. 377 Qvod mihi cùm ſemper perdifficile viſum ſit,tibi adeò facile eſt,ut cohortis venatoriæ principes audierim ſupra alia eô nomine maximoperè te admiranteis: cùm dicerent ſic ad hoc te factum eſſe, ut non minùs qvàm ſylvicolæ & ſaltuarii ſylvas notas haberes, qvas qvidem iterùm modò aut tertiùm certè venando perluſtrâſſes: cùm tamen jam omnes penè regni tui egregiè nemoroſi, ſaltus magnos permenſus eſſes. Inſignium porrò ſylvarum in qvibus freqventior eſſe ſolitus eſſes, non modò juga nobilia, aqvationes, & ſtabula decumanorum, nympharumqve domicilia: ſed etiam najadas (ut ita dicam) ipſas & oreadas, hamadryadaſqve penè in numerato haberes, qvæ qvidem inſignes eſſent. 378 Ceterùm hora eſt jam, ut opinor, Here, ut ex hac ſaltuenſi opacitate emergam, ac poſt tantam digreſſionem, eò qvod agebamus, redeamus. 379 Eſto ſanè, Rex inqvit. Nam ut tu è medio tuo ſtudio in curriculum noſtrum me auctore ingreſſus es: ſic & ego libens in campos illos eloqventiæ hinc egrediar, ad ſpectandam illam indagationem inventionis, atqve elocutionis oratoriæ, qvam ego ſemper, etſi non viſam, admiratus ſum, ut qvidem eam audio à vobis commendari. 380 Nos verò viciſſim (inqvam) Here, admirari cum plurimis ſolemus, tam tibi artem inveniendi, qvid dicas, familiarem eſſe, in cujus ludum ſcimus nunqvam te ventitâſſe. 381 Qvanqvàm qvod ad me pertinet, ego longè magis ſuſpicio elocutionis facultatem in oratione tua conſpicuam & luculentam, qvantum qvidem eſſe poteſt in lingva vernacula. neqve nunc de oratione extemporali aut ſermone qvotidiano loqvor. 382 Auditor ſæpe fui ſpectatorqve è propinqvo panegyricorum tuorum: in qvibus inventionem propemodùm Carneadeam, tropi oratorii & figuræ verborum ſententiarumqve, non artis illa qvidem præcepta, ſed prudentiæ communis qvædam velut dictata, copioſè exornabant. 383 Ex qvo tibi evenit, nunqvàm ut qvidqvam publicè perorando, aut à populo, aut ab eqveſtri ordine gentilitioqve contenderis & patritio, qvod non illicò expromptum, ſecundiſqve animis & pronis abſtuleris. 384. Nec verò hominum doctorum judiciô, non dico Rex ullus, ſed omninò poſtulator, aut princeps, aut alius à regibus allegatus, noſtrâ fuit ætate, qvem in ejuſmodi genere æqvè atqve tuam majeſtatem palæſtra oratoria, & (ut ita dicam) Attica, in pulpito commendârit. 385 Enimverò (Rex inqvit) jamjam me (ut opinor) ſubpœnitebit, qvòd tibi ſylveſtri indagine deprehenſo retia ſubmiſerim: unde te citò egreſſum, eqvitem ut video pedes ipſe provocavi in hunc campum. 386 Etiamne (ſi divis placet) eloqventiæ inſtrumentum, veſtem, copias & ornamentum Budæe, orationibus meis nudis & jejunis accommodâſti? etiamne me iis uſum è ſuggeſtu regio perſvadere mihi ſperâſti? cui ne ad inventionis qvidem,qvos appellatis locos, accedere unqvàm contigerit, ne laciniam qvidem veſtis eloqventiæ primoribus digitis attingere? 387 Vide verò Budæe, vide, inqvit, ne tibi fortè plus

 tribuas,

tribuas, atqve ſumas qvàm regiæ licet poteſtati. 388 Ibi ego ſubitò metu perfuſus, qvaſi ſupra crepidam ſutor, aut ultra cleplydram orator, qvippiam ipſe dixiſſem, Qvônam modô (inqvam) Here, obſecro te ſuppliciter, ſi qvod verbum mihi imprudenti excidit, id ne vertatur in culpam arrogantiæ, qvam etiam inter mei ordinis homines ſemper averſatus ſum. 389 Qvia memini (inqvit) cùm de ſcripto aliqvando mihi litterarum favorem ornamentaqve commendares, dicere te, Tempus veniſſe cùm ego poſſem magnos poëtas & oratores facere: id qvod tu inſtar eſſe creditorum olim ajebas numinum Apollinis atqve Muſarum. 390 Nullum enim præſentius numen eſſe excitandis hominum ingeniis, inventioniſqve fervore & elocutionis vi afflandis, beneficentiâ atqve honorificentiâ: qvorum numinum potentes eſſe imprimis reges Franciæ, ut ſi qvem alium divorum mortalium. 391 Amplum igitur ego eſſe putabam & regium, è permultis hominibus ingenioſis, qvi diſcipuli diu Minervæ illius elegantioris liberalioriſqve fuiſſent, paucos me poëtas oratoreſqve poſſe efficere: at tu tibi hoc ſumere non dubitâſti, ut me, cui in pueritia tantùm diſcipulum eſſe litterarium contigit, mirificâ illâ donares facultate, qvam ex omnium pene diſciplinarum compage recordor te non pridem coagmentâſſe. 392 Qvâ liberalitate ac largitione privatâ, omnem haud dubiè regiam munificentiam ſuperâſti, divinam etiam beneficentiam æqvâſti: ſi qvidem donum tuum ratum futurum eſt hominum non imperitorum opinione. Qvod ſi fore conſiderem, delphici illius oraculi inſcius aut aſpernator eſſe (ut opinor) dicerer. 393 Tum demum ego, pavore illô inani ſed vehementi poſitô, recreatus, Enimverò, Here, inqvam, ſi meum hoc donum eſſet, mihi videndum eſſe ducerem, id ut proprium tibi perpetuumqve futurum ſatiſdato promitterem. 394 Exiſterent autem ultrò homines multi locupletes, eorumqve partim mihi amici, qvi cauſſâ meâ & publicâ fortaſſè, id fide ſuâ apud te eſſe juberent, qvod compertum haberent ipſi & exploratum: prædes etiam ipſe fortaſſe tibi darem, orationes qvaſdam tuas panegyricas: qvas aſſervari à qvibuſdam ſcio, qvi eas vel exeperunt, vel ab aliis exceptas utendas rogaverunt & deſcribendas. 395 Nunc cùm hoc elogium publicam cauſſam habeat atqve auctoritatem, ut ipſe gratiam eô nomine falſam inire nolim, nec te mihi privatim acceptum id referre poſtulârim: ita cauſſa nulla eſt, Here, qvamobrem eô nomine ſolus periclitari debeam: cùm omnes aut docti, aut aliàs cordati, qvi qvidem te pernoverunt, communiter id tibi detulerint, repromittereqve eô nomine parati ſint: eorum verò permulti jure id jurando & exiſtimatione ſuâ cavere. 396 Et tamen qvatenus in cauſſa univerſorum, ſingulorum qvoqve cauſſa implicita videri poteſt, ipſe qvod ad me res attinet, præſtare non recuſabo, id tibi per doctiſſimum qvemqve & noſtrorum & exterorum (duntaxat nec nobis iniqvorum, & qvi nôſſe rem, qva de re agitur, potuerint) ratum, firmum, non controverſum futurum, qvod publicè delatum eſſe dixi, privatimqve à ſingulis. 397 Heſiodo fides habita eſt ſe à muſis edoctum eſſe, poëticâqve facultate donatum, cùm greges ipſe paſceret ſub

monte

monte Helicone: non credetur tot teſtibus, tam idoneis, populorum te paſtorem, ut reges appellare ſolet Homerus, & regiam genituram ſortitum, animâ divinitùs eſſe donatum, eâ, qvam diximus, dote præditâ, atqve etiam ampliore? certè naturæ largitionibus an fortunæ ditior ſis & beatior, non facilè eſt perpendenti exiſtimare. 398 Ad naturæ liberalitatem acceſſit accurata meditatio. tùm dignitas oris & majeſtas, non regia modò & perſonata: ſed etiam inſignibus poſitis ſemper hærens, multum ad facundiam innatam addit. 399 Jam qvæ puer in ludo labris primoribus deguſtâſti, qvæ adoleſcens in educatione principali, qvæ deinde Rex audiendis & regiæ tuæ & regni neſtoribus in deliberationibus rerum magnarum, deniqve qvæ ex ſermocinationibus gravibus dediciſti, atqve ex hominum peritorum cujuſqve artis auſcultationibus, mirum qvantum additamenti ad naturæ prolixitatem liberalitatemqve attulerint. 400 Qvos enim differenteis explanatè de re qvacunqve vel ſemel audiviſti, hominum qvidem facundiam, rerum ſcientiam in meditatis orationibus refers, & non leviter in extemporalibus: litterarum verò bonarum, omnis hiſtoriæ probæ ac receptæ fidei, univerſæ auctoritatis & ſapientiæ priſcæ admiratio, in auribus tuis (niſi fallor) atqve etiam in pectore defixa eſt cùm noſtrâ fortaſſe aliqvatenus, tùm aliorum ſedulitate, qvæ alimenta ſunt ipſa, & ſangvis, ſuccus, animaqve eloqventiæ. 401 Deniqve Heſiodus idem homines qvoſdam in ſanctiore naturæ officina factos eſſe dixit, qvi ipſi per ſe ſine magiſtro intelligunt, qvæ dictu & factu potiſſima ſunt. Qvorum obſervatio (ut Cicero inqvit) atqve imitatio, artem oratoriam peperit. 402 Adde qvod Plato in Sympoſio dixit, qviddam medium eſſe inter ſcientiam rerum atqve inſcientiam. Ut enim (inqvit ille) ſciens dici non debet, qvi rectè de re aliqva opinatur, ſed tamen rationem ſcientiæ non adeptus eſt, ut ſunt artium profeſſores: ita neſcius vel inſcius dici jure non poteſt, qvi rei veritatem aſſecutus eſt, & rectè de ea cenſet. Id qvod & judicium ſingulare & prudentia eximia tibi dant qvotidie, qvæ in dotem, ut vocant Juriſconſulti, profectitiam, naturæ tuæ magnam partem ceſſerunt, & porrò locupletata ſunt poſtea auctu adventitiô. 403 At litterarum doctrinam (inqvis) non niſi puer attigi. Non igitur arte ullâ civili ita caruiſti, ut regiæ unqvam tuæ majeſtati, intelligendi dicendiqve facultas defuiſſe videatur: etiamſi ars ipſa abfuit, qvam diſciplina parit? adeò qvæ magnô à multis parantur, in te naturæ plenâ manu inſita ſunt, & cùm ætate adoleverunt. 404 Verùm qvòd liberalitatem meam plus qvàm regiam, qvaſiqve profuſam eſſe dixiſti, & majorem privatâ largitione, velim, Here, rem ipſam ut intelligas qvò pertineat, ne gratuitam ipſam fortè & projectam liberalitatem eſſe putes, hominisqve parum frugi, nec ſeſe reſpicientis. 405 Malo enim modicam à te gratiam, eamdem veram & ſolidam, qvàm multam illam qvidem, ſed falſam & inanem inire. 406 Qvorſum tandem (Rex inqvit) iſtam tuam pertinere vis immenſam erga nos facultatis donationem? 407 Ut hanc eloqventiæ facultatem (inqvam) cujus ego patrocinium apud tuam majeſtatem atqve benignitatem recepi,

atqve ſuſcepi, cognatam tibi primùm, Here, deinde agnatam intelligas; uſuſqve multiplicis neceſſitudine conjunctam. 408 Qvod ſi tibi perſvaſero, noſtra utiqve Philologia, qvæ ejus olim ornatrix fuiſſe, hodie inſtauratrix atqve interpolatrix eſſe meritò exiſtimatur, dote ſuâ te ſuperſtite non ultrà fraudabitur: id qvod hâc maximè (ut ingenuè fatear) ſermocinatione agitur. 409 Non de nihilo erat igitur, inqvit, neqve temerarium, qvòd mihi illa ornamenta eloqventiæ induere conatus es, ſi tibi humeros & brachia præbere voluiſſem & expandere, in qvibus ego videbam ſedere illa ipſa non poſſe. 410 En illa mihi eloqventiæ inſignia, ſenatuſconſultò doctorum atqve intelligentium decreta atqve delata. nempe ut in familiam veſtram adoptari me ſinerem, in communemqve cauſſam tuendæ Philologiæ veſtræ, & venuſtioris iſtius Minervæ ornandæ, vobiſcum incumberem. Ita tua illa qvæ profuſa mihi videbatur largitio, multum frugalitatis habuit & proſpicientiæ. 411 Nam ſi tibi me, aliiſqve, magis de me credere qvàm mihimetipſi perſvaſeris, in aſſe veſtro fortaſſe atqve veſtræ Philologiæ, ego qvadrantem meum aut ſextantem agi exiſtimabo. 412 Atqvi, Here, (inqvam) ſi tuum faſtigium & eloqventiæ natales diligenter conſideràris, è re atqve exiſtimatione iſtius majeſtatis eſſe arbitrabere, tuendæ qvidem atqve alendæ Philologiæ nobis partes relinqvere: tibi verò ejuſdem commodis augendæ, honoribusqve illuſtrandæ officium, ut æqvum eſt, ſumere. 413 Id verò tùm (ut ſpero) facies, cùm litterarum bonarum profeſſionem: qvæ nunc ſine nomine, ut ante dictum, ſine cenſu, ſine lare eſt publico, nominatiſſimam omnium profeſſionum clariſſimamqve reddere, pleniùs in animum induxeris. 414 Id qvod negare nobis non poteris æqvitate tuâ diſceptatrice, cùm te in familiæ noſtræ patronum, decus atqve columen, honoris tui cauſâ, ac bene volente (ut ſpero) eloqventiæ numine, adoptârimus. 415 Nam ſi humanitate tuâ nobis atqve omnibus notâ non dico diſceptante ſed tantùm auſcultante, qvaſi judicium æqvi & boni tecum conſtitui patiâre, qvid cauſſæ eſt qvô minus exornatoris Philologiæ noſtræ perſonam tibi indui ſtatim velle debeas: cùm mihi perſonam venatoris pro imperio impoſueris? 416 Qvæ cùm ipſa Philologia, cognomentò Callilogia, parens ſit & nutrix eloqventiæ, qvam Homerus * κυδιάνειραν vocat, ut hominibus decus & illuſtrem famam conciliantem: parum ex animi tui ſententia feciſſe mihi videris, ut in ejus patrocinio atqve defenſione ſextantem tuum agi diceres: cùm tibi non ſenus modò cauſſæ, ſed as totus periclitetur, ſi rectè animum tuum novi. 417 Qvi cùm ſis rerum humanarum intelligentiâ, exiſtimatione, atqve æſtimatione eximiè præditus, pluris utiqve ſextantem propriæ & perpetuæ hereditatis atqve etiam ſemunciam facturus es, qvàm dextantem bonorum poſſeſſionis, jure civili magis qvàm honorariò adipiſcendæ, nec diu retinendæ. 418 Nôſti autem qvi magiſtratus rei litterariæ, qvi prætores urbani & peregrini, & domi & peregrè jus dicere de hereditate ejuſcemodi poſſint. 419 De eo (inqvit) cùm licuerit, Budæe, & va-

* Iλ. α. v. 490. δ. v. 225. μ. v. 325. ν. v. 270. ξ. v. 155.

vacârit, iterum viderimus: nunc ad indaginem illam tuam revertere. 420
Si vis illa (inqvam) igitur, Here, inveniendi, qvam ingeniorum apex Homerus, hominibus ut propriam & peculiarum tribuit, tàm certa in nobis eſſe poſſet, qvàm eſt in ſagaci illo genere animantium veſtigatio, præſertim adjuta venatoris prudentiâ præſagiente, minùs omnino homines in inventione peccarent & laborarent. 421 Nunc adminicula qvædam artium priſci excogitaverunt, naturæ qvidem illa infirmitatem fulcientia, ſed uſus non admodùm tractabilis, & ſæpe infeliciter cedentis. 422 Nam ut ars naturæ ſit aſſecla qvodammodò atqve æmula, non tamen eſt eò uſqve, ut naturæ ſit æqviparanda. 423 Qvidnam eſt igitur (inqvit Rex) qvod audire memini cùm diceres, vim omnem eloqventiæ in inventione poſitam eſſe, & in elocutione: atqve earum utriuſqve artem fuiſſe mirabilem antiqvitùs inventam, ab Ariſtotele digeſtam, celebratam & pertractatam: à Cicerone probatam & in compendium redactam. Omnia prætereà ejus artis indagine qvâdam circumſcripta & obſepta, vix ut qvippiam indagatorem acrem fugere poſſit? 424 Qvippe rebus inveſtigandis locos eſſe numeratos ac demonſtratos: & cùm notas rerum indices, tùm terum ipſarum ſedes domiciliaqve inſignita ſigillatim & univerſim: qvæ omnia in monumentis extare antiqvitatis ajebas. 425 At verò elocutionis multò majores copias eſſe: artem penè infinitam, nullis certis coercitam finibus aut pomœriis. 426 Porrò autem ad perdiſcendas artes ſingulas rationem qvamdam eſſe proditam: qvam viam (ut opinor) dicebas à priſcis apellatam: etſi nomine Græcô utebâre, ſed idem ſignificante. Unde intelligi volebant, omnia, qvæ ad diſciplinas ſpectarent, in inveſtigatione eſſe poſita, hominesqve ipſos artium auctores, inveſtigatores fuiſſe. 427 Qvæ ſi verè à te dicta ſunt, & ego probè commemini, non video qvid obſtet, qvò minus ars illa inveniendi tàm commodè digeſta in parteis atqve deſcripta, qvaſi dux qvædam certiſſima, diligentiſſimo cuiqve eidemqve perſpicaci viam ad rerum inveſtigationem præbeat, in qvali illa cumqve jaceant aut condita ſint latebra. 428 Similiter atqve tute nuper ajebas, labeones illos noſtros inqviſitores, & flaccos ſagacitate & experientiâ præditos, nullas fugere poſſe odoris reliqvias, vel ſaltuatim tantùm, ſummiſqve ungulis impreſſas. Evolvere enim eos ſolere veſtigiô duplicia, multiplicia, recta, prava, contorta, claviculata, perplexa, deniqve in orbes circumacta qvamlibet implicatos. Et verò eâ vi inveniendi tandem non deſtitui, ne ſi ſubdititius qvidem cervus aliqvantiſper interdum pro ſelecto cervo fallere inſtiterit, ad curriculum deſtinato. 429 Iſtarum qvidem rerum (inqvam) Here contentio, non tantum inſtar habet, meâ qvidem ſententiâ, qvantam ſimilitudinem præfert. 430 Præſagire uſus Latinè loqventium vocat, cùm mens humana aliqvid futurum indiciis qvibuſdam conjecturiſqve providet, aut ſe providere putat, at conjectantis animus fallaces ſæpe notas ſeqvitur, cùm interim ſagacitas illius gentis flaccorum rarò à notis ſuis fallatur, ut qvæ naturâ conſtet ſimul & experientiâ. 431 Nec verò canum cujuſqve generis

familiæ ſagaciores, veſtigia tantùm ferarum odorantur, ſed feras, & perdices, & lepores: eorumqve recentia cubilia perſentiſcunt è longinqvo, utpote adverſô ventô eorum odorem captantes erectis naribus & exſorbentes. 432 Eqvidem ipſe ſæpe admiratus ſum perdicarios & campeſtres, qvum curſu præcipiti in longum contendere ſpatium eos cernerem, non aliter atqve ſi objectam prædam oculis ſeqverentur, qvoad viderem emicanteis inde & evolanteis perdices, qvò illi contenderant. 433. Qvocirca artis ad naturam eſt qvædam imitatio, non æqviparatio. Sunt enim longè uberiores * venæ naturæ atqve capaciores, qvàm loculatæ illæ ſedes artificis inventionis. Magiſqve eſt ars naturæ felicis & beatæ accurata adjutrix ad delectum, ſi qvid hac in re mei judicii eſt, qvàm ad copiam prolixa ſuppeditatrix & magnifica. Ad eundem fermè modum, qvomodò ii qvi in foro olim pragmatici dicebantur, magnos oratores eloqventeſqve adjuvabant in cauſſis ipſis orandis. 434 Arti autem qvi prioreis in dicendi facultate tribuunt, eos Craſſus ille orator ſcriptis Marci Tullii imprimis nobilitatus, ridendos eſſe cenſebat: apud qvem in libris de Oratore Antonius etiam alter orator illuſtris, ut Craſſi ipſius æqvalis, ira etiam ipſi æqvatus. Cùm ad inveniendum (inqvit †) tria ſint in dicendo, acumen, deinde ratio, qvam licet (ſi volumus) appellemus artem, tertium diligentia, non poſſum eqvidem ingenio non primas concedere: ſed tamen ipſum ingenium diligentia ex tarditate incitat. Et rurſus paullò pòſt, inter ingenium qvidem, inqvit, & diligentiam paullulum loci reliqvum eſt arti. 435 Ex qvibus verbis apparet, eos, qvi naturâ duce conſulti ſunt & diſerti, copioſiores in oratione, & ad tela oratoria intorqvenda magis exertos eſſe, qvàm qvi arte magiſtrâ utuntur, aridâ, & moroſâ. 436 Qvod eò. Here, pertinere recordari te oportet, qvod ſuprà de natura tua diximus, ſingulari, eximia, & beata numeris omnibus ingenii. 437 Hîc cùm averſâ ſtatim facie Rex abnuere videretur qvæ de ſe dicerentur: Verùm eſto, de te ultra nihil (inqvam) Here: de arte jam ego & natura diſputo. 438 Horatius cùm de arte ſcriberet, alterum ſine altero prodeſſe non poſſe dixit: & tamen aut ſuis, aut Democriti verbis, miſeram artem vocavit. Qvin & ipſe Marcus Tullius, qvod Fabius teſtatur Qvintilianus, ** inventionem ac diſpoſitionem prudentis eſſe hominis putat, elocutionem oratoris. 439 Qvod ſi verum eſt, ut omnino eſt, jam hoc confectum habeo, eam partem eloqventiæ deeſſe tibi non poſſe. qvod non tuâ jam, Here, ſed meâ cauſſâ dico, ne hîc qvoqve valere interdictum humanitatis tuæ & majeſtatis æqvum cenſeas. 440 Nolo enim, qvi hæc audiunt, ii exiſtiment ingratam me tuæ majeſtati gratiam neqvidqvàm inire à te velle: dicendiqve tibi facultatem, quam ut tuam non agnoſcis, parùm probabiliter ac veriſimiliter elargiri. 441 At verò eloqvi, (inqvit [ibidem] idem

* *Sunt longè uberiores*] Vide omnino Cl. Morhof. II. Polyhiſtor. Litter. c. VII. p. 393. ubi hunc Budæi locum adducit & adplicat.

† II. de Oratore c. XXXV.

** VIII. Inſtitut. Orator. in Prooemio.

idem Fabius) unde eloqventia dicta, vis eſt omnia promendi, qvæ mente conceperis, atqve ad audientes perferendi: ſine qva ſupervacua ſunt priora, hoc eſt inventionis munera: ſimiliaqve gladio condito, atqve intra vaginam ſuam hærenti. 442 Hæc igitur pars ſine arte, ut cenſeo, ac docente qværi non poteſt: hicqve omnis ætas conſumitur, ut inqvit ipſe Fabius. nec mirum: cùm idem Marcus Tullius ad Brutum ‡ ſcribens, ita dixerit, Nam eloqventiam qvæ admirationem non habet, nullam judico. 443 Proindè hanc partem eloqventiæ, qvæ artis multæ indiget, ob idqve ab eodem Tullio refractaria aliqvando appellata eſt, tibi tribuere nec volo, Here, nec poſſum, qvæ hodie in foris obſolevit, ut omne ferè genus judiciale. 444 Cur autem alia duo genera habere neqveas, nullam cauſſam eſſe video ex iis, qvæ ſuprà dixi: qvatenus qvidem ferre hodie caſtrenſis noſtratium ſermo, epidicticaqve dictio & concionalis poteſt. 445 Verùm, ut ad ſcopum hujus ſermonis tandem, & ad cauſſam noſtram redeam. Ipſa, qvam Cicero eloqventiam eſſe voluit, cùm inſtrumentum copioſum, nitidum, lautum habeat, mirificéqve deſcriptum, ornamentum etiam varium, ſplendidum, vendibile atqve illuſtre: utrumqve qvidem illud, ex diligenti, multa, & multiplici lectione ut comparetur, neceſſe eſt, ſed lectiſſimi cujuſqve auctoris atqve probatiſſimi. 446 Hæc ipſa porrò eloqventia cùm orationem tractare, ducere, fingere variam & multiplicem poteſt, tùm verò probabilem & illuſtrem. 447 Probabilis eſt autem, ut inqvit idem Marcus Tullius, qvæ mediocriter compta & expolita eſt, qvæ auctoritatem & pondus in verbis habet, & ſententias vel graves vel aptas opinionibus hominum & moribus. 448 At verò illuſtris eſt oratio, ſi & verba gravitate delectâ ponuntur, & tranſlationibus ſuperlationibuſqve inſignia, ab ipſa actione rerum imitationeqve non abhorrentia. eſtqve plus aliqvantò illuſtre genus dicendi qvàm dilucidum: altero enim fit, ut intelligamus: altero, ut videre videamur. 449 Porrò autem hujuſcemodi eloqventiæ ſupellectilem habere in numerato oportet, & tanqvàm in promptuario qvodam memoriæ conditam: qvippe qvæ ad uſum ſcitè promenda ſit, & expeditè interdum (ei qvidem certè qvi hoc ſuſceperit, ut & probabiliter & ornatè dicere ſe poſſe profiteatur) qvatenus qvamqve partem ejus aptam eſſe novit ad id, qvod uſuvenit ut dicendum ſit aut ſcribendum. 450 Varietatem verò ſenſuum rerumqve intellectarum, è qvibus verba ut enaſcantur oportet, ita demum mens hominis rectè concipit, cùm rerum ſimulachra, qvæ aliqvi (ut idem inqvit Tullius) ſpectra appellaverunt, in ſeſe incurrentia hauſit. & horum ſpectrorum unuſqviſqve noſtrûm cogitationem habet irreqvietam aſſiduamqve informatricem. at ipſa vis informans & ſpecifica, ab ipſo ſenſu communi docetur formas rerum menti delineare. 451 Senſus porrò ita demum peritus eſt magiſter & idoneus, cum è civili vita & peregrina, ac multifariam exercita converſatione, eâ prudentiâ tinctus eſt, qvæ communis vocatur, à qva ipſa neceſſe

‡ Apud eundem Qvinctilianum l. VIII. c. III.

ceſſe eſt, ut admirandæ orationis opifex, tranſlationes, ſuperlationes tropoſqve mutuetur, qvæ eum locum ipſa numerumqve in ejuſmodi oratione obtinent, qvem nardus in ungventis. 452 Et hæc omnia in felicem qvamdam naturam liberalemqve incidentia, eloqventiam efficiunt dilucidam, ornatam atqve illuſtrem. qvam multâ exercitatione, plurimô uſu coagmentatam eſſe oportet, & ſententiæ enim & verba ex varia, ex multa, ex accurata & multiplici lectione comparata promuntur, qvæ deinde perpenſa & retractata, deliguntur cum qvodam faſtidio judicii ſtilô condocefacti. 453 Proinde qvi hanc dicendi facultatem ſupradictâ ratione conſecutus eſt, is demùm orationem texere poteſt, æqvabilem, cohærentem, ſibi ſemper eodem in argumento genereqve eodem ſimilem, non hiulcam, non lacunoſam, non materiâ, non filô, non texturâ ſibi diſſentaneam: tum numeris pedibuſqve aſtrictam generi orationis conſentaneis: poſtremò non aliqvâ ſui parte eôdem ſpiritu eloqventiæ defectam: qvi ſicubi deſtituerit, vela ut reflacceſcant perſvaſionis neceſſe eſt: nec ad finem perferant oratori propoſitum, in qvo demùm ſitum precium eſt operæ. 454 A qva inſuper ipſa abeſſe oportet omnem inſulſitatem, & cum verborum electione etiam conſtructionem eorundem cujuſdam modi eſſe. his etiam accedere lepôrem, urbanitatem, concinnitatem, gravitatem, & deniqve dignitatem qvandam moratam & plenam auctoritatis. 455 Jam verò hujuſce facultatis, & tot tantarumqve rerum ſtudium capeſſentibus, adeſſe qvoqve neceſſe eſt vacationem rei familiaris procurandæ, ceterarumqve curarum certam immunitatem, ab eo qvidem certè ſtudio alienarum. 456 Nam qvæ tanta mens eſt vel in corpore feliciter conſtituto, qvæ res tàm multas tàm varias complecti eôdem pectore poſſit, unâqve animadverſione? & verò qvi velit, & ſuſtineat cùm poſſit, niſi cetera immunis ſit ipſa & feriata? Animi profectò tranqvillitate & ſecuritate opus eſt concipiendis ſenſis altioribus: tùm muſarum afflatus, qvi ſuppeditator eſt ſenſuum ejuſcemodi, hauriri non poteſt ab animis non compoſitis nec apud ſe exiſtentibus. at ſine eo nihil naſcitur excellens, qvodqve illuſtre eſſe poſſit, cùm alioqvin omnium ſtudium diſciplinarum ſit ocioſi hominis negocium. 457 Omnia porrò ſupradicta in unum competere raræ eſt felicitatis. certè qvidem nullum apud nos nec vidi nec memini in ſtudioſo juvene hujuſce competentiæ exemplum. qvô fit, ut nullus fortaſſe memoriâ noſtrâ eloqvens extiterit, ſi ad priſcam formulam exigere eloqventiam velimus. 458 Atverò in poſterum fore non paucos in Gallia vel eloqventes, vel (ſi religioſiùs loqvi placet) diſertos, ſperandum eſt, ſi litterarum ſplendori luculenter augeſcenti, liberalitatis tuæ modulos aliqvot impertire in animum induxeris, ex iis etiam qvi è copiis exundantibus manant, & plerumqve redundantibus. 459 Id qvod utiqve facturus es, ſi non primô qvôqve tempore: tùm qvidem certè cùm planè intelligere cœperis, unus homo qvid qvamplurimis qvaqve præſtet ratione. Id tamen ut me ſuperſtite facere velis, id eſt ſine cunctatione, oro te, Here, obſecro, atqve obteſtor, per illam qvæ te manet cùm aliàs, tùm è muſæo per te (ut ſperamus)

pera-

peragendo, gloriam propriam & perpetuam. 460 Cujus poſtulationis exordium feciſſe me (ut reor) meminiſti, in Commentariorum * præfatione, qvos in lingvam Græcam nuper edebam nomini tuo dicandos. 461 Diſciplinæ autem liberales, humanæ qvoqve ideo appellantur, qvia mores hominum excellentiùs aliis expolire meritò exiſtimantur. 462 At ex illis exiſtunt decor, dignitas & majeſtas in ſpecie reipublicæ, qvæ regum gentiumqve nomen & gloriam illuſtrant, & memoriæ commendant in perpetuum: qvô honorificentius nihil eſſe, nihil magis expetendum in rebus humanis poteſt. 463 Thucydides, Herodotus, Plato, Ariſtoteles, Iſocrates, Xenophon, Demoſthenes, alii permulti, Græcorum memoriam ad hunc diem, Athenienſiumqve imperii effigiem, luculentis monumentis expreſſam eminentemqve reliqverunt: qvæ nullâ unqvam carie ſituqve vetuſtatis oblitterari poterunt, aut aliqvatenùs exoleſcere. 64 Romanorum res geſtas Livius, Polybius, Appianus, Plutarchus, aliiqve prodiderunt, qvaſi rerum gerendarum potiundarumqve illuſtria exemplaria. 65 Qvorum omnium eloqventia, rebus ſuâpte dignitate claris ſplendorem inſuper addidit, illuſtremqve commemorationis fidem atqve auctoritatem. 466 At verò Gallicarum hiſtoriarum ſcriptores, de qvibus nonnihil ſuprà dictum eſt, res ipſas qvôlibet modô poſteritati, non item earum claritatem mandare potuerunt, niſi fortè caligine fœdâ dictionis obductam & involutam. 467 Multa verò præclarè & egregiè geſta & inſtituta à Francis, ſilentiô ſepulta ob ſcriptorum inopiam, memoriæ hominum exempta ſunt in ævum. 468 Cum igitur litteras vitæ reſtitutas poſtliminiò ætatis noſtræ videamus, cùm nihil jam hoc tempus ad numeros ultimos ſcribendi facultatis, præter regum & principum hominum opitulationem deſideret, qvid jam vetat nos ſperare Demoſthenes, Platones, Thucydides, Tullios, Livios, ejuſdem

* Editi ſunt hi Commentarii nunqvam ſatis laudandi optimè Baſileæ CIƆ IƆ LVI. priùs verò Pariſiis CIƆ IƆ XLVIII. in fol. & Coloniæ anno M. D. XXX. in fol. qvibus Græcarum Phraſium ſtudioſi minimè carere poſſunt, cùm ibi non pauca de phraſeos delectu Oratoriæ occurrant. Qvamqvàm eò & non parum facit Franciſci Vigeri Rotomagenſis de præcipuis Græcæ Dictionis Idiotiſmis liber utiliſſimus, cujus nova editio hîc Lugd. Batav. M DC. LXXX. in 12. prodiit, impreſſa ſine dubio Pariſinum ad exemplum de ann. M. DC. XLIV. Qvi ipſe in præfatione non negat Vigerius, facem hunc ad librum nonnunqvam prætuliſſe ſibi Budæum. *Qvem enim adhuc*, pergit ille, *tantum hunc Gallo-Græci Muſagetem* [illegible], *habuiſſe aut poenituit, aut puduit?* Incidit hîc, me non ita pridem in octava ſecundi libri Epiſtola Rolandi Mareſii p. m. 277. edit. noviſſ. & optimæ Lipſienſis (Pariſinâ enim anni M. DC. LV. in 8r. ut typorum & chartæ elegantiâ deterior, ita nonnullis Claror. Virorum non diſſimilis argumenti ſubjunctis epiſtolis eruditis ac indice auctior eſt & locupletior) qvam Cl. Rechenbergius annô M. DC. LXXXVII. in 12. curavit, legiſſe ſeqventia: „ Etiamſi magnô ſtudiô, & longâ exercitatione alicui contingat, „ ut Græcô ſermone purè, & eleganter ſcribat, „ qvæ ex hoc labore ad ipſum gloria, ad alios „ utilitas pervenire poteſt? cum ipſi Græci auctores nunc vix legantur, aut certè cum tanto faſtidio legantur, & ipſius etiam Budæi in „ Græcis poſt Græcos doctiſſimi epiſtolæ licet „ ἀττικώταται, nunc non ſint in eruditorum „ manibus: tantùm ſufficiat in epiſtolis ad familiares inſerere poſſe verbum aliqvod Græcum, „ qvod plus, qvam Latinum elegantiæ habeat, „ aut plus polleat.

demqve notæſcriptorum & ſupparis, mox in medium prodituros, non imitatores tantùm illorum antiqvorum, ſed etiam æmulos? * Sint modò præmia ſva virtuti propoſita, honeſtiſſimiſqve ſtudiis. 469 Fiat tuâ benignitate, ut & laboris in litteris impenſi, & exhauſtarum corporis virium & facultatum, conſtet ratio animis ingenuis, ut olim conſtitiſſe legimus & novimus, continuò futurum ſpondebimus ut priſca litterarum claritas in Francia rediviva videatur. 470 Cujus exoleta jam veſtigia, cùm avorum noſtrorum ætate reperta ſint, tametſi deinceps magnoperè profectum eſt ad ſitum ſqvalloremqve eorum excutiendum: ultima tamen ærumna huic tempori deſtinata eſt, ut mea fert opinio, ad conſummandam fatalem apocataſtaſim antiqvæ ſapientiæ. 471 Tanta enim ſunt hominum ſtudia, tàm fœcunda eſt hæc ætas ingeniorum, tanta felicitas propagationis voluminum in utraqve lingva, nihil ut deſideremus præter certam ſpem emiritorum. 472 Nam qvis artes, qvis ſtudia, deniqve qvis virtutem amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? 473 Qvanqvàm non mercedem contritæ ætatis florentiſſimæ poſcimus, qvæ rependi ne aurô qvidem & gemmis poteſt: ſed honorarium huic facultati petimus, qvod negari certè niſi ſummâ iniqvitate neqvit. 474 Qvid verò fieri hôc tempore deſperemus, qvod olim factum fuerit? etenim qvid memoriâ noſtrâ & parentum non inventum eſt, qvid non editum & proditum, ad vitam juvandam & ornandam, aut ex antiqvitate relatum? 475 Qvod utinam ad vitam commodiùs agendam atqve elegantiùs, non etiam ad onerandam luxu & delitiis ac penè obruendam multa naturæ & artibus inventio actuoſa extudiſſet & excudiſſet, adeò hæc ætas non modò res priſcas, deſitas & deploratas, vitæ reſtituiſſe, ſed & artibus & naturæ ultimas operum notas videtur excuſſiſſe. 476 De hac re verò tecum Budæe (Rex inqvit) ſi ex animi ſententia loqveris, diſſentio. 477 Divinam enim providentiam rerum hujuſcemodi architectam ſic cum mortalibus agere reor, ut naturæ & arti ſuis fabris atqve opificibus, unà & eòdem incumbentibus, per ſingula fermè ſecula, aliqvid † novi deſignandum præſcribat & imperet, qvaſi qvô & ætates ipſæ inſigniantur, & vita uberiùs inſtruatur velut in dies, ſic in ætates. 478 Sed qvædam ſunt fatalia tùm naturæ tùm artis operum veluti diluvia, qvibus res inventæ interdum uſui hominum commercioqve auferun-

* *Sint modò præmia*] Planè ad mentem Martialis VIII. Epigr. LVI. 3. 4. ſ.

„ Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
„ Nec qvemqvam tantâ bella ſonare tubâ.
„ Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones
„ Virgiliumqve tibi vel tua rura dabunt.

Et v. 23. ſ.

„ Ergo ero Virgilius, ſi munera Mecænatis
„ Des mihi? Virgilius non ero, Marſus ero.

It. l. 1. Epigr. CVIII.

„ Sæpe mihi dicis, Luci clariſſime Juli,
„ Scribe aliqvid magnum: deſidioſus homo es.
„ Ocia da nobis: ſed qvalia fecerat olim
„ Mæcenas Flacco, Virgilioqve ſuo:
„ Condere victuras tentem per ſecula curas,
„ Et nomen flammis eripuiſſe meum.
„ In ſteriles campos nolunt juga ferre juvenci:
„ Pingve ſolum laſſat, ſed juvat ipſe labor.

† *Aliqvid novi*] Vide hîc Gvidonis Pancirolli J.Cti Nova reperta Francof. edita in 4to annô M. DC. LX.

runtur, cùm interim aliæ qvædam exiſtant, qvæ ordine fatali adhuc in imo erant naturæ arcanorum. 479 Recentia autem ſecula res inauditas pepererunt, & qvas antiqvitas qvamlibet ingenioſa, nunqvam (ut opinor) ſuſpicata eſt, ut * machinas belli igniarias, inauditamqve illam antiqvis officinam ſtygii Mulciberi, ſtrenuæ virtutis internecionem, & Martis ingenii deletricem, tàm maleficè ferè apertâ vi in mortales graſſantem, qvàm ars venefica, in eoſdem artificiô cæcô & improviſô: idcircoqve capitaliore graſſatur, & ſæviore. 480 Contrà autem ætates recentiores artem librariorum formulariam ediderunt: validum, ut mihi videtur, adminiculum ad exſuſcitandum & erigendum litterarum veſtrarum nomen: qvod tam diu jacuit ut exanimum & emortuum. 481 Multa etiam & alia, in utramqve partem valitura adhuc in altis naturæ cryptis condita eſſe cenſeo, ** qvæ ſuô qvæqve ſeculô in lucem depromenda ſint. 482 Nec verò omnia, qvæ diluviis illis rerum obruta fuerunt, adhuc emerſa videmus, aut qvadantenus exiſtentia: etiamſi ætas noſtra omnem (ut ajunt) lapidem movet, nihilqve non audet ipſa, moliturqve ad ſubmerſa tollenda & eruenda. 483 Næ Here (inqvam) perpauca ac fortaſſe etiam nihil jam deſiderare vita videtur, qvô fiat inſtructior, ſi modò litteræ bonæ ultimam manum reſtitutionis utrâqve lingvâ acceperint: qvod in tua maximè benignitate ſitum eſt ut antè mihi ſatis dixiſſe ac docuiſſe videor. 484 Qvô autem fiat ſanctior, qvô moratior, qvô ex dignitate Chriſtiani nominis compoſitior & candidior, non modò non nihil, atqve etiam nihil non propemodùm, deſiderare: ſed poſcere indies magis, & verò flagitare voce oraculari videtur & propheticâ. adeò vel naturâ vel providentiâ ita comparatum eſt, nulla ut ætas undiqve beata ſit. 485 Verumenimverò ne ſermo gliſcens longiùs nos, Here, ab inſtituto abducat, eò unde digreſſus eram redibo, nec dubitabo dicere, poſſe antiqvam qvam vocant ſapientiam, ad mores humanitate condiendos & perpoliendos, juſtô penè poſtliminiô intra ætatem unam reſtitui, qvod plurimum ſit: niſi res pulchrè nunc cedens aut aliqvô caſu incommodô (qvòd Deus omen avertat)

* *Machinas belli igniarias*] Vide omnino Buchnerum in Acceſſionib. ad Fabrum; Voc. *Bombarda* col. m. 361 ſ.

** *Qvæ ſuô qvæqve ſeculô*] Cum voluptate, aliqvando & cum ſtupore legimus eorum monumenta, univerſam qvi rerum naturam complexi ſunt. Plinium tamen multi fabulatorem nuncupare non verentur, qvi omni comparatione major, ab imperitis exploſus à doctoribus. ſiqva impegit per alienam fidem (qvis enim periculum omnium fecerit?) facilè tum excuſatur tum corrigitur, rerum uſu propediem pateſcente qvamvis & ipſius currendo minimè legendus videatur, aut temerè arguendus, cùm obſcuros præbeat receſſus, non cuivis obvio faciles, qvem poſt primam ſalutem in penitiorem admittat familiaritatem, etiam multis à limine ſalutatus. Singula ſi Plinios tuliſſent ſecula, Cardanos & Scaligeros, Galilæos & Kircheros inoffenſô pede pueri arcana naturæ tractarent. Majolii dies Caniculares varietate rerum mirè delectant; Aldrovandus properantem non dimittit hoſpitem. Botanici & minerales totam nobis occupant mentem, & qvi peregrè revertuntur, ſatietatem ſui nunqvam largiuntur, etiam profuſiſſimô ſermone; qvod imperitiæ explendæ deſiderium, qvam oculorum paſcendorum libidinem & Eccleſiaſtes notavit, rerum naturalium atqve moralium juxta ac divinarum ſcientiſſimus.

tat) aut hominum culpâ hæreat. 486 Penè autem Budæe (Rex inqvit) etiam in poſterum? penitus (ut opinor) dicere voluiſti. 487 Id verò, Here, ſi dicere iterum & ad extremum ſuſtinuerim, vereor ut tueri æqvis doctiſſimorum animis poſſim, qvi religione & cultu antiqvæ ſapientiæ perimbuti ſunt. Et nunc demum ipſi ad limatam veritatem & exactam loqvimur. 488 Et ætas enim noſtra, & omnis (ut opinor) poſteritas, non invita ſemper factura eſt, priſcis ut eloqventem, nobis ut diſertam eruditionem tribuat: inter qvas intercedere Craſſus orator ſummus, intervallum magnum putabat. 489 Id adeò, ut faſces (ut ita loqvar) doctrinæ, majorum illis gentium patriciis, Romanis ac Græcis ſcriptoribus ſubmittat, felicioribus utiqve auſpiciis ac majoribus Philologiæ ſacris initiatis præterqvàm ſapientiæ ipſius externæ atqve eloqventiæ conditoribus, 490 Immò verò (Rex inqvit) cùm Palladem vos perhibeatis armorum juxtà diſciplinarumqve præſidem ab antiqvis eſſe habitam: ſi hujus temporis res bellicæ ſunt antiqvis inſtructiores, ad vimqve oppugnandi & propugnandi multò apparatiores, cur in litterarum exercitamentis deſperandum eſt, hujus & poſteriorum ætatum ingenia, ſi paullò magis advigilârint, cum antiqvis certare ex æqvo poſſe. 491 Etenim ſi in armamentis loricatæ Palladis & ſcutatæ, tàm multæ conditæ olim erant machinæ, tùm miræ, tùm horrendæ: qvæ avorum memoriâ demùm leviter & utcunqve, noſtrâ planè promptæ fuerunt, & in uſum Martis editæ: qvid cauſſæ eſt, qvin etiam in ſanctiore qvodam muſæo, Pallas iſta veſtra inermis artifex atqve placida abdita qvædam habuerit eademqve viſenda, qvæ jamjam in medium ipſa ſit editura? mihi certè cauſſæ nihil eſſe videtur, contendente tantoperè Philologiâ, qvæ apud omneis ordines (ut dixiſti) gratioſiſſima cœpit eſſe. 492 Abſit enim ut concedamus hanc ætatem ad Martem exaſperandum & Bellonam cruentandam ingenioſam, ad Minervæ expolitionem antiqvitati cedere. 493 Siqvidem (inqvam) Here, ad eam Philologorum contentionem, majeſtas regia & principalis auctoritatem ſuam paſſim opemqve munificam prolixè detulerit: digna etiam ſint publicè non operæ dicam precia, ſed honoraria tantùm congrua, cauſſæ nihil eſſe vel perparum ipſe fatebor, qvando ita tibi nec immeritò viſum eſt. 494 Qvod utinam opitulatrices tuas manus vel largè ſuppeditatrices potiùs, incommodum qvoddam nobis fatum non alibi deſtinuiſſet: nimirum ut animus tuus jam tùm hominibus innotuerat, meliùs omninò atqve luculentiùs rei litterariæ conditio comparata jam eſſet. 495 Verùm qvantum Palladis numini non in caſtris tumultuoſis & in hoſtico, ſed in ſtativis tranqvillis & in pacato, tribuendum ſit à regibus, ab aliiſqve principibus viris imperiis ampliſſimis præditis, hujuſmodi figmentô ſapientia priſca adumbratum reliqvit. 496 Mythologi tradiderunt Jovem qvondam Metim in modum catapotii devoraviſſe, ex eaqve veluti ſapientiæ hauſtâ turundâ Palladem concepiſſe, ac deinde peperiſſe. 497 Volunt autem Vulcanum obſtetricis munere in ea partione fungentem, Jovis caput ſecuri alliſâ diſſecuiſſe, ſicqve Palladem ipſam è Jovis emicuiſſe capite. 498 Metis apud Græcos, conſilium, ſollertiam, prudentiam,

tiam, ſapientiamqve ſignificat: qvò nomine deam qvandam illi intelligi voluerunt per proſopopœiam. 499 Qvare hâc mythologiâ intelligendum nobis dederunt, nec ſapientiam, nec rerum humanarum prudentiam homini eſſe congenitam: neqve enim ex utero matris editam eſſe, ut ungves & capillum. 500 Qvapropter Palladem ſine matre genitam prodiderunt: divinôqve munere ſenſim ipſam homini accedere hâc ratione ſignificârunt: ſed non ſine Vulcani opera & auxilio. 501 At Vulcani appellatione univerſa fabricæ ratio ſignificatur, artiumqve perdiſcendarum labor & contentio. 502 Summa autem fabulamenti eò pertinet, inde ut cognitum hoc habeamus & perſpectum, artium & diſciplinarum ſcientiam, qvæ ab antiqvis dicta eſt ſapientia, rerumqve inſtituendarum atqve adminiſtrandarum rationem & prudentiam, in divina mente qvaſi in nativo conceptaculo lociſqve maternis ortam eſſe ac ſubſiſtere: eaſqve curis, vigiliis, laboribus, induſtriâ, contentione ſedulâ, deniqve corporis animiqve agitationibus fuiſſe in lucem editas, ſimul in uſum vitæ hominumqve utilitatem ab hominibus paucis traditas, ingeniô præſtantiſſimis. 503 Jam qvod Palladem ab ortu ſtatim armatam eſſe tradiderunt, id verò intelligendum nobis dedit, artium litterarumqve ſcientiam: ex eaqve prudentiam emanantem, ſuâpte vi & conſiliô, copiiſqve propriis inſtructam eſſe atqve munitam, ad ſe ſuaqve tuenda domi & militiæ, in hoſtico juxtà & in pacato. 504 Qvare & ad qvieta conſilia & ad bellica, primùm hominum doctiſſimorum & diſertiſſimorum qvaſi qvorundam Neſtorum Homericorum ſententiam exqviri oportere: eam ob rem maximè, qvòd præter rerum cauſſas, qvas litterarum ſcientia tenet, etiam exemplorum eventuumqve memorabilium plena eſt hiſtoria, plena etiam alia monumenta antiqvitatis, ex qvorum lectione & memoria prudentia & conſilium oriuntur, aut naturæ certè benignitate enata, aluntur & confirmantur. 505 Porrò autem Pallas communem cum Jove gerit ægidem, qvod pectoris eſt munimentum. In cujus medio Gorgonis caput eſſe ajunt, exertâ lingvâ terribile, ſeſeqve intuenteis homines ſtupora penè ſaxeô afficiens. 506 Qvô figmentô vis illa eloqventiæ demonſtratur, qvæ admirationem ciere ſolet, ut ſuprà de ornata atqve illuſtri oratione dictum eſt. 507 Siqvidem lingva in pectore exerta, index eſt facundæ ac diſertæ orationis: quæ non intra buccas ipſa temereqve nata eſt, ſed qvæ manat è præcordiis viri docti atqve experientis, & è pectore prudentiæ graviditate fœcundo. 548 At verò qvòd eandem deam Poëtæ artium præſidem eſſe dixerunt, qvidnam id tandem aliud qvàm ſymdolicè docet, nullum validius eſſe præſidium unicuiqve genti & imperio, qvàm illam à nobis ſæpe dictam orbicularem doctrinam, humaniorum diſciplinarum chorô, & tanqvàm reſte confertam, omnium antiqvitatis arcanorum conſciam, univerſarum gentium, cunctorum ſeculorum moribus, legibus & inſtitutis ornatam? deniqve inveniendi, inventaqve eloqvendi facultate tectam & loricatam; poſtremò adverſus vim humanam & fortunæ inſidias præſenti conſiliô ſemper accinctam, contra fraudis & perfidiæ ſtrategemata munitam & inſtructam ſapien-

tiæ ſimul & prudentiæ antiſtrategemate: 509 Eſt præterea in arce tanqvam in ſpecula ſita: locô ut undiqve conſpicuô & inſigni, ſic arduô & multitudini inacceſſô, inde omnia oculis illis glaucis (ut eſt apud Homerum) perluſtrans: ex præteritis futura conjiciens & perpendens: longè eadem reſpiciens & proſpiciens: poſtremò altiùs jactu telorum aſſurgens, & domicilii fiduciâ tuta atqve ſecura. 510 Hæc dicens ipſe cùm incaluiſſe viderer, inoffenſoqve ſatis curſu orationis res mihi procederet, aureis etiam pronas audientium haberem: tùm lingvis omnes animisqve fortaſſe multi faverent, ut mea ferebat opinio: ecce tibi repente nihil propius factum eſt, qvàm ut de ſtatu fiduciæ uno Regis verbô dejicerer ac deturbarer. 511 Enimverò (inqvit ille) Budæe, tu iſti tuæ Palladi perqvàm validum præſidium circumdediſti, egregiaqve adeò propugnacula facilè architectatus es: multa qvidem illa, rerum verborumqve varietate coagmentata, ſed haud ſcio an compage ſolutili, & fortaſſe cum ipſa (ut dicitur) oratione volucri evanidâ. 512 Non ego (inqvam) Here, (qvod pace tuæ majeſtatis dixerim) ſed priſci illi viri, ſummis ingeniis ſummaqve rerum prudentiâ præditi: qvorum architectura Aegypti pyramidas regum opera, mauſolea, & cetera mundi miracula, non artificiô modò, ſed etiam perenni memoriâ longè ſuperat. 513 Sed tamen eamdem illam (Rex inqvit) & Palladem & Minervam, qvam tu eorum (ut opinor) auctoritate fretus, in arcem tam editam dicendi volubilitate, qvaſi trochlæis ſuſtuliſti, iidem ipſi Poëtæ (ut puer legiſſe mihi videor in fabulis) ad lanificium muliebre texturaſqve delegaverunt, qvæ in hypogeis ferè fiunt. ex qvo fit, ut iſte veſter orbis diſciplinarum, immò veſtra illa comptior Minerva, nunc in cœlo eſſe, & cum cœleſtibus verſari, nunc de cœlo dejecta, aut fune remiſſariô depreſſa ad ima videatur: & ſi cui cavillari libitum ſit, infra Vulcanias etiam inſulas relegata, Titionariasqve officinas. Qvare vide Budæe, ut illam tuam mythologiam ſatis contemplatus ſis. 514 Ibi ego deprehenſus nec opinatò, & aliqvantiſper æſtuans atqve hæſitans, ad infantiam plane redactus eram. verùm cum corona menſæ regiæ mihi aqvam clepſydræ ad hunc obicem repente hæſiſſe exiſtimaret [neqve enim Ulyxes apud Alcinoum & Pheacas illo eram, qvi in Regem incidiſſem, cùm ingenii præſentiſſimi, tùm judicii acerrimi] ipſam mihi Minervam, qvaſi deum, ut Græci dicunt, è tragœdia, adeſſe præſentem, & velut poſticam admonitricem, repentè animadverti. 515 Itaqve animô confeſtim receptô, Eja verò (inqvam) Here, qvaſi tu nobilem illam illuſtremqve Minervam, ideò de cœlo (ut ajunt) detractam eſſe cenſeas, qvòd texturæ qvoqve numen & præfecturam ſortita eſſe dicitur. Id qvod te laceſſendæ urbanitatis cauſſâ magis, qvàm ex animi ſententia, appoſitè ad riſum interlocutum eſſe, qvis horum, qvi adſunt, non intelligit? qvi qvidem non ignoret qvot qvantisqve dotibus ſanctioris ejus numinis ſelectiorisqve præditus ſis, & naturâ perpolitus. Ipſe certè ordiendi ſcientiam, exordiendiqve & contexendi, non jam artis illius ſellulariæ, in cellis depreſſioribus atqve tenebricoſis opificiô ſuô utentis, ſed artis clariſſimæ, & in luce ſplendidiſſima ſpecimen ſui præbentis, propriam eſſe dico: artis, inqvam, oratoriæ: tametſi ora-

ſi oratoriæ dico? qvid ſi etiam imperatoriæ? qvid ſi regiæ? age, ut vetuſta attingam, qvid ſi etiam prætoriæ, ſi conſularis, ſi deniqve ſenatoriæ? 517 Obe, etiam ne regiæ (ſubridens Rex inqvit) atqve imperatoriæ? 518 Etiam enimverò, inqvam, atqve ita, ut jam textrinarum pudere eam cœperit, qvaſi tantum artificium, tàm amplum, in locis ſordidis atqve obſcuris obſoleſceret. 519 Enimverò audire (inqvit) geſtio, qvomodò id nobis probaturus ſis, & an ex hypogeis Philologiam tuam ſic expedire poſſis, ut ex locis ſylveſtribus & abſtruſis ſine memorabili (ut ego qvidem opinor) offenſione eandem recepiſti. 520 Atqvi inqvam, Here, de illa ſylvatica expeditione, qvam qvaſi in tumultu te urgente ſuſcepi, tuum & aliorum judicium exſpectandum eſt. hoc autem omnino qvod nunc ago, futurum non dubito, ut mihi protinus aſtipuleris, ſimulut audire cœperis. 521 Nonne filum orationis dicitur, & contextus & exordium? Mitto, qvòd cœleſtes illæ, vitæ humanæ & fatorum potentes, atqve rerum (ut dicitur) arbitræ, Parcæ, & nere dicuntur & ſtamina torqvere: qvô nomine ſaltem Minerva in cœlum reſtitui poteſt, unde detractam eſſe tua majeſtas peturbanè atqve in articulo cavillata eſt. 522 Age jam, non dico, qvòd naturæ primordia Lucretius antiqvitatis conſultiſſimus, appellavit qvatuor illa rerum omnium principia, ſed nonne telam ordiri ſummi interdum auctores dicunt, qvaſi primâ manu moliri qvidpiam ardui negocii & momentoſi: qvo in ipſo tractando, ſenſim progrediendum ſit & qvaſi pedetentim, & ita, ut æqvabili vel prudentiâ vel aſtutiâ ad ultimam manum perveniatur, extremamqve lineam rerum abſolvendarum: non aliter atqve telam in textrinis æqvabili opificiô artifices detexunt & pertexunt? 523 Sic enim Marcus Tullius in tertio de Oratore * uſus eſt: & ante eum Plautus ** exorſam telam eâdem ſignificatione dixerat, qvin & vocaliſſimus ille Triton, divinitùs afflatus Eſaias vates, in medio mari hujus mundi, olim inter ſublimia prædicta & fatidica hæc qvoqve verba cecinit, ut faceretis conſilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum. 524 Qvare ejuſdem Palladis eſt arces condere, arcibuſqve præeſſe: & telas rerum novarum ordiri ſcitè & circumſpectè, in iiſqve res, perſonas, partes, conditiones, qvas ordienti commodum ſit, intexere & attexere: tùm conſilia àgitare rerum utilium, & explicare: ac ne id qvidem modò, ſed res malè conſultas etiam & inſtitutas, antiqvandi & abrogandi prudentiâ pollere, ſimul telas adverſarum partium in necem patriæ & ſociorum vel orſas vel jam detextas, contrariis conſiliis retexendi ac diſſolvendi. 525 Ad ſummam, mille dea eſt operum Minerva, ut inqvit (ſi memini) in Faſtis ‡ Ovidius. qvantumqve Orpheus lyrâ qvondam potuiſſe dicitur, tantum ſtilô eloqventia ſemper poteſt, poteritqve in poſterum. 526 Atqvi (Rex inqvit) Budæe, veſtram jam inde Palladem tantarum rerum præſidem ac magiſtram, libens credo fecero ut in regiam admittendam, non modò in curiam cenſeam: idqve additamentô & elogiô auctoritatis meæ regiæqve confirmem. 527 Nihil enim jam cauſſæ eſſe:

* c. LX. **† Bacchid. II. III. 116. ‡ lib. III. v. 833.

eſſe video. nec cauſſam qviſpiam æqvus ac bonus dixerit, idemqve doctus, qvin ita videri omnibus debeat & neceſſe ſit. 528 Aeqviore igitur me poſt hàc & faciliore (ut opinor) uſurus es in collaudanda Philologia tua, cùm Minervam in ſuum gradum appoſitè reſtitueris, unde eam tantiſper ſummovere exercendi tui cauſſâ in mentem mihi ex tempore venerat. 529 Poſt hæc regis verba, cùm ego, qvaſi voti compos victorqve propoſiti, ab omnibus plauſum non mediocrem exſpectarem: ecce tibi rurſus ab improviſo unus è decuria ſelectorum, litterarum nec ignarus, nec magnoperè peritus, qvi mihi jam diu imminebat in primam qvamqve occaſionem, ridiculi tantùm gratiâ laceſſendi, ut poſteà apparuit, in æſtum è portu longiuſculè me rejecit. 530 Is igitur verba mea ultima, qvaſi anſam ſermonis arripiens, Here (inqvit) licebit ne mihi pauca cum ipſo bona tua venia? 531 Qvod cùm Rex facilè ac pro humanitate homini illi nota annuiſſet. - Sanè qvidem (inqvit) Budæus, regiam qvamdam, & ſupremi (ut dicitur) licii textrinam, Minervæ ſuæ architectatus eſt: in qva tanta tamqve ſublimia texi, ac tam multifariàm poſſint, ſi illi credere animum induxeris ſed tamen Palladem ipſam fulgentibus armis viſendam, ægide terribilem in arce ſapientiæ collocatam, idem Budæus Penelopen tandem fecit feminam imbellem, & caſtitate tantùm fideqve conjugali ab Homero nobilitatam. Qvam aliqvando legimus cùm Ulyxem maritum deſideraret, à prociſqve multis ad ſecundas procacitet nuptias flagitaretur, telam qvandam, ſive illa rotunda veſtis fuit, texere inſtituiſſe: eamqve texendo interdiu, noctuqve accenſis facibus retexendo, procos illos infeſtos fruſtratam eſſe ampliùs triennium. 532 Qvônam id modô tandem inqvam? 533 Qvia iſta tua verſatilis in ſeſe (inqvit ille) doctrina dicam an ſapientia, nondum ſtatuere poſſum, in texendis ac retexendis telis operam ſuam venditat. ut ſi libeat argutari ex iis, qvæ tute dixiſti, operam ejus totam in aſtruendo & deſtruendo conſumi colligere poſſimus. Qvod pueri luſitando ſæpe faciunt, lapillorum congeriem aut nucum exſtruentes, deinde ubi ejus ſtruis pertæſum eſt, eandem evertentes. 534 Qvòd ſi Homericam illam texendæ ac retexendæ veſtis ambagem, ad ludificationem vertere qvis inſtiterit iſtius tuæ Minervæ, qvæ juvenum mentibus obrepit, objectis inanibus ſimulacris ſapientiæ, haud ſcio an ſcitè & commodè fabulam explicuiſſe meritò videri poſſit. 535 Multos enim videre eſt homines ingenioſos & naturâ induſtrios, ad iſtam eloqventiam qvaſi bonorum ſummam vehementer viam conſtanterqve affectare: in ſtudioqve ejus perdito atqve inſano per inopiam conſeneſcere. verè ut dicere & merito qvis valeat, eos eſſe tanqvàm ſponſos Penelopes, ut inqvit Horatius, qvi in oratione ornanda & comenda longè plùs æqvô occupati ſint. 536 Qvis autem ſi artium vera operæprecia, non verborum pompam, inanemqve ſpeciem lenociniorum attendimus, non meliùs, non commodiùs, non providentiùs vitam ad ſtudia litterarum comparâſſe eos fateatur, qvi frugi illas artes altriceſqve diſcipulorum ſuorum, conſectati ſunt, qvàm qvibus in ſenectute & olei & operæ in iſta palæſtra atqve exercitatione impenſæ ratio parum conſtat:

ſtat : & qvos plerumqve ſerò pœnitet, qvantum de ſemetipſis tantâ animorum contentione, familiâqve ſuâ meriti ſint ? 537 Sed vos invidioſô nomine lucripetas illos & qvæſticularios, & alumnos litis & controverſiæ vocatis, cùm ipſi viciſſim vos lucrifugas appellent & damnoſos rei amplificandæ, & artis vitæ neſcios, qvæ pudenda eſt inſcitia. 538 Qvòd ſi arbitram vobis ferri & controverſiæ noſtræ diſceptatricem, communem prudentiam non recuſatis, ſponſionem eqvidem facere tecum hîc jam paratus ſum, altero qvoqve tantò majorem, aut aliâ gratiore tibi condicione, ni claſſicorum ego civium centurias auferam, cùm tu hominum non cenſorum tabellas fortaſſe paucas è judicio feras, ſi res & controverſia in diſqviſitionem populi, & eqvitum, ſenatuſqve miſſa fuerit. 539 Enimverò (inqvam) abſurdam iſtam mythologiam eſſe atqve ineptiſſimam, tute (ut opinor) ipſe intelligis. qvaſi verò ignores, eandem Penelopen ſtultorum hominum ac nebulonum exſpectationem. illô commentô texturæ eluſiſſe. Ulyxem autem ſuum in patriam & ad penates ſuos reverſum, reſtituiſſe ipſum ſibimetipſi, atqve ſibi uxori: virum rectâ mente præditum, philoſophiæ ſtudioſum. 540 Philoſophi enim hominis animus indagator veritatis, & captus amore veræ ſapientiæ, cui ſe ſemel ipſe deſpondit, vel cui dei providentiâ potiùs deſponſus eſt: civilis ille qvidem vitæ doctus eſt exiſtimator, ſed tamen aſſecla auditorqve philoſophiæ. 541 Hic ea, qvæ interdiu ipſe & in hominum celebritate agens, texuit, ſcenæ (ut dicitur) multitudiniqve ſerviens, noctu ad ſeſe reverſus, & ſecum ipſe exiſtens, retractat atqve retexit: luminibus (ut ita dicam) diſciplinarum accenſis, mentiqve prælucentibus. 542 Secum etiam idem & cum philoſophia ſummi boni excellentiam ad cotem limatæ veritatis explorat. fallaces bonorum imagines ſurſùm intuens, deſpicit: qvas ambitio & cupiditas, hiantes & pronæ conſectantur, qvippe qvas nihil aliud qvàm oculorum & aurium ſenſuumqve aliorum ludibria eſſe perſpiciat, exitioſaqve animi illicia. 543 Philoſophiæ verò ſuâpte naturâ parum comis & blandæ, iiſqve qveîs cum nondum conſvevit moroſæ atqve refractariæ, conciliatrix eſt optima Philologia noſtra parens eloqventiæ. Ipſa porro eloqventia interpres eſt philoſophiæ diſertiſſima, ejuſqve oraculorum. id qvod te ignoràſſe oportet, vel miminè certè ex animi tui ſententia locutum eſſe, qvod ego mihi magis perſvadeo. 544 Ceterùm qvòd animoſus ſponſor, ad prudentiæ communis diſqviſitionem me vocas qvaſi ad Areopagi aut duodecim (ut dicitur) deorum conſilium & judicium, nihil nunc in mentem mihi venit appoſitius qvod reſpondeam qvàm illud Iſocratis: Ejuſdem eſſe aut iniqvitatis aut abſurdæ ignorantiæ, & Buſirim laudare & Socratem vituperare. ſic qvæſticuloſas qvidem artes & cupiditatis miniſtras, ut utiles commendare: liberales autem eaſdem & verè fructuoſas, ut inaneis flocci-pendere. 545 Hîc cùm Rex arriſiſſet, & ille ſubinde renidens, cedere mihi ſponſione non invitus videretur, ſatis intellectum eſt animi eum cauſſâ & riſus excitandi non contendendi ſtudiô id feciſſe. 546 At ego, Eloqventia verò (inqvam) nunqvam ſatis laudata, Minervæ qvidem ipſa alumna & diſci-

diſcipula ſola omnium artium res adſtruere ſatis poteſt & evertere. Siqvidem qvæ bona eſſe imperiti putant, ipſa plus mali habere qvàm boni facilè docere poteſt atqve perſvadere, qvod ceteræ artes neqveunt. 547 Tametſi qvid ſi etiam paſſim mortuos excitare, ſermonemqve ita iis tribuere, ut audientes vivos ſe audire & ſuperſtites atqve ſpirantes putent? 548 Qvid autem ſi plus qvàm medicina pollet? plus qvàm medicina dixi? qvid ſi plus qvàm Aeſculapius ipſe deus, & decus & auctor medicinæ, qvondam potuiſſe dicitur: qvem ego te admirari in ſermone memini ob facultatem divinam? paucos enim fortaſſe mortuos exſuſcitâſſe, non etiam ſemetipſum traditus eſt. atqvi eloqventia virtutum ſola, à ſeſe illa qvidem non dubiè everti, ceterùm à nulla alia facultate poteſt: illa porro iterum ſibi ipſa & vitæ à ſeſe reſtitui. 549 Hujus deniqve vim & potentiam facultatis Veteres per Orphei lyram ſignificâſſe dicuntur, qvæ ſuis ſonis ac numeris omnia ad ſe trahere, omnia permulcere perhibita eſt & manſveſacere: qvanqvam non mulcendo tantum pollet, molliqve articulô tractando: & qvidem torrentior interdum ipſa niliacis cataractis, omnia ſecum vel obſtantia rapit, & aufert, qvò commodum cunqve ei fuerit. 550 Hæc ego dicens, in Regis vultu oculos defixos habebam, eminente in vultu animi contentione: qvem cùm ſuſpenſum ex ore meo viderem & altè meditabundum, vereri ſtatim mihi ſubit, ut ſatis ei approbâſſem qvæ ſuprà de Penelope dixeram. Itaqve ad eum rurſus ſermone converſô, Eqvidem (inqvam) Here, qvæ de Penelope iſti reſpondi, metuo, ne non ſatis tibi probabilia viſa ſint. multa ſunt enim ejuſdemmodi apud nobilem illum Vatem, qvæ perdifficilem habent interpretationem, cùm inter magnos auctores conſtet hujuſcemodi fabulamenta, non ſine ſymbolica ſignificatione ab eo prodita eſſe. Verùm ſi benignâ tuâ veniâ licet profari, qvod nunc mihi in mentem venit, illum ego de Penelope qvaſi tropum, alludere ad mores ætatis noſtræ oſtendam, ſi qvid mei judicii eſt, ut more priſcô loqvar ſententiam dicentium, qvod omnino, Here, in tuæ majeſtatis arbitrio ſitum eſt, à qva omnium & magiſtratuum & privatorum juriſdictio manat. 551 Nam ſi qvandò de jure cognitionum controverſiæ in foro oriuntur, à capite illicò qvæſtionem arceſſere, id eſt à regiorum jure ſceptrorum, ab ipſoqve diademate monarchico ſolenne eſt. à qvo veluti perenni fonte imperii ditioniſqve exundantis, omnes rivi juriſdictionis olim ducti ſunt, & qvicunqve judicia exercent, aut provinciarum præſides, aut præfecturarum juridici, aut curiarum collegæ, aut recuperatores vel univerſarii, vel ad certam cauſſam cognoſcendam dati, aut unam aut alteram, eos omnes judicandi jus habere & poteſtatem à regia majeſtate oportet, qvaſiqve juriſdictionis ſpiritu inde afflatos eſſe. 552 Nam prima & ultima ditio, & vel mulctæ vel ſententiæ dictio, à numine divino regibus credita & mandata eſt in univerſum, iiſdem finibus cum imperio. 553 Haud abſimili igitur modô, in hoc qvod mente nunc concepi, nihil mei judicii eſſe intelligo, niſi eadem tua majeſtas me judicem eſſe jubeat. 554 Age, age (inqvit) ſubridens, qvod bonum fauſtumqve ſit, qvæ res tibi nunc in mentem venit, ſeu.

ſeu qva de re inter nos agebatur, ſeu qvavis alia ei affini vel cognata ejuſce rei dicendæ pro poteſtate nunc indulta, ac pro tribunali temporario, ſententiæ jus tibi eſſe volo, jubeo, pro imperio monarchico ſancio & ſtatuo. 555 Qvod cùm ille protuliſſe placidô vultu, liberæqve ſententiæ largitore viſus eſſet, Penelope (inqvam) Here, princeps femina, caſtitate illuſtri & decantatâ nobilis, mihi videtur fuiſſe tuâ memoriâ, magnamqve partem tuô principatu, Francia, gentium omnium provinciarumqve (abſit invidia verbo) clariſſima, cùm aliàs multifariàm, tùm ideo qvoqve, qvòd denominationis piæ decus atqve inſigne, conſenſu mortalium divinituſqve invenit. 556 Hæc autem annos complureis vel invidiâ qvâdam fatali, vel qvia divinæ gratiæ patrocinió, ad tribunal providentiæ, orbata fuit tantiſper aut deſtituta, vicinorum armis infeſtiſſimis petita eſt, atrociqve coitione circumventa, cùm interim ad hunc diem ſtupente mundô ob rei miraculum incolumis ipſa ſemper eademqve permanſerit: etiamſi turbine illô perſtricta nonnihil libata fuit. 557 Miſſum enim ſangvinem veteris ac recentis invidiæ oportuit, qvod ita temperatum eſt divinæ manu indulgentiæ, ac tuâ felicitate, ut citra animorum deliqvium evenerit omnium ejus ordinum. neqve enim in jugulariam ſcalpellum adactum providentia voluit. 558 Intereà igitur ipſa (ſi animadvertere paulò attentiùs velimus) qvid aliud qvàm belli, pacis, induciarum, fœderum, martis deniqve intermortui viciſſitudine, telam veræ pacis & ſolidæ texebat, & retexebat? ſatagitans qvidem ipſa neqvidqvam, cunctantibus adhuc fatis, & actuoſa, ac ſibi negocii non minus qvàm adverſariis atqve inimicis faceſſens. 559 Qvod utris partibus utilius tandem futurum ſit, non facile eſt, ut cenſeo, judicare, omnia ſuis momentis perpendere non gravatis, Nam cùm Cadmiæ interdum utrinqve victoriæ fuerunt, tùm neſcias fortaſſe victoriæ an offenſioni ipſi plus debeamus. 560 Tametſi rurſus qvid Franciam tuam dico penelopeam telam texuiſſe? qvam & ceteræ qvoqve provinciæ nominis Chriſtiani texuerunt, longè plus Bellonæ & Martis ipſæ etiam, qvàm pacis & qvietis ſtudiis tribuentes. Qvippe telam divinitùs qvodammodo exorſam, etſi humanitùs detextam ex eventis judicare planum eſt, ex ipſaqve actus cothurnati atqve atrocis placida cataſtrophe, & geniali atqve comica. 561 Et conſilia qvidem hominum, ſi cum dei conſiliis contendere inſtiterimus, tantum intereſſe aut amplius comperiemus, qvantum inter telas lineas aut carbaſeas, & telas phalangiorum: reticulatas qvidem illas & captioſas, ſed facile diſſipabiles. 562 Qvocirca noſſe ſeſe qvemqve hominum ſigillatim, ita & omnem gentem univerſim oportet, ſenatuſqve conſultis providentiæ cedere, atqve in eis acqvieſcere. 563 Ceterùm nunc cauſſis iræ divinæ (ut ſperamus) magnam partem expiatis, cùm duo potentiſſima orbis noſtri imperia, auſpice providentiâ connubiali vinculô conjuncta ſint, pax utiqve trabali (ut ajunt) clavô fixa, Bellonam in exteras illas gentes Deô benè juvante ablegâſſe creditur, qvæ pacis auctorem ipſæ conditoremqve non nôrunt. Qvô factô univerſam pietatis ditionem ſartam ac tectam ſervavit ab imminente

jam clade & adventante. 564 Valeat igitur Bellona, cruentâ pallâ deformis & averſanda. ſatis enim ſuperqve pyrrhicam ſaltavimus tibias inſtante diſcordiâ contentioſâ, aurei qvondam pomi auctore. 565 Pallas contrà etſi belli potens (ut dictum eſt) ac Vulcaniis armis inſignis, tamen pacis alumna, & lætans concordiæ ſodalitiô, religioſè jam in Francia bonaqve fide colatur, qvæ æqvalis ſemper fuit felicis ſtatus publici atqve principum. Qvæ tamen & ipſa ſemper noverit haſtam & caduceum in conſilium proferre, utrumqve ſuô tempore. 566 Verumenimverò maximus ille Vates Ulyxis & Penelopes nobilitator, qvem Democritus ajebat ingenium ſortitum eſſe majus & ſublimius humanô faſtigiô, Minervam Achilli moderatricem in Iliade ſua magiſtramqve adhibuit, eandemqve Ulyxi in Odyſſea, cùm ſub Achillis perſona oſtendere vellet, qvid robur corporis ſummum cum animoſitate poſſet: contra ſub Ulyxis, qvid vis mentis & ingenii præſtantis & eximii. 567 Unde fit, ut poëtæ ſapientiſſimi atqve ingenioſiſſimi auctoritate & monumentis doceamur: Sapientiam litteris inſtitutam, & bellô & pace utilem ac neceſſariam eſſe. 568 Proinde poſt hoc alterum jam colloqvium, Here, ad qvod majeſtas tua, regiâ ſemper comitate conjuncta, deſcendere cum noſtra tenuitate, non indignum regiô faſtigio eſſe cenſuit, ego votis conceptis à Deo jam expoſcam, ducem tibi Minervam dare, perennem & aſſiduam comitem, beatæ iſti naturæ multifariamqve locupleti conſentaneam & reſpondentem. 569 Homericam dico Minervam, illius haud dubiè germanam & tanqvàm uterinam, qvæ philoſophiæ præſes diſciplinarumqve potens inter doctos exiſtimatur. 570 At verò Minervam illam Homericam antiqvi exiſtimârunt, prudentem & opportunum eſſe receptum ſui, qvæ etiam tempeſtiva reſipiſcentia dicitur. 571 Qvalis eſt illa, qvæ in primo Iliados Achilli præſto fuit, cùm in Agamemnonem regem, univerſi exercitus Græci nominis ducem, ille vehementiùs excanduiſſet, ipſumqve Achillem ponè apprehenſum capillô, ſtrictum jam in regem ipſum gladium, condere in vaginam adegit, iramqve confeſtim cohibere, ac ſupprimere. 572 per capillum enim verticem capitis intelligimus, ubi ſedes eſt prudentiæ. 573 Hanc & Palladem & Minervam regiæ majeſtati atqve imperatoriæ nuper affuiſſe in conſilio credimus, cùm ad pacem componendam, fœduſqve ineundum, & arctiſſimâ neceſſitudine jucundaqve ſanciendum animos repentè ita appuliſtis, generis ut propinqvitatem affinitate blandâ cumularitis. 574 Nam qvid id aliud fuit, qvàm Palladem Marti galeam trucem demere, ipſiuſqve frameam, ad piarum gentium internetionem denuò graſſaturam ſemel in vaginam condere? 575 Verumenimverò prudentia eſt illa qvidem luculenta dos naturæ atqve magnipendenda, præſertim cùm adminiculis experientiæ ſubnixa eſſe cœpit. Sed tamen ſi litterarum ſcientiâ vacat & hiſtoriæ antiqvæ cognitione, eſt veluti Pallas ſemiermis atqve ægide ſuâ orbata 576 Qvocirca peritiſſimos homines non paucos cùm princeps maximus habuerit, tùm ipſe deniqve Palladis ægide & reverentiâ tutus erit, nedum Martis copiis impedimentiſqve ſuccinctus. 577 Qvod munimentum cùm ſecuritatem perinde-

perinde ab inimicis & ab hoſtibus, tùm ab occulta itidem oppugnatione præſtat ut ab aperta. 578 Regem porrò tàm maximè magnorum pectorum principem eſſe convenit, qvàm maximè multorum capitum populum regendum divinitùs accepit. 579 At pectus optimi principis & maximi magna ex parte in conſilio ejus eſt. & id ex omni ordine (niſi fallor) confertum aut compactum eſſe debet, cùm omnium generum qvæſtiones in eo agitandæ ſint. 580 Proinde qvi primus regum in animum induxerit ex Minervæ comitatu, qvi jam ubiqve numeroſus eſt, nonnullos in ſelectum conſilium accerſere, in curias allegere, in decuriam deniqve cubicularem aſciſcere, & cohortem juratiorem: præclarum utiqve ille exemplum æqvalibus poſteriſqve prodiderit, atqve commemorandum. 581 Nihil enim ad poſteritatis memoriam commendabilius, nihil ſplendidius eſſe poteſt & prædicabilius, qvàm Palladi eidemqve Minervæ, arcium olim & regiarum, curiarum & ſenatuum præſidi & principi, tot annorum ſitum, ſqvallorem, ſordeſqve excuſſiſſe, eandem ex umbratilibus illis textrinis & ſtudiorum obſcuritate, ad condiciones vitæ illuſtres, ſolemqve comitatus regii aſciviſſe. Deniqve ipſi, priſca honorum inſignia, magiſtratuumqve faſces ademptos, tantô intervallô repoſuiſſe decus erit eximium, hiſtoriæ imprimis feſtivum & celebrandum. 582 A te autem, Here, eô amplius hoc exſpectatur à multis, & fortaſſe ab omnibus: ut iis qvi illuſtrandis litteris aut explanandis ætatem addixerint procul à curiis atqve tribunalibus, ſubſidia vitæ poſita in beneficentia tua velis. qvibus utiqve ipſis, ut ſi cuiqvam hominum nationi, in Francia prytaneo alimenta debentur. 583 Qvippe literarum reſtituendarum illuminandarumqve principes in unaqvaqve provincia, qvaſi qvidam Hercules ſunt & victores ſacrorum certaminum, qvæ certamina hodiernô tempore magnoperè ubiqve celebrantur. hiqve non minùs ſuas patrias qvàm ſeipſos coronant, ut olim athletæ coronare ſolebant, qvod Plinius prodidit. & illis ea mens eſt, ut & facultates & robur corporis, & ſpiritus omneis effundant & exhauriant in levando labore æqvalium & poſterorum, civium juxta & externorum. 584 Hoc certè Franciæ tuæ, hoc memoriæ tui principatus, litterarum in Francia interpolatoris & propemodum parentis: hoc deniqve debes Here, hominum de te exſpectationi amplæ & magnificæ. 585 Et qvoniam tu tanti nominis eſſe me exactorem non noluiſti (ut nihil amplius dicam) & me juris ſui cognitorem litteræ bonæ atqve etiam optimæ, actorem qvoqve ſuum eundemqve defenſorem eſſe voluerunt: libentius nihil facio, nihil promptius cùm occaſio ſe dedit: qvàm ea ut de re te planè appellem, qvam tibi cordi ſatis eſſe novi, & è re atqve exiſtimatione tua futurum eſſe ſcio. 586 In cujus rei eventum cùm magni voti reus ſim, ejuſdem ipſe damnari percupio anteqvàm è vita excedo. 587 Cùm enim aqvam (ut dicitur) & ignem communia cum amoribus meis hactenus habuerim ſemper, ex qvo amare cœpi: utiqve extremum vitæ actum pro ipſis devovere, ſi ita res tulerit, non dubitârim. 588 Nunc autem ego maximè eam devotionem commiſſam eſſe lætarer, qvando vivus adhuc & videns convincerer tanti voti. 589 Qvod utinam

Deus diviqve faciant, ut non fruſtra adhuc exſpectem: dùm prima & recta (ut inqvit ille) ſenectus, Dum ſupereſt Lacheſi, qvod torqveat: & pedibus me Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillô. 590 Ipſe medius fidiùs, ut Pelias ille qvondam, ad aliqvot annos (ut opinor) recoctus eſſe non recuſarem iiſdem ſtudiis amoribuſqve colendis: ſi eum honorem ipſis habitum hiſce oculis cernere puris adhuc & nudis poſſem. Capitalem enim illam carnificemqve gravedinem, qvæ mihi annos ferè duodetriginta infeſtior fuit commentanti, qvàm cani cynomyia in ſole dormienti, vel provocare jam poſſem. 591 Hìc cùm loqvendi finem feciſſem, ſermonis vicem Rex excipiens; Atqvi, inqvit, Budæe, tibi intus hanc cantilenam rarò, univerſis rivalibus ſæpe canere ipſe ſoles. mihi verò eam rem curæ fore iterum iterumqve promiſi, omnemqve mihi anſam exceptionis ademi præterqvam temporariæ, qvam jura & inſtituta moribus noſtris recepta, ut privatis, ſic regibus & auguſtis indulgent æqvâ conditione. neqve enim ſi non qvatenus, non etiam qvando commodè facere poſſum, appellari pollicitationis debeo: 592 Proinde jubeo te pauliſper, ac ſi qvi ſunt alii tibi, ut ſtipulandi, ſic vovendi correi (ut eſſe permultos non dubito, & certò ſcio, cùm plurimi jam ſint, ut audio, amorum tibi æmuli.) Interea igitur dùm tantæ exſpectationis rem ipſi architectamur, cujus nondum fundamenta jacere nobis vacavit. 593 Et ſimul hæc dicens: cùm ad ſtrepitum ingredientis undæ procerum clientiumqve eorum, reſpexiſſet: ſermone protinùs interciſô è ſella hilaris exſurrexit, ego verò inde ita domum abii, ut horis meis perparum eô alterô caſu detractum eſſe exiſtimarem. 594 Ceterùm in eo Philologiæ atqve Callilogiæ patrocinio non attentum nobis, non benevolum auditorem, non ad libellam (ut ita dicam) æqvum judicem, ſed coronam deſideravi atqve advocationem in eam cauſſam propenſam. 595 Spero tamen nihiloſecius indiciiſqve & argumentis non levibus colligo, futurum tandem cum Deo benevolente, ut Philologiæ noſtræ profeſſio, qvæ uno nomine liberalia ſtudia complectitur, liberali ab ipſo Principe manu, è ſordibus inopiæ, è nominis obſcuritate, in lautas vitæ condiciones ſplendidaſqve afferatur.

F I N I S.

THOMÆ

III.

THOMÆ CAMPANELLÆ

De Libris propriis & recta ratione ſtudendi

SYNTAGMA.

JUDICIA SCRIPTORUM DE CAMPANELLA

CÆSAR BRANCHEDAURUS

In Orat. præmonitoria edita Francof. 1609.

IN hoc homine (*Campanella videlicet*) qvid ingenium humanum poſſit, videtur naturæ dæmon experiri voluiſſe, ita omnes ignei, & ſubtiliſſimi animi vires in eo ſcintillant, & excellunt maximè.

Janus Nicius Erythræus I. Pinacoth. n. XXI. p. m. 41. *ſ.*

Inter egregia doctorum hominum ingenia, duo clariſſima familiæ Dominicanæ lumina, longè lateqve eruditionis & doctrinæ radios diffudiſſe conſpeximus; F. nimirum Thomam Campanellam, & F. Nicolaum Riccardium; ſed prior F. Thomæ ſplendor noſtros in ſe oculos atqve ora convertit. Hic Styli, qvod eſt Calabriæ oppidum, ortus, maturè ſe intra Dominicanorum clauſtra concluſit; hoc eſt, annos natus non amplius tredecim; ſed non minus celeriter eximii, ac ſupra humanæ conditionis vires ingenii, ſigna dedit. Nam cùm

cùm Philoſopho operam daret, qvæ ab ipſo accipiebat, continuò acumine eloqventiâqve majore, aliis tradebat. Sed tanta vis ingenii non potuit diutiùs, anguſtis unius cœnobii finibus contineri; longè majorem campum, in qvo excurreret, expoſcebat; ac primùm proximas regiones, tùm remotiores, nominis ſui famâ complevit. Nam magiſter, unde prima doctrinæ rudimenta acceperat, à fratribus Franciſcanis, Conventualibus, ad publicas diſputationes Coſentiam invitatus, cùm ſubito implicitus morbo venire non potuiſſet, ſubrogavit ſuum in locum Thomam; qvi ita præclarè, ita doctè, traditas ſibi partes exegit, ut eſſet omnibus miraculò, ac Teleſii, cujus ille ne nomen qvidem audierat, ingenium in eum immigrâſſe diceretur: qvò ille auditò, ejus Philoſophi librum intra paucos dies devoravit, ejuſqve philoſophandi rationem penitùs perſpexit, ac probavit; nec mora, minus undecim menſibus, ad Martæ librum, undecim annorum labore ſtudiòqve contra Teleſium exaratum, reſcripſit. Cujus poſteà imprimendi gratiâ Neapolim cùm veniſſet, atqve è navi egreſſus, præter Ædem S. Mariæ Novæ Franciſcanorum, ligneò utentium ſoccò, tranſiret, ex turba euntium ac prætereuntium incenſus eſt cupiditate cognoſcendi, qvid intus rei ageretur; atqve diſputationibus operam dari cognovit, in qvibus cuivis contrà diſſerendi facultas dabatur. Itaqve ſeſe certamini, unà cum aliis, objecit, cœpitqve ea, qvæ tanqvam firma ac rata ponebantur, tot argumentis tàm validis, tàm apte argutéqve concluſis, labefactare atqve convellere, ut ovanti ſimilis reductus ſit domum à fratribus ſui ordinis, ac poſterò die, & aliis deinceps multis, coactus ſit in eruditam illam aciem certamenqve deſcendere, unde ſemper, magna cum laude, victor diſcedebat. Illud vero ſui nominis famam, ſuprà qvàm dici poteſt, in immenſum auxit, qvod, cùm in illis diſputationibus, Theologorum qvoddam placitum in contentionem certamenqve deductum eſſet, ac multa doctè argutéqve in utramqve partem eſſent allata, neſcio qvod docti cujuſdam, ex ſuo ordine, ſenis dictum, utpote verum, cum plauſu excepit, & in cælum laudibus extulit; at ſenex iratus, Tace ſis, inquit, nec te immiſce; de Theologicis hîc rebus ambigitur, qvas tu ne primoribus qvidem labris attigiſti. Qvò hominis imprimis iracundi dictò exarſit ille, nec tulit; Ac vide, inqvit, qvam ego ſim harum rerum ignarus ac rudis, ut poſſim te decem annos in diſciplina habere, ac poſteà adigere, ut fatearis, te nihil ſcire vel intelligere. Ac reprehenſum ſenis illius argumentum, & ſanctorum Patrum ſacrarumqve litterarum teſtimoniis confirmatum, tanqvàm amentatam haſtam, ita cœpit ingenii lacertis ac viribus intorqvere, ut omnium conceſſu fuerit judicatum, à Campanella ſemper omnes, illò autem die etiam ipſum à ſeſe ſuperatum. Quæ victoria magnos illi, in omnem vitam, bellorum tumultus excitavit. Primùm, à ſene illo, cujus contumaciam retuderat, apud Qvæſitores fidei accuſatus, qvod, tantam vim doctrinæ, cujus, ne litteram qvidem didiciſſet, ex inferorum fontibus hauſtam ebibiſſet. Deinde Neapoli perduellionis reus factus, qvòd regnum illud hoſtibus prodere conatus eſſet. Cujus criminis ſuſpicione conjectus in carcerem, qvinqve & viginti in eo annos, omnibus confectus miſeriis exegit, & in primis ultimum

vitæ

vitæ diſcrimen adiit; cùm qvæſtione de eo qvinqve & triginta horis, dirè ac crudeliter habitâ, omnes, circa ſedem, venæ arteriæqve, tormentorum immanitate diſtractæ, tam vim ſangvinis emiſerunt, ut ſiſti non poſſet; ad qvæ tormenta tam animi fortitudinem attulit, ut ne vocem qvidem unam emiſerit, docti ac ſapientis viri gravitate indignam. Sed demum, ex vinculis illis elapſus, cùm novam ſibi tempeſtatem commoveri animadverteret, fugit in Galliam, tanqvam in portum, Regi illi ac regni proceribus, qvoad vixit, acceptiſſimus. Scripſit ingens opus, de reformatione ſcientiarum, decem in codices diviſum, qvorum ſinguli, plures in partes diſtribuuntur; unde, nihil acutiſſimo ingenio homini tàm fuiſſe propoſitum apparet, qvàm relictis veteribus viis, ad omnium ſcientiarum notitiam, novum atqve directum iter aperire. Scripſit etiam alia permulta, partim edita, partim nondum impreſſa, qvorum index à Jacobo Gaffarello recenſetur.

Joh. Henr. Boeclerus in Comment. in I. Annal. Taciti c. III. §. VII. p. m. 100. ſ. edit. Argentorat. M.DC.LXIV. in 8t.

Scio qvidem, qvæ tegendis talibus adferant σοφὰ φάρμακα, magiſtri & miniſtri dominationis: ſed ea, ſi excutias, deſinent tandem in grande iſtud iniqvitatis myſterium; *Utilitatem pro jure eſſe.* Poteſt de his hominibus dici, qvod *Plutarchus in Ageſil.* de Lacedæmoniis uſurpavit; *jus aliud nec diſcunt nec nôrunt, qvàm unde exiſtimant Spartæ magnitudinem & incrementa promoveri poſſe.* Ergo cùm objicitur ſpes magnæ prædæ, ſtatim illis in ore eſt: *Dignum id præmium eſſe, ob qvod juſtitia deſeratur & honeſtas violetur.* Qvalia conſilia & dicta, haud dubiè in exitium orbis nata videri debent. ſicut & diſtinctio illa inter *Majora & minora imperia. Qvaſi majoribus ſcil. qvidqvid lubet & qvidqvid aliis non licet, liceret.* At verò, *qvomodo major poteſt rex dici, niſi & juſtior?* ut ex cordato *Ageſilai* dicto apud *Plutarch.* rationem contradicendi mutuemur. Interim *Rationem ſtatus* oſtentant, & nomina magnificam ſpeciem habentia: ipſa qvoqve ſanctiſſima Dei majeſtas, tanqvam invitans ad talia, & jus dominandi in omnes, qvos regnandi cupidis barbaros libet vocare, largiens, impiâ pietate prætexitur. Qvalibus larvis *Thomas* ille *Campanella* novæ religionis, ut jactitat, repertor, reverà autem ad *Callicratis* inſtar (apud *Cornel. Nepotem* X. VIII. 1.) homo callidus & ad *fraudem acutus, ſine ulla religione ac fide*, publicis judiciis voluit imponere. Cùm enim vidiſſet, Machiavellum ob vafra & improba ejuſmodi conſilia apud pleroſqve vapulare, ipſe veluti mangonió qvódam adornata, qvæ Machiavellus nuda protulerat, ita denuò in theatrum induxit, ut & reprehenderet ſubinde Machiavellum, & Machiavelli tamen placita ſedulò ſub diverſis nominibus teneret. Id qvod hâc occaſione, in gratiam ſtudioſæ juventutis, monere operæ pretium duxi.

Dan. Georg. Morhof. I. Polyhiſtoris Litterar. c. XXII. p. m. 267. ſ.

Campanella, qvem à Bailleto (in libro de judiciis doctorum) omiſſum miror, inter præcipuos noſtri temporis polygraphos etiam numerandus eſt. Portentum ingenii fuit, & omnes ferè diſciplinas ad ſenſum ſuum reformavit. Qvæ edidit ipſe, non multa qvidem ſunt, etſi ſatis illa operoſa & ſpiſſa volumina. Ineditorum longè major numerus eſt, ut ipſe de libris ſuis librum ſcripſerit, ubi illorum hiſtoriam recenſet. Plura de illo in Polyhiſtore Philoſophico. *Qvi qvoniam, qvod ego ſciam, nondum editus eſt, aut ſaltem à me non viſus, placet ex eo MScro, qvi in Bibliotheca mea adſervatur, ſeqventia de Campanella ſubnectere.* Campanella ordinis prædicatorum, mirabilis ingenii & fortunæ homo, omnium penè Scientiarum ad ſuos ſenſus reformator, à peripateticis principiis diverſiſſimus; acerrimi tamen ingenii fuit, ut multorum invidiam & pœnas etiam in ſe provocârit. Scripſit librorum ingentem farraginem, qvorum nonnulli editi ſunt, longè plures inediti, ut videre licet ex hiſtoria operum & ſcriptorum ſuorum, qvam ipſe ad Gabrielem Naudæum conſcripſit, qvæ reperitur inter varias diſſertationes de ſtudiis inſtituendis, qvæ ſub nomine Hugonis Grotii prodierunt. Amſtelod. CIↃ IↃC XLV. in 12mo. * Ut Logica, Moralia, Politica, Grammatica, Medica, Aſtrologica ejus mittamus; Phyſica hæc ſunt: Scripſit de ſenſu rerum librum, in qvo omnibus omninò rebus etiam inanimatis ſentiendi facultatem tribuit, qvô vim ingenii ſui magis oſtendit, qvam rei veritatem ſectatur. Francof. CIↃ IↃC XX. in 4to. Qvàm enim paradoxum eſt omnia illa, qvæ motui externo vel interno adſcribi poſſunt, effecta ad ſentiendi facultatem reducere; ut ſi qvis eô modô philoſophari velit, qvidvis de qvovis affirmare & negare poſſit. Video tamen hanc ſententiam placuiſſe Franciſco Redo in libro de generatione inſectorum, ubi plantis etiam ſenſum adſcribere non veretur p. 258. Amſt. 1671. in 12mo. editionis Latinæ; aliàs Italicè ſcriptus eſt liber. Scripſit idem diſqviſitiones phyſiologicas, magnum volumen, Pariſiis in fol. editum, in qvo multa continentur curioſa. Scripſit & Philoſophiam realem epilogiſticam conſtantem partibus qvatuor, qvarum prima eſt Phyſiologia. Hic locum & materiam inter principia ponit. Calorem & frigus principia Activa ſtatuit, in qvo Teleſium ſeqvitur. Vanitatibus Aſtrologicis ſupra modum fuit deditus, & ipſe nova qvædam in illis principia excogitavit: Neqve enim ſatis ante nugarum erat. Scripſit & ſingularem de vitando fato Aſtrologico librum, qvod Argumentum nemini hactenus Aſtrologorum in mentem venerat. Sed vitare illud per ipſas hypotheſes ſuas aſtrologicas docuit, adeoqve fatum fatô eluſit.

* Nos eam hic damus ex editione Pariſina anni M. DC. XLII. in 8t. qvæ ob dedicationem Naudæi, & teſtimonium Cæſaris Branchedaurii præfixum auctior eſt Amſtelodamenſi.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. RENATO - MARESCOT

Abbati Sancti Joan. Prope Faleſium, Conſiliario, & Eleemoſynario Regis, Reginæ Chriſtianiſſ. ordinario, meritiſſimoqve.

GABRIEL NAUDÆUS S.P.D.

JUcundiſſimæ neceſſitudinis, qvæ mihi tecum interceſſit, cùm uterqve noſtrûm in Aula Romana verſaretur, & qvam tu, qvi prior ab illa diſceſſiſti, magnis honeſtiſſimiſqve de cauſſis in Galliam revocatus, mecum poſtea per litteras, humanitatis, officiorumqve pleniſſimas fovendam eſſe duxiſti, illud à me ſemper teſtimonium deberi ſum arbitratus, qvòd præter animi in te mei propenſionem, tum qvoqve in omnes liberalium doctrinarum ſtudioſos egregiam voluntatem ſignificaret. Qvamobrem, cùm ex illorum numero, qvi Romæ tibi familiares vixerunt, & Domum tuam ornatiſſimam, qvæ bonis omnibus patebat, freqventes inviſerunt, unum Campanellam plurimi ſemper à te factum fuiſſe deprehenderim, non abs re propterea me facturum exiſtimavi, ſi libellum hunc, qvem mihi ſucciſivis horis dictaverat, fidei atqve auctoritati tuæ committerem: non qvòd idoneus valdè ſit, qvi præclaris tuis, ac ingentibus in me, & Campanellam meritis reſpondeat, cùm mole ſit exiguus, & ab auctore ſuo non ita diligenter excultus, illis ut placere poſſit, qvi erga litteras Tullianum in morem haud exaratas, animô paullò ſunt ſeveriore; ſed ut occaſionem tibi præbeat, qvam lubentiſſimè ſemper amplecteris, & vindicandi Campanellam ab ejuſmodi cenſuris, & me etiam, qvem tibi addictiſſimum eſſe non ignoras, ut anteà qvidem, ſic impoſterum modis omnibus ornandi. Vale. Pariſiis 4. Non. Jun. M. DC. XLII.

THOMÆ CAMPANELLÆ
De libris propriis & recta ratione ſtudendi
SYNTAGMA.
Ad GABRIEL. NAUDÆUM Pariſin.
PROOEMIUM.

NON immeritò te Philoſophorum Mercurium vocari poſſe cenſemus, perſpicaciſſime *Naudæ*, cùm videamus te ſapientum dogmata, vitas, mores, rationem diſcendi, atqve docendi ſtudiosè perſcrutari, examinare, promulgare, & in mundi ſcenis perſonare; & qvid boni, qvid mali lateat in ſcientiis, ac ſophiſmatibus in lucem pandere, ut unicuiqve qvod ſuum eſt non deceptæ ampliùs tribuant ſcholæ, & procul à calumniis, procul ab adulatione fiant; 2 Qvapropter ego cujus commentarios fermè omnes perlegiſti, atqve tuis approbaſti ſcriptis editis, abs te ſtimulatus, adjuratúſqve, ut omnium librorum meorum numerum ac rationem tibi patefacerem uſqve ad ſchedas; 3 Putas enim ex his, & modum diſcendi, & arcana rerum introſpiciendi, & æmulationem perutilem ſic eruere; 4 Petitionibus tuis generoſis deeſſe nolui, qvamvis non tantum, talemqve me intelligam, unde exemplar niſi ærumnarum ferendarum homines accipiant. 5 Dixit Æneas Aſcanio filio apud Virgilium XII. Æn. v. 435.

Diſce puer virtutem ex me, verumqve laborem,
Fortunam ex aliis.

qvod in medio poſuit dumtaxat mihi non negem, dum qvod poſtulas tibi aſſero, amiciſſime *Naudæ*.

CAPUT I.
De libris Propriis.
ARTICULUS I.
De tempore & occaſione ſcribendi libros in Adoleſcentia & in fervore ſtudiorum.

1 EQvidem qvinqvennis adhuc, litterulis ac pietati, adeò ſtudioſam operam dedi, ut qvidqvid Parentes & Avi, & Concionatores de divinis Eccleſiaſticiſqve rebus dicerent, & qvidqvid pædagogi docerent, animô conderem. 2 Annô decimô tertiô Grammaticorum dogmata, ac verſificatoriæ artis, ita

ita perceperam, ut qvidqvid liberet, proſâ ac metrô poſſem eloqvi; multáqve carmina tunc édidi haud tamen nervoſa; 3 mox in qvartanam incidens per ſex menſes, annô qvaſi decimô qvartô cum dimidio, accidit ut Parens Neapolim me vocatum à Julio Campanella Juris prudentiæ Lectore, mittere vellet; 4
ſed eôdem tempore religionem Dominicanorum, cùm ex ea concionatorem eloqventem audiviſſem, Logiceſqve ab eodem principia prægustâſſem, maximè autem ſancti Thomæ & Alberti magni hiſtoriâ affectus fuiſſem, profiteri volui. 5 Miſſus igitur poſteà ad Cœnobium ſancti Georgii oppidi, Logicam & Philoſophiam auditurus, orationem metrô heroïcô, atqve hymnô ſaphicô cùm dominus oppidi auſpicia dominii primùm adiret, in populorum & vicinorum freqventia, à me compoſitam recitavi, multáqve carmina cùm in Eccleſia noſtra, tùm in triumphali arcu per me condita adhuc viſuntur inſculpta. 6
Prætereà lectiones Logicas & Phyſicas, & animaſticas formâ concinnâ, compendioſâqve deſcripſi. 7 Deinde cùm eſſem anxius, qvòd veritas non ſincera, ſed potiùs falſitas pro veritate; in Peripato verſari mihi videbatur, Ariſtotelis commentatores Græcos, atqve Latinos, Arabeſqve examinavi omnes, & hæſitare magis cœpi in dogmatis eorum, ideóqve perſcrutari volui, an qvæ dixerunt ipſi, in mundo etiam legantur, qvem codicem eſſe Dei vivum, ex doctrinis ſapientum intellexi. 8 Cúmqve doctores mei argumentis ſatisfacere non poſſent, qvæ contra ipſorum lectiones promebam; ſtatui ipſe libros omnes percurrere Platonis, Plinii, Galeni, Stoicorum, & Democriticorum, præcipuè verò Teleſianos*, ac cum mundi codice primario conferre, ut ex

 origi-

* *Teleſianos*] Bernhardus Teleſius fuit Conſentinus Italus, cujus Liber de rerum natura juxta propria principia prodiit Neapoli libris IX. comprehenſus in fol. annô CIƆ IƆ.LXXXVII. Is, ut præ ſe fert, in procemio, mundi conſtructionem corporumqve in eo contentorum magnitudinem naturamqve non ratione, qvod ab antiqvioribus factum eſt, inqvirendam: ſed ſenſu percipiendam & ab ipſis habendam eſſe rebus vult, idqve toto librô ſuô docere intendit. Primô librô demonſtrare laborat Solem à calore, terram à frigore conſtitutam, omnemqve operandi facultatem illis inde provenire. Calorem, frigus, materiam, tria eſſe principia, in qvibus omnia conſiſtant, variaſqve autem fieri diverſaſqve operationes ratione locorum, in qvibus illæ fiunt, ac pro temperie & moderatione frigoris. Hinc ſiccitatem, humiditatem &c. deducit. Mare à Solis calore è terra produci oſtendit. Librô ſecundô contra Ariſtotelem & Peripateticos diſputat de communi materia, de cœlo an igneæ naturæ ſit? An calor & frigus ſint ſubſtantiæ? Tertiò librô ejus principia impugnat & qvalitates elementares. Siccitatem à calore, humiditatem à frigore provenire negat, cùm calor liqvefaciat, frigus exſiccet. Rationibus etiam, qvas in ipſo Ariſtotele inveniſſe vult videri, evincere conatur, omnem aqvam ſuì naturâ calidam, ignem ſummè humidum; qvatuor humores in corporibus etiam negat. Ignem etiam & aërem miſtionem corporum ingredi non vult. Qvartô librô Calorem non ideò in terra non generari demonſtrat, qvod ex ſententia Ariſtotelis Sol & Aſtra ſuô motu aërem terant & comprimant: qvam ſententiam prolixè ibi refutat. Multa etiam de motu cœlorum & primo motore diſputat. Qvintô Ariſtotelis ſententiam de anima humana impugnat, ejuſqve potentias facultateſqve ſcrutatur. In ſexto de generationibus animalium & Plantarum agit, in qvo non adeò multa nova reperiuntur, aut à ſententiis communibus diſſentientia. In ſeptimo de externis objectis & ſenſibus. In octavo de ſenſibus interioribus, de paſſionibus animi, virtutibus & vitiis multa contra Ariſtotelem philoſophatur. Hæc verò ſunt præcipua philoſophiæ ejus principia, in qvibus cum ſtudiô novaturire qvis non videt? Nam & paradoxa multa ſunt, multa cavilla, multa inanibus ratiunculis ſuperſtructa.

Inge-

originali & autographo, qvid veri exemplaria habent, & qvid falſi agnoſcerem. 9 Etenim cùm publicè diſputarem Conſentiæ, ne dum cum fratribus meis privatim, inveniebam parum qvietis in reſponſis illorum; ſed Teleſius me delectavit, tum ob libertatem philoſophandi, tum qvia ex rerum natura, non ex dictis hominum penderet; 10 Proptereáqve cùm mortuo Teleſio, qvem viventem alloqui non licuit, Elegeiam affixiſſem; Altum-Montem oppidum adivi, ubi Platonicorum, & Medicorum libros ab optimis viris ſubminiſtratos perlegi, atqve ſvaſu Joannis Franciſci Branchæ Caſtrovillarenſis Medici, ſcribere cœpi contra Jacobum Antonium Martam Neapolitanum, qvi librum ediderat contra Teleſium, *pugnaculum Ariſtotelis attitulatum*; 11 Ibi octo diſputationes confeci, qvarum prima eſt de Principiis rerum naturalium: 2. de formatione fœtus in utero: 3. de Cœlo & Mundo 4. de Elementis 5. de uſu obliqvè lati Solis: 6. de Miſtione Elementorum: 7. de qvalitatibus eorumdem: 8. deniqve de moventibus, Branchâ ac Plinió Medicis, ſubminiſtrantibus libros animúmqve; 12 Hîc totam Philoſophiam Peripateticam in examen adduxi, Philoſophorum priſcorum ac Medicorum decretis, ſimulqve naturæ placitis, & ſenſu confutavi, Pugnaculum iſtius auctoris, ſic ut qvem defendere profitebatur, hunc potius oſtendere palam oſtenderim. 13 Hic liber polemicus impreſſus eſt Neapoli in officina Horatii Salviani annô Chriſti M. D. LXXXX. qvô etiam tempore in domo Marchionis Lavellii Mariô Tuſô filiô favente, ſcripſi commentarios duos unum de ſenſu, alterum verò de inveſtigatione rerum; & Conciones orationéſqve multas, pro amicis doctoratus inſignia adeuntibus, compoſui. 14 Ad iſtorum verò librorum de ſenſu rerum compoſitionem, movit me præſertim diſputatio habita in Comitiis publicis, & ſeorſim Joannes Baptiſta Porta, qvi ſcripſerat Phyſiognomoniam, ubi ſympathiæ, & antipathiæ rerum dicebat non poſſe reddi rationem, qvando ſimul ſuum librum jam excuſum examinabamus. 15 De inveſtigatione autem ſcripſi, qvoniam videbatur mihi Peripateticiſmus, & Platoniſmus largam per viam, & non rectam ad

Ingenium tamen auctoris negari non poteſt, & vel eô nomine laudari meretur, qvod primus tyrannidi ſcholaſticæ & peripateticæ ſe oppoſuerit, ac aliam philoſophandi in phyſicis rationem per ſenſus ſcilicet monſtraverit. Hujus qvædam principia ſua fecit Franciſcus Patricius. Calorem enim & frigus operandi principia retinet. Addidit verò ſpatium, lucem, & fluorem. Circa Lucem, ut principium primum viſibilium, copioſus admodum eſt & prolixus, qvam unà cum tenebris faciem caloris & frigoris conſtituit, ut eorum operationes motum & qvietem. Vacuum violentum in natura dari affirmat; qvod & hodiè qvidam per experimenta probant. Cœli rotunditatem & orbes, eorum denſitatem vel tenuitatem contra Ariſtotelem negat. Ignem ſublunarem explodit & qvatuor corporum qvalitates. Cauſſas fluxus & refluxus maris ſubtiliùs demonſtrare laborat. Sed is magis intricavit ſua dogmata, qvàm ipſe Teleſius, & interdum nebulas Platonicas aliqvas captat potiùs, qvàm rerum veritatem ſectatur. Editi fuerunt ante illud tempus ab eodem Bernhardino Teleſio Conſentino ſpeciales aliqvi in Phyſicis libri. I. de iis, qvæ in aëre fiunt & de terræ motibus, ubi de meteoris, Ventis pluviis, tonitru &c multa contra Ariſtotelem diſputantur. Neapoli CIↃ. IↃ. LXX. in 4to II. de colorum generatione, in qvo, è principiis caloris & frigoris omnem eorum familiam deducit. III. de mari, in qvo mare naturâ ſuâ ſalſum eſſe contra Ariſtotelem diſputat. elementum autem eſſe contra eumdem negat. Habet & multa de cauſſis motuum in mari, in 4to ibidem.

ad rerum notitiam perducere adoleſcentulos. Propterea ex ſolo ſenſu, & his qvæ per ſenſum novimus, redactis ad novem genera ſenſibilium, putabam me facere poſſe, ut qvilibet de qvacumqve re non per vocabula tantùm, ut Raymundo Lullio mos eſt, qvem apud Altum Montem examinâram, ſed per ſenſibilia objecta ratiocinari poſſet. & definitionem eſſe Epilogum ſcientiæ oſtendi, finemqve, non autem principium cognoſcendi, ſed tantum docendi.

Articulus II.

De tempore & occaſione ſcribendi libros in juventute, & dum Romæ degerem.

1 SCripſi poſteà qvoddam Metaphyſicæ novæ exordium, in qvo Metaphyſicorum principia ſtatuebam neceſſitatem, Fatum, Harmoniam. 2 Item Philoſophiam Pythagoricam carmine Lucretianô auſpicatus qvidem ex Ocelli Lucani lectione, & Platonicorum dictis. 3 Annô autem Domini M. D. XCII. Romam perrexi, fugiens æmulos accuſantes, *qvomodo litteras ſcit cùm non didicerit?* nec tamen meliorem ſortem nactus Florentiam acceſſi, librúmqve de ſenſu rerum magno duci Ferdinando primo dedicavi. 4 Deinde Venetias, ac Patavium petens, libros ibi editurus, dum Bononiæ hærerem, furtim ſublati ſunt omnes jam dicti libri, & Carmina qvædam Latina haut inepta; item Phyſiologiæ primus liber diſputationibus contra omnes ſectas confectus, qvem novemdecim alii libri excogitati ſubſecuturi erant. 5 Sed nihil hâc jacturâ deterritus poſteà Patavii cœpi Empedoclis Philoſophiam inſtaurare, & ſcripſi novam phyſiologiam juxta propria principia ad Lælium Urſinum 6 Item ejuſdem Urſini juſſu apologeticum de venarum, nervorum, & arteriarum origine, & de pulſatione, pro Teleſii commentario qvod animal univerſum & cetera, contra Andream Chiocum Medicum Veronenſem, qvi adverſus Teleſium ſcripſerat, miſiqve hoc opuſculum ad Antonium Perſium Teleſianum, apud Lælium Urſinum Romæ commorantem. 7 Dictavi etiam Rhetoricam novam nobilibus qvibuſdam Venetis Auditoribus. 8 Deinde Romam perductus, libros hoſce omnes amiſi, at qvorum Bononiæ jacturam feceram, hos omnes inveni Romæ in ſancto officio, ubi illos defendi interrogatus, nec repetii tamen; meliores denuò refecturus. 9 Romæ igitur iterum dictavi Phyſiologiæ compendiolum, nec qvidqvam ulteriùs de illo cogitaveram; Sed Tobias Adamus annô M. D. CXI. neſcio à qvo, illud accepit Patavii, ac publici juris fecit ſub titulo Prodromi totius philoſophiæ Campanellæ. 10 Præterea aggreſſus ſum Phyſiologiam compendioſam, ſperans reſarcire priorem jacturam ingentis voluminis, atqve in ea omnium antiqvorum proponebam opiniones, & cum noſtris conferebam, qvam ſubindè miſi ad Marium Tufo. 11 Item ſyntagma de rei eqveſtris præſtantia ad eumdem Marium. 12 Item Conſultationem vulgari ſermone reqviſitus, an expediat Reipublicæ Venetorum, ſinere

oratores

oratores aliorum Principum in ipſorum Senatu propriâ loqvi lingvâ; dediqve Angelo Corræo Patritio Veneto. 13 Scripſeram etiam Patavii de Monarchia Chriſtianorum commentarium non pœnitendum: ubi oſtendebam qvibus artibus res Chriſtiana crevit, creſcet, & qvibus decreſcere ſolet, & qvibus recuperanda ſit, politicè loqvendo; & Parallelum inter Regnum & Reges Hebræorum, & Regnum Regéſqve, & Imperatores Chriſtianorum inſtituebam. 14 Item de Regimine Eccleſiæ ad Pontificem, qvibus modis, non obnoxiis Principum contradictionibus, ex toto mundo, Pontifex Maximus ſolis armis Eccleſiaſticis poteſt efficere unum ovile, ſub Paſtore uno, qvos poſtremos dedi Lælio Urſino, & Mario Tuſo; autographum verò furati ſunt in Calabria infideles amici. 15 Similiter Romæ verſibus Hetruſcis ſcripſeram de modo ſciendi, & phyſiologica, amiſiqve utrumqve Neapoli. 16 Scripſi etiam Romæ Poëticam juxta propria principia, qvam dedi Cynthio Aldobrandino Cardinali San. Georgio, extatqve in multorum manibus, licet qvidam Hiſpanus ipſam convertit in ſuam lingvam, ſuóqve inſcripſit nomine; qvod cùm vidiſſem Neapoli in Arce Regia anno M. D. CXVIII. riſum certè qvàm maximum mihi commovit, ſed ubiqve contra plagiarium exemplaria noſtra conteſtantur, & ipſemet fur in fine ſeſe excuſat, qvare Italicos ſæpe poëtas citat, videlicet Arioſtum, Taſſum, Gvarinum, qvamvis Hiſpanus eſſet, nempe ut furtum cautius tegeret. 17 Scripſi etiam Romæ dialogum vulgari lingvâ, de ratione convincendi Hæreticos noſtri temporis, omneſqve ſectarios contra Romanam Eccleſiam inſurgentes, per qvodlibet mediocre ingenium, & unicâ primâ diſputatione; dediqve ipſum jam olim Michaëli Bonello Cardinali Alexandrino, & Antonio Perſio, tibiqve etiam non ita pridem eundem conceſſi amiciſſime Naudæe, qvamqvàm non ut ipſum editioni demandes, qvia in epiſtola AntiLutherana ad Philoſophos, & Principes ultramontanos pro inſtauranda Religione, dialogum hunc diu qvidem anteà tranſtuleram. 18 Prætereà, orationes etiam & Politicos diſcurſus nonnullos dum Romæ eſſem, carmináqve Hetruſca, ac Latina multa, amicis dedi, etiam ipſorum nomine propalanda. 19 Hîc etiam cœpi verſus Hetruſcos Latinô metrô componere, ut in Canticis noſtris apparent, & artem metricam vulgaris ſermonis, perſimilem Latinæ, unde cujuſqve ſyllabæ qvantitatem diſcere, ac ſervare qveas, certas per regulas patefeci, dediqve hanc Joanni Baptiſtæ Clario Medico Archiducis Caroli Romæ, ac duobus juvenibus Aſculanis. 20 Annô deniqve M. D. XCVIII. Neapoli, epilogum Phyſiologiæ, atqve Ethices perfeci; mox in Calabriam reverſus in patriæ meæ ſtylo, compoſui Tragœdiam Mariæ Scotorum Reginæ, ſecundùm poëticam noſtram non ſpernendam. 21 Item ſcripſi de Auxiliis ‡ contra Molinam prò Thomiſtis, & diverſa opuſcula in gratiam amicorum.

ARTI-

‡ *Auxiliis*] Scilicet Gratiæ. De qvibus integra conſcripſerunt Volumina Didacus Alvarez, Martinus Becanus & Franciſcus Svarezius; è noſtris verò D. Johann. Hulſemann. Malè loqvi mihi videntur Pontificii, qvando divinam omnem Gratiam tàm primam, qvàm ſuccedentem vocant *auxilium*, eâqve voce omnes omnino Gratiæ ſpecies concludi ajunt; Alvarez mox ab initio; Franciſc.

ARTICULUS III.

De tempore & occaſione ſcribendi libros in ætate virili, & inter moleſtias Carcerum.

1. SEd iſtis omnibus abſolutis, accidit mihi qvod dicitur à Salomone *cùm conſummaverit homo, tunc incipiet, cùm qvieverit operabitur*; exſurgente ſiqvidem perſecutione, qvæ tot alios tamdiu exercuit, ductus fui Neapolin tanqvàm reus Majeſtatis, ibiqve dum librorum copia negabatur, condidi Latina, Hetruſcáqve carmina multa, de ſapientia prima, & potentia; de primo amore, de bono, pulchro, & ſimilibus, qvæ omnia ſcribebam cùm dabatur furtivè commoditas, ex qvibus VII. libri facti ſunt attitulati Cantica, qvorum Tobias Adamus qvædam ſelecta juxta ingenium ſuum edidit, ſub Sqvillæ Septimontani nomine, additis annotationibus. 2 Cecini item elegias de propriis & amicorum ærumnis, Rhythmos etiam prophetales, & Pſalmodiam qvádruplicem de Deo, & omnibus ejus operibus, atqve hâc poëtica ratione roboravi etiam amicos, ne in tormentis deficerent. 3 Scripſi prætereà aphoriſmos politicos, qvos deinde in capitula diſtinxi, & politicam ſcientiam condidi; addidiqve œconomicam valde utilem, & ethicam denuò inſtauravi juxta doctrinam Primalitatum, adjeciqve ideam Reipublicæ qvam voco Civitatem † Solis, longè præſtantiorem qvàm ſit Platonica, aut alia qvævis, qvod opus ſub nomine philoſophiæ realis in qvatuor partes ſectæ, editum eſt Francofurti, operâ Tobiæ Adami, annô M.D.CXX. ni fallor, Latinâ lingvâ, licet etiam Italicâ priùs ſcriptum fuerit. 4 Prætereà ſcripſi librum de Monarchia Hiſpanorum Italicâ lingvâ, laudatum à te in erudito opuſculo qvod adverſus fratres Roſaceæ

ciſc. Zumel T. II. Diſpp. Q. I. Papa ipſe Decretô annô M. DC. VII. promulgatô ne qvis de Auxiliis Gratiæ porro diſputaret. Qvod etſi à nonnullis neglectum fuerit, fatetur tamen Franciſcus Sylvius, ſe ut morem gereret Romano Pontifici, Qværſtionem CV. primæ partis Thomæ omiſiſſe, in præfatione Commentarior. Ceterùm qvamvis inter ipſoſmet Pontificios, Jeſuitas ſcilicet, Veterum Pelagianorum, & Dominicanos, Veterum Prædeſtinatianorum reliqvias, de arduis fidei noſtræ articulis, Gratiæ divinæ efficaciam ſpectantibus & Liberi poſt lapſum Arbitrii vires, jam dudum diſputari cœperit, cui malo CONGREGATIO DE AUXILIIS, paucis à Concilio Tridentino annis, auctoritate Romani Pontificis inſtituta medicam manum neqvidqvam adhibuit; fruſtra qvoqve Bellarminô, ab aula Pontificia ſub ſpecie conlati Archi-Epiſcopatus Capuani, Clementis VIII. tempore, ſubmotô, qva de re Jacobus Fuligattus in Vita Bellarmini, lib. III. c. V. videri poterit: omnium tamen vehementiſſimè, repetitô anathematis fulmine, occaſione eorum, qvæ Michaël Bajus & Cornelius Janſenius docuerunt, celebres illæ de *Auxiliis Gratiæ*, itemqve de Concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii Controverſiæ agitari cœperunt. De qvibus fortè alibi plura à nobis dicentur. Sed dum hæc ſcribo mittitur mihi Cl. Melchioris Leydeckeri Theologi Ultrajectini Hiſtoria Janſeniſmi Trajecti ad Rhenum hôc annô M.DC XCV. in 8r. formis deſcripta, qvam cognoſcere nonnullum forte pretium erit operæ.

† *Civitatem Solis*] Habeo illam ex edit. Ultrajectina in 12. an. CIƆ IƆ CXLIII. impreſſam. Cui additus eſt, Mundus alter & idem, ſive Terra Auſtralis antehac ſemper incognita Mercurii Britannici: Item nova Atlantis Franciſci Baconis Baronis de Verulamio. Tractatus omnes hi lectu non ſunt indigni ſed potiùs jucundi & utiliſſimi.

Crucis edidiſti, & ab omnibus Germanis, qvi ipſum propterea lingvâ ipſorum vernaculâ edidêre, qvamvis Italicâ, & Latinâ ex Gaſparis Scioppii, & Chriſtophori Fluggii Muſæo in omnium fermè manus pervenerit. 5 Compoſui paullò pòſt articulos prophetales qvindecim pro defenſione dictorum meorum, unde anſam arripuerant faciendi me reum Majeſtatis, & hoc ex dictis Prophetarum, Sibyllarum, & Sanctorum & ex politica, & aſtrologica prædictione; oſtendiqve clavem ſcripturæ ſanctæ, & naturæ, per ſeptimanas creationis, ſecula Mundi, ætates Synagogæ, & Eccleſiæ, & per ſigilla, phialas, eccleſias, candelabra, & tubas de eventibus ſeculi, extant apud multos Hiſpanos, Germanos, & Italos, inter qvos omnis antiqvioris doctrinæ, & ſuppellectilis promus condus nobiliſſimus eqves Caſſianus à Puteo, non hos tantùm, ſed reliqvos omnes meos libros colligere diligenter curavit, qvemadmodùm etiam fecêre Veſtrius, & Cæſarinus. 6 Compoſui poſteà opuſculum ad capita factionum, de eligendo ſummo Pontifice ſemper optimo, qvod habent Cardinales Borgheſius, Ludoviſius, & alii; miſſum enim eſt ad Conclaviſtas Urbani VIII. 7 Item Medicinalium libros VII. juxta propria principia, ubi oſtenditur Medicinam antiqvorum cæcam fuiſſe, nunc autem oculatam exiſtere, neqve naturas, & cauſas morborum, aut medicaminum adhuc exploratas fuiſſe, extat apud nos & apud Tobiam, & Favillam. 8 Conſeqventer ſcripſi iterum de ſenſu rerum, & magia libros qvatuor Italicè, & Latinè qvos Tobias Adamus edidit Francofurti anno M.D.CXVIII. 9 Item vanitatem Aſtrologorum, Judæorum, & Arabum, & qvorumdam Latinorum peroſus, confeci libros ſex de aſtrologia ex naturæ decretis, qvos unà cum medicina, & libris de ſenſu rerum poſt impreſſionem Francofurtenſem melioratis, dedit amicus Bibliopolæ Lugdunenſi Antonio Soubron anno M.D.CXXII. qvi tamen uti promiſerat, nondum illos edidit, ſed defunctus hæredibus reliqvit, à qvibus nondum hos recuperare potuimus. 10 Sub idem tempus cùm poſitiones aſtronomicas Chaldæorum, & Pythagoræorum, ac Ægyptiorum conſiderâſſem, noſtraſqve phyſicas obſervationes, compoſui Aſtronomicos libros qvatuor ubi exploſis Epicyclis, & Excentricis Ptolemæi: item Copernici motibus Telluris, & librationibus, Arriſtotiſqve; ac aliorum circulis homocentricis, & Kalippi Eudoxiqve poſitioni additis revolventibus, novum ſyſtema conſtruximus, & recentiorum phœnomenωm rationes reddidimus, ex uno deſcenſu Solis inceſſabili, ſed irregulari ad Telluris (qvæ eſt centrum odii, ſicut Sol eſt centrum amoris) combuſtionem. 11 Hos libros abſtulit domeſticus qvidam Nuntii Apoſtolici Neapolitani, miſſus ad perqvirendum ſcripta mea in Caſtro Ovi annô 1611. nec qvidqvam ex ipſis recuperare potui, aut ſcire, qvid actum fuerit, haberi tamen poteſt poſitionis noſtræ ſenſus ex Phyſiologia & Metaphyſica. 12 Prætereà qvæſtiones ſuper Phyſiologiam, Ethicam, Politicam, Oeconomicam & Civitatem Solis ſcripſi, diſtinctas ſimiliter in partes qvatuor, contra ſectarios antiqvos ac modernos, pro Philoſophia ſanctorum tuenda, qvam tradidimus epilogiſticô ſtilô in præfatis libris per Tobiam editis, horumqve exemplaria nondum tamen perfectè concinnatorum, extant apud Tobiam,

Favillam

Favillam & Scioppium, ſed nunc meliores illos fecimus, ac digniores qvi prælo tradantur. 13 Paullò pòſt Neapoli ſcripſi Metaphyſicam vulgari ſermone in tres partes, & libros qvindecim diſtinctam, ubi de principiis eſſendi, cognoſcendi, & operandi: ac ſupra Neceſſitatem, Fatum, & Harmoniam primitùs mihi excogitata, tunc poſui cauſſas, & principia, & primalitates entis; hanc autem accepit à me annô 1603. Hieronymus Tufo Lavelli Marchio, nec unqvam reddidit, ſed ipſo defunctô, per ſervum nomine Gallum ſubrepta, data eſt Joanni Baptiſtæ Heredio, Piſano Appulo, ut reſcivi, poſtqvàm novam Metaphyſicam Latinè cœpi ſcribere annô 1610. qvæ tamen ſtatim ab Nuntii qvodam Aulico rapta periit. 14 Deinde reſcripſi illam in meliorem formam; ac parte illius primâ, de vero ſapiente egi, & qvomodo agnoſcendus; item de ſcientiæ acqviſitione, utrum illa detur ſecundùm ſe, an ſecundùm nos tantùm, an utrôqve modô, & de Scepticorum, Protagoræ, Platonicorum, & omnium ſuper hoc opinionibus diſputavi; Item de principiis ſciendi per cathegorias, ubi Platonicas, Peripateticas, Epicureas, Lullianas & Architæ cathegorias cum noſtris examinavi, Item univocis addidi analoga, & tractatum de Primalitatibus, & eſſentiatione, de principiis & principiatione, de cauſis & cauſatione, de effectibus, ſeminibus, occaſionibus, conditionibus, & de natura & arte. 15 In ſecunda verò de ente, & non ente, & de exiſtentia; item de horum cauſis, principiis, & primalitatibus; item de objectis, vita, vero, & bono, deqve oppoſitis; item de magnis horum influxibus neceſſitate, & contingentia: fato & fortuna; Harmonia, caſu & ſorte; item de baſibus exiſtentiarum ut de qvintuplici Mundo, videlicet ſituali, materiali, mathematico, mentali, & archetypo interiùs exteriùſqve ordinatis, & complexis. 16 In tertia deniqve parte de principio & fine entium omnium, & non entium; de ideis, de intelligentiis, de illicibus, de mentibus corporatis; de vitis humanis, divinitùs, cœlitùs, & angelitùs, & diabolitùs & humanitùs, & beſtialitùs comparandis; de gubernatu Mundi, & ſyſtematum; de religione, de prophetis, de legiſlatoribus, horumqve examine; de beatitudine & reverſione rerum ad Deum, de immortalitate animorum, de Mundis, de ſeculis ſeculorum; & hæc juxta omnium gentium opinionem & ſcientiam, & revelationem; accepit libros hoſce Tobias, à Gregorio Coſta, ſed non edidit, qvoniam ſcripſi me eos in meliorem doctrinam redactos penes me habere. 17 Prætereà libros XXIX. ſcripſi de Theologia juxta Metaphyſicam noſtram; ubi omnium nationum & Mahumetiſtarum, Thalmudiſtarum, Americanorum, ac Indorum leges, qvas noſtri Theologi non tetigerant, examinavi, & qvæſtionibus vanis reciſis utiles tantùm addidi, credo Reipublicæ Chriſtianæ valde profuturos; Horum verò frater Paullus Pyromatus diſcipulus habuit exemplaria completa, ſed Joannes Blumius Saxo, & alii libros tantùm nonnullos. 18 Prætereà opuſculum de Conceptione Virginis ſub illud tempus pertexui, concilians opiniones omnium pro ſancto Thoma. Et libros qvatuor attitulatos *qvòd reminiſcentur & convertentur ad dominum univerſi fines Terræ*. Pſalmo 21. 19 Annis 1617. & 1618. compoſui, ad qvatuor magnas Mundi nationes videlicet Chriſtianam, Gentilem, Ju-

daicam, & Mahometicam, ubi tot ſunt legationes, qvot Principes, & Reſpublicæ prædictarum nationum, qvas ad diſputandum in Concilio Generali de vera fide depoſitis armis * Martialibus, qvæ ſunt beſtiarum, & Grammaticalibus Sophiſtarum, per ſpiritualia, juxta divinam, non humanam modò Logicam compello. 20 Huic operi addidi librum contra atheiſtas † omnem Religionem

* *Armis Martialib. qvæ ſunt beſtiar.*] Videmus igitur qvô nomine, ſi foret hic noſtrum fatò delatus in ævum flabella aulæ Gallicæ Jeſuitas Reformatores vocâſſet, qvi perſvaſum habent, & exemplis clarè docent, ferrô & flammis rem agere, & militum potiùs, qvàm rationum educere copias, eſſe efficaciſſimam veriſſimamqve rationem convertendi errantes & controverſias fidei definendi, cùm tamen priſcæ Patribus Eccleſiæ viſum fuerit longè aliter. Qvi qvum animadverterent, nihil tam Voluntarium, ut Firmianus Lactantius loqvitur, qvàm religionem eſſe; à qva ſi abſit animus, jam ipſa ſublata, jam nulla ſit; exiſtimârunt eam, non vi atqve ſævitiâ, ſed fide & ſcripturarum auctoritate tuendam eſſe. *Non est religionis*; inqvit Tertullianus, „ cogere „ religionem, qvæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi, „ cùm & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur. Ac uſqve adcò in veteri illa & verè ſancta Eccleſia improbata fuit nefaria illorum præſumtio, qvi ſcelere atqve ſævitiâ, id eſt, armis (nam hæc armorum negotia ſunt) religionem propagandam putarent; ut Toletani Concilii Patres inter alios Canones, & iſtum ſancierint, *ne cui deinceps ad credendum vis inferretur.* Et cauſſam addiderint, *Cui enim*, inqviunt, *vult Deus miſeretur, & qvem vult indurat.* Qvæ *induratio* juſtiſſima pœna eſt antegreſſorum graviſſimorum peccatorum. Non enim à Deo homines efficaciter indurantur immiſſâ malitiâ, ut peccent: ſed qvia contra mandata Dei peccârunt enormiter, & toties ſeriò admoniti renuunt emendari, juſtè indurantur, ſubtractâ divinâ gratiâ, & permiſſi libidini diaboli, & pravis cupiditatibus, ut ruant de ſcelere in ſcelus, & tandem præcipites agantur in æternam damnationem. Unde Scriptura indurationem Pharaonis aſſignat non *Deo* tantùm, tanqvam juſtiſſimo judici: qvi ſimul etiam metas præfigit malitiæ & determinat ad certos fines: pro infinita ſua ſapientia: ſed etiam *diabolo* ejusqve miniſtris, & ipſi *Pharaoni*, Exod. VIII 15. Pharao induravit cor ſuum, v 32. Induravit cor ſuum etiam hâc vice c. IX. 7 Induravit ſe cor Pharaonis, v. 34. Rurſum peccavit, & induravit ſeu aggravavit cor ſuum ipſe & ſervi ejus (ſatellites Satanæ) & roboratum eſt cor Pharaonis, &c. Vide accuratiſſimum B. Mentzerum noſtrum Tom. I. Diſpp. Giſſenſ. Diſp. XVI. §. 67. p. m. 792. Qvam eamdem Diſputationem habes & Tom. IV. Diſpp. Marpurgenſ. n. IX. p. m. 184. ſ. Qvibus Diſputationum Tomis nihil poteſt eſſe ſolidius nihil utilius ſacris Lutheranæ Religionis Theologicis operantibus.

† *Librum contra Atheiſtas*] De ſententia B. Morhofii l. Polyhiſtor. Litterar. c. VIII p. 75. „ Campanella in Atheiſmo triumphato plures „ nodos nexuit, qvàm ſolvit. Celeberr. D. Giſb. Voetius parte I. Selectar. Diſpp. p. m. 201. ad Qvæſt. „ Qvid de Campanellæ novis, ut putat, inventis & diſputationibus adverſus Atheos „ ſentiendum? ita reſpondet; „ Hoc qvidem „ rectè, qvod intendit probare, naturalem eſſe „ ſenſum numinis, & naturalem aliqvem cultum „ ſecundùm rectam rationem; & religionem „ Chriſtianam nuſpiam cum ea pugnare. Sed co„ gitandum, an ſatis feliciter oppugnet Atheos, „ dum naturæ et rationi tantum tribuit, ut ex „ ea qvaſi acceſſat et demonſtret Theologiam ſu„ pernaturalem; et dum ſpretis Theologorum „ ac Philoſophorum axiomatis et omnibus rece„ ptis in Chriſtianiſmo et apud Theologos „ philoſophandi methodis ſubſtituit ſua „ qvædam (uti gloriatur) εὑρήματα, vel minus „ ſolida (qvippe ipſius affirmatione non rarò ſub„ nixa) vel Stoicorum et Paracelſiſtarum in mo„ rem novis terminis et acyrologiis involuta, „ ut ingeniis locô compendii tanto plus moleſtiæ „ et confuſionis adferant; qvæ ſi penitius inſpi„ ciemur, comperiemus ea nihil ſolidi aut admi„ randi præ tam diu tritis ac probatis ſapientum „ dictatis adferre. Sic ex. gr. *in Atheiſm. Tri„ umph. cap. II.* Hoc fundamentum toti demon„ ſtrationi religionis ſubſternit. Eſſe tres prima„ litates ſeu præeminentias, potentiam, ſapien„ tiam, amorem; de qvibus ex profeſſo in ſua „ Metaphyſica Ens primum per illa tria eſſen„ tiari, ſecunda verò entia horum participiô, „ ac in tantum eſſe, exiſtere, et vivere in ſuo „ qvoqve gradu, in qvantum perſeverant in eis „ poteſtatis, ſapientiæ et amoris radii parti„ cipationes, cuiqve pro rata ſua &c Ibidem, „ legem naturæ et rectam rationem ſi qvis in pu„ ris naturalibus ſeqvatur ac ſervet, illum vivere „ Chriſte

gionem negantes; & alterum de Monarchia Sapientiæ æternæ in humano corpore aſſumpto, ubi de Juribus Pontificis, & Principum in temporalibus, & ſpiritualibus, juxta naturæ & ſcripturæ utriuſqve teſtamenti dogmata tollentia lites inter laicos, & eccleſiaſticos Principes diſputavi; 21 Sed cùm à Cardinale Bellarmino reprehenſus fuiſſet prior ille contra Atheos, mox Romam veniens annô 1626. poſt libertatem adeptam, ex licentia ſuperiorum defendi, typis tradidi, exiitqve annô 1630. & nunc pro aliis colligendis in ſexto tomo laboro. 22 Addidi libellum de Juribus Regis Catholici in novum orbem, contra adulantes & adverſantes. 23 Præterea ſcripſi Neapoli in caſtro Ovi, Philoſophiam ratio-

,, Chriſto ſummæ rationi atqve autori naturæ, à
,, qvo ſumus participiô rationales, et ſic poſſe
,, immunem eſſe à damnatione qvod ad pœnam
,, ſenſus, ac frui bonis naturalibus et Deo ut fi-
,, ne naturali etc. cap. XI. ait ex incarnatione pa-
,, tefactam eſſe diſtinctionem perſonalem patris
,, ac filii explicitam; qvæ apud philoſophos ne-
,, ſciebatur, niſi ſub umbra, et aliqvo pacto aut
,, ſecundùm rationem tantùm. Poſteà verò in
,, apparitione ſpiritus ſancti hujus ab eis diſtin-
,, ctio patuit etc. Addit ibidem: vide etiam ſub-
,, tiliter inqvirendo rem omnem licet ſimplicem.
,, qvalis eſt calor, conſtitui vel integrari partipa-
,, tionibus potentiæ, ſapientiæ, et amoris etc.
,, ac tantam eſſe rem qvamcunqve, qvantum
,, poteſt eſſe, et amat eſſe. cap. IX. diſtingvit
,, religionem qvadruplicem *naturalem*, qvæ eſt
,, cultus cunctarum rerum juxta Pſ. XIX. 1.2.3.
,, *animalem*, qvæ ſupra naturalem cultum addit
,, illud obſeqvium qvod bruta præſtant ſuperio
,, ribus ſibi beneficis cauſſis; Deum enim natura-
,, liter diligunt, ut ait S. Thomas, ſed animaliter
,, omne beneficum principium; propterea elephas
,, lunæ genuflectit, & ſe baptizat à coitu, & ſolem
,, aves præcinunt in mane etc. *Rationalem*; qvæ eſt
,, idem qvod Theologia naturalis et inde cultus ac
,, metus numinis. *Supernaturalem*, qvam revelat
,, Deus in ſcriptura. Iſtis et ſimilibus ſexcentis qvæ
,, in *Atheiſmo Triumphato*, *in Metaphyſica, libris*
,, *de ſenſu rerum*, aliisqve operibus venditat *Cam-*
,, *panella*, putamus Libertinis cauſam tradi, et
,, Scepticis atqve Atheis religionem deridendam
,, proſtitui; immò homines ſuperbos et curioſos
,, in ſcepticiſmos, et Atheiſmos hâc occaſione non-
,, nunqvam incidere: qvamvis Campanella volens
,, & ſciens nihil tale intendiſſet. An cerebri in-
,, firmitati & intervallis maniacis, aut deliriis
,, melancholicis, an verò omnia innovandi &
,, evertendi prurigini, & qvidem ſub prætextu zeli
,, & pugnæ adverſus Epicureos Atheos, hæreti-
,, cos (Calviniſtas ſcil. qvos in præfat. Atheos
,, appellat) hæc tribuenda ſint, nos non dicemus,
,, qvi viri illius vitam & ſtudia proprius intueri
,, non poſſumus. Alterutrum ſaltem in illo viſi
,, ſunt animadvertere ſocii ejus, qvi illum 30.
,, annis in Italia captivum & incluſum detinue-
,, runt; ut conqveritur *in præfat. ad Metaphyſi-*
,, *cam.* Videtur etiam paſſus infeſtationes & il-
,, luſiones dæmonum (qvod malim dicere,
,, qvam eum in Magiæ directæ ſuſpicionem voca-
,, re,) ſic enim lib. XII. Metaphyſicæ cap. III An-
,, gelos pravos ſæpe fugavi divinâ invocatione, &
,, perſecutiones paſſus ſum ab eis. Ibid Mihi
,, comparuit in tribulationibus non ſemel vario
,, vultu & horribili neſcio qvis, & fugatur no-
,, mine Dei. Et cap. XII. art. IV. Qvæſivi utrum
,, Deus poſſet immutare fatum & mala hominum?
,, Ille dæmon, qvi ſe Deum eſſe ſimulabat, re-
,, ſpondit, ſe poſſe abbreviare, & accelerare vel
,, tardare, non tollere, ſi fatô ſunt decreta &
,, prædeſtinatione. Tunc ego dixi ad illum:
,, ſi Deus prædeſtinat res fato immobili;
,, ergo et tempus et modum rei. Ergo non
,, poteſt accelerare, neqve allevare mala. Hoc
,, argumentum ipſe, qvamvis à me ſcriptum, non
,, intellexit, et reſpondit me eſſe ſtultum; qva-
,, ſi ejus reſponſum non percepiſſem. Hæc Voë-
tius. ,, Qvalem Philippus Faber Faventinus, cùm
,, ipſe Campanella, homines aliàs doctiſſimi in
,, convincendis confutandiſqve Atheis habuerint
,, intentionem, judicent alii, ait Cl Theoph.
Spizelius in Felice Literato Comment I. § IV. p. 112. edit. Auguſtanæ M. DC. LXXVI. in 8r. Non eqvidem deſidero curioſam in Celebrium ejuſmodi virorum ulceribus habere manum, neqve mentis ingenuæ indicium exiſtimo de qvibuſvis eorum geſtis ipſaqve intentione animi ferre calculum Conf. B. Reiſeri Epiſtol. de Orig. et Progreſſu Atheiſmi p. 244. in Scrutinio Atheiſmi laudati Spizelii.

rationalem in qvatuor partes, & addidi qvintam in Arce nova, videlicet Logicam, Rhetoricam, Poëticam, Hiſtoriographiam, & Grammaticam, qvas habent etiam Pyromallus, & frater Thomas Pignatellus, ac alii, ſed partes tantùm aliqvas non omnes, qvemadmodum etiam & Tobias Adamus, qvi Grammaticam nimium feſtinans exſcribere non potuit; atqve has artes juxta propria principia, ex noſtra Metaphyſica, per naturam, & ſcripturam faciliores, breviores, & reſolutiores puto me perfeciſſe. 24 Addidi etiam compendiolum, Phyſiologiæ tironibus recitandum, qvod tanqvàm alicujus momenti foret, à me nuper accepiſti, in tua Bibliotheca conſervandum. 25 Ulteriùs deinde progrediens inſtaurare cœpi Mathematicas ſcientias metaphyſicâ ratione fundandas, & unum modò libellum ſcripſi, ceteros ſi cœptis Deus aſpiret editurus, in qvibus de ipſis tractabo per numeros, menſuras, & pondera, triplici volumine rem omnem explicans. 26 Sed poſteà convertens me ad politicam ſpecialem Regni Neapolitani, ſcripſi opuſculum de illius regimine ad Comitem de Lemos, nomine Magiſtri Seraphini Nucerini Curatoris mei amantiſſimi, cui me ipſum qvoqve debeo. 27 Item conſultationes pro Regni cenſu augendo ſupra millionem, abſqve damno Regni, vel Regis, ſed cum utriuſqve & populorum emolumento; prima ſiqvidem illarum ponit in frumentis pretium mediocre, 2. exigit qvod populis commodius eſt pro tributo, 3. deniqve aufert uſuras; & cultum terræ, fructuſqve multiplicat, atqve hoc opuſculum vulgari ſermone ſcriptum & omnes jam dictos libros Scioppius à me accepit annô 1608. cùm venit miſſus à Paulo V. ſummo Pontifice, meam tractaturus libertatem; 28 Dedi etiam & Atheiſmum Triumphatum, hunc enim titulum ipſe fecit libro qvem ego vocarem, Recognitio Religionis ſecundùm omnes ſcientias contra Anti Chriſtianiſmum Machiavelliſticum. 29 Prætereà qvoniam tunc incœperat rumor Venetus & contra qvoſdam Eccleſiaſticos, interdictum, ſcripſi tres libros videlicet Monarchiam Meſſiæ Venetis, & aliis principibus ex hac occaſione utiliſſimum. Item libellum pro Papa juxta Canones, & Politicam optimam; ac demum alium libellum, Lamentationes vocatum, inſtar Threnorum Hieremiæ, mala futura in toto orbe, ſi diſſidium illud amplius duraret, nunciantem per oraculorum & ſcripturarum enucleationes. 30 Scripſi item opuſculum de peſte Colonienſi, qvæ tunc graſſabatur, ad nobiles Heuotos, rogatus à Scioppio, & Remedium contra Luem Veneream, & aliud ad extrahendum Hydrargyrium viſceribus; & oſſibus unctorum intruſum, per cucurbitulas aureas, de qvibus in Medicina. 31 Item contra frigus inalpinum, Scioppio perambulaturo in Germaniam dedi opuſculum, & contra ſurditatem & herniam. 32 Item poſteà feci qvaſdam reſponſiones ad Regem Britanniæ, multas prætereà ſcripſi epiſtolas Scioppio, & dominis Fuccaris meam libertatem negotiantibus, reſpondentes qvæſtionibus variis. 33 Similiter miſi ad Antonium Perſium apologeticum pro ſuo libello de potu calido. Itemqve, alium ad Paulum V. pro regimine Eccleſiæ, qvem dedi Scioppio, ſed hunc poſteà meliorem reddidi per aphoriſmos concinnatum. 34 Tandem verò poſt annos ſex, Neapolim venit Tobias Adamus, & Rudolphus Binanius nobilis

Ger-

Germani, ex peregrinatione Hieroſolymitana, dediqve illis qvæ Scioppio anteà conceſſeram, & inſuper Metaphyſicam, Philoſophiam realem, Medicinam, Aſtrologiam, & multa opuſcula epiſtolaria, fueruntqve ipſô diligentiores; qvoniam Philoſophiam realem publicaverunt, & libros de Senſu, & partem Canticorum, & Prodromum qvem à me non acceperunt. 35 Scripſi etiam Apologeticum pro Carminibus Virginii Cæſarini, in nuptiis Principis Ludoviſii; & alterum ad Cardinal. Bellarminum contra cenſuram librorum meorum miſſorum ad Congregationem de propaganda fide. 36 Demum verò perfeci iterum Metaphyſicam, eamqve omnibus numeris abſolvi.

ARTICULUS V.

De tempore et occaſione ſcribendi libros in ſenectute, et poſt adeptam libertatem.

1 AFfulgente poſteà rebus meis feliciori ſorte, libertatem, favente optimô meô Mæcenate Urbanô Pontifice octavô, jubente Philippô IIII. Hiſpaniarum Rege, ipſiuſqve mandata exſeqvente Duce Albæ, & auxiliantibus multis S. R. E. Cardinalibus, præſertim verò efficaciter negotiante Innocentiô Maximô Epiſcopô Catanenſi, conſecutus ſum, Annô 1626. Die 15 Maji, mox Romam accelerans ſcripſi in Sancto Officio, ad libellum Parlamenti pro Rege Chriſtianiſſimo animadverſiones. 2 Item librum de fato ſiderali vitando, qvem mutuatum inſidioſus frater, una cum ſex libris Aſtrologicis, ut odium Urbani VIII. Sapientiſſimi Pontificis, eôqve nomine Aſtrologiam deteſtantis, mihi conciliaret, Typographo dedit Lugdunenſi, à qvo publicatus eſt; ac ſimul me accuſavit inobedientiæ circa impreſſionem, & ſuperſtitionis circa impreſſas res; qvare hunc, ut à me minimè impreſſum, pro meo arriperi nolui, & apologiam feci qvam delecti duo Cenſores approbavêre. 3 Præterea ſcripſi opuſculum de Titulis, ad Virginium Urſinum, cùm præſciret, velle Urbanum VIII. titulum novum Cardinalibus aſſerere. 4 Item opuſculum de Aſſiſtentia DD. Cardinalium in Curia, & de non Reſidentia in Epiſcopatibus, niſi ubi ociantur Romæ, per Canones, Theologiam, & Politicam: 5 Item opuſcula duo, unum vulgari ſermone, An præſtet Baronibus & populis vivere ſub Eccleſiaſtico, an ſub laico qvocumqve alio dominio? Aliud Latinô, qvòd libertas ſub Papatu major eſt, qvàm ſub qvocumqve alio Principatu, aut Republica, qvæ opuſcula habes nunc penes te, Naudæe clariſſime; 6 Compoſui etiam conſultationem ad Reges Chriſtianiſſimum, & Catholicum, pro pace perpetua circa prætenſiones ad Regnum Neapolitanum; 7 Et alium qvibus, qvotve modis, pauci contra plures pugnare ac vincere poſſint, ad Philippum Columnum M. Coneſtabilem. 8 Item defenſionem librorum de ſenſu rerum, juxta ſacræ Scripturæ, & naturæ codices, & Patrum, Scholaſticorum, ac philoſophorum omnis ſectæ placita: 9 Item de Philoſophia

phia Gentilium non retinenda, & de novæ cudendæ utilitate, ac an liceat jurare in verba Magiſtri? opuſculum valdè proficuum, qvod etiam aliàs à me accepiſti. 10 Item opuſculum aliud ad Bonifacium Cajetanum Cardinalem, An ſit contra ſacram Scripturam, & Patres aſſertio Copernici de motu Terræ, & qviete Solis, qvod publicatum eſt typis Germanicis, cùm à me ſcriptum fuiſſet annò 1616. 11 Noviſſimè verò Apologiam confeci pro ſcholis piis; & expoſitionem capitis IX. Epiſtolæ ad Romanos, qvò ſe plurimùm efferunt Calviniſtæ & Lutherani, dediqve ipſam illuſtriſſimo Comiti Braſſaco, Regis Chriſtianiſſimi ad ſummum Pontificem Oratori, ad qvem paullò antè deſtinaveram centonem Thomiſticum, de prædeſtinatione, & reprobatione, auxiliis, libero arbitrio, adverſus Pſeudo Thomiſtas. 12 Sed qvod vix è mente exciderat, ſcripſeram Neapoli ſyntagma, cur ſapientiâ & virtute eximiâ præditi, Benefactores generis humani, in magnis Temporum articulis violentam mortem ſub prætextu læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ incurrent, ac poſtmodùm cultu & gloriâ reviviſcunt, qvem tractatum vix bene recordor apud qvem repoſuerim. 13 Item ſcripſi ad Cardinalem Mellinum opuſcula duo, unum de Canoniſatione Sanctorum; alterum de utilitate potus calidi adverſus Medicos extemporaneum; tertiumqve ad alium amicum ſubjunxi de Aulicorum technis, & orationem pro Rupella recepta, qvam alius ſuô nomine recitavit; itemqve qvatuor orationes de laudibus D. Thomæ, ſtudiô Seraphini mei Neapoli recitatas; & à Favilla deinde conſervatas. 14 Poſtremò volumen ingens commentariorum elaboravi ſuper poëmatibus Urbani VIII. continens expoſitiones Grammaticas, & Philoſophicas utiliſſimas ſanè Poëtis, Oratoribus, Phyſiologis, Politicis, Prædicatoribus Theologis; Mathematicis, & mores bonos curantibus, ad ſcientiarum inſtaurationem, qvas qvidem præ manibus adhuc habeo.

CAPUT II.

De Optimo Genere Philoſophandi.

ARTICULUS I.

De reqviſitis in genere ad rectè philoſophandum.

1 QVinqve dat æterna ratio, qvæ condidit gubernatqve omnia, atqve proprios perducit ad fines, iis, qvos aliorum lumina eſſe voluit, videlicet ingenium perſpicax in intelligendo, atqve ſyllogiſando; tenacem memoriam pro theſauro ſcientiarum; voluntatem efficacem, perſeverantemqve in veritatis amore, qvæ ſcientias, qvia bonæ ſunt, non qvia lucrum, aut gloriam, aut honorem pariunt, aut gaudia hujus Mundi, capeſſat; ſtudium indeficiens, ita ut qvidqvid legimus ſive in codicibus hominum ſive in rerum univerſitate inſpectamus, notemus inceſſanter, tanqvàm principia aliorum cognoſcen-

gnoſcendorum multorum per ſimilitudines analogas, aut univocas; & tandem converſationem ſapientum non vulgarium: nec propriis addictorum placitis; verùm qvi parati ſint veritatem undecumqve affulgentem amplecti citra invidiam, citra tædium majora perqvirendi, ac tandem citra decretum ſic ſtandi in propriis, ut aliena aut ſeqventia reſpuamus. 2 Etenim cùm omne vitium obicem ſapiendi res, prout ſunt apponat, tum verò maximè illud hoc præſtat, qvô putat qvis omnino ſe veniſſe qvod qværitat, dum ſibi placet, nec intelligere ſatagit ſe in inqvirendo potius defeciſſe; qvoniam non intellexit unius cujuſqve rei, vel minimi etiam puncti unius, ne dicam Formicæ, aut motus, aut ungvis infinitam propemodum dari ſcientiam, ut hîc rideas Atheos & Politicos qvi judicium ſuum ſupra Mundum ſupraqve intelligentias, corporum, elementorumqve, ac proinde Regnorum & Politiarum curam gerentes, elevant, & ex nihilo ſapientiam, aut à ſeipſis agnoſcunt, non autem entibus è primis unde nos ſumus, & non ex nobis, qværite ſine meta & invenietis; ſolent enim homines pleriqve in pueritia omnia credere, in virilitate nihil, ita ut credentes pro ignaris habeant, in ſenectæ vero limine, credenda à non credendis ſeligere.

ARTICULUS II.

In qvo ponuntur Regulæ ſpeciales ad recte Philoſophandum.

1 QVoniam verò exploras iterùm, Doctiſſime Naudæe, qvem modum philoſophandi probatiorem invenerim, ut voluntati tuæ honeſtiſſimæ morem geram, ſeqventes pono regulas. 2 Prima. Cujuſcumqve rei veritatem volueris perſcrutari, ejuſdem hiſtoriam manifeſtam tibi eſſe oportet, non ex parte, ſed totam, ut ſi circa Cæleſtia philoſophari volueris, diſce priùs obſervationes hiſtoricas, videlicet numerum ſtellarum errantium, atqve fixarum, & tempora revolutionum ipſarum, & varietates, & qvando elevantur, qvando deprimuntur, qvando ſtant qvando retrocedunt; item modum latitudinis & longitudinis; ac deniqve ſitum, locum, & ordinem ipſarum, tunc enim accedit cauſſa inveſtigans, docenſqve obſervatorum cauſſas; qvare ad iſtud, Plinii Hiſtoriæ, & Hygini & Arati neceſſariæ ſunt. 3 Similiter volenti Theologiam addiſcere, oportet hiſtorias ſacras prænôſſe, ut in Novo & Veteri Teſtamento, Joſepho, Philone, Comeſtore, & in Baronii Annalibus *habentur. 4 Qvi vult Phyſiologiam ſcire, priùs hiſtoriam naturalem de mi-

 nerali-

* Tu adde Philonem Judæum Græco-Latinum ex edit. Francof. M DC. XCI. in fol. ut & Annales Jac. Saliani. E noſtris recentioribus adhiberi poſſunt Centuriæ Lucæ Oſiandri, & cumprimis Centuriæ Magdeburgenſes opus lectione digniſſimum. E Reformatis operam utilem præſtitere Joſephus Scaliger libr. de Emendatione Temporum & Notis in Euſebium (Ad qvem tamen & confer B noſtrum Calovium in Prolegomen. Bibliot. Illuſtrator.) Iſ. Caſaubonus in Exercitationibus ad Baronium & qvi eum defendit Carolus Capellus. Navavit qvoqve operam non contemnendam hîc Jac. Henr. Hottingerus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Novi Teſtamenti per XVI. ſecula & qvi

neralibus, vegetabilibus, & animalibus, elementiſqve, ac elementatis rebus à Plinio, Agricola, Geſnero, Aldrovando, Imperato, ‡ Dioſcoride, Theophraſto, & ſimilibus haurire debet: 5 Propterea enim langvent circa pugnas verborum ſcholæ, qvoniam Hiſtoriam rerum, ſuper qva fabricatur ſcientia, ignorant, unde à rebus ad verboſitatem convertuntur. 6 Qvi Coſmographiam ſcribunt, navigationes, & itinera, & inventarum regionum hiſtoriam præ oculis habeant. 7 Qvi Moralem ſcientiam, & Politicam ac Oeconomicam, hiſtoriam civilem prænoſcant nationum, & mores gentium, ac mutationes & formas vivendi, & varia regimina tam familiarum, qvàm civitatem, & regnorum, ſimùlqve victum ac veſtitum & artes hominum; & cultum agrorum, alioqvin haud qvaqvam certam ſcientiam de his facere poterit, qvoniam ex individuis univerſalia fiunt, qvæ ſunt principia ſcientiarum. 8 Secunda. Veritatem Hiſtoriæ examinabis per teſtes non deceptos, neqve deceptores; tales autem ſunt hiſtorici qvi viſu & auditu, aliiſqve ſenſibus hauriunt veritates. 9 Tertia. Nulli philoſophorum, aut legiſlatorum ſectæ ita inhærebis, ut putes ipſos ab errore fuiſſe immunes, omnis enim homo mendax, aut ex ignorantia, aut ex malitia, aut ex timore; ſolus autem Deus verax. 10 Qvod autem teſtimonium ſit à Deo ſic explorare poteris, aſpiciendo, ſi eſt in rerum natura, qvi primus Dei codex fuit, qvod narratur, vel in libris ſanis probatis per miracula, per ſangvinem, per Prophetiam, per ſanctitatem, per ſucceſſionem & communicationem chariſmatum, ut in principio Metaphyſicæ oſtendimus; nam de cetero qvicumqve alicui Philoſopho ita adhæret, ut credat illum non poſſe errare, is ad veritatem ineptus fit, & ad meliores ſcientias truncus. 11 Qvarta. Omnium hominum libros lege, nec ſtatim reſpue qvæ tuo intellectui diſſonant, multas enim veritates invenimus, qvas reputabamus antè inter mendacia, ut qvòd ſub Æqvatore non erat habitatio, qvòd alterum Terræ Hemiſphærium non exſtabat,

qvi omnes ferè hoc in negotio ſuperat, incomparabilis planè Dn. D. Fridericus Spanhemius in Introductione ad Chronologiam & Hiſtoriam ſacram. Legi qveqve merent Torniellus, & Baronii Continuator Abrah. Bzovius Polonus, qvamqvàm plurimis commentis refertiſſimus. E Baronii Epitomatoribus prætero Spondanum. Adde qvæ Dion. Petavius in Opere de Dogmatib. Theologicis ex antiqvitate obſervavit in iſtis & ſeqventibus ſeculis. Principio verò Synopſis qvædam univerſalis in Hiſtoria Eccleſiaſtica percipienda eſt; qvalis eſt Synopſis vel Syntagma Hiſtoriæ Eccleſ. Dn D. Joh. Micrælii cum continuatione Dan. Hartnaccii Lipſiæ M. DC LXXIX. in 4to. qvò & Vet. & Novi Teſtamenti Hiſtoria exhibetur admodum eruditè. Qvo perlecto propter Hiſtoriam Novi Teſtam. ſpecialiùs cognoſcendam Epitome Ii. Pappi prout à L. Euſebio Bohemo & Henr. Rippingio aucta eſt cognoſci poteſt. Jungi qvoqve his poterit Epitome Dan. Paræi non inutilis, ac Theſaurus Chronologicus Joh Henr. Alſtedii. Imprimis verò commendo Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in uſum Gymnaſii Gothani ea cum cura atqve diſtinctione è ſacris litteris & optimis, qvi exſtant, auctoribus, libris duobus compoſitum, & ab Orbe condito ad noſtra uſqve tempora deductum, ut tam incipientibus, qvàm provectioribus commodum eſſe poſſit. Gothæ anno CIↃ DC LXVI in 8.

‡ Mihi non diſplicet Dioſcorides Græcè impreſſus Baſileæ apud Joan. Bebelium anno M. D. XXIX. in 4to. Janus Cornarius in Dedicatione eadem editione ita loqvitur: „Etſi nihil in hoc opere (Dioſcorid.) „mihi arrogare velim, hoc tamen „verè dicere poſſum, nullum Græcum auctorem emendatiorem ac majori diligentiâ excuſum in Germania prodiiſſe, meâ qvidem animadverſione, cui acceſſit ampliùs Bebelii typographi accurata induſtria.

exſtabat, qva ſanè in opinione, graviter errârunt Philoſophi, Poëtæ, ac nonnulli Theologi; 12 Qvare magis ſemper eſt credendum teſtificantibus, qvàm opinantibus, ut magis Columbo, qvàm Lactantio, & Procopio; & magis Petro teſtificanti de Chriſto, qvàm Luciano opinanti, multa enim videntur impoſſibilia, qvæ tamen veraciter extant. 13 ac propterea cum tu, Naudæe Chariſſime, multos illuſtres viros non fuiſſe necromantas in apologia tua contendis, ſed ignorantium eſſe figmenta, qvi non aſſeqventes rationem rerum, dicunt ſupernaturaliter fieri qvæ natura facit! rectè ex hac parte dicis, qvoniam plurima mentiuntur idiotæ, & viros ſapientes habent pro diabolicis, aut Angelicis; attamen in hanc opinionem non poſſent devenire, niſi priùs in natura & politica certum eſſet, qvòd extant viri Angelici & diabolici; nec illuſores qvalis Appulejus, & Lucianus, Agrippa, efficere poterunt, qvin fuerint in Mundo veraciter Magi. 14 Nec qvia fabulantur Poëtæ de Caballo Pegaſeo, & Bellerophonte, non verum erit qvod teſtatur Svetonius de Simone mago, qvi fuit Neroni Icarus; 15 Nec qvia Cingari & Aſtronomi ſunt mendaces, non efficient tamen qvin detur vera prophetia; ſiqvidem non eſt negandum aurum purum aliqvod, qvoniam multiplex eſt, plurimumqve falſum chymicum. 16 Qvinta cùm Impoſſibilis propoſitio aliqva tibi apparebit, ut qvòd Sol ſtet in centro & Tellus rotetur, noli ſtatim pro impoſſibili eam habere, ac prædicare, ſed retine aſſenſum, donec undiqve conqviſitis rationibus veritatem erueris.

ARTICULUS III.

De ratione & ordine legendi Hiſtoricos. *

1 QVandoqvidem igitur Hiſtoriam rerum de qvibus philoſophari convenit, vix aliunde deſumimus, qvàm à libris; inde eſt qvod ipſorum lectionem ſic inſtituere convenientiſſimum judico; 2 ac inprimis ordo legendi hiſtoriam naturalem reqvirit, ut primitùs diviſio Cœli & Terræ, per Coſmographiam practicam, non per ſpeculativam ob oculos ponatur in Mappa; 3 Deinde verò Regiones cœli & terræ per circulos diſtingvantur, ac demum hiſtoria cœleſtium & terreſtrium evolvatur, qvaliter extat apud Plinium & reliqvos. 4 Ordo hiſtoriarum ſacrarum poſtulat, ut legamus inprimis vetus atqve novum Teſtamentum, deinde Hagiographos ſcriptores qvos vix

* Hoc argumentum curatiùs tractat Petrus Angelus Bargæus in Tractatu, qvem infra hoc in libro habebis ultimò. Adde Cl. Joh. Andreæ Boſii Introductionem Generalem in Notitiam Rerum publ. Orbis Univerſi, qvam magni faciunt ii, libros qvi legere & æſtimare norunt. Item Bodinum c. II. & X. Methodi Hiſtoriar. p. m. 14. ſ et 379 ſ. edit. opt. Baſileenſ. CIƆ IƆ XXXVI. in 8t. Ut et Joh. Jacob. Beurerum Saccingenſem Academiæ Friburgenſis Briſg. Profeſſorem in Synopſi Hiſtoriarum et Methodo nova Hanov. M. DC. IX. in 8t. Et qvem ferè præteriiſſem, doctiſſ. Dn Joh. Henr. Urſinum in Iſagoges Hiſtorico-Chronologicæ in Hiſtoriam ſacram et Profanam, Univerſalem et Particularem libris qvatuor Francof. editis M. DC. LXIII. in 8t.

unqvam abſqve Coſmographia & *a* Chronologia poſſis aſſeqvi, ſimúlqve hiſtoriam Flavii *b* Joſephi & Annales *c* Baronii ac Bzovii ſaltem in compendium redactos: 5 Nec eſt neceſſe Hegeſippum *d* prius, aut *e* Euſebium, Nicephorum, Sozomenum, Socratem, & alios Patres evolvere, qvoniam hos omnes habere potes in Baronio. 6 Sed qvod eſt præcipuum, notabis diligenter *f* Conciliorum tempora, ſeſſiones, decreta, & ordinem. 7 Deniqve ordo legen-

a Chronologia] Chronologi ſunt Euſebius Pamphili, cujus Chronicon vertit & continuavit Hieroſolymus ac poſt Proſper Aquitanicus, ad ann. Dom. 449. & deinceps alii. Scripſit qvoddam Chronicon à Natali Domini ad ann. 430. Lucius Dexter Barciononenſis Epiſcopus. Ejus nomine editum eſt Cæſar-auguſtæ annô 1619. Sed nonnulli eruditi, qvibus acris eſt criſis, vel ſpurium, vel qvibuſdam laciniis aſſutis vitiatum cenſent, ut ait Corn. à Lap. in Acta Apoſt. ſub finem Chronotax. Recentiores innumeri ſunt, Juventutis uſibus commodiores; Chronicon Philippi Melancht. Index & Iſagoge Bucholzeri, Sethi Calviſii Chronologia, Petavii Rationarium Temporum; Alſtedii Theſaurus Chronologicus, &c. Qvibus addi poſſunt cum tempore; Saliani & Tornielli S. Annales, qvos Baronius continuavit: Centuriatores Magdeburgenſes, eorumqve Epitomator Lucas Oſiander: Annales V. & N. Teſtamenti Jacobus Uſſerius edidit Londini annô 1650. Chronicon Catholicon uſqve ad everſam à Tito Imp. Hieroſolymam Edwardus Simſon Oxoniæ, 1652. ſecutus in annorum ſupputatione τοὶ πλεῖςοι Jacob. Cappellum. Controverſias Chronologicas doctè & diligenter tractavit Nicolaus Abramus in Pharo V. Teſtamenti, edito Pariſiis 1648. Ex noſtris Joh Wichmannus in S. Chronologia Roſtochii, 1655. Cumprimis verò B. Ægidius Strauchius in Breviatio Chronologicô Wittebergæ editô annô 1664. in 12. qvô utiliorem eruditiorem ac accuratiorem hoc qvidem in genere librum nondum legi. Erat qvippe Auctor in eo ſicut & in ceteris admodum exercitatus, ſedulus & indefeſſus, ac optimâ rariorum librorum optimarumqve editionum cognitione & copiâ mirum in modum inſtructus; tantôqve ingenio, memoriâ & judiciô, ut Adverſariis timorem & admirationem injecerit. Atqve hoc non auditum ſed cognitum prædicamus

b Qvi ad Exordio mundi uſqve ad 4020. ſcripſit.

c Baronii] De Alexandro Taſſono Pinacothecâ I. n. CX p. m. 187. memorat Janus Nicius Erythræus „qvod ille „ ſenex à Chriſti ortu ad an„num Chriſti M. D. Eccleſiaſticam complexus „ ſit Hiſtoriam, in qva pluribus in rebus à Baronio „ diſſentiat, veritatis, non contentionis (ut ipſe „ dixit) ſtudiô adductus. Qvod facile credo, qvamqvam nolim & diſſimulare, qvæ Nicius ibi ſubjicit. „ At Baronio, homini ſapientiſſimo „ longéqve clariſſimo, moleſtum videri non de„beat, in ſua ſcripta impetum facere auſum fuiſ„ſe eum (jure an injuriâ non diſputo) cui Ho„merus ac Petrarcha, non ſolum reprehenſione, „ ſed contumeliâ atqve irriſione digni viſi ſint.

d Hegeſipp.] Qviſqvis ille fuerit, qvo de Cl. Jo. Frid. Gronovius c. I. & XXI. Obſervatorum in Scriptoribus Eccleſiaſticis.

e Exſtant Euſebii Pamphili Hiſtor. Eccleſ. libri X. & de Vita Conſtantini libri IV. uſqve ad mortem hujus, A. C. CCCXXXVII. Mundi 4286. Ruffinus vertit & propagavit ad ann. Domin. 400. ut & Thodoretus Cyri Epiſcopus, & Sozomenus Salaminius, & Socrates, ad ann. Dom. 440. Mundi. Ex his tribus Epiphanius Scholaſticus, poſtulante Caſſiodoro, Latinè edidit Hiſtoriam Tripartitam. Hanc Evagrius Scholaſticus continuat ad ann. Dom 597. & Theophylactus Simocattus ad ann. 600. Qvibus addantur Philoſtorgius Arianus, Baſilius Cilix. Nicephorus Calliſtus, &, ut alios prætercam, Nicephorus Conſtantinopolitanus qvi pervenit ad ann. Dom. 770. Seqvuntur Latini, imprimis Rerum Germanicarum Scriptores, editi à Caniſio, Piſtorio, Reubero, Urſtiſio, Frehero &c

f Conciliorum tempora] Conciliorum Summam edidit Bartholomæus Caranza Miranden. Dominicanus. Theologiæ Profeſſor & Regens in Collegio S. Gregorii in Valle Olerana. (Habeo illam ex edit. Pariſ. in 8. 1550 & Lovanienſi 1681. in 4to. qvæ non contemnenda.) ut & Franciſcus Longus à Coriolano cum Augmentis Ludov. Bailii, Pariſ. 1645. in fol. Adde Bibliothecam ἔμψυχον B. noſtrum Salom. Geſnerum in libris duobus de Conciliis Witteb. editis anno M. DC. X. qvi liber in 8. te plus docebit qvam aliud ingens in folio, ut vocant, opus.

g Gallica] Præter Jac. Aug. Thuanum, qvi res in Europa ab anno CIↃ IↃ XLVI ad annum CIↃ IↃC VII. uſqve geſtas optimis è Scriptoribus & propria

legendi hiſtoriam civilem ſimiliter incipit à Moſe, & Joſepho uſqve ad Domitianum, deinde Livium, Salluſtium, Svetonium, & Tacitum legito; & mox à declinatione Imperii Sigonium; 8 Qvibus ſubjunges hiſtorias particulares aliarum nationum, qvalis eſt *g* Gallica, *h* Hiſpanica, *i* Veneta, Æthiopica, Japonenſis, *k* Chinenſis, Græca, *l* Perſica: nec ſpernes *m* Beroſum, & fragmenta Ennii, etiamſi fraudem ſuboleant. 9 Inter legendum autem hiſtorias præ oculis habere convenit Coſmographiam, Chronologiam, & *n* Genealogias familiarum, divini Scriptoris exemplô, & præceptô, qvi iſta omnia in ſacra Coſmopoeïa, & aliis libris complexus eſt. 10 Deinde verò notandæ ſunt transmigra-

propria experientia, ſummâ eloqventiâ, prudentiâ, libertate & fide compoſuit, cujus etiam operis liber primus totius, qvalis tunc erat, exhibibet Europæ ſtatum; legatur Philippus Cominæus in libris de rebus geſtis Ludovici XI. & Caroli VIII. Galliæ regum, è Gallico in Latinum ſermonem converſis, breviqve explicatione illuſtratis à Joan Sleidano, Amſterdami editis ıↄc ᴅc. LVI. in 12. in qva editione præcedit & Froſſardi, nobiliſſimi ſcriptoris Gallici Hiſtoriarum opus omne breviter collectum & Latinô ſermone redditum eodem à Sleidano. Qvo ipſo Sleidano interprete, operâ Heliæ Putſchii viri citra controverſiam elegantiſſimi & eruditiſſimi Hanoviæ M DC. VIII. in 8. editi ſunt Claudii Seſellii Epiſcopi Maſſilienſis viri patricii docti & celebris de Republica Galliæ & Regum officiis libri duo, additâ Summâ doctrinæ Platonis de Republ. & Legibus congeſtâ per Joan. Sleidanum Hiſtoricum ſui ſeculi facile principem. Habemus & Henrici Caterini d'Auila Hiſtoriam bellorum Civilium in Gallia à Franciſco I. uſqve ad Henricum IV. geſtorum: Petri Matthæi Hiſtoriam Gallicam: Gabrielis Bartholomæi Grammondi Hiſtoriam Ludovici XIII. Benj. Prioli ab exceſſu Ludovici XIII. de rebus Gallicis Hiſtoriarum libros XII. Ultraj. cıↄ ıↄc LXIX. in 12. Anonymi Scriptoris Compilationem rerum ad Hiſtoriam Caroli IX. pertinentium: Scipionis Dupleixii Hiſtoriam Gallicam: Jean. de Serre Inventarium Hiſtoriæ Gallicæ: Joh. Limnæi Notitiam Franciæ, & Philippi Mornæi Statum regni Galliæ. Facit & huc Corpus Francicæ Hiſtoriæ veteris & ſinceræ Hanoviæ impreſſum annô M. DC XIII. in fol. Sunt & rerum Gallicarum Scriptores collecti à Franc. Belcario Lugduni cıↄ ıↄc xxv. in fol. Præ ceteris verò legendæ ſunt res Francicæ in trib. Voluminib. ab Hadr. Valleſio editæ Pariſ. cıↄ ıↄc XLVI. in fol. & ejuſdem Notitia Galliarum ibid 1685. in fol.

h Hiſpanica] Hic præter Vaſæi Chronicon in 8. Colon. excuſum, laudo Joannem Marianam Hiſpanorum Livium, & Æmilium de rebus Hiſpanicis, & Hieron. Coneſtaggium de Conjunctione Caſtellæ & Portugalliæ. Item Chiffletii Vindicias Hiſpanicas cum Luminibus Genealogicis Antv. 1649. in fol.

i Veneta] In rebus Italicis legendi ſunt Franciſcus Gvicciardinus, in hiſtoria Italica ſui temporis, Nicolaus Machiavellus in Florentina, Paullus Paruta & Andreas Maurocenus, Venetæ Hiſtoriæ Princeps, in Veneta, Paullus Jovius, in hiſtoria ſui temporis, Petrus Bembus in Veneta; Pandulfus Collenutius & Chriſtophorus Beſoldus in Neapolitana; Leonhardus Aretinus in Florentina; & ſui temporis Italica, etc. Qvibus addendi ſunt ex iis, qvi vitas Pontificum Romanorum ſcripſerunt, Baptiſta Platina, Onuphrius Panvinius, et Papirius Maſſonus: Item Molineti Hiſtoriæ Summorum Pontificum per eorum numiſmata Pariſiis in fol. cıↄ ıↄc LXXIX. Ut et Joannis Palatii Monarchia S. Petri, ſeu Geſta Pontificum Romanorum, Venetiis cıↄ ıↄc LXXXVIII. in fol. itemqve Petrus Svavis Polanus, ſive potius Paullus Sarpius, Servita, in incomparabili hiſtoria Concilii Tridentini.

k Chinenſis] Præter Martinum Martinium extat Scientia Sinenſis expoſita per Intorcetam, Herdtrich, Rougemont et Couplet Jeſuitas cum Chronologia Sinica edita Pariſ. M DC LXXXVII. in fol. Item Athanaſii Kircheri China illuſtrata Amſter. cıↄ ıↄc LXVII. in fol. Adde Iſ. Voſſii Obſervar. c. XIV. p m. 69. ſ. ubi de artibus et Scientiis Sinarum.

l Perſica] Noti ſunt P. Bizari rerum Perſicarum Scriptores editi Francof in fol M.DC I.

m Beroſum] Vide qvæ dixi Tom. I. Methodor. p 603. ſ.

n Genealogias] Auctoribus illis qvos Boſius, in Introductione in Notitiam Rerum public. c. XVII §. 5. 6. p. 125. adducit, adde Octav. Stradæ a Rosberg Genealogiam, & ſeriem Ducum, Archiducum, Regum & Imperatorum Auſtriæ.

Bran-

migrationes *m* populorum, mutationéſqve Regnorum, politiarum, ſectarum & morum, qvibus percipiendis valdè utiles erunt hiſtoriæ univerſales Pinedæ, Sabellici, ac Tarcagnotæ.

ARTICULUS IV.

De ordine legendi libros Theologicos.

1 POſt hiſtoriam ſacram methodò jam ſuperiùs aſſignatâ perceptam, continuò accedendum erit ad Patres, inter qvos primùm legendi veniunt *n* Clemens Romanus; & Dionyſius Areopagita, & Ignatii epiſtolæ, ac Martialis & Polycarpi; fragmenta etiam Athenagoræ, Papiæ, & aliorum qvi diſcipuli Apoſtolorum fuere; 2 qvibus ſtatim ſuccedent Irenæus, Juſtinus, Hippolitus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Victorius, Lactantius, & poſt illos Origenes mirificus, Athanaſius, Baſilius, Gregorii duo, Chryſoſtomus, Oecumenius, Didymus; 3 Qvos proximè ſeqvuntur Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Sulpitius; mox verò Iſidorus, Gregorius magnus, Anſelmus, Hugo Victorius, Richardus, & Bernardus; 4 è qvibus ſanctus Damaſcenus *o* Theologiam ſolus in methodum reduxit; qvemadmodum poſtea fecit Petrus Lombardus inter Latinos, cujus expoſitores methodici, & præcipui ſunt, Albertus magnus, Alexander Alenſis, D. Thomas, Joannes Scotus, Durandus, Henricus à Gandavo, Gregorius Ariminenſis, Gvilielmus Occham, & horum diſcipuli, inter qvos præfulget Thomas Cajetanus. 5 Expoſitiones autem Græcorum & Latinorum in ſacram Scripturam ſaltem in compendium, & Catenam redactas, evolvere optimum eſſet, ſi non ſufficit ætas, vel ſtudiorum ratio, ut poſſint videri in fonte, qvemadmodùm fermè omnes à me viſæ ſunt, dum temporis atqve otii nactus eſſem plurimum. 6 Sed utile valde foret ſi qvis compendium *p* omnium Patrum, & Scholaſticorum faceret, veluti Plutarchus Philoſophorum placita, & Galenus conſarcinârunt.

ART.

Francof. CIↃ IↃC XXIX. in fol. item Dn. D. Philippi Jac. Speneri Opus Heraldicum in fol. Tenneurii Arcana & Salica in Hiſtoricis ac Genealogicis Pariſ. CIↃ IↃC LI. in fol.

m Tranſmigrationes] De iis exſtant XII. libri Wolfgangi Lazii Francof. CIↃ IↃC. in fol. impreſſi magni laboris, ſed non ejuſdem frugis. Tractavit idem argumentum Goropius Becanus paſſim in ſcriptis ſuis Hiſtoricis, ac Gerardus Jo. Voſſius in egregio opere *de Idololatria*; de gentium autem Septentrionalium, poſt devictos à Cajo Mario Cimbros, migrationibus peculiari libellò egit Scriptor Italus, ab Hieronymo Turlero in ſermonem Latinum converſus.

n Clemens &c.] At hæc ſcripta fermè omnia, paucis qvibuſdam exceptis, venerandam mentiri canitiem dudum multi probârunt multis. Vide poſt Cocum, Rivetum, Dallæum, è noſtris vel ſolum Caſp. Eraſmum Brochmannum in *Λύχνῳ λόγȣ προφητικȣ̃* part. I. c. I. Sect. III. p. m. 9. Item in Speciminis Scriptor. Eccleſiaſticor. primi à nato Salvatore ſeculi Exercitationib. II. Hafniæ editis M. DC. XXXIV. in 4to.

o Damaſcenus] Habeò illum cum notis Jacobi Fabri Stapulenſis & Judoci Clichtovei Neoportunenſis ex editione Pariſina Henr. Stephani CIↃ IↃXIX. in fol. & cum Commentario D. Chriſtoph. Pelargi Francof. ad Oderam 1607 impreſſum in 4to.

p Compendium) Fecit hoc D. Abrah. Scultetus Theologus olim Heidelbergenſis in Medulla Theologiæ Patrum, in 4to. *Francof.* edita.

Articulus V.

De ordine legendi libros Philoſophicos.

1 ORdo Philoſophorum legendorum, primò ponit eorum Principem *q* Ariſtotelem cum Græcis & Arabibus, & Latinis expoſitoribus; 2 Secundò Teleſium, & Patricium ejus antagoniſtas, ex oppoſitione ſiqvidem veritas meliùs intelligitur; 3 Tertiò Platonem cum ſuis ſeqvacibus Plotino, Chalcidio, Jamblicho, Proclo. 4 Qvartò, *r* Stoïcos ut Ciceronem, Se-

q Ariſtotelem] De varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi librum lectu non indignum conſcripſit Joannes de Launoy, Conſtantienſis, Theologus Pariſinus, qvem lego ex editione ſecunda Hagenſi M. DC. LVI. in 4to, Ibidem & eodem anno prodierunt qvoqve in 4to Petri Gaſſendi Regii Pariſiis Matheſeos Profeſſoris Exercitationes Paradoxicæ adverſus Ariſtoteleos; in qvibus præcipua totius Peripateticæ doctrinæ fundamenta excutiuntur; opiniones verò novæ, aut ex vetuſtioribus obſoletæ ſtabiliuntur. Examen Theologiæ Gentilis, qvam docuit Ariſtoteles, produxit Argentorati Dn. D. Johannes Fauſtius annô M. DC. LXVII. in 4to. Sebaſtiani Foxii Morzilli Hiſpalenſis de naturæ Philoſophia, ſeu de Platonis & Ariſtotelis conſenſione libri qvinqve Wittebergæ CIↃ IↃ XCIV. in 8r. recuſi multùm Lectorem erudire qveunt. Pervenerunt ad me è Bibliotheca Paulli Tarnovii, magni illius Theologi, qvi iis, qvod è notis manu ſuâ in margine additis, paret, admodum freqventer uſus eſt. Eadem ê Bibliotheca habeo qvoqve cum notis MSSis Tarnovii, Vitam Ariſtotelis Stagiritæ ê præcipuis auctoribus ἀφορισμικῶς deductam eleganter per Joan. Jacobum Beurerum Saccingenſem Latinarum litterarum in Academia Friburgenſi Profeſſorem olim, additâ ejuſdem oratione de Litterarum Periodis. Baſileæ CIↃ IↃ XCVII. in 8r. ubi multa rara, alibi non temerè occurrentia offendes. In calce illius libri inveni qvoqve B. â Tarnovio additam Diſputationem Cl. illius Theologi Dn. Danielis Crameri pro Ariſtotele, Wittebergæ 1593. in 8r. editam, cum ejuſdem Schediaſmate Apologetico pro defenſione Diſputationis ſuæ, de præcipuis Logicæ Ariſtoteleæ partibus contra arroſiones Friderici Beuerhuſii Scholæ Tremonianæ Rectoris. Witteb. M. D XCIV. Adde & ſcripta Joh Caſelii & Cornelii Martini rara & docta pro Ariſtotele contra Dan Hofmannum ſuperiori & hoc ipſo ſeculô Magdeburgi in 4to. edita, qvæ cum cura, vel ob Caſelium, ſervo. Lege & Melch. Zeidleri Dedicationem Tractatui de Gemino veterum docendi modo, Exoterico & Acroamatico præfixam, qva in multa Ariſtotelis encomia eruditè congerit. Liber exiit Regiomonti an. 1685. in 4to.

r Stoicos) Commendantur â multis Juſti Lipſii Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam libri tres Pariſiis ex officina Plantiniana. M.DC.IV. in 8r. in lucem dati, ut non parum utiles. Sanè auctor ipſe in ad Scioppium epiſtola, qvam Oporini Grubinii Amphotides Scioppianæ Pariſiis annô CIↃ IↃC XI. in 8r. editæ p. 149. ſ. exhibent de illis ita ſcribit: *STOICA fortaſſe noſtra videris, non poenitendum mihi, aut poſteris (cum fiducia dicam) opus.* Ante Lipſium, negat enim impreſſam ab illo ſe vidiſſe orbitam, eodem in argumento verſatum ſe eſſe ſcribit Scioppius. De utroqve producam verba dictis ex Oporini Grubinii Amphotid. p. 175. ſ. „ Stoica poſt Lipſium „ cùm attigiſſe Scioppium dicis eôqve pactô ſive „ Lipſiana compilâſſe, ſive minimè ſanô judiciô cum „ tanto viro concurriſſe inſimulas, præter qvod te „ mentiri tot *Lipſiani* auditores & amici ſciunt, „ qvi multò ante Scioppii Stoica viderant, qvàm „ *Lipſium* eo in genere qvidqvam editurum ſuſpica- „ remur (id qvod Antverpiæ à Baronio & Rubeniis „ exqvirere potes) tum etiam vel Stoica Scioppii „ nunqvam inſpexiſſe, adeoqve ad inſtar cæci de „ coloribus ferre judicium, vel in Philoſophicis „ non plus occiſâ ſue ſapere te declaras. Pri- „ mùm enim fatearis neceſſe eſt ordinem diſſe- „ rendi, qvô moralem Stoicorum rationem per- „ ſeqvitur *Lipſius*, plurimum à *Lipſiani* judicii „ elegantia & conſveta ejus in diſponendis & „ collocandis rebus felicitate abhorrere ac mutare. „ Hâc nempe in docendo viâ procedit, ut in „ Stoicorum *Philoſophia* velut in arbore alia Xe-

Senecam, Epictetum. 5 Qvintò, s Pythagoræos, qvorum extant ſolummodo fragmenta. 6 Sextò t Epicureorum reliqvias qvas à conterraneo tuo Petro Gaſſendo ſummâ diligentiâ colligi audio, & v Lucretium, ac Baſſonem, qvi nuperrimè Philoſophiam ejuſmodi explanare, aut potiùs inſtaurare conatus eſt. 7 Sed cùm in officinis Artiſtarum, plus philoſophiæ realis, & veræ habeatur, qvàm in ſcholis Philoſophorum, conſulendi ſunt diligenter Pictores, Tinctores, Ferrarii, Aurifices, Auriductores, Agricolæ, Milites, Bombardarii, Pannifici, Deſtillatores, & id genus reliqvi. 8 In Moralibus Seneca omnibus prævalet. 9 Ariſtoteles in particulis bonus eſt. 10 Teleſius magis ad totum accedit. 11 Plato verò ſparſus eſt, non methodicus, circa totum, & cùm ars ipſa integra deficeret, ipſam de novo inſtaurare conatus ſum. 12 In œconomicis primùm legendus eſt Ariſtoteles, qvia valet methodô; deinde x Xenophon

„ Radicis, alia trunci, alia ramorum, alia denique ſurculorum rationem habere dicat: qvi qvidem ordo nihil neqve ex Platonis Academia neqve ex Lycæi ſpatiis præfert, ſed neqve Porticum Zenonis reſipit, & RURE petitus meritò videtur. Deinde autem in omni illa morali Philoſophia Lipſii nihil de virtutis & vitiorum, nihil de Affectuum definitionibus ac generibus, nihil de medicina malis animi adhibenda, nihil deniqve de officiis & humanarum actionum regula ac præſcripto invenias. Scioppius contra neqve qvidqvam eorum prætermiſit & multa, qvæ tu tuiqve ſimiles ob ſummam Philoſophiæ ignorationem apud Tullium, Senecam, Epictetum, alios numqvam intellexiſſetis, declaravit, & ordine qvoqve vel Peripateticorum judiciò minimè improbabili in diſſerendo proceſſit: Latinè qvidem certè locutum eſſe, neqve ejus rei palmam Lipſianô ſtilô ambiguam reddi niſi livore præpeditus ultrò qvivis fatebitur.

s *Pythagoræos*] De Natura & Conſtitutione Philoſophiæ Italicæ ſeu Pythagoricæ præclarè nos docet librô ſingulari catô, doctô, ad ſpeciale Chriſtinæ Reginæ mandatum ſcripto, nec ubivis obvio Upſaliæ excuſo ann. M DC. LXIV. in 8t. B. Joh. Schefferus Argentoratenſis. Cujus tamen qvos receperat, librum unum de vita Pythagoræ, & alium de Claris Pythagoricis hactenus fruſtra, qvæſivi; qvin, an dederit, dubito. Eſt tamen in Bibliotheca mea Argentorati in 4to. ann. M DC. LIII. adornata Ethica Pythagorica Cl. Jacobi Schalleri, qvam, ſicuti cetera paucis hic, cedro digna tamen, nota ſcripta hujus viri nemo qvi legit & intellexit, contemnet. Adde Georgii Hornii Hiſtoriam Philoſophic. l. III. c. X, XI, p. m. 169 ſ. Cl. Thomaſius (hic enim auctor eſt) c. IV. Continuationis in Voſſii librum de Philoſophorum ſectis §. 6. p. m. 157. poſt Schefferum adducit & Joh. Schilterum noſtro ævo Pythagoræam Philoſophiam illuſtrantem. *Utriqve hi viri*, inquit; „ magno & laudabili cum ſtudio id præſtiterunt. Et Schefferus qvidem in libro de Philoſophia Italica de Pythagoricæ Sapientiæ natura & præſtantia commentatus eſt, cujus orbi literario vir qvidam eruditus propediem faciet copiam. Sed Schilterus ſuam Diatribam de Diſciplina Pythagorica ante multos annos publicavit Lipſiæ.

t *Epicureorum*] Egi de illis parte I. Methodorum p. 621.

v *Lucretium*] Dixi de hoc parte I. Methodor. p 219. 220. 321. uti & de editione Oberti Giſanii, qua de ita Cl. Barthius lib I. Adverſariorum c. IX. col. 2355. „ Lucretium ampliter enarravit Lambinus. Indice elegantiarum fertiliſſimo illuſtravit Obertus Giſanius, cujus tamen caſtigationes nimium mihi ad caſcum ſermonem reducendum videntur audaces. Meminiſſe enim debemus cujus manibus olim caſtigatus ad nos venerit Poëta. Ita Giſanium magis ad priſcam omnem elegantiam orationis, qvam ad expoſitionem Lucretii legam: eam ipſe ad formam Lambinianam aggreſſurum ſine effectu promiſit. Novâ omnino hujus ſcriptoris Editione opus, qvam aliqvis doctus de duobus iſtis concinnet. Atqvi huic auctori, ſermonis gratiâ, adeò utile ſit adſveſieri, ut poſt *Plautum* vix ulli æqvè arbitrer: puritas enim nativi ſermonis, & propriè Latini in eo inæſtimabilis, ſine fuco planè & fallaciis.

phon & Plutarchus, qvia abundant præceptis: de me verò judica tu Naudæe. 13 In politicis fundus *y* erit Plato, leges, legiſlationem, Regnum, ac Rempublicam inſtituens luculenter, ut propterea D. Thomas in liororo de Regimine Principum, Platoniſmum in Republica deſideret; 14 Ariſtoteles ut æqvum fuit, à præceptore hauſit qvidqvid habet boni, aſtutis aptior qvàm prudentibus. 15 Hunc excipiet Plutarchus, bonus in multis: 16 à *z* Machiavello ut nimiùm

x Xenophon & Plutarchus) De his ita cenſet Deſiderius Eraſm. in Dedicatione Apophthegm.
,, Non mediocris ocii res eſt aurum ſciturari in ve-
,, nis, aut gemmas in harenis marive qværere.
,, Is demum occupatiſſimo principi gratum præ-
,, ſtat officium, qvi aurum purum factumqve
,, exhibet, qvi ſelectas ac repurgatas gemmas
,, auro incluſas, aut poculis additas offert, id
,, officium qvum à multis tentatum ſit, meâ tamen
,, ſententiâ, nemo felicius præſtitit qvàm Plu-
,, tarchus, qvi poſt editum egregiè frugiferum
,, opus de vitis virorum illuſtrium. in qvo per-
,, mixtim facta ſimul ac dicta illorum referuntur,
,, Trajano Cæſarum laudatiſſimo collegit inſignia
,, diverſorum apophthegmata, qvod in his velut
,, in certiſſimo ſpeculo repræſentatur animus ſin-
,, gulorum. Nam in factis, bonam laudis par-
,, tem ſibi vindicat conſiliarius, dux ac miles,
,, maximam fortuna, per qvam videmus inter-
,, dum optimè conſulta peſſimum habere exitum:
,, rurſus qvorundam inconſultam temeritatem
,, feliciſſimè cedere. Nam qvemadmodum di-
,, xiſſe fertur Siramnes Perſa, Dux ut opinor,
,, interrogatus qvur facta præclaris ejus dictis
,, non reſponderent qvid loqvar mihi in manu
,, eſt, qvid eveniat in arbitrio fortunæ & regis.
,, Nec tamen ideo ſuâ laude fruſtrantur honeſta
,, conſilia. Plutarchus autem non tantùm in de-
,, lectu cæteris præſtat, verùm etiam in explican-
,, do. Habent enim apophthegmata peculiarem
,, qvandam rationem, & indolem ſuam, ut
,, breviter arguté, ſalſè, & urbanè cujuſqve in-
,, genium exprimant. Siquidem ut ſingulis ho-
,, minibus, ita ſingulis etiam nationibus ſuus qvi-
,, dam genius eſt unde fit ut alia conveniant A-
,, lexandro, alia Philippo aut Antigono, alia
,, Phocioni, alia Alcibiadi: rurſus alia qvadrent
,, in Laconem, alia in Scytham aut Thracem,
,, alia in Athenienſem, aut in Romanum. In his
,, igitur exprimendis mihi dilutior videtur Xeno-
,, phon, ſubfrigidus Herodotus, loqvacior Dio-
,, dorus & Qv. Curtius, ne pergam de cæteris
,, dicere. Plutarchus omnes implevit numeros.
,, Eoqve viſum eſt hunc ex omnibus potiſſimum
,, ſeqvi. Qvicqvid igitur erat in hujus opere,
,, qvod inſcripſit, de apophthegmatibus, hic in
,, ſolidum reperies. Et poſt pauca: Nullus exti-
,, tit inter Græcos ſcriptores Plutarchô, præſertim
,, qvod ad mores attinet, ſanctior aut lectu di-
,, gnior. Atqvi hoc ipſum qvod abſterrere de-
,, buerat, invitavit gloriæ qvæſtuſqve ſitientes ad
,, depravandum, addendum, detrahendum. Et-
,, enim qvo qviſqve ſcriptor eſt plauſibilior ac
,, celebrior, hoc magis ad qvæſtum corrum-
,, pitur.

y In Politicis fundus erit Plato] Accuratum eſt judicium, qvod tulit de hoc & Ariſtotele Deſider. Eraſm. in dicta dedicatione Apophthegmatum. *Ex optimis*, inqvit ,, qvibuſqve autoribus colle-
,, gi, qvæ Græci vocant Apophthegmata, hoc
,, eſt, egregiè dicta, qvòd viderem non aliud
,, argumenti genus principi præſertim juveni ma-
,, gis accommodum. Sunt illa qvidem ſcitu di-
,, gniſſima, qvæ philoſophi de moribus, de re-
,, publ. adminiſtranda, deqve bello gerendo lite-
,, ris prodiderunt. Sed qvotocuiqve vel privato
,, tantum eſt ocii, ut apud Platonem Socratica-
,, rum argutationum, ironiarum & Iſagoga-
,, rum ambages ac labyrinthos evolvere vacet?
,, Ariſtoteles autem copioſe qvidem ſcripſit de
,, moribus. ſed philoſophis ſcripſiſſe videtur
,, non principi. Dilucidiora ſunt qvæ tradidit de
,, re œconomica & politica, ſed is vir nuſqvam
,, non reqvirit lectorem & attentum, & ocio-
,, ſum: ad hæc, qvoniam affectibus caret, non
,, perinde retinet animum principalibus curis in-
,, tentum. Jam in philoſophicis & M. Tullii de
,, philoſophia libris pleraqve ſunt ejus generis,
,, ut non admodum referat principem ea ſcire:
,, qvod genus ſunt qvæ diſputantur ab illis de fi-
,, nibus bonorum ac malorum majore ſubtilita-
,, te qvàm fructu. Conveniunt hæc illorum in-
,, ſtituto, qvi de honeſto per omnem vitam ni-
,, hil aliud qvàm diſputant. At ei, qvi ditioni
,, naſcitur ſtatim expedienda virtus eſt, non per
,, ocium diſputanda.

z Machiavello] Diximus de hoc parte I. Methodor. p. 420. ſ. 523. 548. 568. 571. l. Libri tres (qvo-

miùm aſtuto, & procaci abſtinendum. 17 Moſes verò adeò præcellit in omnibus.

(qvorum de nonnullorum ſententia Franciſc. Hotomannus habetur auctor) Commentariorum de regno aut qvovis principatu rectè & tranqvillè adminiſtrando adverſus Nicol. Machiavellum Florentinum annô CIↃ IↃ LXXVII. ſine mentione loci editi in 8°. Politicæ Studioſis deberent eſſe qvàm familiariſſimi; qvanta enim eruditio & doctrina in iis lateat non ignorant ii, tales qvi ignorari velint libros. Adpono hic non contemnendum Barthol. Keckermanni de Machiavello judicium è Diſputat. XXIX. Curſus Philoſophici Q. X col. 783. ſ. Tom. II. Oper. *De Machiavello*,
,, qvia in ejus mentionem incidimus, & qvia
,, celeberrima hominis inter Politicos fama eſt
,, inſerendum hòc locô aliqvid fuerit, ne poſthac
,, in Politicis, qvoties eum citabimus, vel ve-
,, ram laudem igneo ejus ingenio detraxiſſe, vel
,, etiam falſam affinxiſſe videamur. Novimus
,, qvid de eo ſentiat vir Clariſſ. Albericus Genti-
,, lis lib. III. de Legatis, cap XI. Qvi, inqvit, in
,, Machiavellum ſcripſit, illum nec intellexit,
,, nec non in multis calumniatus eſt. Machiavel-
,, lus Democratiæ laudator & aſſertor natus,
,, educatus, honoratus in eo Reipub. ſtatu, ty
,, rannis ſummè inimicus. Sui propoſiti non eſt
,, tyrannum inſtituere, ſed arcanis ejus palam
,, factis ipſum miſeris populis nudum & conſpi-
,, cuum exhibere. At verò contra de eo judicant
,, viri non minus magni. Unum præ multis no-
,, minabo Johannem Leunclavium illum in o-
,, mni hiſtoria, atqve adeo politicis etiam magni
,, judicii & induſtriæ virum, is in præfatione ſu-
,, per Belliſarii Neretinorum Ducis de Principum
,, educatione verè aureos libellos, ita de Machia-
,, vello ſcribit ad Julium Comitem Salmenſem:
,, Auſus eſt, inqvit, patrum memoriâ, tum
,, de Principe tum de omni adminiſtrationis ra-
,, tione, qvà pace, qvà bello, commentarios
,, ſcribere Nicolaus qvidam Machiavellus Floren-
,, tinæ Reip. tabellarius acuti qvidem ingenii vir,
,, ſed deteſtabilis & peſtilentiſſimus improbitatis
,, magiſter. Qvippe dum ſe prudentis & egregii
,, Principis qvaſi formam expreſſurum oſtendit,
,, & tàm luculentô promiſſô lectorum animos
,, allicit veriſſimis & impietatis & tyrannici do-
,, minatus aſtu, qvô jure, qvâ injuriâ conſti-
,, tuendi, præceptis imprudentes animos imbuit.
,, Hinc illa fœda nefariaqve axiomata, qvæ paſſim
,, in ejus ſcriptis reperiuntur: Ante omnia dan-
,, dam operam Principi, ut religioſus eſſe videa-
,, tur: tametſi reipſâ talis non ſit: Fidem, Cle-
,, mentiam, Liberalitatem, virtutes admodum
,, damnoſas Principi: cui tamen expediat, ſi
,, eas tantummodo præ ſe ferat: Malis moribus
,, implendam gentem, vel civitatem, de qva
,, vindictam ſumere princeps nullô negotiô cupiat:
,, Alendas factiones inter ſubditos, & amantes
,, boni publici de medio tollendos conſervandi
,, dominatus causâ: Debere Principem imitan-
,, dum ſibi proponere Cæſ. Borgiam. Alex. Se-
,, xti, ſpurciſſimi Pontificis, neqviſſimum filium
,, Floccifaciendum principi, ſi crudelis habeatur,
,, modò hâc viâ ſubditos dicto audientes efficiat:
,, principem qvi pacis tempore factiones inter
,, ſuos alat, eis ex animi ſui libidine facilius im-
,, peraturum: Præſtare Principi, ſi metuatur
,, qvam ſi ametur. Crudelitatem, qvæ bonum
,, ad finem tendat, nullam reprehenſionem me-
,, reri: A perjuriis, fraudibus, ſimulationibus
,, minime principi abſtinendum: cum impoſto-
,, res ſe ſemper offerant qvi circumveniri poſſint.
,, Hi ſunt egregii ſtygiæ iſtius viperæ partus non
,, omnes qvidem illi, ſed è multis eximii:
,, qvæ tamen eâ fœtus ſuos arte tum veſtire tum
,, exornare potuit ut regum in aulis hodieqve tan-
,, tùm non in ſinu foveantur, & ex ipſorum præſcri-
,, pto pleraqve non ſine gravi bonorum luctu, &
,, præſentiſſimo Reipub Chriſtianæ exitio geran-
,, tur. Neqve diu eſt cùm tandem aliqvando
,, præſtantis ingenii, magnæqve doctrinæ vir
,, abſurdiſſima portenta ſub ſpecioſis latentia lar-
,, vis non ſolùm peritè detexit, verùm etiam
,, ſolidis & gravibus argumentis refutavit. Cu-
,, jus ego rationes uti vehementer probo confir-
,, matas exemplis optimis ex omni antiqvitatis
,, memoria repetens: ita ne vilis ſcribæ virus,
,, latè cæteroqvi diffuſum, longiùs adhuc ſerpat,
,, rectè me facturum exiſtimavi ſi noſtrorum ho-
,, minum animos, eorum præſertim qvi ad geren-
,, dam Rempublicam educantur, profectò à ſa-
,, pientiſſimis duobus principibus antidotô mu-
,, nirem. Hucuſqve Leunclavius. Nec viſum
,, eſt Gentileti qvi Antimachiavelli autor eſt, Pe-
,, tri Ribadeneiræ, Bozii, Johannis Caſi & ali-
,, orum qvi adverſus Machiavellum ſcripſerunt,
,, teſtimonia allegare. Illud ſaltem monuero,
,, inter Machiavelli ſcripta diſtingvendum omni-
,, no eſſe & inter tempora qvibus aliqvid ſcripſit.
,, Neqve enim is autor ſtabilis fuit, aut ſubacti &
,, preſſi ingenii ac judicii, ſed vagi & incerti &
,, inconſtantis, atqve inſtar flammæ modò huc,
,, modò illuc evolantis. Idcirco & ſibi ipſi con-
,, tradicit ſæpe, non tantùm in diverſis libris,

bus * ut ceteri legiſlatores ſint ejus veluti ſimiæ, Pythagoras, Numa, Minos, Seleucus, Solon, Zamolixis, Mahometes & alii. 18 In Medicina qvæ Philoſophia eſt practica, ductor erit Hippocrates; mox Galenus abbreviatus tamen, & ab eo Celſus, qvi eloqventiam ſermonis junxit cum artis peritia, Trallianus, Avicenna, Rhaſis, & Fernelius; 19 Paracelſus deniqve in deſtillatoriis, & Medicinis chymicis aliqvid promovit; in ſpeculativis verò ineptit plerumqve, & accipit pro ratione non rationem; 20 Sanè Medicina poſſet abbreviari in verbis, augeri in ſententiis, & rationaliter fieri, ut patet ex libris noſtris Medicis.

,, ut in *diſcurſibus de Repub.* & in *Principe*, ſed etiam in eodem libro, imò ejuſdem libri eodem capite, qvod facile patet ei, qvi caput 18. Libri de Principe conſideratiùs perlegit. Nec mirum id eſt in naturis atqve ingeniis ejuſmodi qvæ temperamenti ac cerebri ſunt nimis fervidi atqve æſtuantis, præſertim ſi vel ira, vel vinum, vel venus, vel externa etiam aliqvando cauſa accedat qvæ calorem ſangvinis ac ſpirituum nimis accendat & exaſperet, ita ut ſpiritus, qvi ſunt inſtrumenta cogitationum, diſcurſuum, ac judiciorum, incendantur, atqve igneſcant, ac flammæ inſtar in vaſis cerebri rapidè ac perniciter oberrent. Ad ſolidum enim & ſtabile judicium de rebus in mente formandum reqviruntur ſpiritus moderati ac ſtabiles atqve adeo tales, in qvibus aërea caliditas cum terrea qvadam frigiditate ad certi ponderis proportionem temperatur. Velox enim & calidus ſpiritus cito apprehendit: tardus verò ſolidè judicat, ut ex Ariſtotele præclarè diſſerit Marſilius Ficinus lib. I. de vita ſtudioſorum. Cùm ergo illo tempore Machiavellus aliqvid meditatus eſt & ſcripſit, qvo non nimis incaluit ejus natura, ibi tum agnoſcas in eo vim ingenii cum ſingulari judicio conjunctam, ut in diſcurſibus pleriſqve de Repub. qvibus & prudenter multa monet, & modum oſtendit, qvo Livius & hujus exemplo alii hiſtorici utiliter à Politicæ ſtudioſis legi poſſint & debeant. Sed & de pontifice Romano ejuſqve in Italos tyrannide non minus verè qvam liberè & judicioſe multa annotavit. At verò cùm vel internis, vel externis cauſis tenues iſti & agiles in Machiavello ſpiritus nimis efferbuerunt & in naturam igneam degenerârunt, jam nihil in eo ſtabile, nihil firmum animadvertas, modò Tyrannum apetit, modò tegit, modo laudat & evehit in cœlum uſqve, modò deteſtatur extremè: jam format tyrannidem, mox non format, ut exiſtimare qvis jure poſſit, cùm librum iſtum ſcriberet, non ſemper ſui potentem fuiſſe, nec ſcopum certum habuiſſe, nec ſatis cogitâſſe, qvid ante ſcripſerit, aut paulo poſt ſcripturus eſſet. Id ſanè magnopere deplorandum eſt in iſta, ut ſic dicam, cogitationum inflammatione, viro alioqvin acutiſſimo, & tam florentis præſertim Reipub. Secretario excidiſſe multa, in Moſen, in Davidem, in alios ſanctos Dei homines, in ipſam Religionem Chriſtianam blaſphema: excidiſſe etiam dogmata pernitioſa, pugnantia cum omni honeſtate, cum Principiis Ethicis & Politicis: & ita qvidem excidiſſe, ut nuſqvam lectoris incauti animum adverſum talia præmuniat, nuſqvam indicet, qvo animô aut ſcopô talia ſcripſerit: qvod ſanè facere eum omnino decebat. Jam qvia non fecit, id ſcribendo effecit, ut nullum inventum aut factum audias tam pravum & curvum, tam contra omnes veri & boni normas, contra ipſa principia ac ſcopum veræ ac ſolidæ prudentiæ politicæ ſuſceptum, qvod non pallietur, imo & defendatur ac prædicetur ſpecioſô qvôdam titulô ingenii & acuminis Politici, aut Machiavellici artificii.

* *Moſes verò adeò præcellit*] Docet hoc in erudito ſuo de Veritate Religionis Chriſtianæ libro Philippus Mornæus Pleſſiaci Dominus, oſtenditqve ex ipſorum Gentilium verbis & elogiis c. VIII. p. m. 136 ſ. (edit. Antverp. M. D. LXXXIII. in 8t) 140 ſ. c. IX. p. 165. ſ. c XXIV. p. 511. ſ. Moſen omnium ſcriptorum ac Legiſlatorum primum eſſe & antiqviſſimum, qvem profani ipſi mirentur colantqve omnes, è qvo ſua Mercurius qvoqve hauſerit, ſive Hermes Triſmegiſtus, cujus auctoritatem, in Pimandro, non negligendam putat Joh Lorinus Jeſuita Avenionenſis in Pſalmum XLIX. 14. 15. p m. 1022 A. edit. Lugdunenſ. M. DC. XXIII in fol Adde Gentiletum adverſus Machiavellum fol. 225. ſ. unde, qvæ è Gentilibus pro Moſe in Encomio Scripturæ ſacræ Commentatio in Pentateuchon præmiſſo adducit Cornelius à Lapide Jeſuita Romanus, deſumſit.

Articulus VI.

De ordine legendi libros Mathematicos.

1 ORdo in Mathematicis eſt, ut præcedat Euclides communes theſes examinans menſuris, & numeris; 2 Seqvitur Archimedes qvi eos rebus multis applicat; item Ptolemæus qvi cæleſtibus, ut etiam Alfraganus, Copernicus Tycho, & alii; 3 Deinde qvi ipſos accommodant Telluri & magnis corporibus, ut Geographi; 4 Mox qvi particularibus, qvalis eſt Navigatoria, Militaris, Ponderatoria; 5 Vitellionem etiam & Alhaſenum Opticæ doctores, adibis, & per Phyſicam examinabis. 6 In Aſtronomicis prior eſt Ptolemæus, altior Copernicus, copioſior Tycho; judicium tamen de his non feres niſi obſervationes Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum, & Arabum conſideraveris; non enim unius temporis ætas, ſed ſeculorum omnium præteritorum eſt neceſſaria, ad ejuſmodi ſcientias. 7 In Aſtrologia Ptolemæus præcellit; Arabes copioſiores qvidem ſunt, ſed magis ſuperſtitioſi, utinam aliqvis ſeligeret qvod in ipſis utile reperitur, nullus enim codex ſpernendus eſt, & præclara longè documenta ſæpiſſimè latent inter verboſas ineptias. 8 Deniqve omnem ſcientiam puta infinitam, nec te * unqvam ad metam perveniſſe exiſtimes, nec diſcere ceſſes; 9 Naturâ enim comparatum eſt, ut omnis totaqve ætas conſumatur in addiſcendo per ſenſoria à codicibus naturæ, & ſcripturæ, & per diſcurſum ex his, ad non ſenſibus expoſita: certè leges omnium nationum, ac ſectarum diſcere utiliſſimum eſt.

CAPUT

* *Nec te unqvam*] Intumeſcunt ſciô plerumqve in primo ſtudiorum limine juveniles animi, & nullô antiqvitatis prægustu, nullâ amœnioris literaturæ promulſide initiati, ad forum curiamqve præmatura tollentes vota, deſpicere artes audent, à qvibus ordiuntur. At nihil ſolidiori huic doctrinæ noxium magis eſt, aut inimicum, qvàm deſultoria illa, & vaga, addo & præcipitata ſtudia. Qvæ ſuſſlaminari nullâ aliâ ratione validius qveunt, qvàm ſi Socraticum illud identidem nobis in animo ſit, & in ore: *Hoc unum ſcio, me nihil ſcire.* Circumferens enim mentis oculos per latos & latos philoſophiæ campos, & profundas ſapientiæ abyſſos, qvis adeò ſuffenus, cui oboriri audeat hæc cogitatio, *ſe aliqvid ſcire*: Credere te ſapientem, primus eſt ad ſtultitiam gradus: & nihil profectui magis eſt inimicum, qvàm profectus opinio. Qvi enim nondum didicerunt, qvid ſciant, nullius rei ſibi non arrogant ſcientiam, dum ſciunt, qvod neſciunt. Qvid mirum? ignorant ſeſe ipſi, & ſi res dicenda eſt, aut neſciunt pleriqve qvam rudes ſunt, aut ſi paulum aliqvid ultra primas literas progreſſi, literarum ſublimitatem non capiunt. Peſtem tamen hanc video in pleraqve juventute noſtra hodiè, qvam luſtit amabilis illa inſania. *Qvæ ſimul ut ſapere coepit, jam ſapit, & ubi vix limen libavit ſapientiæ, putat ſe penetraſſe.* Exemplo eorum qvi qvàm primum in via pedem poſuerunt, viſi eum habere in meta.

CAPUT III.

De recta ratione libros ſcribendi.

ARTICULUS I.

In qvo proponitur qvid agendum ſit.

1 INſtas adhuc explorandô, amicorum ſvaviſſime Naudæ, ut de ſcribendi ratione tibi aliqvid addam; 2 Dico igitur, aliud eſſe ſcribere doctrinales ſcientias, aliud inventivas, aliud tractatus ſeu diſcurſus, ac ſermones privatos, & Panegyricos.

ARTICULUS II.

De ſcientiis doctrinalibus; et earum methodo.

1 SCientias tradimus non inveſtigandô, ſed ex inveſtigatis reducendo ad propoſitiones univerſales, & definitiones, qvæ ſunt epilogus inveſtigatorum; 2 Omnis ſiqvidem ſcientia præſupponit eſſe ea de qvibus tractat, & ex principiis hiſtoricè veris, ac rationi non repugnantibus, concluſiones eruit; qvas brevibus verbis, ſignificativis, perſpicuis, & multa ſententioſè continentibus explicare debet; 3 Signum enim ſcientis eſt hôc modô docere, hoc autem facit, qvi ex principiis omnia qvæ ſeqvuntur eruit, dilucidátqve certis conſeqventiis, nullâ ſuperfluitate verborum in claris, nullâ deficienti perſpicuitate in obſcuris, nec conſarcinatione oppoſitorum dogmatum, ſcientiam omnem deſtruente.

ARTICULUS III.

De methodo inventivarum.

1 QVi autem inventivas tradit ſcientias, modum qvô ad eas pervenit, viámqve aperiet, nec aliqvid præſupponet niſi univerſaliſſimum eſſe; 2 Qvapropter Metaphyſicus qvi communem cunctis ſcientiis philoſophiam tractat, nihil præſupponit, ſed omnia dubitandô perqvirit; 3 Nec enim præſupponet, ſe eſſe, veluti ſibimetipſi apparet, nec dicet ſe eſſe vivum, aut mortuum, ſed dubitabit; 4 Nec eorum qvæ dicuntur, aliqvid abſqve probatione afferet, nec nomina ipſa putabit dicere qvod dicunt, ſed inveſtigabit utrum homo dici debeat homo, & Cælum Cælum, & Deus Deus, & ſubſtantia ſubſtantia; 5 Inveſtigabit etiam modum ſciendi, qvô pactô fiat in anima humana, & qvo-

& qvomodo cognoſcant bruta, qvibus ſapores, & odores non ſunt iidem ac nobis, & ſic de ceteris objectis, ac etiam de ſenſu aliorum entium, & de immiſto ac dominante primo ente, cujus participatione omnia ſunt; ſciunt, appetunt. 6 Atqve hôc modô inveſtigabit, probabitqve principia ſcientiarum omnium, & ſyſtematum, & entium, ac non entium, & cauſſas, & cauſſationes, & principiationes, & eſſentiationes qvemadmodùm nos fecimus in Metaphyſicis.

ARTICULUS IV.

De diſcurſu, dialogo, et ſyntagmate.

1 DIſcurſus verò ſeu ſermones ac dialogos, & ſyntagmata, non ſecundùm ſcientiarum methodum facimus, ſed ſecundùm occaſionem præſentem, & ſatisfactionem erga illos ad qvos ſcribimus reiqve, de qva ſcribimus, pro controverſia. 2 Undè Cicero, & Leo, & Chryſoſtomus, cùm orant, aliter loqvuntur, qvàm dum tradunt ſcientiam orandi; 3 ſic D. Thomas in Summa Theologiæ tradit ſcientiam per ſua principia & partes, ordine ac methodô præclariſſimâ; in opuſculis verò licet de iiſdem rebus agat, hoc facit tamen longè uberiùs, ad præſentem controverſiam ſedandam, aut alicui amico ſatisfaciendum. 4 Deniqve ut fures latrocinia ſua cum arte & ingenio exſeqvuntur: ſic Machiavellus libros, qvos meritò improbavit Eccleſia, conſcripſit ex iſtius artis regula & methodo, nam qvando putat ſe tradere ſcientiam principiandi, ſeu, ut veriùs dixiſſet, tyranniſandi præcepta, ſcribit breviter; cùm verò diſcurſus ſuper Livium, facundiæ indulget, inſtituitqve applicationem artis, & præceptorum.

ARTICULUS V.

De Commentariis.

1 COmmentaria etiam in ſcientiarum expoſitione, ac Doctorum magnorum ſententia trutinanda, aliter ſcribimus; 2 Senſum enim hiſtoricum ex ratione & cauſa unde ad ſcribendum moti ſunt, enucleamus, grammaticaliter etiam conſiderando, & explicando vocabula, unde & cur ſunt poſita ab auctore, & ab aliis. 3 Cùm autem addimus qvæſtiones & philoſophemata, non eſt de ratione expoſitionis, ſed amplioris doctrinæ, qvales ſunt tractatus poſt ſcientias, ſive ad addendum qvod deerat, ſive ad defendendum auctorem contra alios aliter loqventes; ſive ad emendandum qvæ non rectè dicta fuiſſe videntur.

CAPUT IV. & ultimum.

In qvo habetur judicium de Scriptoribus

ARTICULUS I.

De qvibuſdam auctoribus in ſpecie.

1 ARiſtoteles naturæ Genius meritò ab omnibus audit, plura enim præſtitit, ac ſcivit, qvàm qvivis poſt ipſum alius; verùm qvemadmodum optimè dixit Horatius *nihil eſſe ab omni parte beatum*, ſic non deſunt qvi huic objiciantur, velut humanitatis noſtræ appendices, * nævi. 2 Igitur in Phyſicis, & Metaphyſicis eſt qvidem brevis, & ut Philoſophum decet, ſed in difficilibus & obſcuris pluſqvàm decet, effugitqve qvæſtiones vehementer arduas, tanqvàm ſi nullius eſſent momenti, aut in iis veluti ſæpia ejectô atramentô, ut notavit alter Picus, ſeſe occultat, effugitqve piſcantem animum, unicâ diſtinctione de actu & potentia omnes ſolvens difficultates; ut patet, dum tractat de raro cùm fit denſum, de exiſtentia elementorum in miſto, de anima in partibus inſectorum diviſorum perſeverante, de generatione ex ente vel non ente, de differentiis in genere, de qvalitatum ac formarum exiſtentia, & alibi ſæpè. 3 In his verò qvæ ſunt parvi momenti plura dicit qvàm neceſſe eſt, ut cùm tractat de ſenſibus & organis in libris de Anima, & de partibus animalium, ſive inſpectione anatomica. 4 Similiter in libris Priorum & in Topicis nunqvam finem facit, & per minutiſſima ac ferè inutilia vagatur; 5 Præterea in adducendis & examinandis dictis Philoſophorum ſibi nimiùm indulget, omnes qvaſi deſpiciens, præſertim ſapientiſſimum Parmenidem & Platonem, eorum dicta qvaſi eſſent mechanici, & indocti ſpernens, nec ſatis ubiqve fideliter ea referens, qvemadmodum etiam D. Thomas ex Simplicii, Euſtratii, D. Auguſtini, & Gellii auctoritate confirmat. 6 Prætereà in Metaphyſicis potius eſt Grammaticus qvàm Philoſophus, & conſumit decem libros in proœmio dicendorum, repetitqve alibi ſæpius prolata; & in ſecundo loqvitur de Metaphyſicis, id eſt de primo ente & intelligentiis motricibus orbium ex Eudoxi, & aliorum placitis multos errores committens, additqve de ſublimibus pauciſſima, niſi ubi aliena tradit; 7 atqve cùm ex diverſis auctoribus philoſophemata ſua depromat, ſæpe in contradictionem incurrit. 8 ſic duo principia activa, ergo etiam duo elementa ex illis conſtituta ponit cum Parmenide, deinde qvatuor elementa cum Ocello, cujus etiam verba mutuatur. 9 Alibi qvoqve ſcientiam ex ſenſibus haurit cum Democrito; atqve ſenſibilia naturâ ponit. Mox cum Platone negat ſenſilium ſcientiam, facitqve æternorum tantum in intellectu. 10 Qva-

* *Nævi*] De his ſatis prolixè egit Gaſſendus, in Exercitationib. Paradoxicis paullò antè p. 193. à nobis hic adductus.

10 Qvapropter vide Naudæe, quantas in anguſtias ſummus iſte vir agitur, dum ex aliis exſcribit. 11 Meliùs verò hoc intelliges, ſi qvæ deinde dicit contraria iis qvæ de ſenſibus habet, conſideres; item qvæ de imaginante & opinante ac memorante anima, velut & de ſenſu communi, qvæ omnia accepit ex Platonis Thæteto. 12 In Logicis deniqve ſuperfluus eſt tractatis, & mancus in tractandis, neqve enim de definitiva & diviſiva arte, neqve de ſex prædicamentis qvidpiam dixit 13 Plato † verò ſapiens probatur, & qvidem conſcius, qvòd certa ſcientia & ex toto non habetur, ſed tantùm opinio, & ex parte; 14 Scripſit omnia dialogiſticè, ut intelligeremus illud modò ſciri qvod ad invicem loqvendo enunciamus, non autem res cognoſci in ſe ſicuti ſunt. 15 Ad ideas qvidem ſe confert, unde ſcientias hauriat, ſed in medio itinere nos relinqvit. 16 Parmenidis ſententias & Pythagoræ ut plurimùm ſecutus videtur in arduis, cùm in phyſicis Timæo prorſus conſentiat, ſibi tamen magis conſtat qvàm Ariſtoteles, & qvæ accepit ſuo auctori tribuit. 17 Præterea totam phyſiologiam in Timæo, librò parvulo, longè clariùs & unitiùs expreſſit, qvàm Ariſtoteles diviſam in partes, qvaſi corpus Oſiridis. 18 In reliqvis autem dialogis videtur de cunctis qvaſi ſermones facere, non ſcientiam tradere, exceptis libris de Juſto, & de legibus; miſcetqve Poëtica Phyſicæ, & moralibus, qvoniam & in natura, & in colloqviis res miſtæ reperiuntur; tandem ex propriis juxta naturam rerum conſideratis multa dicit, qvæ Ariſtoteles ex obſervatis in Homero, Ocello, Platone, & uſu vulgi tradit. 19 Teleſius in ſcribendo ſtylum verè philoſophicum ſolus ſervat, juxta rerum naturam ſermones ſignificantes condens, facitqve hominem potiùs ſapientem qvàm loqvacem; qvæ ſcire deſperat, ingenuè confitetur aliorumqve opiniones juſtè examinat, fideliterqve proponit. 20 Plinius ‡ hiſtoricè de cunctis rebus ad artem ac naturam ſpectantibus ſtylô eleganti, atqve ornatô

† *Plato*] Ariſtoteli M. Tullius ubiqve fetè Platonem præfert. *Ariſtoteles*, inqvit, *longè omnibus (Platonem ſemper excipio) Philoſophorum princeps.* Et rurſus: *Ariſtoteles*, *exceptô Platone Philoſophorum princeps.* Item I. Epiſt. ad Qvintum Fr I. c. X *Princeps ingenii & doctrina Plato.* Plinius Platonem vocat *Sapientia Antiſtitem.* Qvinctilian. l X. c. I ait „ Philoſophorum, qvis dubitet, Platonem eſſe præcipuum? ſive acumine „ diſſerendi, ſive eloqvendi facultate divinâ qvâ„ dam & Homericâ? multum enim ſupra proſam „ orationem & qvam pedeſtrem Græci vocant, „ ſurgit: ut mihi non hominis ingeniô, ſed qvô„ dam Delphicô videatur oraculô inſtinctus. Divus Auguſtinus qvoqve in II. de Civit. DEI c. XIV. ceteris Platonem anteponere nullus dubitat gentium Philoſophis. „ Platonem inqvit, Labeo „ inter ſemideos commemorandum putavit: ſic„ ut Herculem, ſicut Romulum Semideos au„ tem Heroibus anteponit, ſed utroſqve inter „ numina collocat. Verum tamen iſtum, qvem „ adpellat ſemideum, non heroibus tantùm, „ ſed etiam diis ipſis præferendum eſſe non du„ bito, Iterum ſcribit, „ Templum ei juſtiùs, „ qvàm diis illis gentium ponendum. Qvin & ciſdem de Civitate DEI libris apertè pronunciat, Ariſtotelem neqvaqvam Platoni eſſe comparandum; etſi aliunde excellens ipſius commendet ingenium. Vide Beſſarionis contra Calumniatores Platonis libros. Pulchram comparationem inter Platonem inſtituit & Ariſtotelem Franciſcus Picolominius in Moralis Philoſophiæ Gradu V. c XIII.

‡ *Plinius*] De eo è Mareſio nonnulla huc facientia diximus ſupra p. 25. Jam ſubjiciam elegantem ejus lectoreinqve non parum de Plinio informantem epiſtolam XL. è libro II. integram, ita habentem: Roland Mareſius, Nicol Rigaltio Senatori Metenſi S. „ Qvamqvàm in meis epiſtolis „ aliqvoties Plinii naturalis hiſtoriæ ſcriptoris mentionem

,, tionem ſatis luculentam feci, ea tamen eſt hu-
,, jus operis præſtantia, ut ei conſiderando &
,, pro dignitate commendando integram epiſto-
,, lam dicare conſtituerim. Primùm igitur au-
,, ctoris propoſitum in mentem venit, qvi mihi
,, Herculeâ audaciâ orbem terrarum agreſſus vide-
,, tur, ut Juſtinus in præfatione ſuæ epitomes
,, de Trogo Pompejo ait, de hiſtoria mundi, &
,, omni rerum natura ſcribendo: cùm pleriſqve
,, auctoribus, de ſingulis, qvæ in mundo exi-
,, ſtunt, ſcribentibus res ſatis ardui laboris videa-
,, tur. Et qvidem Plinii opus diffuſum eſt, eru-
,, ditum, & tàm varium, qvàm ipſa natura, ut
,, de eodem Plinius Minor dicit. Nam à mundi
,, elementis, & ſideribus exorſus, & per ſingu-
,, las orbis regiones & urbes pervagatus perpen-
,, ſoqve homine, & cujuſcunqve generis anima-
,, libus, plantarumqve diverſarum naturâ conſi-
,, deratâ, poſt traditas etiam medicinas, & re-
,, media, qvæ experientia peperit ex omnibus
,, rebus, qvas natura producit; poſt varias ar-
,, tes relatas, qvas humanum ingenium excogi-
,, tavit, & diverſa opera, qvæ manus effecit:
,, tandem poſtqvam metalla, & ea omnia, qvæ
,, terra in viſceribus ſuis abſcondit, rimatus eſt,
,, opus propè infinitum abſolvit: ſic nihil indiſ-
,, cuſſum relinqvens omnium, qvæ ſupra ter-
,, ram eminent, qvæqve ſuper eam exiſtunt, &
,, qvæ infra illam. Hoc opus qvamvis ſatis lon-
,, gum videri poſſit, tamen pro argumento bre
,, viſſimum eſt. In qvo obiter ſummum veri judi-
,, cium & ingenium admirari licet; qvi res
,, propè innumeras ſeptem & triginta libris com-
,, plexus ſit: præſertim cùm novi qvidam ſcri-
,, ptores de una aliqva mundi parte, puta de
,, animalibus, aut piſcibus adeò prodigioſæ mo-
,, lis commentarios reliqverint. In qvos ſanè
,, laboris aliqvantum & ingenii parum contuliſſe
,, verè & ſine obtrectatione dici poſſunt, cùm
,, ipſa auctorum verba, & totas interdum pagi-
,, nas in ſua ſcripta infarciant. Qvod ei, qvi in
,, opulenta aliqva bibliotheca innumerabilibus li-
,, bris ſtipatus ſit, non admodum eſt difficile.
,, Qvanqvam, ut de ingenio ſileam, Plinius
,, mihi in libris naturalis hiſtoriæ conſcribendis
,, plus operæ, & laboris videtur inſumpſiſſe,
,, qvàm illi in ſuis. Ille enim ordinem planè mi-
,, rabilem ſeqvitur, ſingula in claſſes diſtribuen-
,, do, & ad certa qvædam capita revocando;
,, deinde opus, qvamvis ex diverſis ſumtum au-
,, ctoribus, qvodammodo ſuum facit, dum ſen-
,, ſum tantùm, ſententiamqve aliorum accipit,
,, verba verò, ſtylumqve ex ſuo peculio confert.
,, At hi cruda plerumqve omnia, & indigeſta, &
,, ipſis ferè eorum, ex qvibus mutuantur, verbis
,, afferunt: qvaſi aliter ſcribenti fides haberi non
,, debeat. Qvod qvi magnoperè laudant, ii pro-
,, fectò in veterum ſcriptis ſe hoſpites eſſe, ac pe-
,, regrinos oſtendunt. Illi enim libros propriè
,, dictos non centones, ut iſti, componebant:
,, cum alioqvin ex ejuſmodi libris alienis veriùs,
,, qvàm ſuis non magnum induſtriæ fructum ſe
,, reportaturos eſſe certò ſcirent. Jam verò ge-
,, nus ſcribendi, qvod Plinius ſecutus eſt, mi-
,, hi prorſus incomparabile videtur, medium
,, inter proſam & carmen, qvod de Platonis ſer-
,, mone dixit Ariſtoteles: breve & conciſum,
,, floridum & figuratum, ita ut ſæpè res viles, &
,, humiles, qvales pleræqve res naturales videntur,
,, verbis grandioribus per tranſlationem exornet,
,, & extollat. Miror verò tàm maturum, & gra-
,, vem ſcriptorem à qvibuſdam tanqvam exigui
,, judicii hominem ſugillari, ut qvi multa ipſis
,, incredibilia ſibi non ſatis compertâ fide aliorum
,, referat: cùm eum mentis & judicii acumine
,, multum excelluiſſe, ex omnibus locis, in qvi-
,, bus ſententiam ſuam de qvacunqve re interpo-
,, nere voluit, manifeſtiſſimè conſtet. Qvod paſ-
,, ſim, ſed maximè in præfationibus librorum
,, qvàm breviter, tàm acriter facit. Criminatio-
,, ni autem iſti ut occurreret, & ne credulitati ho-
,, minum impoſuiſſe putaretur, qvod nullus ante
,, ipſum fecerat, initio operis poſt expoſitum cu-
,, juſqve libri argumentum, auctores ſingulos re-
,, cenſet, ex qvibus materiam deſumit, penes
,, qvos vult eſſe omnium fidem. Ut autem temeri-
,, tatem hominum coërceret, qvi rerum naturam
,, ſuæ mentis modulo metiuntur, & qvæ ipſis in-
,, credibilia videntur, aut ipſorum captum ſupe-
,, rant, nullô modo fieri poſſe cenſent, alicubi
,, hæc verba ſcripſit. Naturæ rerum vis atqve ma-
,, jeſtas ſingulis penè momentis fide caret, niſi
,, eam univerſam animo ſubjicias. Atqve tale eſt
,, meum de Plinii opere judicium, qvod inter o-
,, mnia veterum ſcriptorum monumenta maximè
,, ſuſpicio: primùm ob variam multiplicemqve
,, auctoris eruditionem, & argumenti grandita-
,, tem, qvod, ut dixi, univerſam rerum natu-
,, ram continet: deinde ob elegantiam & venu-
,, ſtatem, qvâ ſcriptum eſt. Qvod ſi qvis
,, vir ſcholaſticus, nulli alii rei, præterqvam li-
,, teris deditus compoſuiſſet ſatis erat, ſuper-
,, qve ad nomen illius poſteritati commendan-
,, dum. Cùm verò Plinius tot alios prætereâ li-
,, bros ſcripſerit diſtentus aliàs, impeditusqve
,, qva officiis maximis, qvà Principum amicitiâ,
,, & anno ſexto & qvinqvageſimo deceſſerit, cre-
,, dendum eſt illius ſororis filio affirmanti, acre

ornatò ſcribit, & unde haurit, qvæ ſcribit, nil diſſimulat, ingenuus, laborioſus, copioſus, compendioſus, concinnus, utilis. 21 Seneca nullas tradit ſcientias licet omnia moralia mirificè tractaverit; in Philoſophia Hiſtoriam, ac Rhetoricos colores adhibens, & in epiſtolarum genere philoſophiam, breviter, conciſè, ſententioſè in omnibus loqvens, & ad corda potiùs qvàm ad aures. 22 Cicero fuſior eſt, elegantior, auribus magis qvàm cordi inſinuans, cultum verborum magis, qvàm rerum affectat. pigmenta ſermonis doctrinæ Stoïcorum, & Platonicorum adjungit, de ſe autem nihil altum invenit, nam qvæ diſputat in Academicis, & in libris de Finibus, & cùm leges condit, in Platonicis & Stoicis reperiuntur. 23 De natura Deorum non ipſe primus diſputavit, ſed controverſias inter Stoïcos, Epicureos, Platonicos, & Peripateticos, eleganter conſcripſit. 24 Et profectò neminem vidi ſapientem qvi oratione politiſſimâ utatur, præter eos qvi aliorum dogmata exſcribunt, concinnántqve. 25 Sapientem dico eum, qvi invenire poteſt grandia, ac docere; propterea qve Auguſtinus Marcum Varronem ſupra omnes Latinos ſapientiſſimum Philoſophum, ac Theologum laudans, eum ſtylô rudiori uſum fuiſſe etiam in lingva florente narrat. 26 Hic tamen ſtylus non eſt rudis, niſi ubi Grammaticam non ſervat philoſophicam, tunc enim non ſapientibus rudis apparet, ſed aulicis tantùm, ac vulgariter doctis; qvibus adulatio dictat orationis decorum, & ornatum venari, ſuoqve adſciſcere propoſito fini conſeqvendo. 27 Notandum autem nunqvam in Republica regnare oblectamenta ſermonis, niſi ubi corrumpi incipit, ſub Tyrannide autem conditur ſermo, & elegans placenſqve redditur. 28 Redditur etiam placidus, ab iis qvi de proprio non habent, ideóqve aliena furantur, veſtiuntqve ornatu ſermonis, & figuris, ut videatur proprium qvod eſt alienum. 29 Sanè mirificus fuit Chryſoſtomus in ſenſu ac ſermone, qvi inventis Apoſtolorum & Prophetarum ornatum adjunxit. 30 Præterea ſapientes ſunt aliqvando etiam elegantes, cùm à matribus & in Aula nutriti, tanqvam naturalem habent ſermonem formoſum; ſicut

Cicero

„ ingenium, incredibile ſtudium, ſummam vigi-
„ lantiam in eo viro fuiſſe, qvod ex eo manife-
„ ſtum eſt, qvod idem refert, nullum ei tempus
„ à ſtudiis vacuum fuiſſe. non cænæ, non bal-
„ nei, non itineris, nihil unqvam legiſſe, qvod
„ non excerperet, & electorum commentarios
„ CLX. ad ſcribendum paratam materiam reli-
„ qviſſe. Sed profectò dolendum eſt, tàm excel-
„ lens opus, qvi theſaurus eſt, non liber, & o-
„ mnis doctrinæ cornu copiæ, poſt Hermolai
„ Barbari, cui uni Plinius plus, qvàm reliqvis
„ omnibus debet, & tot virorum doctorum cu-
„ ras, etiamnum fœdis ulceribus eſſe deforma-
„ tum. Qvod tamen mirum videri non debet,
„ cùm major eorum, qvos excerpſit auctorum
„ pars interierit, & bonum Plinii emendatorem
„ ei fere doctrinâ parem eſſe neceſſe ſit. Non de-
„ fuerunt qvidem diverſis temporibus viri docti,
„ qvi integram ejus emendationem promitterent.
„ Sed haud ſcio, qvo malo fato acciderit, ut eæ
„ ſpes fruſtrà fuerint. Tu verò, vir doctiſſime,
„ fato ſervatus videris ad Venerem hanc corru-
„ ptam reficiendam, Cui provinciæ te eſſe aptiſ-
„ ſimum varia tua eruditio reſpondet. Tertullia-
„ nuſqve ferreus ſcriptor, & ſalebroſus, aliiqve
„ per te correcti. Qvid, qvod jam orbi promi-
„ ſiſti? Itaqve te omnes eruditi ex promiſſo con-
„ veniunt, & à te Plinii emendationem qvaſi
„ pro ſuo jure expoſcunt: nec jam tibi tergiver-
„ ſari liberum eſt, præcipuè cùm ſis tàm arduo
„ negotio par & idoneus. Igitur, ſi laudi litera-
„ riis tuis laboribus partæ non parvum cumulum
„ addere cupis, incumbe operi, qvod immorta-
„ lem nomini tuo gloriam conciliaturum eſſe tibi
„ aſſeverare audeo

Cicero teſtatur, Julium Cæſarem, à matre eloqventi, ſermonis venuſtates didiciſſe; 31 Addo ego, & cultiorem in veſtitu modum, qvamvis ipſum poſteà abjecerit, qvando propriô arbitratu incœpit vivere, unde Cato argumentatus eſt ingenii, ac deſideriorum altiſſimorum in eo magnitudinem. 32 Proprium ergo Philoſophi eſt, nihil ſuperflui, nihil deficientis in ſermone admittere, atqve claritatem, & proprietatem arduis adhibere doctrinis, & qvod propriô vocabulô non poteſt uſitatô, per novum, non per circumlocutionem dicere: Habitum loqvendi eleganter more Aulicorum, non enixè perqvirere, cùm non poſſit ardua invenire, & perſcrutari, qvi ad futilia hæc tantopere attendit. 33 Hinc etiam conjice qvoſdam noſtrates, & ultramontanos recentiores ſcriptores, ſemper eſſe pueros, uti ad Scioppium ſcripſi, qvi totum tempus in Grammaticando & Rhetoricando conſumunt, & cùm ſcribunt, affectant verbum Græcum, aut Hebraicum interſerere, ut videantur lingvarum qvaſi ſummæ ſapientiæ magiſtri; nil novum, nil altum, nil reconditum, niſi qvod ex aliorum exſculpunt libris, decorantqve fucô, afferentes, Politianus, Valla, Riccobonus, Bembus, Trapezontius, Lætus in hac claſſe ſunt toti.

ARTICULUS. II.

De Poëtis.

1 POëmata non ſunt ſcientiæ, ſed applicationes ſcientiarum ad exemplum utile faciendum politicis, popularibus, & principibus, & ſunt qvaſi tractatus; 2 Sicut enim Rhetorica facit orationes applicando artem, ſic ars Poëtica poëmata, inſtrumenta legiſlatoris ad ſvadendum, & diſſvadendum, docendúmqve cum delectatione, & modo facili, utpote exemplis: 3 Qvapropter Poëtis convenit ſermonis elegantia pluſqvàm ceteris artificibus, qvoniam non tradunt ſcientiam, ſed exemplum ſcientiis adaptant. 4 Enimverò Poëtas inter eminet Virgilius, Rempublicam militarem prout eſſe debet, in Æneide componens, laborumqve, tolerantiæ, & pietatis exempla tradens, prout eſſe debent; Homerus autem prout eſſe potuerunt, unde Virgilius plus ad ſcientiam acceſſit, Homerus plus ad imitationem, ** Arioſtus verò utrumqve complexus eſt, ut etiam † Taſſus, licet minori longè geniô ad imitationem, ſed majori

** *Arioſtus*] Prolixus eſt in ſuo *Orlando Furioſo* Ludov. Arioſtus & pleriſqve Italis ſuis mirificè æſtimatur facundus, ſed in depingendis amoribus nimius, & nihilominus ſuaviſſimo generi nonnunqvam obliqve infeſtus, ſi B. Olao Borrichio credimus Diſſertat. III. de Poëtis Latinis §. 120. p. 110.

† *Taſſus*] Torqvatum hunc Taſſum nobis ita depingit Janus Nicius Erythræus Pinacothecâ I. n. XLII. p. m. 74. „Qvod olim ab Alexandro Macedone de Homeri verſibus dictum fuiſſe narratur, nimirum grandiores eos eſſe, qvàm ut cani poſſint ad lyram; id non incommodè ad Torqvati Taſſi, poëtæ hujus ſeculi multorumqve aliorum facile principis, laudes poſſe transferri videtur: videlicet, eas eſſe majores anguſtioresqve, qvàm ut oratoris dulcis ac ſvavis, tanqvam fidium voce referri poſſint. Sed qvemad-

majori ornatu, ac eloqventiâ, qvam ſupra cæteros adjunxit. 5 Pindari, & Horatii poëmata imitantur magis qvàm doceant agendorum & fugiendorum rationem. 6 Maffæus Barberinus, nunc ‡ Urbanus octavus, ſapientiam propinat agendorum ac fugiendorum, cum elegantia, & imitationis declaratione, ad utilitatem informandorum animorum, qvô minus fabularum inani cibô nutriantur, ac decipiantur. 7 Tibullum, Catullum, Propertium, Martialem, Marinum, corruptores Reipublicæ per elegantiam ſermonis, & per ſcelus exempli dicimus, nec inter Poëtas artifices illos numeramus; 8 Meliores iſtis Perſius & Juvenalis haberi debent, qvoniam ſaltem mala vitare docent. 9 Petrarcha verò inter utroſqve mediat. 10 Lucanus *** moralitatem heroicam docet, Rempublicam militarem non prout eſſe debet, nec prout eſſe potuit, ſed prout fuit, depinxit, ejuſqve probitas ex mirificentia hiſtoriæ, non poëſeos elegantia commendatur. 11 Similiter ſe habent Silius Italicus ** & Petrarcha in

,, admodum Homeri verſus, ex maximi omnium Regis ſententia, tubarum ſonitum clangoremqve poſcebant: ita Torqvati laudes ſummum, grandiloqvum, ac tragicum plane ſcriptorem, tanqvam tubæ cantum efflagitant, qvi earum magnitudini amplirudiniqve reſpondeat. Ubi autem tanta vis eloqventiæ, qvæ Torqvati laudibus par ſit, præterqvam in ipſo Torqvato inveniri poſſit, non video, cujus vocis, etiam cùm maledicit, ea eſt dignitas, majeſtas, ac prope divinitas, ut nemo ſanus inveniatur, qvi non malit eſſe in ejus poëmate Therſites, qvàm in aliorum Achilles. Longè enim honoratior ab illo vituperatus, qvam ab aliis laudatus, diſcederet. Qvamobrem, cùm omnis noſter in eo laudando labor inanis ſit futurus, contenti erimus ejus tantùm nomen referre: eo enim audito continuò ingens innumerabilium pene laudum numerus, audientium animis ſe inferet. Atqve eo magis id mihi ejus laudes reticendi conſilium placet, qvod præclara ferè omnium hujus ævi hominum ingenia, in eo, tum ſolutâ oratione, tum verſibus, celebrando efferendoqve, magna cum laude, verſata eſſe dicantur. Hæc ibi Nicius. Cujus judicium omnino ridiculum eſt, *neminem* ſcilicet *ſanum inveniri, qvi non malit eſſe in Taſſi poëmate Therſites, qvam in aliorum, Achilles.* Sanè in *Hieroſolyma* ſua *liberata* & verbis magnificus eſt Taſſus & adparatu, ſed [illegible] epopœiæ minimè adſeqvitur, ſiqvidem Fabulæ diſpoſitio ad mentem Stairitæ exigenda, qvod inter alios eruditè docuit P. Mambrunus. Svavis qvoqve eſt Taſſi fabula *Amyntas*. Belmontes Cagnolus Taſſô ſe credidit dexteriorem, ſed invitis doctorum cenſuris.

‡ *Urbanus VIII.*] Hic & Alexander VII. è Fabio Chiſio ita transnominatus fuerunt noſtrô ſeculô in Poëtis clariſſimis æſtimati Romani Pontifices. Uterqve poëmatis in luce publica hodie verſantibus notiſſimus, in Urbano plus ingenii Poëtici, plus nativæ facilitatis, plus etiam artis; ut qvi duce qvondam Aureliô Urſô, egregiô Epigrammatum Magiſtrô, in hæc ſacra penetravit altè. In Alexandro plus laboris & induſtriæ, ut è ſcripto ejus, cui titulus: *Philomathi Muſæ Juveniles*, liqvidum. Epica ejus, qveis iter ſuum Româ Ferrariam, Ferrariâ Coloniam, Melitâ Romam depingit, ut nihil habent qvæſiti aliunde coloris, ita neſcio qvid duriuſculum, Horatiani itineris more, ſubinde auribus offerunt. Lyrica ſine ſalebris; elegi plerumqve venuſti, ut illi de aqva in lapidem verſa. *Urbani* lyrica cultiſſima; epicorum ſpiritus in itinere ſubinde fatigatur; elegiæ terſæ & floridæ; ex qvibus non alienum fuerit inſpexiſſe illud de mira, hyeme qvadam, florum ubertate epigramma: qvod producit B. Borrichius in Diſſertat. III. de Poëtis Latinis §. 118. p. 108.

*** Qvantum de Lucano triumphet Maro docet Alexander Roſæus lib. II. toto Virgilii Triumphantis p. 93. l. edit. Roterodam 1661. in 12.

** *Silius*] Hic qvam parum accedat ad Virgilium docet per XVII capita Alexander Roſæus totô librô I. Virgilii Triumphantis, qvem vide. Habeo Silium cum notis Cl. Dauſqveji Sanctomarii Canonici Tornacenſis in 4to Pariſiis editum M. DC. XVIII. Item cum eruditis notis Chriſtoph. Cellarii Lipſiæ M. DC. XCV. in 12.

in Scipionis Africa: 12 Unus * Dantes ceteris videtur eſſe præferendus in ideatione exemplorum, in mirificentia narrationis, in emolumentis Rei publicæ, & privatæ, in ſapientiæ utilitate, in imitationis ratione, ſolus elegantiæ neglectus illi obeſt; qvanqvam apud vulgus tantùm, doctiſſimi ſiqvidem hanc minimè in ipſo deſiderant. 13 Hiſpani Poëtæ qvales Erzilla, & qvi Columbeidem ſcripſit, ad hiſtoriam magis accedunt, ſed minus benè fictiones inſerunt, qvas etiam plerumqve ab Italis mutuantur; 14 Sanè Garcilaſſus Petrarchæ lyram feliciter æmulatur. Lopes verò Comœdias fingit in materia non Comica; ſed moribus Hiſpanis ſatis convenientes.

ARTICULUS III.

De Oratoribus.

1 IN Orationibus Græcos Latinis præfert Virgilius, ſicut etiam in reliqvis ſcientiis, & artibus dum canit in VI. Æn: v. 847.

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo eqvidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſas meliùs: Cæliqve meatus
Deſcribent radiô, & fulgentia ſidera dicent:

2 At in Re militari atqve Politica Romanos ceteris omnibus antepoſuit cùm ſubdit. v. 850.

Tu regere Imperiô populos, Romane, memento
Hæ tibi erunt artes, paciſqve imponere morem:
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

3 Sed Cicero Demoſthene apud Petrarcham in Famæ triumpho excellentior judicatur.

Doppo venia Demoſthene, che fuori
E di ſperanza homai del primo loco
Non ben contento de ſecondi honori.

4 Qvod ad reliqvos ſpectat, † Iſocrates, Æſchines, & Lyſias, & Gorgias laudantur

* *Dantes*] Et phraſi, & ævô & gravitate argumenti ſuſpiciendus Dantes Aligerius Infernum, Purgatorium & Paradiſum Comicô ſchemate repræſentavit. Non defuêre qvi culparent eum, ſed à Jacobo Mazonio efficaciter confutati ſunt.

† *Iſocrates*] Hujus cum Latina Hieronymi Wolfii interpretatione, ut & Gorgiæ & Ariſtidis qvaſdam, ejuſdem cum Iſocraticis argumenti Orationes excudit eleganter Henricus Stephanus annô M. D. XCIII. in fol. unà cum ſuis in Iſocratem Diatribis VII, qvarum una obſervationes Harpocrationis in eundem examinat. Edidit ille ipſe Stephanus anno M. D. LXXV. in fol. Oratorum veterum Æſchinis, Lyſiæ, Andocidis, Iſæi, Dinarchi, Antiphontis, Lycurgi, Herodis & aliorum Orationes Pervenerunt ad me è Bibliotheca Jani Gruteri, ut variæ marginibus manu ejus notæ additæ teſtantur, Oratorum Græciæ præſtantiſſimorum Antiphontis, Andocidis & Iſæi Orationes XX. cùm civilium, tùm criminalium cauſſarum Jure - conſultis ac Rhetoribus utiliſſimæ interprete Alphonſo Miniato Bononienſi. Hanov. M. DC. XIX. in 8º. In qva forma eodem anno ipſo Grutero curante prodierunt Dinarchi, Lycurgi, Leſbonactis Herodis, Demadis. Habeo & Themiſtii Euphradæ Orationes

dantur vulgò, at philoſophis non placent, qvoniam, ut inqvit Plato in epitaphio, à fœminis iſte dicendi modus manavit; loqvor de Demonſtrativo; 5 Orationes enim Cæſaris ad milites, Catonis in Senatu ad judicum deliberationem ſpectantes, Magiam animorum redolent, ut in Rhetorica conſiderabamus. 6 Qvas interſerunt † Livius, Salluſtius Gvicciardinus, aliiqve Hiſtorici, qvantæ ſint utilitatis, nemo non videt, niſi qvi ad virtutem ſe concinnari non ſinit, Atheiſinô, aut ruditate infectus. 7 Iſocratis Penegyricus & qvæ ad Nicoclem & Dæmonicum ſcripſit, eâdem utilitate pollent, elegantiâ, & concinnitate; 8 Speronii orationes non item, melior enim fuit in dialogiſmo: 9 In concionibus verò ‡ Chryſoſtomus, & Leo valent, qvia movent ſimul, docentqve, atqve delectant, præcipuè autem Leo, qvi res abſtruſas faciles omnino reddit. 10 ** Chryſologus affectat nimis dictionem, ac ſententias; ſicut & D. Auguſtinus qvi ſeipſum in Civitate Dei ſuperavit. 11 Florent, & non fructificant Cornelius Muzus & concionatores ceteri recentiores: ſermones enim D. Thomæ verè Theologici, ac Philoſophici cenſeri debent, ſiqvidem paucis verbis definit, diſtingvit, dicendáqve propinat, ut ex illis nihil non ad rem, nihil indoctè, nihil inutiliter ſinat profluere. 12 Savonarola pariter, licet in multis erraverit, plurimum tamen in concionibus valuit, dum ſpiritus auditorum accendit, ſemina virtutum ad fructificandum cogit, animum ex futilibus fortiter abſtrahit, vitia deniqve reſerat, & urit.

ARTICULUS IV.

De Hiſtoricis.

1 QVi Hiſtoriographiæ artem tradiderit, * neminem invenio, nec utrum ego iſtud præſtiterim, dicere debeo, ſingula tuo examini, atqve judicio ſubjiciens. 2 Inter Hiſtoricos verò elegans, doctus, artificioſus,

tiones aliqvot cum interpretatione Petri Pantini, & viri cujuſdam eruditi notis hic Lugduni Batav. editas anno M. DC. XIV. in 8t.

† *Livius*] Livii, Salluſtii, Taciti, ac Curtii Orationes exceptæ junctim hic Lugduni Batav. editæ ſunt in 8t. anno M. DC. XXVI. Qvanta hec è libro utilitas ad eos redundare poſſit, qvi Reipubl. regendæ ſcientiam conjungere cum ſuccincta qvadâm & efficaci dicendi vi cupiunt, oſtendit doctiſſimi viri Jobi Veratii diſſertatio ei præfixa. Ceterùm Livii Orationes omnes è libris de II. Bello Punico artificio Dialectico & Rhetorico illuſtravit, & ex iiſdem libris Miſcellanea, Obſervationes Apophthegmata rerum omnium memorabilium ac inſignium diligenter & doctè excerpſit Reinhardus Lorichius Hadamarius. anno M. D. XXXVII. Francof in 8t.

‡ *Chryſoſtomus*] Eraſmus in præfat. in Auguſtin. *Sponte profluentem orationis copiam amplectitur in Chryſoſtomo.*

** *Chryſologus*] Petrus Chryſologus à Sixto III. Papa Ravennas Epiſcopus creatus floruit circa A. C. 442. breveſqve, ſed admodum diſertas CXXII. ſtilo conſcripſit florido Homilias, item Epiſtolam ad Eutychetem hæreſiarcham. Habetur & alia ejus Epiſtola inter Epiſtolas, qvæ Chalcedonenſe præcedunt Concilium In Chriſtianis, ſi à Lactantio & Severo Sulpicio diſceſſeris, ſatis elegans eſt ejuſqve divini rebus de divinis ſermones in pretio habemur bonis omnibus.

* *Neminem invenio*] Tractavit hoc argumentum

ſus, clarus, & ſolers videtur o Livius. 3 *p* Tacitus plus Politici qvàm Hiſtorici habet; *q* Salluſtius mediat; 4 Flavius † Joſephus mirificus eſt in cunctis, & ſimilis Livio; 5 Ex noſtratibus Baronius felicior eſt ſerie, ‡ veracitate, & utilitate qvam omnibus præſtat. 6 Hiſtoriam univerſalem nec Pineda puram, nec Tarcagnota non impuram ſcripſêre, ille enim Theologica, iſte fabulas pro Hiſtoria

tum eleganter & cum cura Janus Nicius Erythræus Dialogo II toto p. m. 76 ſ. Dialogorum XVII. ſicuti & Gerard. Joan Voſſius in Arte Hiſtorica, ſive de Hiſtoriæ, & Hiſtorices natura, Hiſtoriæque ſcribendæ præceptis. Commentatione Lugduni Batav. edita anno 1653. ea enim optima editio eſt. Facit & hûc nunqvam ſatis ob utilitatem ſuam laudanda cari noſtri Boecleri Hiſtoria Schola Principum, Hiſtoriæ ejus Univerſali præmiſſa annô 1680 Argentorati in 8. editæ. Eſt & in Bibliotheca mea erudita Joh. Henr. Hottingeri epiſtola de ratione & modo conſcribendæ Hiſtoriæ Reformationis. Sicuti & Hermolai Barbari de ſcribendæ Hiſtoriæ præceptis Commentarius Marco Antonio Sabellico, qui Coccius in ſepulcrali monumento nominatur, dedicatus. Habemus & Uberti Folietæ libr. de ratione ſcribendæ Hiſtoriæ ad Octavianum Paſqvam.

o *Livius*] In Livio & Polybio ſemper mihi placuit grandis ille prudentiæ adparatus, qvem interpoſitis paſſim judiciis, obſervationibus, monitis, & egreſſionibus inſtruxerunt. Iſ. Caſaubonus ad Livium tranſtulit illud Senecæ Rhetoris de Oratorum principe encomium: Populum Romanum hujus unius ingenium par imperio ſuo habuiſſe. Et qvidem certè adeò viſus eſt nonnullis cum Cicerone conferendus, ut non dubitaverint adfirmare, Ciceronem ipſum, ſi ad ſcriptionem Hiſtoriæ totam illam vim forenſis facundiæ convertiſſet futurum fuiſſe Livio inferiorem aliqvanto. Qvid de eo ſentiat Lipſius, docet in notis ad c. LX. primi Politicor. libri p. m. 18. edit: Antverp CIƆ IƆC IV. Philippus Cominæus Livium exiſtimavit eſſe Latinorum Polybium omnibuſque Senatoribus, & rerum publicarum gubernatoribus perlegendum.

p Tacitus] Hunc loco Lipſius jam adducto p. m. 17. præponit Livio non ob eloqventiam aut alias virtutes, ſed ob prudentiam & judicii notas. Maximo Boeclero in c. I Hiſtoriæ Scholæ Principum §. 20. p. m. 49. laudatur evidentiæ nomine. *Cum* inqvit, *in Annalibus ſuis*, non bella &
„ externos caſus, ſed domeſtica veluti ac interna
„ tractet, eâ dexteritate utitur, ut Senatui e e.
„ non intereſſe modò videatur, qvi legit, ſed
„ obſervare poſſit plura, qvàm ſi intereſſet.
„ Qvid verbis velatum, fictum, adornatum,
„ implicatum, ſuſpenſum; conſilio reconditum;
„ geſtu adjutum, vultu ſimulatum, inter-
„ pretatione deflexum ſimulacris mitigatum,
„ vi arcanâ intenſum: qvis ex omni curiæ parte
„ affectus, qvæ diverſitas mentium, qvæ incli-
„ natio animorum, qvæ artes ſententiarum,
„ qvæ voluntatum invitamenta, qvi fines ſtudio-
„ rum: qvo decreta tendant, qvam facta reſpi-
„ ciant metam: qvis nexus cohærentium, qvæ
„ ſpes aut minæ conſeqventium: qvæ fraus aut
„ veritas exemplorum, qvæ calliditas repertorum:
„ hæc & talia, eâ arte ſunt à Tacito prodita,
„ cui neminis ſcriptionem comparari poſſe, faci-
„ le dixerim. ſingula verba, aliqvid momenti pra-
„ gmatici inferunt: ipſa connexio, non rerum
„ modo, ſed dictionis, habet aliqvid qvo in-
„ ſtruat lectorem negotiorum naturis intentum.
Vide tamen qvæ de ipſo hoc Tacito fortè non planè contemnenda adfert Famianus Strada Romanus Jeſuita parte I. Proluſion. Academicar. n. II. p. 44. ſ. edit Colonienſ. M.DC.XXXVIII. in 12.

q Salluſtius] Si libros ejus haberemus, Lipſio foret d. l. primus. Sed Hiſtoriarum corpus illud totum periit: & ex his pauculis, admirari magis eum libet, qvàm anxiè judicare. Illud video Thucydidi ſimillimum eſſe.

† *Flavius Joſephus*] Hunc litteratum æqve ac armorum gloriâ nobilem auctorem, ſtatuamqve ob ingenii gloriam in Urbe meritum, Hieronymus Græcum *Livium* adpellare conſveverat. Scaliger ſanè diligentiſſimum καὶ ἀληθέστατον omnium Scriptorum vocat in Prolegomen. de Emendatione Temporum.

‡ *Veracitate*) At ego nihil magis in Baronio qvàm veritatem deſidero, qvippe qvi univerſam eqvuleo, qvo vexat eam, Eccleſiaſticam Hiſtoriam trahit ſtatus ad Romani genium & Monarchiam, qvam ſtabilire ſicuti juſſus erat ac animo conceperat, ita ſtrenue exſeqvebatur. Sanè ſi qvis huic Annalium conditori ex univerſo congeſti adparatus corpore ea ſuſtulerit monumenta qvæ Aloyſius Lippomannus ac Laurentius Surius, deridiculi ac fabuloſiſſimi ſcriptores congeſſerunt qvibuſqve univerſa ferè conſtat Pontificio-

rum

Hiſtoria miſcet. 7 † Sabellicum non trutinavi, nec qvi omnium regionum Hiſtorias confarcinarent convenientes temporibus ad invicem invenio; 8 Moſes certè dedit exemplum, ſed nemo ſeqvi potuit; deſideratur ergo qvi omnium nationum utriuſqve Hemiſpherii, origines, genealogias, geſta, tempora, Regiones, mutationes, transmigrationes, & eventus cœleſtes, & terreſtres, & maritimos enarret, ab exordio Mundi uſqve ad nos: 9 Hanc ego texere optavi, ſed Principes dare commoditatem neſciunt, nec curant divinum opus. 10 Inter Biographos, philoſophorum vitas * Laërtius unus omnium optimè ſcripſit, qvoniam bona & mala ipſorum, qvidqvid ſenſêre, & alii luſêre Poëtæ de iiſdem non tacuit. 11 Sic vitas Cæſarum tradit Svetonius, veraciter & eleganti ſtylô, perutiliqve, qvem utinam recentiores imitarentur. 12 Plutarchus etiam in vitis deſcribendis valet, ſed Græcis favet plus qvàm ratio Hiſtoriæ ferat, præſertim in Paralello inter Alexandrum magnum atqve Romanos, in ceteris æqvior. 13 Gregorius Nyſſenus ſolers & utilis eſt valde; cui conſimilis eſt Hierony-

rum ſanctorum hiſtoria, pluſqvam viginti tria intulerit vulnera, auctore harum rerum maximè prudente Celeberr. Dorſcheo, Baronio refutando ſuperemoriente in Admirandorum Jeſu Chriſti Septenario p. m. 231. edit: primæ Hamburgenſ. ann. M. DC. XLVI. in 12. Immodeſtiæ iniqvitatis adfectuum occupatorum & imperitiæ Hiſtoricæ nomine proſcriptus eſt in *cauſſa Sicula* à Philippo Hiſpaniarum Rege, in celebri ea de re edicto, dato 3. Octobr. ann. M. DC. X. Et ut Iſ. Caſaubonum, Dorſcheum, Dannhauerum, Tribbechovium, Kottholtium, Spanhemium, Hottingerum, Pagium, Beſnagium &c. taceam à ſuimet Moloſſis veluti alter Actæon laniatus eſt, nimirum à Valdeſio libr. de dignit. Reg. Hiſpan. à Chronographo Regis Catholici in Opere de Convenientia duarum Monarchiarum Catholicarum, nempe Eccleſiæ Romanæ & Imperii Hiſpanici, in qvos Hyperaſpiſtes Henr. Spondanus invehitur in ad Lectorem præfatione; item à Caſparo Sanctio Jeſuita Hiſpano in Controverſia S. Jacobi. Cujus Sanctii, Baronio citra controverſiam eruditioris, Diſputatio de Prædicatione S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpania Coloniæ edita ann. 1617. in 4to. acceſſit ejus commentariis in Actus Apoſtolorum eodem ibid. ann. excuſis.

† *Sabellicum*] Marcus Antonius Coccius Sabellicus Æqvicolis ad vicum Varronis in Via Valeria natus, ut ſe in Syllabo Uticenſium Hiſtoricorum legiſſe memorat Gerard. Joan. Voſſius III. de Hiſtoric. Latin. c. XII. p. m. 670. Fabri ferrarii filius; etſi ſciam non deeſſe, qvi ipſum è nobili Coccejorum familia ortum velint, animum à teneris annis ad ſtudia adplicuit, juventutis per pagos inſtitutione aliqvantillâ pecuniâ collectâ, deinde Pomponii Læti & Domitii Veronenſis diſciplinâ uſus, Romæ Venetiiſqve, ubi humaniores litteras profeſſus eſt, inter litteratos inclitum nomen adeptus eſt. Maximè celebratur Hiſtoriâ Enneadum XI. ab Orbe condito uſqve ad annum CIƆ IƆ IV. poſt qvem annum triennio ſuperfuit, teſte Leandro in Italia ſua. Ludov. Vives lib V. de tradendis diſciplinis: Principio legendus aliqvis, qvi ab ultimis temporibus ad noſtram memoriam, aut ei proxima, hiſtoriam tenore uno contexat, ut ſummâ qvâdam proponantur omnia. Is ſit ſanè, vel Naucleras, vel hoc copioſior, & purior, & diligentior, adde etiam doctior, Antonius Sabellicus. Idem lib. III de trad. diſc. dixerat: Marcus Antonius Sabellicus fuit qvidem plenus; ſed lutulentus qvandoqve, ac ſimilis ei autori, ex qvo res deſumit; ut colorem videatur mutare cum ſolo, per qvod omnino tanqvam fluvius occurrit. Eraſmus benigniùs in Ciceroniano ſuo: p. m. 164. edit. Lugdun CIƆ IƆC XLIII. in 12. Antonium Sabellicum agnoſco natu â facundum, nec artis expertem, nec infeliciter rhetoricatur interdum. In hiſtoria ſat ſplendidè verſatus, ſed in hac tantùm, qvæ ſuum dicendi genus deſiderat. Etiam Bembus, ſed in epiſtola ad ipſum ſcripta, vocat, doctiſſimum, eloqventiſſimum, optimè de Rep. meritum: atqve addit, Septem hiſtoriarum enneadibus, qvas nuper edidiſti, uberrimum fructum propoſitum video laudis, & gloriæ ſempiternæ.

* *Laertius*] De illo optimè meritus eſt in nupera Amſtelædam: CIƆ IƆC LXXXXII. editione Henr. Weiſtenius, cui, qvàm vellent eruditi, Marcum Meibomium, virum conſummatiſſimæ eruditionis, ſuas qvoqve adjeciſſe notas.

ronymus, ſed brevior; 14 Qvi autem vitas Philoſophorum ac clarorum virorum tacitis eorum vitiis, turpibuſqve geſtis deſcribunt, ii Poëtæ potiùs dicendi ſunt, qvoniam imitanda ſcribunt, non autem narranda narrant. 15 Hiſtoriam Temporum ‡ Scaligeri admirantur Germani, eamqve ſeqvuntur etiam plurimi noſtrates, inter qvs recenſetur Vechettus Florentinus, qvi ſcripſit de anno ſacro tam ſubtiliter qvàm imprudenter. 16 Voluit enim per eclypſes, atqve Cyclos Lunares in Hiſtoriis antiqviorum extantes, numerum annorum corrigere, ſed cùm ante Hiſtoriam Herodoti, & Juſtini nihil ejuſmodi habeamus, non bene potuit præteritos ante Nini tempora annos colligere, neqve corrigere. 17 Adde qvod Chronologiæ adeo ſunt variæ inter Hebræos, Græcos, & Latinos & iterum inter ſingulos ipſorum, ut Cyclos multos aliæ excedant, aliæ excedantur, & qvibus innitaris conjecturæ omnino deſint. 18 Prætereà ſupponit curſum Aſtrorum ſemper eundem, cùm recentiora phænomena, & antiqviora etiam, longè varium ipſum eſſe in anticipationibus Tropicorum, apogeorum, Eclypſium declarent; ut non mirum ſit, qvòd nativitatem & mortem Chriſti ad alia tempora ipſi trahant, contra traditionem, ac ritum à primordio naſcentis Eccleſiæ ſervatum.

ARTICULUS V.

De Scriptoribus Epiſtolarum.

1 EPiſtolarum genera multa, inqvit Cicero, * eſſe non ignoras, alterum familiare; & jocoſum, alterum ſeverum & grave, ſed unum illud certiſſimum, qvô certiores facimus abſentes, ſi qvid eſt, qvod illorum aut noſtrum ſcire interſit, & hoc rectè qvidem, qvoniam ad hoc inventæ ſunt epiſtolæ, ut qvæ propter abſentiam ſignificare non poſſumus qvaſi præſentia faciamus. 2 Qvæ verò dicuntur Philoſophicæ, apud Senecam & Platonem, & Aſtronomicæ apud Tychonem; & qvæ Medicinales apud Manardum, Mundellam, Geſnerum, & alios; & qvæ Politicæ ſunt Ciceronis ad Atticum; & qvæ Theologicæ ut Apoſtolorum, & Diſcipulorum Ignatii, Polycarpi, Martialis & Dionyſii, Hieronymiqve, & Auguſtini, & Grammaticales Lipſii ac Parrhaſii, epiſtolarem rationem excedunt, & potiùs ad ſyntagmata doctrinalia ſpectant; ideóqve de iis ſentiendum ſicuti de ſermonibus, qvi ex principiis ſcientiarum depromi conſvevêre. 3 Hoc tantummodò animadvertendum, qvod

‡ *Hiſtoriam Temporum Scaligeri*] Scaligeri errata in qvatuor genera diſtribuit Petavius, qvorum primum μαντεύματα comprehendit, ſeu vaticinia, ſine probatione adducta. Alterum παρεξηγήματα, qvando ex malè intellectis veterum locis collegit; Tertium παρεπιχειρήματα qvando vitioſâ ratiocinatione concluſit; qvartum deniqve ἐναντιώματα, qvando ſibi ipſi contradixit. Hactenus de Scaligero Petavius. Confer D. noſtrum ſummum B. Calovium in Prolegomen. Biblior. Illuſtrator.

* Libr II. Famil. Ep. IV.

cùm genus mixtum ex ſermone ſcientifico & epiſtolari conſtituant, principia habere debent, ac fines, atqve enunciationes paulò cultiori ſermone exaratas, cujuſmodi in epiſtolis ſimplicibus ex arte fieri conſvevit, in qvibus verbis claris apprimè dicendum eſt, ne abſentia, qvam epiſtola tollit, foveatur; ac propterea haud rudis erit, vel metaphoricus ſermo, niſi ubi qvæ vel pudet dicere, vel imprimere in animo cupimus, ad hoc nos cogunt, qvemadmodùm in Rhetorica monebamus. 4 Brevitas affectata nocet ſenſui, neceſſaria prodeſt tollendo faſtidio, repetitio verò earumdem ſententiarum omnino ſtomachoſa, niſi ubi multa impreſſio, & ex impreſſione voluntas, & ex voluntate actio procuratur.

ARTICULUS VI.

De Mathematicis.

1 MAthematicas bene ſcripſit Euclides, licet qvædam in ipſo deſideremus; 2 Circa cœleſtia bene Ptolemæus numerat menſuràtqve, ſed clarior acutiòrqve Copernicus. 3 Tycho verò ſolertior & diligentior, ſed minus ad judicandum per percepta obſervataqve idoneus, præterqvàm ſtilò lutulentò fluit, non diſtinctò reſolutòqve, qvalis eſt in Copernico, aut Ptolemæo, 4 Coſmographiam ex arte Ptolemæus, haud tamen totam depinxit; 5 Ortelius verò & Mercator ex ſola peritia deſcribunt tabulas, artem nullam tradendo, ſed eorum imitatione, qvi poſt ſcientiam tractatus faciunt, & poſt Rhetoricam orationes; 6 Nos autem conati ſumus Coſmographiam artificioſè componere, qvam neſcio utrum in præcedenti Catalogo recenſuerim.

ARTICULUS VII.

De Medicis.

1 MEdicinam * Hippocrates methodicè non ſcripſit, ſed per præcepta tradidit breviſſima, ſicuti Salomon Ethicen in Proverbiis; nemo tamen ipſò melior inter antiqvos extitit in ſententia brevi, veridica, magi-

* *Hippocrates*] Medicinam inter Veteres neminem putat B. Dn. Jo. Conr. Dieterichius in p. 3. Iatrei Hippocratici exactiùs tradidiſſe Hippocrate, qvi qvæ alii ſtylò explicatò dixerunt, aphoriſticà brevitate complexus fuerit, ut iatricæ ſtudioſis rerum ingentium brevi faſciculò ſubveniret. Artem is ſuis temporibus fermè ſepultam, aut ſaltem incultam, nullàqve methodò diſpoſitam, divinis planè ſcriptis tantopere & exornavit & amplificavit, ut ſub eo primùm *Medicina* videatur prognata. Nondum ea certis diſciplinæ & artis legibus conſtabat, non ex theorematis & præceptionibus tum veris & utilibus, tum mutuò inter ſe nexu cohærentibus, erat conſtituta, ſed ſparſa qvædam & ἄτακτα erant inter Medicinæ filios rudimenta, qvæ potius ἀτεχνίαν qvàm ullum artis veſtigium oſtendebant, qvibus ſummus ille Medicus ſplendorem & illuſtramentum attulit, ſparſa colligere.

magiſtrali, & licet rationem dictorum non attulerit, ipſorum tamen veritas in experimentis intus illico ſe prodit. 2 † Galenus non tantumdem ſapit, pro-

Dd 2 ptereáqve

ligens, obſcura illuſtrans, inculta perpoliens, confuſa diſtingvens Eam temporum jejunitatem inter inſigne elogium Hippocratis teſtatur Autor Definitionum Medicarum, qvæ Galeno adſcribi ſolent, his verbis: T. IV. Oper. Gal. p. 390. Οἱ ἀρχαῖοι καὶ οἱ περὶ Ἱπποκράτους γενόμενοι, ὧν ἡμεῖς τοῖς βιβλίοις ἐντυγχάνομεν, οὔτε ἀφείσαντο τινα τῶν κατὰ τὴν τέχνην, οὔτε πολλὰ συγγράμματα ἀπέλιπον, ἀλλὰ πάνυ ὀλίγα. Τούτους μὲν οὖν ἐπαινεῖν ἄξιον, ὅτι πρῶτοι ταῖς ἐπιβολαῖς ἐχρήσαντο, καὶ ἐσπούδασαν εὑρεῖν τὰ χρήσιμα τῷ βίῳ. Ἐπιγενόμενος δὲ τούτοις Ἱπποκράτης τὴν Ἰατρικὴν συνέγραψεν, καὶ ὠφέλησατο αὐτὴν ἐν τῷ περὶ τέχνης, ἀρχηγὸς ἀεὶ τῶν καλῶν γενόμενος, περὶ οὗ πάντες οἱ Ἕλληνες μεμνήσονται εἰς αἰῶνα, ἐπειδήπερ κοινὸς Εὐεργέτης ἁπάντων ἐγένετο. Non probabat divinus Senex battologos ſui temporis Medicos, qvi res cumulabant ſine certo ordine, & inſumebant tempus chartis intricatis. Noverat præ aliis in ſcientiarum traditione modos duos eſſe, & præcipuos & valdè neceſſarios, Inventionem & uſum. Alteri tantum tribuit Plato & Ariſtoteles, ut potius à qvopiam Deo, qvàm ab homine eſſe exiſtiment. Alter vero ex longa ſententiarum obſervatione acqviritur. In his qvidem ambobus unus inter alios eminet Hippocrates. Hic enim cœleſti ſuo judicio & experientiâ pluſqvam humanâ, multa utilia & maximè neceſſaria ad uſus vitæ varios excogitavit & nobis reliqvit; ſed ita ſtrictim, ut verba ſententias adæqvent, id qvod inter alia ingenii monumenta Aphoriſmorum aliqvot Libri teſtantur In iis enim genus loqvendi conciſum ac minutum ſententiarum gravitate miſcuit, & dexteritate mirâ per ſumma qvaſi capita Medicinam complexus eſt. Sanè in hoc compendio, qvod perexiguo continetur verborum ambitu, non rerum eſt copia parva, καὶ ἐν ὀλίγῃ λέξει δύναμίς ἐστι μεγάλη. Solida hîc & compacta in exiguâ mole verborum oratio, καὶ πυκνὸς καὶ σφυρήλατος νοῦς ἐν ὀλίγῳ ὄγκῳ, ut Plutarchi Tom. II. p 408. applicem verba, qvæ ille de Pythiis Oraculis In aphoriſmis voluit, ut adeſſet φρὴν ἔμπλεος, συμφυτὴ σοφία, πολλῶν νόος. Breviter multa oſtendit, longumqve ſermonem ſub brevi occulit, ut in ea brevitate neſcias, an rerum copiam an verborum parſimoniam magis admirari liceat. Brevitatem ſtudio ſectatus fuit, ut brevitati vitæ ſuccurreret, & ne fruſtra dixiſſe videretur, Aph. I. εἶναι βίον βραχὺν, τέχνην μακρήν.

† *Galenus*] E veteribus μοναρχοῦσι Hippocrates & Galenus. Hippocrates, βασιλεύτατος πάντων, balbutiem Medicinæ correxit, in ornatiorem dicendi formam redegit. ab obſoletis abſtinuit. Longa breviter dixit, & βραχυλογίᾳ λακωνικῇ res plurimas paucis ſyllabis comprehendit. Eſt Pindaricum Od IX. Pyth. τρ. δ. κωλ. ια. v. 2. notum;

Βαιὰ δ᾽ ἐν μακροῖσι ποικίλλειν ἀκοὰ σοφοῖς.

Verbis parcus, ſenſu & virtute dives. breviſſimis qvaſi punctis maximas res docet. Mirâ tamen brevitate fit qvandoqve obſcurus, & breviloqvio ſuo interpretibus ſolet crucem figere, adeò ut maximus interpres Galenus. in Græca lingva natus & educatus, obrui ſe interdum ſermonis obſcuritate fateatur ingennè. Longo verò verborum ſyrmate Galenus incedit, πολυφραδὴς καὶ πολυλόγος cujus prolixitas artem, qvæ longa. longiorem videtur facere, uti Hippocratis brevitas breviorem. Galenus interdum prolixus eſt in re facili, in re gravi ſuccinctus. Sicco quandoqve pede præterit, ubi abditioris cujuſpiam doctrinæ deſiderabatur copia. Qvandoqve quidpiam addit, ubi non erat opus. Nonnunqvam aphoriſmum redundare aſſerit. Cùm aphoriſmi cujuſpiam ignorat cauſam. illum Hippocratis eſſe negabat. De veritate hujus vel illius aphoriſmi ſuſpiciones habet. Subinde hæret in ſententiis ac obſcuris dictis. Id probare conatur Donatus à Mutiis, Dialogo edito contra interpretationem Galeni ſuper aliqvos aphoriſmos Baſil. 1547. Qvi in Medicina veteri cupit eſſe præclarus, & ſupra conditionem vulgarem eminere, ubi Hippocratis libros curioſè volvit, ſimul Galenum adit. Stabile verò ingenium & ſagax, exigitur, nec eſt, ut omnia Galeni curioſè luſtrentur, cùm ars ſit longa, vita verò brevis; de qvo audiatur Hieron. Cardanus: in Hipp. Aphor. lib. IV. col. 311 Ubi omnes Hippocratis libros diligenter intellexeris,

etiam

tereáqve nec tam facile docet verborum copiâ luxurians, eſt tamen optimi judicii cùm ex propriis aut Hippocraticis loqvitur, dum verò Platonizat aut Ariſtotelizat non item; & in diſſectionibus mirificus exiſtit, unde Veſalio, ceteriſqve viam aperuit, qvam Ariſtoteles loqvendo de partibus animalium obſtruxerat. 3 Scripſit methodô haud ineptâ, dictorúmqve ſuorum rationem reddit aliqvando; ſed qvaternitas elementorum & qvalitatum & elementatio & reductio omnium ad illa feſellit valde virum ſolertiſſimum, qvi prætereà non immoratur cùm de febribus, & pulſibus, aliiſqve rebus ſermocinatur, qvantum erat opus ad præſtigias & præjudicia phyſicorum eludendas. 4 Celſus ſcientiæ propior, 5 Avicenna ‡ ordinem complexus eſt præclariſſimum, & materiam Medicam longé uberiorem fecit, ut propterea Galeno ſit proximus, & dignus omnino qvi novâ interpretatione à barbarie liberetur, qvanqvàm meliora præſtare potuiſſet, ſi plus ſibi, ac viribus propriis, qvàm antiqvorum teſtimoniis indulſiſſet.

ARTI-

etiam jubeo, non conſulo ſolùm, ut ſex Galeni libros de Locis affectis, & decem ac ſeptem de uſu partium, qvatuordecim Methodi medendi, qvinqve primos & tres ultimos de ſimplicibus Medicamentis, decem de Compoſitiis ſecundùm locos, & ſeptem ſecundùm genera, qvi in univerſum ſunt ſexaginta duo, evolvas. A reliqvis ejus libris ſi abſtinueris, non ſolum id temporis lucri feceris qvod eſſes impenſurus, ſed minus perplexus hærebis in his, qvæ ab Hippocrate clarè tradita ſunt. Non defuit Galeno ingenium, facundia, methodus, exercitatio; ſed qvædam, ut reor, minùs juvenis qvædam minùs diligenter, alia aliis impedimentis occupatus, negligenter ſatis ſcripſit. Galenus omnium primus Hippocraticam diſciplinam excitavit, & Hippocratis obſcuritatem editis in eum Commentariis illuſtrare conatus eſt, maximus Hippocraticæ doctrinæ conſervator; qvo nomine illi multa poſteritas debet tanqvam medicinam obſcuratam illuſtranti & perſpicuis uſitatisqve verbis tradenti. Qvis enim ex prodigioſa illa dicendi ratione, qvâ Archigenes & alii ejus ætatis Medici uſi ſunt, medicinæ præcepta haurire potuiſſet? Solebant Veteres in Medicina uti miris qvandoqve verbis, qvæ intricabant magis, qvàm extricabant. Laus hinc Galeno, qvi medicorum Vocabulorum maximè obſcuriorum enarrationem in ſcriptis variis dedit. Eo nomine laudatur Leonh Fuchſio in II. de loc. aff c. III. p. 50. his verbis: Niſi is unus fuiſſet, qvi medicinam, à prioribus miris modis obſcuratam illuſtrâſſet, & perſpicuis uſitatiſqve verbis tradidiſſet hodierno die haud dubiè omni deſtitueremur medicinæ præſidio Qvis enim ex prodigioſa illa dicendi ratione, qvâ Archigenes & alii ejus ætatis medici uſi ſunt, medicinæ præcepta haurire potuiſſet? Nemo ſanè, niſi fortè aliqvis in horum ſcripta œdipus & ænigmatum interpres incidiſſet. Qvare parùm humaniter faciunt, qvi hodie Galeni manes, de ipſis & univerſo humano genere optime meritos, tam immaniter tractant, proſcindunt, ac nullis non conviciis inceſſunt. Ideò, ſi ſtandum J. Heurnio, in Inſtitut. Medic p. 437. Galeno maximè utemur pro Hippocratis enarratore, qvo ille rectè intelligatur, atqve memoriam exerceamus, cum fœcunda qvadam utilitate; cùm rerum, qvæ diſcuntur per cauſas, demonſtratio apud eum luxuriet. Galenus explicatiùs ſcripſit, magiſqve æſtimandus, qvia Interpretum veterum bona pars periit. Multi ex meris Galeni locis aphoriſmos explicare ſolent ut fecêre *Sclanus*, Victorius, Stupanus, unde cùm Galenus non apertè loqvitur, etiam nonnullos non apertè loqvi notat Sclanus. in Aph. p. 355. Hippocratem pauci explicant ex ipſo Hippocrate, inter qvos excellit fere unicus Martianus, judicioſus interpres. J. Bapt Montanus neſcio, qvo ſpiritu Galenico actus, ſcribit: prælect. in 1. Epid. p 102. A Galeno nunqvam diſcedo, & cui idem ſum, Pater meus Galenus & Ego unum ſumus. Audet Guilelm. Copus Regius Medicus, ſcribere, Epiſt. nuncup. ad Gal. de aff. loc A. 2. b. multo plus ſolidæ doctrinæ biennio ex Galeni lectione diſcipulum reportaturum, qvàm ſi decem perpetuis annis Avicennæ Canonem revolvat. Veterum Græcorum, Herophili, Bacchii, Zeuſis, Heraclidis, Marini, Pelopis, Lyci, Ruffi, Attali, Donni, Sorani expoſitiones magno damno periêre. Unicus hodie cum Galeno ſupereſt Philotheus, cujus annotationes Latinè verſas vidiſſe ſe, Græcas verò nondum: teſtatur Dieterichius, cui hæc accepta ferimus p. 17. libri paullò antè adducti.

‡ *Avicenna*] De hoc multa dixi in parte II. Animadverſion. mearum.

ARTICULUS VIII.

De Legiſtis.

1 LEges ſcribendæ ſunt ſtilô clarô, vulgari, & ab omnibus qvi ſub illis vivunt facilè perceptibili, commodoqve utentibus; 2 Creſcunt autem illæ qvando legiſlator non omnia complexus eſt methodicè, ſuccedentibus ex caſibus; unde commentatores qvi non ſcripta tractant, fermè legiſlatores evadunt in omni ſecta. 3 Poſſunt autem ubi nimium excrevêre, in compendium redigi, velut Julius Cæſar, teſte Svetoniô, * cogitabat, & Juſtinianus tandem fecit erga Romanas, addiditqve artem qvam Inſtitutiones vocat, ſed Compendium meliùs dixeris, cùm non ex certis principiis & ſemper veris, concluſiones ac deciſiones occurrentium caſuum, exinde deducere promptum

ſit,

* In ejus vita c. XLIV. 3. Præclarum profectò, ſi perfeciſſet, inſtitutum, qvo de Ciceronem qvoqve cogitâſſe colligitur è Gellio lib. I. c. XXII. ubi liber ejus *de jure civili in artem redigendo*, citatur. Meminit & ipſe Cicero primò de Oratore. Contra hunc immenſum aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulum, non minùs ævo noſtro gravem libet adſcribere graviſſimum judicium Juſti Lipſii è Centur. III. Miſcell. Epiſtol. n. LXXVIII. Ubi *dubito*, inqvit in p. 81. edit. Antv. CIↃ IↃC V.
,, an bono conſilio in vitam & uſum jus Juſtinia-
,, næum à Lothario Imperatore revocatum ſit:
,, ſic dico, totum & plenum. Non qvin bona in
,, eo, arguta, & à ſeculo veteri: ſed nimis for-
,, taſſe bona, arguta, vetera: & ideo ſemina-
,, rium ingeniis ad calumnias fraudeſqve pangen-
,, das. Dic ſodes, qvàm multa in eo, qvæ uſum
,, hodiè non habent? qvàm multa implicata, &
,, variantibus ſententiis enodanda? Qvid ſi pu-
,, gnantia qvædam dicam? ſed vix auſim, &
,, juncti umbonibus me invadant. Et de jure i-
,, pſo priſco, parum etiam ſit: ſed Commentarii
,, qvàm multi, & pæne infiniti acceſſerunt? at-
,, qvi & ii ſi concordant, vim legis in tribunali-
,, bus noſtris poſcunt. Amelii vetus qverela an
,, ſcomma fuit: Juriſprudentiam multorum ca-
,, melorum onus eſſe. qvid nunc dicam? elephan
,, tos ab India, vix ferent. Atqvi Platonis ora-
,, culum (lib. V. de LL. & ex eo Strabo ſub fin.
,, lib. VI. p. 179 f.) auribus meis inſonat:
ἐπ παρ' οἷς νόμοι, πολλοὶ, καὶ δίκαι πολλαὶ
τούτοις, καὶ βίοι μοχθηροί: qvod *ubi leges multa, ibi & lites multa, & vita moresque pravi.*
,, Audi & ſcrutare: verè oraculum eſt. & de
,, multitudine litium, noſtra Belgica (noſtra qvin
,, & Germania) vicina Gallia & Italia dicent.
,, Qvomodo autem non & mores pravi? Nam
,, primùm concordia tollitur, odia aperta aut oc-
,, culta in animis gignuntur: adde fraudes, in-
,, ſidias, & ſtudium vincendi qvovis nexu, ac
,, ſupplantandi. *Non* enim, ut Celſus veriſſimè
,, ſcripſit, *bona conſcientia, ſed victoria, litigantis*
,, *eſt præmium*. De multis hoc dico: abſit de o-
,, mnibus, & animus me meus refellat. Sed pro-
,, borum cauſſâ indignor eqvidem, cum Iaſones
,, iſtos video, qvi palam ad Colchos & aureum
,, vellus eunt. Et qvidem non improbi ſolùm;
,, ſed ſtolidi aut fronte ferreâ. qvi & artem hanc
,, protollendæ ſive tollendæ Juſtitiæ jactant. Me-
,, mini olim fuiſſe inter Byzantinos Oratores,
,, qvi interrogatus, *Qvalis Byzantiis lex eſſet?*
Qvalem ego volo, ,, reſpondit: ò dignum, qvi pa-
,, teretur qvod ego vellem! Sed an non hodiè ta-
,, les, qvi leges ut ceram habent, pro animo aut
,, lucello ſuo huc illuc ducunt & flectunt. Men-
,, tiri optem: ſed hoc unicè, ut Rex ſit aut Prin-
,, ceps qvi medeatur, & Paucas, Faciles, Con-
,, cordes leges donet. Hæc Lipſius, idemqve non
,, diſſimilia in monit. & exemp. polit, lib. II. c.
,, X. ut & Barclajus in Argenid p. 263. & ſeq.
,, edit. Argent. qvæ omnia belle conſentiunt cum
,, effato Taciti lib. III. Annal. c. XXVII. 5 *cor-*
ruptiſſima republica plurimæ leges. ,, & cum judi-
,, cio Themiſtoclis apud Plutarchum in ejus vita,
,, p. 114. a. qvi Cauſſidicinam (unde autem illa
,, niſi ex hac monſtroſa multitudine legum)
,, Δουρείῳ ἵππῳ, eqvo ligneo ſive Trojano,
,, hoc eſt, hoſti domeſtico, comparavit. Lege tamen
& Duckium de uſu & auctoritate Juris Civilis
Lipſiæ M DC LXXVI. in 12.

ſit, qvod verum eſſe probat tot tantorúmqve * expoſitorum moles. 4 Moyſes qvoqve ex qvatuor libris qvi Phyſiologiam, Theologiam, Hiſtoriam, & leges continent, qvamvis compendioſis, unum tamen fecit Deuteronomium; 5 Et in aliis ſectis abbreviatores legum vidi permultos; deſideratur tamen in Chriſtiana ut ex tot Codicibus Decretorum, Decretalium, Clementinarum, Extravagantium, Bullarum, corpus aliqvod omnia ſemel complexum conficiatur, qvod item in Civili utiliſſimum foret; nemo enim ignorat, legum multitudinem incommodam pernitioſámqve eſſe judicibus, clientibus, Reipublicæ, & legulejis tantum prodeſſe, ut qvidqvid volunt defendentes lucra ſectentur, ac Principibus tyrannis, ut hôc modô ſubditos emungant pecuniâ. 6 Sapientia autem Dei incarnata leges omnes ad dilectionem Dei, & proximi reducit, qvô præceptô neglectô nihil valent leges ceteræ, obſervatô ſuperfluunt, exceptis ceremonialibus, qvibus populus Deo ſubjicitur, ejus auxilium imploraturus, & proximo ordinatur commodis mutuò futuris.

ARTICULUS IX.

De Theologis.

1 IN Theologia Methodici habentur Damaſcenus, Petrus Lombardus, & D. Thomas in Summa; ceteri ſunt commentatores, aut qvæſtionarii. 2 Antiqvorum verò Patrum alii ad Hiſtoriam meliores habentur, ut † Hieronymus, alii ad allegoricos ſenſus ut Ambroſius, alii ad Morales ut Gregorius

* *Expoſitorum*] In his præ ceteris commendo Theophilum ad Inſtituta Græc. & Latinè Pariſ. CIↃ IↃC LVII. in 4. Item Arnold Vinnium hominem Latinè doctum. Lugduni Batav. CIↃ IↃC XLII. in 4to. hæc enim melior eſt Amſtelodamenſi editione an. CIↃ IↃC LV. in 4to. nec contemnendæ ſunt ejuſdem Vinnii notæ, qvidem breves, ſed perpetuæ ac utiles in gratiam incipientium conſcriptæ & editæ Amſtelædami ex officina Elzeviriana an M. DC. LXIII. in 12. Prodierunt qvoqve Inſtitutiones juris Genevæ cum Baudozæ notis in 12. M. DC. XIV. Habes & Grevæ Diſſertationes ad Inſtitutiones Imperiales in 12, an 1678. Schneidewinus ad Inſtituta excuſus eſt Genevœ M: DC. XCIII & Francof. M. DC. LXXVII. in 4to. Nec inutilia ſunt Commentaria Cujacii ad Inſtitutiones Genev M. DC. X in 4to.

† *Hieronymus*] Judicium incomparabilis noſtri Martini Chemnitii in Oratione de Lectione Patrum Locis ejus Theologicis Francof. M. DC. LIII. in fol optimè editis præmiſſa, p. m 5. a.b. de Hieronymo tale eſt à ſtudioſa juventute probè obſervandum. „Hieronymi ingenium fuit præſtantiſſimum, & unicus ille labor æternam meretur „ laudem, qvod ſacra Biblia ex fontibus vertit. „ Et ſcribunt ex Patribus ſolum Hieronymum, „ natum ex Chriſtianis parentibus, habuiſſe cognitionem Hebraicæ linguæ. Qvi verò prætereà fuit multæ lectionis, variæ & difficiles qvæſtiones ab eo ſunt eruditè explicatæ. Et in illo „ genere, & prætereà in commentariis valet, „ & dignus eſt qvi legatur. Qvando verò diſputat „ de aliqvo articulo fidei, non conferri poteſt cæteris Patribus. Amans fuit diſciplinæ, ideò ſæpè tribuit electitiis exercitiis meritum remiſſionis, donec exortis Pelagianis, qvædam mitigare & retractare coactus eſt, Damnat enim „ qvædam in Pelagio, qvæ Hieron. antea & ſcripſiſſe & ſenſiſſe conſtat. Prætereà qvando aliqvem ſibi refutandum proponit, omninò nimis „ hyperbolicus eſt, & acerbitas illius & hyperbolica vehementia, etiam ſui temporis hominibus „ diſplicuit, ſed noluerunt illum irritare. Ita, „ cùm ſatis ſcabioſè de conjugio ſcripſerat, contra

rius & Chryſoſtomus; alii ad omnes, ut Origenes, licet myſticos magis ambiat; 3 ‡ Auguſtinus inter controverſias & ſubtilitates eloqventiam optat, ſed non habet qvantam Ambroſius minus optans. 4 In numeroſo autem dicendi genere, & ſvavi eloqventia Leo * antecellit, cùm præſertim dogmata abſtruſiſſima clarè & ſvaviter explanat, licet ſtilus ejus ſit magis oratorius qvàm dogmaticus. 5 Modus verò ſcribendi Theologiam per qvæſtiones incepit ab Alberto magno, & Alexandro de Ales Franciſcano, eſtqve ſatis utilis tùm ad brevitatem, tùm ad veritatem enucleandam, tùm ad contrarias falſaſqve opiniones explodendas citra tædium; 6 Et in hoc deinde claruerunt D. Thomas, Sanctus Bonaventura, & Joannes Scotus, ut utriſqve ſubtilior, ſic & obſcurior: 7 ſubtilis etiam eſt Durandus, & ſolidus, ac clarus & liberior in opinando; 8 Occham verò in inveniendo mirus, & liber; 9 qvem ſtilô conſimili, non autem libertate inſeqvitur Herveus; 10 Deniqve Cajetanus ſubtilis eſt, reſolutus, brevis, & ubi loqvitur abſqve ductore, acumen addit, pluſqvam in reliqvis commentis facere ſoleat; ſed omnes æqve expertes eloqventiæ fuerunt. 11 Qvibus ſuccedunt qvi elegantiam qvidem affectavêre, ceterum nihil de ſuo proferunt, ſed meri recitatores exiſtunt, qvales ſunt omnes ferè moderni. 12 Bel-

„ tra Jovinianum, & aliqvid reſpondendum eſ„ ſet: Auguſtin. ſcripſit libros de bono conjugali, „ adeò modeſtè, ut vix animadvertatur, cujus „ errori oppoſiti ſint. Qvæ igitur pertinent ad „ Grammaticam & hiſtoriam, ex Hieron. diſci„ poſſunt, doctrinalia verò non item. Hæc Chemnitius. Scripſit Jac. Philippus Thomaſinus Orationem de laudibus Hieronymi Patavi excuſam M. DC. XXX. Adde Voſſium II. de Hiſtor. Lat. c. XI. p. m. 205. ſ. Jacob. Reihing principiò Jeſuita, poſteà noſter in Muris Civitat. ſanctæ fundam. VII p. 164. Hieronymum vocat *lingvarum peritiſſimum, ſcripturæ ſtudioſiſſimum, omni eruditione inſtructiſſimum, & demum quoddam orbis oraculum.*

‡ *Auguſtinus*] Hunc Gvilielm. Lindanus lib. II. Panopliæ Euangel. c. VIII. & l. III. c. XI. & l. IV. c. XXVII. *clariſſimum noſtri aqvilonis ſidus* vocat, *graviſſimum eccleſiaſticorum rituum cenſorem, clariſſimumqve Catholicæ doctrinæ lumen*, qvi, auctore Joh. Maldonatô Comment. in Joh. VI. n. 68. (non 69, eſt enim is numerus in meo exemplo Lutetiano M. DC. XXIX. vitiosè poſitus) col. 1471. „ is auctor eſt, ut ejus ſententia „ ſi vel nullâ ſcripturâ, nullâ ratione, nullis aliis „ auctoribus probaretur, ſolâ perſonæ reverentiâ ſatis magnam auctoritatem mereretur.

* *Leo*] Commendavit hunc ipſum Leonem noſter paullò antè c. IV. Art. III. v. 9. Habeo ejus Papæ hujus nominis primi, qvi ſummô jure Magni cognomentum jam olim obtinuit Sermones & Homilias, qvæ qvidem exſtant, omnes ſumma cum diligentia (ut fert titulus) ad antiqviſſima exemplaria omnia caſtigatas & editas Coloniæ M. D. XLVII. in 8t. auctore Petrô Caniſiô Noviomago, ut è præfatione ejus paret. E vita Leonis iſti editioni præmiſſa faciunt huc ſeqventia „ Sicut mentem habebat igneam, & ad bene merendum de „ omnibus flagrantem, ita Chriſti ſpiritus inha„ bitans cor ejus, movebat oris plectrum, & vim „ arcanam verbis promanantibus adferebat. Qvo „ factum eſt, ut Chriſtianum Demoſthenem, „ imò cœleſtem oratorem ſonare paſſim omnibus „ videretur. Manat enim etiamnum è ſanctiſſimo „ *Leonis* pectore gravis & autoritatis plena ora„ tio, qvalem in aliis reperire ſit multò difficil„ limum. Etenim licet omnibus qvoqve dicendi „ virtutibus excellant, qvod *Leoni* maximè con„ ceſſum eſt, ægre tamen fiet, qvin aliqvando „ remittant æqvale ſolidumqve pondus illud ver„ borum atqve ſententiarum. Taceo qvàm ope„ roſum moleſtumqve ſit, in homiliis perpe„ tuam unius dictionis gratiam fortemqve ſplen„ dorem apud populum ſervare. Sed hac in parte „ ſic *Leo* regnat; ut ob ſapientiſſimam eloqven„ tiam & eloqventiſſimam ſapientiam Magni co„ gnomen apud poſteros obtinuerit, ſic eloqven„ tiâ nemini Theologorum cedens, uti multos „ excellit ſapientiâ. Et qvis demum hoc hodiè „ præſtare qveat, qvod ſuis tot tantiſqve ſcriptis „ *Leo*? ne ex iſtis qvidem opinor aliqvis, qvi „ ſtudium omne collocârunt in paranda dictionis facultate.

12 † Bellarminus controverſias hâc tempeſtate plurimùm illuſtravit; clarus, non inelegans, magnus in labore, ſed modicus tamen in inventione. 13 Deſideratur adhuc Theologica ſcientia cum confutatione ſectarum novi Orbis, & ‡ Mahometiſtarum, & Thalmudiſtarum, qvam utinam nos præſtiterimus. 14 Sanè in perqvirenda ac defendenda Religione, philoſophorumqve dogmatis examinandis, prævalet Clemens Alexandrinus, nihilqve intacti reliqvit; 15 Hunc verò excepit D. Auguſtinus in libris de civitate, varietate hiſtoriarum, multiplicitate qvæſtionum, & electione meliorum mirus: 16 Lactantius melior in confutando qvàm in docendo: 17 Thomas verò è contra, iis in libris qvos adverſus Gentiles ſcripſit; 18 Juſtinus optimè docet, probat, examinat, reſpondet, ut Philoſophus ſvadens, non credenda imperans, religionemqve in totum genus humanum ſeminatam demonſtrat, qvam alii, ſuis tantum viridariis implantatam putant; 19 Tertullianus deniqve ut Theologorum magiſter, plus probat duobus verbis qvàm ceteri mille argumentis, gravis, arduus, acer, efficax, brevis, concinnus, Philoſophicæ Grammaticæ, non autem civilis cultor, & ſuô Africaniſmô homines velut ad peregrinas merces alliciens.

ARTI-

„ facultate. Tanta autem erat in Leone, tamqve „ mirabilis ingenii facilitas, tanta ſanitas, tanta„ qve præſentia, ut paratam orationis hujus copi„ am cum ſingulari gravitate, ſed & jucunditate „ qvadam conjuncta, nullus non impendio mira„ retur. Sunt ſanè viri & auctoritate graves & eru„ ditione ſpectabiles, qvi Leonem appellare non „ vereantur, Eccleſiaſticæ dictionis Tullium, „ Theologiæ Homerum, rationum fidei Ariſtote„ lem, & qvod multo eſt amplius, Petrum ipſum „ in pontificio throno ſimul & Paulum in pulpito „ Chriſtiano diſſerentem. Ita enim demulcet, „ inqviunt, ut vinctos auditores teneat: ita do„ cet, ut ſenſibus divinis aures impleat: ita ex„ hortatur ut ardoribus virtutis animos incen„ dat. Oratione qvidem parcus, ſenſibus verò „ ſublimis, inprimisqve cœleſtis, & qvod eſt „ ante omnia admirabile, profundiſſimus atqve „ planiſſimus. Ad hæc pontificiâ majeſtate diſſe„ rens, & apoſtolicô facundus eloqviô, mode„ ſtiâ illâ verè Chriſtianâ virtuteqve divinâ cùm „ nuſqvam non admirabilis exiſtat, tùm in ſuis „ præcipuè ſermonibus, ut nemo alius, efful„ get, qvod brevitatis magiſter & unicus penè „ artifex latiſſima rerum divinarum myſteria per„ ſtringat, & ſecundùm canonicas ſcripturas „ qvendam ſacri eloqvii principatum includat. „ Qvid verò in ejuſdem epiſtolis ultro citroqve „ miſſis uſqvam deſideres, qvod non à maximi „ pontificis throno, & excultiſſimi pectoris do„ micilio digniſſime profectum videri poſſit?

† *Bellarminus*] Qvamplurima hujus Cardinalis elogia ut & Operis illius vaſti, qvod de Controverſiis Chriſtianæ fidei edidit, longiſſimo ordine adducit D. noſter Chriſtianus Kortholt in præfatione Tractatus de Canone Scripturæ ſacræ. Roſtoch. CIↃ IↃC LXV. in 4. Addo admodùm ridiculum Jacobi Kelleri Jeſuitæ in Papatu Catholico judicium, evomentis Tomô I. Artic. I. p. 15. a. *omnes Prædicantes, ſi modò fateri velint, trepidare ad nomen illuſtris hujus Cardinalis.* Ex ingenio fortè nos ſuo judicat, & qvomodo illi, ad Chemnitii nomen animati ſint, non obſcurè indicat, novi enim horum hominum mihi jam pridem cognitorum phraſes & indolem: Accuratiſſimi noſtri Hulſemanni Animadverſiones in Bellarminum eruditiſſimas maximæ hic in Belgio eruditorum parti ignotas eſſe ex auctionibus & Bibliothecarum Catalogis video & doleo. Obiter obſerves, triplex Bellarminum nomen, nimirum Roberti, Franciſci, Romuli, luſtrali è fonte retuliſſe, qvamqvam Roberti tantùm nomen uſitatas inter illi perpetuò adhæſit appellationes, qvippe à Roberto Puccio Cardinal. Florentino ſuſceptus erat è ſacro fonte.

‡ *Mahomeſticarum*] Vide qvæ dico in fine hujus tractatus p. 219.

ARTICULUS X.

De iis qvi varia ſcripſerunt.

1 IN tractatibus variis * Plutarchus ſuperat omnes ſcriptores dicendi methodô, & utilitate ac varietate doctrinæ, ſi qvidem hiſtorias, & moralia, & phyſica, ac metaphyſica etiam, complexus eſt non ineptè: 2 ** Xenophon tamen brevitate concinnâ ipſum ſuperat, & ea qvæ tractat, Platonem æmulando, eleganter admodum ac philoſophicè perſeqvitur; 3 † Lucianus verò

 ſophi-

* *Plutarchus*] De Plutarcho Rol. Mareſ. 1. Epiſt. XXIV. p. m. 103. edit. opt. Lipſienſ. 1687. in 12. ita habet. „De Plutarcho breviter qvis enim illius præſtantiam ignorat? ἄμυσος omnino, & illiteratus ſit oportet, qvi tantum ſcriptorem non attigerit. Ego qvidem de illo cum Theodoro Gaza ſentio, qvi interrogatus, ſi omnes libri perdendi eſſent, & ipſi optio daretur, qvem ſervatum vellet, Plutarchum dixit. Eſt enim verè theſaurus eorum, qvæ præſtantiſſima in omnibus aliis ſcriptoribus ſparſim inveniuntur, ſive Philoſophiam & alias diſciplinas, ſive hiſtoriam Græcam, & Romanam ſpectes. Tantô verò judiciô pollet, qvod ubiqve, ſed maximè in comparandis inter ſe Græcis, & Latinis Imperatoribus, & eorum cenſendis actis liqvidò apparet, ut hominem minimè Bœotum in craſſo jurares aëre natum. De moribus verò ea paſſim inculcat, qvæ ignaviſſimos qvosqve ad virtutem amplectendam poſſint impellere. Deniqve omnia ejus opera qvi ſerio evolverit, næ is ſe pro doctiſſimo venditare jure merito poteſt.

** *Xenophon*] Hunc M. Joh. Weitz. p. 12. Comment. in II. Horatii Odam è libro Epodon *Muſam Atticam.* & p. 62. *Oratorem ſuaviſſimum & Philoſophum nobiliſſimum* vocat. De utroqve Plutarcho & Xenophonte nos ita docet Joan. Caſelius in c. XXV. προπολιτικῶ p. m. 126. „Plutarchus vitas ſcripſit principum Græciæ & populi Romani inter ſe comparatas, qvæ ſunt plures diverſorum temporum & gentium hiſtoriæ, etſi ad ſingulorum res geſtas ipſi reſpiciendum fuit. Hic verò ſcriptor graviſſimus, tùm in aliis libris hoc agit ſedulò, ut lectorem neutiqvam à conſiliis inanem, ſed ſemper meliorem etiam dimittat, tùm in his ipſis in id potiſſimum, ni fallor, incubuit ut cujuſqve mores & animum informaret & prudentiæ civilis opes in nos transfunderet. Diſcendus igitur videtur cum omnibus aliis, & præ multis aliis. Xenophontem porrò conſiderabimus, nec uno modo. De ejus enim hiſtoriis, & Cyri pædia dicemus; ſed de Cyro Xenophontis priùs, non ſolùm qvid mihi, ſed etiam qvid eximiis cenſoribus videatur. Eum ego cum altera Polycleti regula conferam, ſtatua videlicet abſoluta, in qva ad ungvem præcepta à ſe de arte tradita expreſſerat, Dionyſius igitur Halicarnaſſeus non abs re Cyri inſtitutionem imaginem boni & beati regis nominat. Ferè idem antè ſcripſerat M. Tullius 1. ad Qvint. fr. Ep. 1. c. VIII. Cyrus ille, inqvit, à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii, cujus ſumma gravitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate conjungitur: qvos eqvidem libros non ſine cauſſa noſter ille Africanus de manibus nunqvam deponere ſolebat. Nullum enim eſt prætermiſſum in iis officium diligentis & moderati imperii: eaqve, ſi ſic coluit ille, qvi privatus futurus nunqvam fuit, qvonam modo retinenda ſunt iis, qvibus imperium ita datum eſt, ut redderent, & ab iis legibus datum eſt, ad qvas revertendum eſt? Hactenus Cicero. Sed idem ille Xenophon cum res Græcas ſcripſerit & expeditionem Græcorum in Aſiam, magno noſtro fructu utroſqve commentarios legemus, qvod diſertè affirmat & multis verbis Dion Chryſoſtomus in libello de exercitatione dicendi, affirmans eos perutiles eſſe non ſolum oratori gregario, ſed principi in rep. qvi ut civili dignitate ornatus, ſeu ut loqvitur, vir regius, ad dicendum ſit acceſſurus. Lego Xenophontem ex editione Henr. Stephani M. D LXXXI. in fol.

† *Lucianus*] Scripſit Gilb. Cognatus præter notas in Lucianum cum Joh. Sambuci annotationibus, Baſileæ in 8. editas, elegans Luciani elogium; Jacobus verò Zwingerus de vita & ſcriptis

Luciani

ſophiſticè, addo ac ironicè ſcripſit, & irreligioſè, ut omnes vacillantes in virtute animos reddat impios, ac propterea ejus lectione non ſecus ac Mazutii, Franciſci Aretini, Boccatii, aliorumqve iſtius generis optimô ſanè Conſiliô interdictum eſt. 4 At verò inter modernos ‡ Volaterranus qvidem non modò varius eſt in tractando, ſed inſuper univerſalis, qvalis Plinius, qvoniam qvicqvid ad generis humani informationem utile erat, conſarcinavit, ut Cœlius Rhodiginus qvidqvid ad eruditionem, & Laurentius Valla qvidqvid ad Grammaticationes; qvemadmodùm etiam fecit Eraſmus in Theologicis Grammaticæ, & in Grammaticis, Theologiæ gloriam ambiens. 5 Politianus autem, Calcagninus, & ſimiles eruditionis ſuæ rationem habent, nec illam ut ſuperiores proſtituunt, 6 ‡‡ Cardanus deniqve phyſiologica, & curioſa plura confirmat ex moralibus, Medicina, & omnibus ferè ſcientiis, additqve ſuperſtitioſa multa ut Apulejus; & hôc præſertim nomine bonus eſt, qvia nihil negligit, nihil intacti relinqvit, unde homo conſiderationes augeat, & ſcientias locupletet; 7 qvemadmodum nuperrime Boccalinus principibus atqve populis ſtudium veritatis faſtidientibus, qvaſi per ludum politicas verſutias, ac veritates inſtillans, qvamqvàm philoſophis non ita gratus eſt, qvibus ſimplex veritas breviſqve & ſola tantùm arridet. 8 Atqve hæc ipſa erant, amiciſſime Naudæe, qvæ tibi ſciſcitanti, ac fortiter emulgenti effundere coactus fui, utinam tam utiliter & ex

arte,

Luciani narrationem. Ludov. Vives, vir acris judicii, ſuſpicatur, cum ad inſectandos Philoſophos impulſum fuiſſe invidiâ Plutarchi Chæronenſis, qvem ſummô apud Trajanum locô eſſe cerneret, & doleret. Voſſio ſecus videtur. Vide eum lib. II. de Hiſtoric. Græc. c. XV. p. m. 232. f. & in libro de Rhetorices natura ac Rhetoribus antiqvis c. XII. p. m. 88. Eſt ſcriptor Ἀττικώτατος, atqve ut Photii verbis utar è c. CXXVIII. λέξει ἐπισήμῳ τε καὶ κυρίᾳ, καὶ τῷ ἐμφαντικῷ διαπρεπούσῃ, κεχρημένος, *uſus dictione illuſtri, propriâ, quæque deceat efficax genus dicendi.* Editio Morelliana ſatis elegans eſt. Habeo ejus Pſeudoſophiſtam ſeu Solœciſtam, cum notis & animadverſionibus doct. ſſ. & amic. Grævii. Amſtelod. M. DC. LXVIII. in 8º.

‡ *Volaterranus*] Condidit Urbanorum commentariorum libros XXXVIII qvos Julio II. pontifici inſcripſit, atqve urbanos vocat, qvia in Urbe Roma conſcripſit. Ex mille amplius utriuſqve lingvæ auctoribus eos ſe congeſſiſſe, ipſe ait. Tribus verò tomis diſtinxit; qvorum primus geographiam veterem continet: alter anthropologiam, ſive viros illuſtres: tertius philologiam, ſive artium rudimenta. Itaqve in præfatione ad Julium, opus hoc πανδοχεῖον appellat, qvaſi qvò omnia comprehendantur. Diſtinebatur in componenda anthropologia anno CIϽ IϽV. Ceterùm parùm magnificè Jovius hoc de opere judicavit. Qvippe ait, „qvæ de principibus ætatis ſuæ ſcripſit, tanqvam timido ore carptim enarrata, rerum ſuperiorum haut dubiè fidem elevare: oſtenderegve ea omnino certâ veritatis luce carere, „ qvæ inter adulationem, & metum, nec præſentis, „ nec futuræ ſpe laudis, intempeſtivè publicantur. Imò nec primam, alteramqve commentariorum iſtorum partem magno habuit loco. Siqvidem dicit, „ diſciplinas omnes in acervum conjeciſſe, „ utili potiùs in alienâ deſidiâ, qvàm ad explicatæ doctrinæ decus nobili opere. Non multo enim cum ſale, & ſine ornamento Latinæ orationis, cuncta adſtricto ordine ita digeſſiſſe, „ ut alibi qværenda legentibus indicare videatur. De eodem ita Floridus Sabinus apologia adverſus L. L. calumniatores. „ Bona eruditorum pars ei „ defert mediocrem eruditionem, cùm nihil, „ qvàm aliena, hinc inde in ſua immenſa volumina tranſtulerit: in Græcis vertendis vel pueriliter perſæpe lapſus. Ex eo tamen pleraqve ſua deſumſit Raviſius Textor. Nempe hujuſmodi ſcriptores magis rivos ſectantur, qvàm fontes.

‡‡ *Cardanus*] Prolixum de Cardano tulit judicium Gabriel Naudæus præfixum libro Hieronymi Cardani Mediolanenſis de propria vita, edito Amſtelædami CIϽ IϽCXLIV. in 12.

arte, qvàm ex veritate, & animo, qvæ ſi tibi tuiſqve amicis fratribus Puteanis, Moreau, Diodato, Motteo, Vaierio, Gaſſendo, Gaffarello, Patino, Merſenno, Slingelando, clariſſimis, doctiſſimiſqve viris, qvorum mihi benevolentiam dudum conciliâſti, placuiſſe intellexero, qvod meum erat, me aſſecutum fuiſſe, gaudebo ſummoperè, multumqve me tuô & ſimilium optimorum hominum judiciô efferam. 9 Plura etiam in tui & ipſorum gratiam dicturus, niſi iſta mihi conſultiùs tacere viſum fuiſſet, propter æmulorum invidiam, qvam toties expertus non poſſum adhuc non plurimum reformidare.

F I N I S.

a

Pertinent hæc ad finem p. 218. in notis.

Impia hæc ſupra poſita Muhammedis Dogmata ſcriptis publicis jam dudum oppugnârunt Chriſtiani. Habemus Auctorem Fortalitii Fidei Ao. Chr. M. CCCC. XXCV. Norimbergæ editi, in qvô totus liber IV. Saracenis eſt oppoſitus: Ricoldum, Dionyſium Carthuſianum, Turrecrematam, Guilielmum Poſtellum in Concordia Orbis. Nicetam Choniatem in Theſauro. Euthymium Zigabenum contra Saracenos Nicolaum de Cuſa Cardinalem in Libris Tribus Cribrationum Alcorani: Petrum Abbatem Cluniacenſem in Diſputatione Saraceni & Chriſtiani, Guilielmum Pariſienſem, Savanorolam, & alios vetuſtiores, qvos Antonius Poſſevinus lib. IX. Biblioth. Selectæ c. IIX. & Michaël Medina lib. I. de Recta in Deum fide & Thomas à Jeſu lib. I. p. 645. & Beſoldus in Conſiderat: Legis & Sectæ Saracenorum p. 4. 5. citant. Confer Saracenica Heidelbergæ apud Commelinum edita. Pium II. Cujus ad Morbiſanum Turcarum Principem extat Epiſtola, qvâ oſtenſis Mahumedanæ Sectæ erroribus ipſum admonet, ut relictâ illâ verum ſolidámqve Legis Euangelicæ eruditionem amplectatur. Reſponſum Morbiſani, qvod editum hôc nomine legimus, Höttingero, Seculô XV. Hiſtor. Eccleſ. Sect. III. p. 797. planè ſuſpectum eſt: eò qvod, & paſſionem Chriſti, Judæorumqve in Χριστοκτονία perfidiam contra prima fidei Mudammedicæ elementa concedat, & de veterum Græcorum hiſtoriis, ſeriò nimis & ſubtiliter diſſerat. *Neſcio*, citatô addit Höttingerus locô, *cur his ſibi artibus Pontifices authoritatem conciliare tam anxiè laborent.* Adde Volaterranum, Johannem Andream, ex Alfaqvi ſeu Doctore Turcico Ann. Chr. M. CCCC. XXCVII. converſum, atqve ab Hiſpanis in Canonicorum numerum allectum, in Tractatu, cui nomen: Confuſio Sectæ Mahometanæ. Cui in palæſtra hac omnium feliciſſimè verſato auctori, ejuſqve Libro, non modò in enarrandis, ſed & convellendis fabulis & næniis Muhammedicis multum ſe ſemper detuliſſe Höttinger. ſeculo XV. p. 797. ſ. fatetur. Qvi & ſimul, Papiſticum fermentum raró apparere, commuuia autem ferè nobiſcum fidei principia contra errores Muhammedicos adſerere atqve defendere, advertit. Vide & Boethium de Relig. p. 31. Curionem in Hiſtoria Saracenica. Summulas contra Sectam Saracenorum. Joh. Andreæ Mauri verò Confuſionem Sectæ Mu-

hammedicæ, ob defectum exemplarium Ultrajecti recudendam dedit Giſb. Voetius. Cui ſupra pleroſqve antiqviores ad dextram refutationem prælucere videtur: qvòd ſcripta & myſteria Muhammedica Viro illi longè melius, qvàm pleriſqve aliis antagoniſtis nota fuerint: vide Voet. Sel: Diſpp. T. 2. p. 677. item librum II. Bibliothec. Stud. Theol: p. 549. Baldricum Archi-Epiſcopum, Gvibertum Abbatem & Albertum Aqvenſem omnes tres in Hiſtoria Hieroſolymitana. Bartholomæum Georgewitzium, XIII. per annos apud Turcas verſatum. Theodorum Bibliandrum, multis ab Höttingero in præfatione Hiſtoriæ Orientali præfixa p. m. 4. laudatum, qvi Hiſtoriam tres in Tomos partitam cum Alcorano Latinè edidit Annô M.D.L. Laonicum Chalcocondylam Athenienſem de Origine & Geſtis Turcarum, qvem tranſtulit, alioſqve eandem materiam tractantes, Tigurinus ille Clauſerus inſignis Philologus, Philoſophuſqve acutus, ut Höttingerus l. c. cenſet, accuratiſſimè edidit. Cantacuzeni Monachi, ex Imperatore, Græci refutationem Latinitate donatam Rud. Gualtherus Bibliandri Alcorano adjecit, aliiſqve impietatis Muhammedicæ Confutationibus ſubnexuit, *ne fortè nuda & cruda Alkorani editio vel argumentationibus qvorundam jejunis, vel amplificationibus turgidis, vel perbacchationibus ſtomachoſis in diſcrimen adduceretur aut invidiam*, conjiciente ſic iterum Höttingerô locô ſæpiùs allegatô. B. B. Centuriatores Magdeburgenſis Cent. VII. c. XV. à f. 595.—668. prolixè & accuratè Mahometiſtarum crudelitatem, ſævitiam, bella, victorias, cædes, prælia, Politiæ & OEconomiæ rationem, doctrinam, hæreſes, ſcelera, flagitia, mores, ceremonias, & ſexcenta alia deſcribere, reperio. In ceteris qvoqve & ſubſeqventibus Centuriis. c. III. & XV. & XVI. multa ἀξιομνημόνευτα invenire licebit, ſicut & apud Oſiandrum Centur. VII. Hiſtor. Eccleſ: lib. I. c. XLI. Richardum, Ordinis Prædicatorum Monachum, Virum Arabicæ lingvæ peritum, qviqve in Urbe Babylone ipſis cum Muhammedanorum Magiſtris freqventem diſputationem habuit, in Confutatione Alcorani ſeculô XIII. adornata, àqve Megalandro Luthero annô ſeculi ſuperiòris XLII. Teutonicè tranſlata. Habemus & adverſus Turcas D. Philippum Lonicerum in 8t. edit. Francofurtenſis Annô M.D.XXCIV. per Johannem Wechelum, qvem maximè commendat B. Höe. in c IX. Apoc. p. 333. a. Riſebergum, breviter qvidem, ſed nervoſè, præcipuas res Turcicas ſeptem Capitibus comprehendentem. Felicem Petantium, Cancellarium Segniæ, qvi viam edidit in Turciam ad Uladiſl. Hung: & Polon. Reg. Editorem Conſiliorum de bello Turcico apud Marqvardum Freherum Tomô rerum Germanic. II. Antonium Bonfinium in Decadibus rerum Hungaricarum, qvas Joh. Sambucus auxit. Franof. Ao. M. D. XXCI. Martinum Cruſium in Turco-Græcia. Baſil: Ao. M. D. XXCV. Baronem Lazarum de Schwendi in Diſcurſibus Bellicis Ao. CIↃ IↃ XXXIX. Francofurti primò, pòſt Ao. CIↃ IↃC LXIV. editis. Johannem Cuſpinianum Clariſſimum Hiſtoricum & Oratorem Cæſar. Maximiliani Auguſti in deſcriptione Imperatorum, Salomonem Schweiggerum, Sebaſtianum Munſterum, Buntingium, Hieronymum Welſchium, Johannem Cotovicium, Olearium in Itinerariis: Warnerum, Michalonem Lituanum de Tartaria, Qvareſmium

mium

mium Elucid Terræ S.l. 1.f.221.ſ. Johannem Leonclavium in Hiſtoria Muſulmannica. . Johannem Tarnovium Ducem Poloniæ in Oratione ad Carol. V. contra Turcas.Martinum Sanutum Torſellum in Secretis fidelium Crucis. Orteſium in Chronic: ab Ao. M.CCCXCIII.ad Annum MDCIII. Joh.Baptiſtam Montalbanum, Augerium Giſlen: Busbeqvium, Oratorem ad Portam Ottomannicam in Epiſtolis ſuis cum Conſilio. Philippum Gvadagnolum Theologiæ & Arabicæ lingvæ Profeſſorem Romanum, in Apologia Arabica pro Chriſtiana Religione contra Ahmed filium Zin Alabedin, Perſam Aſpahenſem, cujus Politori Speculi juſtam ſuam refutationem Arabicè & Latinè oppoſuit: Qvô meliorem, adverſus Mahometiſtas Autorem, ſe ſe non conſpicatum profitetur Theodorus Hackſpan Tract. ad librum Nizachon R. Lipmanni adjecto p. 343. Qvi & Widmanſtadii notas ad Mahomedis Theologiam & Alcorani Epitomen laudat. J. Thomam Minadoum in Hiſt. Belli Turco-Perſici Francof. Ao. 1601. Alexandrum Gvagnium arte & marte Scriptorem nobiliſſimum in Sarmatia Europæa ſparſim, ex inſtituto enim ibi de rebus Polonicis agit. Renatum de Luſinga, Sabaudiæ Ducis Conſiliarium & Gall. Reg. Legatum Ordinarium in libro elaboratiſſimo, de augmento conſervatione, & occaſu Imperiorum, Turcici imprimis; Francof. An. 1609. excuſo. D. Nicolaum Reuſnerum, de qvo part. II. Diſpp. Select. Gisb. Voetius p. 682. ita: *Mihi nunc ad manum ſunt Triginta Selectiſſimæ Orationes & Conſultationes de Bello Turcico in primum Volumen collectæ à Nicolao Reuſnerô An. 1595. Wittenbergæ in 4to cum prolixa & inſigni ejusdem præfat. Secundum Volumen, & fortè III. ſi qvidem prodiit, hactenus non vidi.* Utut de tertio ſit, II. & I. me aliqvando in 8t. vidiſſe & habuiſſe, niſi me omnia fallunt, recordor. Dn. D. Salomonem Geſnerum contra hos egiſſe in Duodecade Diſpp. Theologicarum, & B. D. GeorgiumMylium in Concionibus Turcicis, qvas & aliqvando B. Hoën ſcripſiſſe, conſtat. Sicuti & Dn. D. Philippum Nicolai lib. I. c. VI. & lib. II. c. III. de Regno Chriſti contra Gog ex Magog. Vide qvoqve B. Balduinum & Dölingium de Anti-Chriſto. Elmacinum in Hiſtoria Saracen: Lugdun. 1625. Antonium Geufræum in deſcriptione Aulæ Turcicæ & Imperii Ottomannici. Lucam de Linda in deſcriptione Orbis & omnium rerum publicarum lib. X. à p. 1025---1054. Chriſtophorum Richterum de moribus & Inſtitutis Turcarum. Monſieur Franciſcum Savarium de Breves Legatum Galliarum Regis in Orientem miſſum in deſcriptione Morum & Status Turc: cujus inſtructiſſimam Libris Orientalibus Bibliothecam commendat Hötting. in Theſauro, p. 267. Trajanum Boccalini Centur. II. Satyrico---Dramaticarum Relationum Raggvaldi Parnaſſ. LXIIX. p. 412. ſ. Joannem Barclajum in Icone Animorum. Rudolph. Hoſpinianum Polyhiſtorem in Hiſtoria de feſtis & Monachis Turcarum. Scaligerum de Emendatione Temporum p. 519---524. Crineſium in Tractatu de Lingvis, c. VI. Petrum Bergeron Tract. Gallico de Saracenis Pariſ. 1634. Edoardum Pokokium in notis ad Abul Farajum. Joh. Henr. Höttingerum in Theſauro Philolog. p. 58. & in Hiſtor. Orientali per tot. item in Smegmate Orient. lib. I. c. III. §. 95. p. 54. ſ. qvibus duobus omnia Saracenica abundè explicari poſſe Voëtius l. c. p. 683. confidit. *Ille enim* ait Voëtius, *editione Gregorii Abulfaraji oſtendit,*

oſtendit, quantum Arabicorum Librorum ex Oriente allatorum theſaurum publico impartiri poſſit. Iſte Hiſtoriæ Orientalis ex Arabum monumentis collectione & promiſſâ ibidem Theologiæ Muhammedicæ deſcriptione ſpem fecit, voto Studioſorum, ſed & omnium Theologorum Europæorum abunde ſatisfactum iri. Qvæ ſuo loco relinqvimus, commendantes Chriſtiani Ravii Berlinatis ex Oriente reducis erudiſſimam obteſtationem ad univerſam Europam pro diſcendis rebus & lingvis Orientalibus, ac conjungenda Africæ atqve Aſiæ eruditione, Conſtantinopoli ſcriptam & Ultrajecti publicatam M. DC. XLIV. in fol. Lege & contra Turcas, B. Jacobum Andreæ in concionibus Turcicis. & Dn. D. Wagnerum. in Turckenbuch. J. Hoornbeek in Summa Controv. Relig. p. 75.—210. B. Micrælium lib. II. Syntagmat. Hiſtoriarum Eccleſ. Sect. II. p. 423. Voetium Tom. II. Diſpp. Select. p. 660. ſ. B. Dn. Kromajerum in Scrutin: Religionis. Joh. Henr. Urſinum de Religionibus p. 13. ſ. c. II. B. Dn. Calovium Tom. I. Syſtem. p. 105.—137. Dn. D. Kortholtium in peculiari Diſſertatione. B. Joh. Andream Boſium Hiſtoriarum Prof. olim Jenenſem in Diſcurſu Academico de Imperio Turcico, addito Chronico Saracenico & Turcico Wolfgangi Drechſleri, à Georg. Fabricio, Joh. Roſino & Joh. Reiskio emendato & aucto, Lipſiæqve edito an. M. DC. LXXXIX. in 8t. Junge ſuperioribus. M. Bonifacium Stöltzlinium in Turkiſchen Bunde. Dn. D. Joh. Adam Oſiandrum in Prodr. Exercit. IX. p. 265. Dn. Petrum Holmium in Brevi Conſideratione Theologiæ Muhammedanæ. Dn. Joh. Forbeſium à Corſe lib. IV. Inſtructionum Hiſtorico-Theologicarum.

DE

IV.

DE
Juventutis inſtituendæ Ratione
DIATRIBE,

Item

EPISTOLA DE ELOQVENTIÆ STUDIO.

Autore

JOACHIMO PASTORIO AB HIRTENBERG

Medicinæ Doctore ac Hiſtoriographo Regis Poloniæ, & Profeſſore olim honorario Gymnaſii Dantiſcani.

De Juventutis inſtituendæ ratione Diatribe.

1 HOminem Deus, uti ſapientiæ ſuæ contemplatorem, cultorem Majeſtatis, præconem deniqve gloriæ eſſe voluit; ita ſummi boni, ſi officium pro viribus datis faciat, ſed & ſummi mali, ſi id negligat, capacem fecit. 2 Summum verò bonum ut aſſeqvi, ſummum malum ut evitare poſſet, varia ei adminicula dedit.
3 Principiò menti humanæ igniculos indidit, à qvibus, qvemadmodum ad honeſti inhoneſtiqve diſcrimen videndum, lumen; ita porro ad honeſtum ſectandum, fugiendumqve inhoneſtum, ſtimulum impetumqve accipit. 4 Qvos deinde igniculos, & per ſe poſt peccatum, & per remoras circumdati nitentiſqve in contrarium corporis, tum & per alia impedimenta plerumqve langvidiores, cœlitùs data Fides, & præter hanc diſciplina, ſeu in ſtudiis honeſtis exercitatio excitat, dilatat augetqve in majus. 5 Unde ſimulac hominem, prætergreſſa

greſſa infantiam ætas mentis lingvæqve compotem fecit, protinus ii, qvibus aut natura, aut alia poteſtas, aut deniqve miſeratio curam ejus commiſit, vel ipſimet ad pia & honeſta eum formant officia, vel aliis formandum tradunt, ut & ad hanc, qvalis in terris datur, felicitatem, ſummiqve boni prælibationem, & ad alteram cœleſtem, qvæ in ſummi boni perfecta fruitione conſiſtit, aſſeqvendam, alacrior aptiorqve, Deô benignè adjuvante, reddatur. 6 Ac alii ita educantur, * ut intra qvaliacunqve pietatis probitatiſqve præcepta, qvibus nonnunqvam aliqva, ſed levia literarum rudimenta accedunt, conſiſtentes, mentem ad altius ſcientiarum artiumqve lumen non attollant; modumqve poſteà vitæ amplectantur, cui integri mores & honeſtus corporis labor & qvaliſcunqve animi induſtria alimentum, aliaqve ad benè vivendum neceſſaria ſuppeditant. 7 Alios ingenium & liberalior educatio eò provehit, ut ab accuratioribus artium diſciplinarumqve ſtudiis, laudabilem cumulum & conſpicuam lucem uſitatis illis morum præceptis literarumqve primordiis addere poſſint: ita ut inde ad ſplendidiora vitæ ornamenta, ſtationeſqve Deo & ipſis honoras, publico utiles, ſi ſibi ipſis non deſint, habiliores fiant. 8 Utrisqve ut conſuleretur, Scholas neceſſitas aperuit. 9 Pro alteris tales, in qvibus, præter pietatis elementa, facultatem legendi ſcribendiqve, vernaculâ, tùm & † numerorum aliqvam cognitionem aſſeqvi liceret: fructuoſam utramqve, omni in vitæ genere, etiam non

* *Ut intra qvaliacunqve*] Qvorumvis ingeniorum pueros ad ſcholas admittere, imò omnes ex æqvo, qvemcunqve ſibi ipſis ſcopum, & finem vel eorum parentes illis præfixerint primis annis ſcholæ tradi æqvum cenſeo, cùm ut pietatem & capita doctrinæ Chriſtianæ rectè addiſcant, tùm ut Legere, Scribere, & Numerare doceantur, cuicunqve generi vitæ ſeſe ſint dedituri. Ita enim in omni ſtatu homines magis piè educati eos, & rebus domeſticis etiam utiliores habituri ſumus. Et optandum erat, nemini jus civitatis alicujus communicari, niſi Capita Pietatis teneret, & Legere, Scribere, rationeſqve domeſticas conficere noſſet; ut ſine qvibus rei ſuæ privatæ bene præeſſe nullus Pater familias qveat. Tum demum enim Reſpublicæ bene ſunt conſtitutæ, qvando privatæ cujuſqve ſeſe rectè habent; & contrà, ſi ſecus.

† *Numerorum*] Qvàm latè pateat numerorum & Arithmeticæ uſus in OEconomia & in Republ. multi nimis ſerò & damno ſuô vident. Ariſtoteles ſcribit, Thraces qvosdam eſſe, qvi numerando non poſſint progredi ultra qvatuor: Qvæſo te, an talibus putes commendandam eſſe gubernationem, non dico magni mercatus, aut venarum metallicarum, ſed alicujus mediocris œconomiæ? Exiſtimemus ne a talibus poſſe rationes paululum modò intricatas evolvi & explicari? Neqvaqvam. Sed horum Thracum ſimiles ſunt in magnis rationibus & obſcuris omnes, qvi deſtituti ſunt hujus artis præſidiô. Nec ſolum in mercatu, in metallis, in cudenda moneta ſed in multis aliis publicis & privatis rebus computandis, arte ipſâ opus eſt. Qvi verſantur in Republ ærarii rationes noſſe debant. Sæpe in judiciis qvæſtiones incidunt, qvæ reqvirunt eruditam computationem. Ideo non ſatis eſt noſſe numeros naturæ beneficiô, ſed ars addenda eſt, ſine qva nullæ difficiles rationes explicari certò poſſunt. Qvare Socrates apud Platonem in legibus etiam hanc tulit, ut cives cogantur diſcere Arithmeticam. Sed qvid attinet de re nota prolixiùs dicere? Nemo enim non videt in omni vita maximum uſum eſſe Arithmetices, niſi ſit ſtolidior Thracenſibus illis, qvi non norunt numerare amplius qvatuor. Atqve hæ vulgares utilitates invitare pariter omnes adoleſcentes ad hanc artem diſcendam & exercendam debebant: Multi enim incidere caſus poſſunt, ubi ſingulis magno uſui Arithmetica eſſe poteſt. Proinde & Romanis magnæ curæ fuit, ut liberi eorum cum primis literis etiam Arithmeticen perciperent. Noti enim verſus Horatii de Arte Poët. v. 325. ſ.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini, ſi de qvincunce remota eſt
Uncia, qvid ſuperat? - -

Illud

non literato, futuram. 10 Pro alteris verò alias nobiliores, qvæ adoleſcentes juveneſqve per gradus ad artes ſcientiaſqve, alios tamen altius aliis, pro diverſitate ſcilicet ingeniorum, pro induſtriæ modo, pro continuandi ſtudio, methodi deniqve melioris deterioriſve ratione, evehunt. 11 Primis illis methodum præſcribere nihil attinet, qvia vulgaribus & hactenus uſitatis ſatis proficitur, ſi modò tàm docentis, qvàm diſcentis aſſiduitas & diligentia aſſit. 12 Alteris methodi jamdudum plurimæ variæqve præſcriptæ ſunt, & uſqve etiam præſcribuntur, ita ut penè copiâ earum laboremus: hôc inprimis ævô, qvô eximii aliqvot viri hunc ſibi præcipuè campum excolendum ſumpſêre: ſpinas ſcilicet dumosqve tollere contendentes, qvibus vulgares ad ſapiendi dicendiqve facultatem viæ refertæ obſeptæqve eſſe creduntur. 13 Ego omnibus illud, qvod benè vertat, & velit fauſtum eſſe Deus, ex animo apprecatus, nulli eorum ſuam laudem vel velim, ſi poſſim, vel poſſim, ſi velim, præripere: interim meô qvalicumqve & judiciô examinare aliena, & ingeniô propria, ſi poſſim, apponere, fas mihi eſſe duco: cùm inprimis officii à Deo commiſſi ratio vel nolentem in has cogitationes nunc compellat. 14 Age itaqve rudem, tamen ratione utcunqve uti, ac ſenſa animi exprimere compotem puerum ad eruditionis ſacrarium, qvia id non in plano ponere Divina ſapientia voluit, per gradus atqve intervalla, Deô auſpice, ducamus.

II. 1 Gradus autem, qvibus ſine præcipitantiâ & prolapſionis periculo, ſine obice item & inſigniore morâ, ad illud ſapientiæ delubrum veniri poteſt, ab aliis plures, pauciores ab aliis proponuntur; nobis novem ſufficiunt: qvi numerus nativitati & ſimul ætati humanæ climactericus, aptè etiam ſtudiorum ætates ac progreſſus diſtingvit abſolvitqve. 2 Sed nonus ſeu ultimus gradus ſupra Gymnaſiorum, qvæ ita vulgò vocantur, faſtigium poſitus, in Academica ſpatia deducit literarum clientem: in qvibus ille eruditionis humanæ quaſi fœtus ita perficitur aut certè perfici debet, ut inde deniqve in publicarum functionum lucem prodire poſſit. 3 Nos ut ordine naturali progrediamur, incipiemus ab infimo Informationis humanæ gradu: in qvo ſcilicet puer literas noſcere, in Syllabas colligere, verba ſimplicia & verborum deinde integrum contextum legere diſcit. 4 Qvâ in re nullis eqvidem novis præceptis adeò opus eſt: cum facilis per ſe ſit, nec tam ingenium, qvàm laborem * tantùm & induſtriam docentis diſcentisqve reqvirat. 5 Hoc tamen præcipuè iis, qvi his ſtudiorum qvaſi incunabilis præ-

Illud verum eſſe creditur, qvod in Epinomide Plato ſcribit funditus omnia perire, numerandi ſublata ubi fuerit è medio ſcientia; & idem alibi, qvod adfirmat, nullam aliam earum diſciplinarum, qvæ adoleſcentibus proponantur, ad rei familiaris curam: ad Reipubl. gubernationem: ad doctrinas reliqvas diſcendas, & docendas plus, qvàm Arithmeticam commodi emolumentiqve afferre: tardioris maxime ingenii exſuſcitare atqve acuere.

* *Laborem*] Hoc nemo niſi expertus credit, inde rectè D. Lutherus dixiſſe fertur, eum jure optimò in martyribus numerandum, Septennium qui docendo tranſegerit in ſchola. In Æſopi Apologis qveritur apud Jovem aſinus de ſuis ærumnis qvotidianis ſe operis conſici & enecari: ſed & qverela pædagogorum de ſuis miſeriis juſtior profectò, ſi res ad calculos revocetur, qvàm aſini. Qvis enim ullo in piſtrino aſinus tantum mali pertulit, qvantum mediocris pædagogus in uno atqve altero docendo, tum laboris exhaurit, tum moleſtiæ perpetitur.

ſunt, ſtudioſè curandum eſt, ne in † legendo verba præcipitare, vel ſyllabam aliqvam intervertere aſſveſcat puer: imò & naturæ vitium, ſi qvod eſt, in iſta mox herba, qvantum fieri poteſt, (fieri autem poſſe vel Demoſthenis exemplum oſtendit) emendare contendat. 6 Illud qvoqve addere hîc libet, qvod vir pereruditus nuper me monuit. Libelli ex qvibus prima literarum elementa diſci ſolent conſtant plerumqve ex primis religionis elementis. Et rectiſſimè id fit eqvidem: ſed eſſet hoc qvoqve ex uſu puerorum, ut aliqva ex Donato, qvem vocant, ſumpta vocabula, difficiliora inprimis, ad legendum hic ſimul offerrentur, qvæ & in fine libellorum illorum meritò annecti deberent. Sic enim vocabula illa familiaria jam fient pueris, & ad Donatum ipſum accedentibus tantò minus dabunt difficultatis. 7 Hîc pariter Puer, præter ‡ preces in omnem vitam utiles, dicta aliqva

† *Legendo*] Tria in lectione b. m. Parens meus mihi præcipere ſolebat puero, nimirum ut clarè, diſtinctè & tardè legerem ac pronunciarem. Planè ad mentem Qvinctiliani. „ In lectione, inqvit, c. VIII. lib. I. puer ſciat, ubi ſuſpendere ſpiritum debeat, qvo locô verſum diſtingvere, ubi claudatur ſenſus, unde incipiat, qvando attollenda vel ſubmittenda ſit vox, qvid qvoqve flexu, qvid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonſtrari niſi in opere ipſo non poteſt. Sit imprimis lectio virilis, & cum ſvavitate qvadam gravis: & non qvidem proſæ ſimilis, qvia carmen eſt, & ſe Poëtæ canere teſtantur: non tamen in canticum diſſoluta; nec plaſmate (ut nunc à pleriſqve fit) effœminata, de qvo genere optime C. Cæſarem prætextatum adhuc accepimus dixiſſe: Si cantas malè cantas: ſi legis, cantas. Hæc Fabius. Sanè auctore Turnebô, nihil in lectione poteſt eſſe deterius, qvàm ὁμοτονία, qvæ eſt par & æqvalis vocis & ſpiritus intentio. Itaqve vox interdum flectenda eſt, interdum erigenda per ἄρσιν, interdum ſubmittenda per θέσιν. Qvod non didiciſſe vel neglexiſſe multis præprimis apud populum concionantibus admodum fuit damnoſum. Qvare illud attendere debent diligenter Præceptores in puerili ætate, cùm vitium primæ concoctionis, ut Medici ajunt, nunqvam corrigatur in ſecunda: „ Qvô ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu. - Flaccus monet 1. Epiſt. II. extr. Hûc Maturini Corderii aliqvot, de pueris rectè docendis breves qvidem, ſed minimè ſpernendas admonitiones, Principiis ejus Latinè loqvendi ſcribendiqve præmiſſas transſcribendas eſſe duxi, propterea qvod ad puerorum in litteris progreſſum, hæ ipſæ valde pertinere videbantur. Qvæ ſi à Præceptoribus obſervabuntur, eos operæ pretium facturos arbitramur. I. In puerorum inſtitutione, prima ſit puræ religionis, rectæ diſciplinæ, & honeſtorum morum cura. II. Ita paulatim doceantur, ut neqve multis, neqve longis prælectionibus onerentur. III. Proſa oratio magis, qvàm carmen, eis prælegatur, donec fuerint in lingva Latina firmiores. Nam in carmine ipſo non adeò purè conſervatur Latini ſermonis integitas. IV Paucos libros, eóſqve bonos habeant in manibus. V. Ordinatim, & qvaſi gradatim diſcant omnia. Itaqve, ut exempli cauſsâ dicam, præpoſterè faciunt, qvi definitiones, & alia qvædam obſcura & difficilia, pueris initio præſcribunt ediſcenda. VI. In primis igitur, ex Qvintiliani præcepto, Nominum & Verborum declinationes iis inculcentur. Nullum eſt enim hoc ſtabilius fundamentum. VII Singulas non modò dictiones, ſed etiam locutiones, lingvâ vernaculâ, qvoad fieri poterit, exprimere doceantur. VIII. Aſſveſcant à teneris rectè pronuntiare: hoc eſt, decenter, clarâ & diſtinctâ voce, inprimiſqve ſervatô accentu, neqve aſpiratione poſtpoſitâ. IX. Oris igitur & lingvæ vitia diligenter emendentur. X. Circa orthographiam qvoqve adhibeatur cura maximè diligens. De his rebus præceptores breviter admonendos putavi qvòd pleroſqve videam (omnium pace dixerim) eam, qvam debent, in ſuis docendis non ſatis præſtare diligentiam, maximè in corrigendis lingvæ & ſcripturæ vitiis. Plura videre licet in eorum libris, qvi de pueris rectè inſtituendis multa ſcripſêre.

‡ *Preces.* Precum formulas colligere poteſt Præceptor, illaſqve tradere diſcipulis, qvò familiares illas ſibi reddant, qvoad ipſi diſcipuli certas uſui pro qvotidiano componere, vel ſeligere qveant, minimè ſucceſſu temporis & pro re nata poſthabitis iis, qvas forte devotio unicuiqve aut ad-

qva * ſacra ediſcat, talia inprimis, qvibus vel pietatis & ſapientiæ commendatio, vel officiorum teneræ ætati convenientium præcepta continentur.

III. 1 In hoc gradu ubi id aſſecutus fuerit puer, ut legere Latinum verborum contextum, adeoqve libris, eruditionis nempe inſtrumentis, uti incipiat poſſe; id jam porrò agendum eſt, ut intelligere id qvod legit, & porrò ipſe etiam loqvi & ſcribere Latinè condiſcat. 2 † Latinè, inqvam; qvia hæc hodie Dominatrix lingva eſt, & non inter eruditos tantùm, ſed & rerum in orbe potentes uſitatiſſima eſt: in ea deniqve, non modò legum ſacrarum & civilium volumina, ſed & optima qvæqve artium ac ſapientiæ monumenta extant conſcripta. 3 Ac qvia lingva iſta multum nobis hodie moleſtiæ faceſſit, & ſex ſeptém ve annis plerumqve vix addiſcitur, optandum ſanè eſſet, inveniri ‡ modos poſſe, qvibus labor iſte compendifieri qveat. 4 Et inventi eqvidem (*Vide Method. Cl. Comenii, & Cecilii Frey Viam ad ſcientias, qvem librum mecum Vir Nobiliſſ. Des Noyers Secretarius Reginalis Majeſt. Pol. communicavit.*) tales, ſed magis adhuc calamô deſcripti laudatiqve, qvàm uſu ipsô recepti, aut ullo inſignis ſucceſſûs ſpecimine approbati ſunt. 5 Inter omnes verò modos non immeritò ille maximè placuerit, ut domus ejusmodi haberentur, ubi nullus habitantium, etiam famulorum, aliâ uteretur lingvâ qvàm Latinâ. Sic enim, qvemadmodum Gallicam, Anglicam, Polonicam, aliasqve lingvas diſcimus; ità intrà breve tempus & ſine negotio, imò & ſenſu penè, Latinam puer imbiberet. 6 Et modus iſte Magnatibus & Urbibus etiam ditioribus, inprimis maritimis, in qvas ſcilicet homines ad tale negotium apti faciliùs vocari poſ-

adfectus impetus dictitabit vel ex tempore precatiunculis. Apud illos qvi ætatem agunt non multum tribuo memoriæ mandatis precibus, freqventer enim devotione carent, nec cor eò tendit nec animus, qvò debebant. Neceſſitas & deſiderium cum ceteris hîc non adducendis ſatis unumqvemqve ad precandum acuent, formulaſqve docebunt.

* *Dicta aliqva ſacra*] Nimirum claſſica Scripturæ ſacræ, qvibus vel dogma fidei olim confirmare, vel adverſarium refutare, vel ſolari ſe in ærumnis informareqve qveat in communi vita Chriſtiana. Legendus hîc Scutus in Prudentia Theologica §. 42. p. 45. ſ.

† *Latinè.* } Sapienti conſiliò fit, qvòd inter cetera, qvibus tenera ætas impenditur, Lingvæ qvoqve Latinæ operam navat juventus, Sanè magna ſapientiæ pars Lingvâ Latinâ primitùs conſcripta atqve adeò e monumentis Latinis & haurienda eſt. Etſi enim in hodiernam Lingvam Gallicam, Anglicam, & in ipſam qvoqve vernaculam plurima ſcripta Latina vetera, ſint converſa: multo jucundius tamen, imò verò & certiùs ex ipſis fontibus, qvàm ex verſionibus, ſenſa ſcriptorum veterum petuntur. Qvippe verſiones, ſi maximè ſummâ fide ac induſtriâ confectæ ſint (quod tamen de ſingulis dici neqvit) non tamen omnem ſermonis Latini vim ac gratiam exhauriunt. Sed & inter ipſa ſcripta Latina vetera ſunt, qvæ in lingvas alias non ſunt converſa, neqve commodè converti in easdem poſſunt. Qvid qvod hodieqve à diverſarum nationum viris doctis plurimæ, eæqve utiliſſimæ, cogitationes, qvo à pluribus legi pluribuſqve prodeſſe poſſint, lingvâ Latinâ conſcribuntur, nec unqvam deinde in lingvas alias vertuntur, ſed eâdem qvâ conſcriptæ ſunt lingvâ legendæ atqve cognoſcendæ neceſſariò ſunt. Accedit qvòd lingva Latina, poſtqvam certæ cuidam genti vernacula eſſe deſiit, communis qvaſi interpres cultiſſimarum qvarumqve nationum facta eſt; præcipuè verò Regum ac Principum, qvi de rebus arduis conſultaturi mentem ſuam lingvâ Latinâ exponere, aliiſqve cognoſcendam dare ſolent. Ut igitur, qvid Principes exteri ſibi velint, ipſi Principes rectiùs cognoſcant, ſuamqve illis mentem viciſſim exponere qveant, ad id notitiam lingvæ Latinæ plurimùm adjuvare qvis neget?

‡ *Modos*] Varias Latinam addiſcendi lingvam Methodos recenſet prolixè Dan. Georg. Morhof. lib. II. Polyhiſtoris Literarii c. IX. toto p. 415. ſ.

ri poſſunt, non eſſet adeò difficilis; mirumqve eſt, minùs hactenus uſurpatum. 7 Commendat inter alios modum iſtum vir egregius Cecilius Frey Profeſſor olim Pariſinus, idqve exemplô inprimis magni in Galliâ viri, Michaelis ‡ Montani, qvi ità educatus vix qvintum ætatis annum ſuperaverat, cùm adeò lingvam Latinam calleret, ut Muretus, ille Oratorum coryphæus, promptitudinem loqvendi admiraretur, cum qvâ vix ipſe paria ſe facere poſſe ſperaret. 8 At ſi iſte modus in uſum veniret, nihilominus præcepta etiam addi deberent, ne extra Leges veræ Latinitatis evagaretur ſermo puerorum. Qvas eqvidem omnes illi domeſtici vix unqvam obſervabunt, qvin ſubindè aliqva non Latina intermiſceant. Qvæ puer ſi hauſerit, citò qvidem forſan & promptè ſciet Latinè loqvi, ſed barbarè ſimul: & multa magnô labore ei poſteà dediſcenda erunt, niſi adſint ſubindè, qvi pravè dicta corrigant: niſi etiam regulæ adhibeantur, ſecundùm qvas ſermo noſter, ut legitimus ſit, componi debet. 9 Ita Gallicam lingvam etſi multi uſu diſcunt, melius tamen & exactiùs eam percipiunt, qvi uſui præcepta adjungunt. 10 Sed qvia ille modus Freyii vel Montani nec in uſu eſt, nec forſan in uſum brevi veniet, aliis tritioribus, aut ad tritos propiùs accedentibus inſiſtendum eſt. 11 Ubi igitur puer (ad rem ut redeam) Latinas literas legere & ſcribere nôrit, paulatim, ut antè dixi, eò ducendus eſt, ut & ipſe ſuâ Minervâ loqvi eâdem lingvâ & ſcribere diſcat. 12 Anteqvam autem eſſent, qvi longô Latinitatis uſu intima ejus Lingvæ perſcrutati, ex inductione multorum exemplorum inter ſe convenientium, regulas tandem confecêre, annotatis tamen ſimul etiam iis, qvæ à regulis abirent: haud dubiè vel ex perpetuo loqvendi cum populis purâ Latinitate utentibus commercio, qvod rarum tamen, imò nullum ſeculis aliqvammultis jam fuit, vel certè aſſiduâ autorum Latinorum tractatione, lingva iſta cuilibet addiſcenda fuit. 13 Qvod poſtremum in præfelicibus ingeniis etiam hodie fieri poteſt: & novi ipſemet * raræ indolis homines, qvi

‡ *Montani*] Hic Montanus vir apud Gallos celebratiſſimus in Diſſertationibus (*Eſſays*) qvas Gallicâ lingvâ ſcripſit de ſe ipſo lib. I. c. XXV. ita loqvitur Latinitate donatus. ,, Pater meus ,, in diſciplinam me dedit Germano homini in ,, Gallica lingva rudi, ſed in Latina verſatiſſi- ,, mo, cujus ille operam ampliſſimo ſtipendio ,, conduxit. Hærebam illi ſemper in amplexi- ,, bus, aderantqve alii etiam pueri lingvæ La- ,, tinæ non ignari. Nihil in ædibus niſi Latinum ,, audiebatur, non mater, non famuli niſi La- ,, tinis verbis, qvæ è converſatione ceperunt, ,, ad me præſentem utebantur: unde & mater ,, & famuli tantum in lingva Latina profecêre, ut ,, mea verba intelligerent; & in rebus qvotidia- ,, nis mecum ſermones breviores inſtituere poſ- ,, ſent. Sex annos natus eram, cum de Gallica ,, lingva nil amplius, qvàm de Perſica aut Ara- ,, bica ſcirem, atqve ita ſine Grammatica, ſi- ,, ne præceptis, & plagoſa inſtitutione Latinam ,, lingvam didici, ut tantum ſcirem, qvantum ,, ipſi in illa lingva Pædagogi, qvi me miſcere ,, ſuis diſcipulis non poterant. Nam cùm cæte- ,, ris diſcipulis thema daretur in lingvam Lati- ,, nam convertendum, mihi dabatur Latinum, ,, barbariſmis & ſolœciſmis defœdatum, qvod ,, ego in elegantiorem ſermonem converterem. ,, Nicolaus Gruchius, qvi de Comitiis Romano- ,, rum ſcripſit, Gulielmus Gerentus, qvi com- ,, mentatus eſt in Ariſtotelem, Buchananus Poë- ,, ta Scotus, Antonius Muretus, præceptores ,, mei domeſtici, ſæpe ad me dicebant, me ,, lingvâ Latinâ in prima ætate puerili adeò ,, promptè locutum, ut mecum confabulari ,, vix auderent. Buchananus de Inſtitutione ,, puerorum ſe aliqvid ſcripturum ſuſceperat, ,, qvâ in re meo potiſſimum exemplo uti ſe velle ,, ſignificabat.

Rara

qvi ſine ullis propè præceptionibus Grammaticis Latinam Lingvam didiciſſe faſſi mihi ſunt. 14 Sed iidem tamen viri rapacitate ingenii ad majorem haud dubiè in lingvâ eâdem perfectionem, perfectionisqve ſimul fiduciam perveniſſent, ſi promptiſſima eorum indoles ordinariis adjuta fuiſſet ſubſidiis. 15 Fieri enim vix poteſt, qvin ſubinde in vocabulorum phraſiumqve Latinarum recto uſu titubet dubitetqve is, qvem firmarum regularum conſtans & penitus animô concepta veritas non reddiderit certum, & ab errandi non periculo tantùm, ſed & metu exemerit. 16 Porrò difficilis qvoqve ille modus eſt, & nonniſi ſummorum ingeniorum, ut dixi, dexteritate ſuperabilis. 17 Nam in autoribus vocabula Latinitatis longè lateqve diſperſa ſunt, & qvia admodum multa, ſingulorum genus, flexionem, tempora, modos ex autoribus qvidem diſcere qviſqve poterit, ſi volet, ſed admodùm tardè, & nihilo minus, ſi proficere volet, ipſe ſibi analogiam aliqvam ex collatione ſingulorum neceſſe habebit formare. Ut *exempli gratiâ* nomina qvæ in *a* deſinunt, reperiuntur eqvidem in autoribus omnia, ſed ſparſim, & nonniſi lentiſſimâ ſerâqve omnium collectione, ſi de genere eorum dubius ſis, cognoſces, fœminina eſſe: & ne id qvidem, qvomodo & qvousqve verum ſit, ſcies, cùm exempla in contrarium reperturus ſis: niſi annotatis ſeorſim contrariis iſtis, reliqva omnia ſub certam aliqvam & generalem regulam reduxeris. 18 Id verò ut perardui, ita hodiè non neceſſarii laboris eſt, cùm ſint, qvi harum moleſtiarum gratiam nobis fecêre; concinnatis ſcilicet libris, qvibus Latinarum vocum phraſiumqve uſus ab autoribus receptus, & ex illis depromptus, ſub certa dein regularum qvaſi ſigna revocatus eſt. 19 Non autem neſcio, multorum etiam inſignium & juventuti nec non eruditioni optimè cupientium Virorum ‡ ſuper tricis Grammaticis qverelas. 20 Neqve diffiteor eqvidem, eſſe in ea arte ſalebras, qvæ moleſtiam faceſſunt diſcentibus, & ex animo optarem, tolli eas poſſe. 21 Et primùm non infitior, barbaris qvodammodo, certè parum Latinis plerumqve conceptas vocabulis

* *Rara indolis*] Ut de me ipſo taceam, in qvo nulla rara indoles, cuiqve non præfelix DEUS & natura, ſed mediocre tribuit ingenium, cujus beneficî, & vi jugis exercitii ac uſus citra adminiculum prolixæ Grammaticæ, fortè non pænitendos in Lingva Latina progreſſus feci: Caſpar Scioppius in præfatione Grammaticæ Philoſophicæ de ſeipſo ita ſcribit: „ Etſi nullam ipſe in puerili ætate „ mea Grammaticam Latinam didici, ſed octo „ jam annos natus, poſt nominum verborumqve „ declinationes memoriæ mandatas, ex qvotidiana Latinè loqventes audiendi, loqvendiqve „ conſvetudine, ſex admodùm menſium intervallô unà cum multis condiſcipulis & convictoribus meis tantum profeci, ut qvidqvid ætatis illius uſus proſceret, non multo minore negotiô vernaculâ, qvàm Latinâ Lingvâ enunciare poſſem: „ etſi etiam procedente ætate aſſiduâ *Ciceronis, Cæſaris, Livii, Plauti, Terentii, Nepotis, Virgilii, Lucretii, Horatii, Catulli, Tibulli, Propertii* & *Ovidii*, „ lectione eam Latini ſermonis non qvidem „ facultatem, ſed intelligentiam certè conſecutus „ mihi videbar, ut, cui cognoſcendis Grammaticorum præceptis qvidqvam operæ conſumerem, ratio nulla eſſet: poſtea tamen &c.

‡ *Super tricis Grammaticis*] Qvibus multi Grammaticorum luxuriant, qvaſqve ad nauſeam uſqve inculcant, non ſine temporis, rei ut inæſtimabilis ita irreparabilis diſpendio, juventutis incommodo, impedimento profectus & litterarum optimarum adfectatarum tædio ac odio, neglectis ſæpe neceſſariis & certis. Lege omnino Scioppium d. l. & cumprimis Joan. Caſelium; cujus verba adpono è libro de Ludo litterario rectè aperiendo huc facientia, præfixa Grammaticæ Latinæ conſcriptæ olim à Nathane Chytræo poſteà vero recognitæ, & variis obſervationibus illuſtratæ in uſum Scholæ Lube-

eſſe iſtas præceptiones, é qvibus tamen ipſa illa, qvam qværimus, Latinitatis ratio haurienda eſt. 22 Sed qvid agas? cùm artium plerarumqve, aut fortè omnium, vocabula talia ſint, & ferè non poſſint non eſſe talia. 23 Qvia mentis circa illas artes effabricandas compingendaſqve occupatæ conceptus puris & ex Ciceronis ſcilicet ævo hauſtis vocibus exprimi pleriqve neqveunt, aut certè longiore

Lubecenſis, editæqve Hannoveræ annô M. DC XLIV. in 8r. „ Grammatica eſt tanqvam filum
,, Ariadnæ, atqve dux vel potius perpetua comes
,, peregrinantibus in Latina lingva, tanqvam in
,, longinqva regione. Qvare in Scholis puerili-
,, bus rectè fit, ut doceantur hanc artem tam u-
,, tilem & neceſſariam tirones. Sed non omnes
,, eam rectè tradunt pueris: neque de iis dico,
,, qvi ipſam artem non teneant, (qvod de his qvi-
,, dem dubium nullum ſit,) ſed qvi optimè o-
,, mnium callere exiſtimantur. Primùm non de-
,, ligitur Libellus Grammaticus, neqve facilis,
,, neqve brevis: Sed, ut ipſi ajunt, plenior &
,, perfectior, vel qvem puer ipſe versârit, vel
,, qvem ad arbitrium ſuum magiſter confecerit.
,, Eſt enim utrumqve judicium, & in iis eſſe,
,, qvæ ſemper tractaverimus: & ea tractare,
,, qvorum qvidam opifex eſſe videaris. Deinde
,, de ſingulis partium Orationis Accidentibus, qvæ
,, ita appellant Grammatici: de qvorum etiam
,, numero inter ipſos nunqvam hactenus conve-
,, nit, (neqve verò etiam opus eſt admodum)
,, docent, & qværunt ex diſcipulis nimis religio-
,, sè, qvaſi in Arithmetica, ſi in minimo nume-
,, rorum erres, in univerſum à veritate aberrâris,
,, ita hic qvoqve fiat: qvod longè ſecus ſe habet,
,, neqve non de iis ita ſubtiliter diſputare qvidam
,, incipiunt, ut non in arte literaria, ſed in di-
,, vina Philoſophia verſari: & ſe profiteri non
,, Grammaticos, ſed Logicos videantur. Qvor-
,, ſum enim facit accurata conſideratio de Nume-
,, ro, de Tempore, item de aliis, horumqve de-
,, finitiones? ita enim appellemus, qvæ ne rectè
,, qvidem deſcriptiones dici qveunt. Pertinent
,, autem rerum inveſtigatio & ſcientiæ ad Philo-
,, ſophum; de qvibus Grammaticus fruſtra ſe i-
,, pſum occupat, & angit: fruſtra pueros ſuſpen-
,, ſos tenet, & cruciat. Imbecillitas enim inge-
,, niorum puerilium hujusmodi qvædam non ca-
,, pit, etiamſi Magiſter præclarè intelligat, &
,, ſubtiliter ipſe philoſophetur. Aliam prætereà
,, multi adhibent diligentiam ſupervacaneam, in
,, locis Scriptorum veterum qvi in libellis Gram-
,, maticis citantur, perqvirendis & explicandis.
,, Illi indagatores unius voculæ aut verſus, præ-
,, terqvam qvod jacturam faciunt bonarum ho-
,, rarum gravem, perinde in graviſſimis Scripto-
,, ribus verſari mihi videntur, ut in magnifica do-
,, mo atrienſis, qvi vaſis aureis & argenteis ne-
,, glectis, ſparſa per aream oſſicula, vel nuces caſ-
,, ſas ſedulò & colligat & cuſtodiat. Neqve in
,, Grammaticis præceptis interpretatio Scriptorum
,, locum habet, de qva dicemus poſteà, & a-
,, muſſis qvædam eſt Grammatica, qvâ utitur fa-
,, ber, non ædificium, aut ipſa ædificatio: qvod
,, infra fiet planius. Reprehendi ingenia Gram-
,, matica, qvæ teneris ingeniis oneri ſint, & ipſa
,, deprimant: neqve injuriâ ut arbitror: ſed ma-
,, gis reprehendi debet qvorundam perverſum ſtu-
,, dium qvi neqve contenti multitudine illâ præ-
,, ceptorum unius libri, Priſcianum, Diomedem,
,, Linacrum, qvicqvid eſt veterum & recentium
,, bonorum & nihil Grammaticorum, in unum
,, locum comportant & magnum acervum
,, Grammaticorum velut ante pedes exſtruunt: ut
,, qvi domum ædificet, convehat qvantum poſſit
,, trabium, teres tectarum cariosarum, lon-
,, garum, brevium, rectarum, curvarum, nodo-
,, ſarum ut altum lignorum ſtruem, idqve maxi-
,, mam partem inutilium ante oculos habeas.
,, Neqve hoc prætereundum eſt, omnes modos
,, loqvendi ad regulas à qvibusdam referri, vel
,, ex qvoqve horum novam regulam confici: qvod
,, ut fortaſſe rectum, ita minimè neceſſe ſit. Nam
,, qvæ ſimpliciter ſineqve cauſſa diſci poſſunt, qvid
,, attinet ea rationibus non neceſſariis fulta, &
,, multis ambagibus tecta proponere? Sane ſi cui
,, monſtras viam, non in omnia veſtigia digitum
,, intendis, neqve enim minus tibi, qvàm via-
,, tori moleſtus fueris & gravis. Perſeqvi autem
,, omnia, in qvibus multos errare exiſtimem,
,, qvi docent Grammatica, neqve neceſſe eſt,
,, neqve velim, neqve poſſim, cum multæ alio-
,, rum pravæ rationes me fugiant, & errorum
,, numerus definiri nullus ulla in re poſſit. Non
,, poſſum non hoc attingere, qvod & diſcentibus
,, obſtat plurimum: non dico jam multitudinem Ca-
,, nonum, ſed Figuras Conſtructionis qvampluri-
,, mas, ubi ſufficerent paucæ, qvæ ut ipſis Nomini-
,, bus monſtro ſæpe ſunt, ita obſcuræ ipſarum de-
fini-

longiore aliqvâ periphraſi ſunt exponendi. 24 Ferendus itaqve iſte veluti nævus eſt, & ſimul monendi rudiores, non eſſe voces iſtas technicas ita, ut aliæ ex rivulis optimorum autorum petitæ, in ſermone vel ſcriptione, qvam caſtæ Latinitatis eſſe velimus, uſurpandas. 25 Fateor porrò, pueris difficiles intellectu eſſe præceptiones illas, qvia Latinô plerumqve ſermone, illô nempè, qvem demum diſcunt, expreſſæ ſunt. Qvemadmodum & Logices præcepta Logicè ſcripta, & totius Philoſophiæ ſcientia Philoſophicè conſignata habetur, & nihilominùs tamen eam adhuc ignorantibus proponitur. 26 Sed ut in omnibus aliis diſciplinis, ita in hac pariter Grammatica, qvidqvid eſt difficultatis, docentium dextrâ explicatione, plerumqve & vernaculâ additâ interpretatione, freqventibus exemplis, eorumqve dextrâ applicatione ſuperari poteſt. 27 Et porrò ad Latinas Grammaticas hodiè pueri vix admoveri ſolent, non certè debent, anteqvàm per brevia & ferè vernacula earum rudimenta, tum & auditu uſuqve qvotidiano Latinæ lingvæ aliqvô modô aſſveverint. 28 Nunc qvoqve Cl. * Comenius multa in hac ipſa arte novis eqvidem, ſed plerumqve aptioribus & ſignificantioribus vocabulis, multa & ordine meliore, expreſſit. 29 Vocabula illa, qvoniam ipſa forſan Grammatica non illicò in Scholas introduci poterit, à Magiſtro receptas

,, finitiones, ut faciliùs, qvæ ex tripode Pythia
,, profatur, intelligas. Sed qvid tu tantum car-
,, pis? inqvies. Qvô igitur modô Grammaticam
,, doceri jubes? Vim univerſæ hujus artis potiſ-
,, ſimam in inflexione dictionum conſiſtere arbi-
,, tror; in qva puerum ita exerceri velim, ut ſit
,, exercitatiſſimò promptior; præceptionibus verò
,, & regulis oneretur, qvàm fieri poteſt, pau-
,, ciſſimis; ſtatimqve deducatur ad intelligendos
,, Latinos Scriptores. Hæc ille. Juſtus Lipſius Cent. I. Miſcellan. Epiſt. XCIV. ad Adolph. Metkerchum Præſidem Flandriæ hunc in modum p. m. 111 Edit. Antverpienſ. CIↃ IↃC V. in 4to. qveribundus ſcribit „ Plantinus ad Grammati-
,, cam concinnandam impellebat, qvæ commu-
,, nis Belgio univerſo eſſet. ſperabat id enim
,, Ordines decreturos. Vix ego. nec ſi faciant
,, tamen, valde ingenio aut Genio meo ſcriptio
,, talis. Qvamqvam fateor utiliſſimi inſtituti
,, rem fore: nec magis peccari in juventute inſti-
,, tuenda, qvàm hac Grammaticarum varietate.
,, Inter magiſtellos factionum res eſt; & qviſqve
,, hanc aut illam præfert qvia poſthabuit eam
,, alter. Jam illi ipſi qvi condunt, qvid? hoc uno
,, reges. Mihi puero triplex olim Grammatica
,, prælecta, in triplici migratione. Ad annum
,, decimumtertium nugæ illæ tenuerunt; & ad-
,, firmo tibi ab anno octavo eadem me tenuiſſe,
,, etſi non eôdem modô. Qvinqve illi anni ſi
,, in ſtilo & graviorum rerum ſcientia poſiti fuiſ-
,, ſent, qvis mihi fructus? Et hæc peccantur
,, cottidie, non tam imperitiâ, qvàm ambitu
,, docentium & pravitate. Cui vos qvoqve, velut
,, publico malo, mederi par ſit: ſi tamen à gra-
,, vioribus illis reſpiratis paulùm & ad mortem
,, morbis. Hactenus Lipſius. Poſtulaverant à Lipſio cordati aliqvot ac graves viri, novam ut contexeret Grammaticam, qvod ex Ep. LI. dictæ diſco Centur. I. Miſcell. *Moleſti, ait, mihi qvidam nomine Ordinum, ut Grammaticam conficiam, qva legi poſſit in Belgica univerſa. Ride, ſi ſapis; & vide, qvò me vocent iſti*; ſpemqve ei maximam fecerant, auctoritate illam ac mandato Illuſtrium DD. Ordinum; à totius Federatæ Belgicæ Scholis receptum iri. Nec diffitebatur vir ſummus, futuram rem iſtam inſtitui utiliſſimi: ſed à genio ſuo impetrare non poterat, ut ſe demitteret ad tetricas haſce minutias pueritiæ captui adcommodandas, qvippe magis factus ad emaculandos veteres ſcriptores, & eruenda præclara multa, qvæ ad Romanas antiqvitates pertinerent. qvali operâ magnam doctiſſimorum etiam hominum admirationem ſe conſecutum jam videbat: nec benigna minus poſteritatis ſibi judicia pollicebatur. Tandem has partes ſubiit Seculi noſtri Varro Getard. Joh. Voſſius, atqve hinc nata ejus Latina Grammatica cum Ariſtarcho ſive Arte Grammatica, qvæ hic ipſo de novo prodiit annô M. DC XCV. Amſtelod. in fol.

* *Comenius*] In hoc multa barbara fœdaqve occur-

receptas præceptiones interpretante, explicationis ergò addi poſſunt. 30 Qvod verò ſuperiùs de exemplis dixi, etiam atqve etiam obſervari velim à docentibus, & graviſſimè in pubem literariam peccare eos exiſtimo, qvi ea de Grammaticis tollunt, ut alicubi video agitatum. Nam vix niſi horum crebrò intuitu & applicatione regulas illas technicas pueri poſſunt asſeqvi. 31 Præterea in exemplis iſtis plerisqve gemmulæ optimorum Autorum continentur, qvæ hic animis puerorum velut aliud agendo inſertæ, per omnem deindè ætatem hærent, & ſubindè, ubi opus eſt, ſponte ſeſe ad uſum offerunt. 32 Fateor deniqve ut ad rem redeam, ediſcendis memoriterqve reddendis iſtis Grammaticis præceptionibus multùm fatigari, & ad odium penè literarum adduci ingenia. 33 At poteſt iſta crux de diſcentium cervicibus demi, & debet omnino; niſi in teneram ætatem, & in literas ipſas injurii eſſe volumus. Eſt autem in mundo modus, qvomodo demi, aut certe longè levior reddi poſſit. 34 Habeant pueri libellos Grammaticos. Sed in iis primò omnium notâ aliqvâ ſecernantur Regulæ generaliores. 35 Proponat deinde Magiſter ex autore qvalicunqve probatæ tamen Latinitatis, ſelecta exempla Regularum, vel potius habeat is ſententias aliqvas ita de induſtria contextas, ut in iis Regularum generaliorum ſingula exempla comprehendantur. 36 Monſtret deinde, indicatâ in Grammaticis paginâ, ad qvas regulas qvodqve exemplum pertineat, indicet deniqve, qvomodo illud exemplum illis aliis, cuilibet Regulæ in Grammatica ſubjectis, reſpondeat. 37 Regulas iſtas, exemplis ſuis ſuccinctas, ad indicium Magiſtri, qværant pueri omnes in libro ſuo Grammatico, legat qvoqve unus, alter, tertius, qvartus, clarâ voce. Ubi poſteà ſimile exemplum occurrit, qværant & legant iterùm iterumqve. 38 Id ſi fiat qvóvis die, & horis aliqvot per diem, continueturqve per hebdomadam unam atqve alteram; vix futurum eſt, qvin Regulæ ultrò & per luſum (nam & ipſa qværendi curioſitas excitabit recreabitqve puerum,) memoriæ inhæreant, aut certè ità jam familiares ſint, ut leviſſimâ diligentiâ ei deinde infigi poſſint. 39 Ac tum demum jubere qvoqve Magiſter poteſt, ut memoriter eæ recitentur, concitatô præſertim æmulandi ardore inter diſcentes, qvod vel hâc ratione fieri poterit, ſi prior locus promittatur illi, qvi optimè Regulam cum exemplo uno & altero recitare nôrit. 40 Eôdem modô poſteà ad ſpecialiores Regulas procedatur:

occurrere docet paſſim Cl. Schefferus. Vide Tomum I Methodor. noſtrar. p. 6?8 Scripſit Germanicâ Lingvâ Conſilium de Inſtitutione puerorum Vir nunqvam ſatis laudatus, maximum Germaniæ noſtræ decus, B. Bœclerus, qvod editum eſt Argentorati annô M. DC. LXXIX in 12. & ſeqvente anno aliis ibidem editus liber eſt, cum titulo: *[illegible] Praxis Boeclerianæ Inſtitutionis.* Multi his in libellis de Auctorum explicatione, interpretatione, Regulis Grammaticis; elegantiis deteguntur vulgarium Magiſtrorum errores. Comeniana qvoqve ſub examen vocantur, ac merito è Scholis relegantur. Audiamus Morhofium. *Fortaſſis & hic* inqvit in p. 4?3. lib. II Polyhiſtor. Litterar. c XII. „ audiendos „ qvis exiſtimet, qvi lingvam & ſcientiam ſimul „ diſci volunt, qvo ſibi invento plaudere præ aliis „ Comenius viſus eſt. Compendia enim, ſi uſ„ qvam, in principibus ſectari volent, non per „ multas ambages circumducendis. Verùm Co„ meniana illa methodus non præſtat, qvæ illa „ magno hiatu promittit. Mallem ego in nudis „ nominibus & verbis, ſecundùm ordinem re„ rum diſpoſitis, qvamcunqve [illegible], „ qvalem Bœclerus inſtituit, qvàm iſtam Co„ menianam ſarraginem: etſi illo conſilio pa„ rum in tenera illa ætate proficeretur.

datur: qvarum qvatuor ſimul, vel qvinqve, paginâ in Grammaticis monſtratâ, ſub examen ejusmodi, datis ſubinde aliis aliisqve ſententiis, qvibus regularum iſtarum exempla contineantur, revocari poſſunt: nec deſiſtendum, donec ſciant pueri unumqvodqve exemplum, qvod propoſitum fuerit, ſub ſuam regulam referre. 41 Nullus dubito, qvin ita ſine omni notabili faſtidio devoraturi ſint pueri, qvicqvid ex arte Grammaticâ neceſſarium eſt ad ponendum fundamentum, cui omnis lingvæ, omnis elegantioris literaturæ moles ſuperſtrui poteſt ac debet. 42 Sed hactenùs in genere oſtendo, Grammatices præcepta non eſſe vel negligenda penitùs, vel in grandiorem ætatem rejicienda.

IV. 1 Nunc, ut agam diſtinctiùs, uti artis ejus diverſæ complexiones ſunt, ita attemperari eas pueritiæ, & alias alii ætati diſcendas proponi velim. 2 Incipientibus prima ejus lineamenta ſeu rudimenta inſerenda ſunt; comprehenſa libellis, qvos vulgò Donatos appellamus. 3 Qvi generaliſſima tantùm præcepta & pleraqve vernaculâ lingvâ expreſſa continent, ut non adeò difficile ſit pueris ea intelligere vel memoriæ imprimere, illô præſertim modô diligenter obſervatô, qvem paulò antè innui. 4 Et iſta Rudimenta Grammatices, ſeu Donatus, ſecundo gradui, qvem poſuimus, omninò competit. 5 Cum eo conjungendus eſt * Nomenclator ex Veſtibulo Cl. Viri D. Comenii factus, ut pueri res Latinis appellare nominibus diſcant. 6 Si fieri commodè poſſet, ut rem qvamlibet, cujus nomen diſcere puer debet, oculis ſimul liceret ſubjicere, eſſet ſanè & jucundior, & ſolidior inſtitutio; nam mentem ſimul & lingvam eò meliùs

* *Nomenclator*] Eſt citra controverſiam omnium Nomenclatorum optimus Hadriani Junii, qvo de ſic Nathan Chytræus in præfat. Nomenclatori ſuo Latino-Saxonico Bremæ edito annô M. DC XVII. in 8t. præmiſſa: „ Negari neqvaqvam vel poteſt vel debet, Hadrianum Junium Medicum olim Harlemium, doctrinâ & virtute præſtantiſſimum, primariam in hoc ſcriptionis genere palmam eſſe conſecutum. Ex qvo etiam pleroſqve eum ſecutos ſua deſcripſiſſe, omnibus, qvi ea inter ſe conferunt, manifeſtum eſt. Id qvod nonnulli etiam doctiſſimi homines, palam & nominatium qvidem profiteri non erubuerunt. Utilem qvoqve huic parti ſtudiorum operam navavit Theophilus Golius, præceptor olim meus in ſchola Argentoratenſi, qvi filum Sturmianum (qvo is, qvidqvid in univerſitate rerum eſt, id totum divinitate, & naturâ, & arte, & humanitate dimenſus eſt) ſecutus, in ordinem haud paulò concinniorem & commodiorem titulos nomenclatoris Juniani redegit. Imò ex titulis paucioribus complures fecit, ut omnia hoc modo diſtributa, magis perſpicua, inventuque faciliora, & memoriæ diſcentium accommodatiora eſſent. Hæc Chytræus. Memorati verò Golii Onomaſticon Latino-Germanicum in uſum Scholæ Argentoratenſis, prodiit Argentorati cum præfatione & epiſtola doctiſſimi Joan. Sturmii in 8t. annô M. D LXXXV. Juvat & Juniô non inferiorem hac in parte audire Nicodemum Friſchlinum, cujus de Junii Nomenclatore hoc in præfatione ſui Nomenclatoris judicium eſt. „ Nolim hæc à me ita intelligi, qvaſi ego perfectum opus in Nomenclatura proferam: aut qvaſi ego cornicis illius, Hadriani Junii, oculos cupiam configere. Nam ut hujus viri Nomenclatorem cæteris omnibus, qvi unqvam prodiêre in lucem, longiſſimè antepono: & vel ſolum dignum eſſe judico: qvi in ſcholis legatur: ita meum hunc, qvaſi comitem qvendam Juniano Nomenclatori additum eſſe cupio. Hactenus Friſchlinus. Confer qvæ hoc de Nomenclatore dixi in c. III Animadverſion. philologicar. §. 1. p. 32. ſ. & Tomo I. Methodor. p. 700. ubi tamen pro editione Antverpienſi anni M. D. LXXVII. ſubſtituere potes M. D. LXXXIII. hæc enim utpote tertia, ſi non optima eſt, ſaltem æqvè bona erit ac prior.

ùs inſtrueret. 7 Sed cujus hoc potentiæ ſit, res omnes eò deferre, ubi pueri inſtituuntur? aut qvâ ratione pueri per rerum omnium ſpatia, perqve univerſum tàm naturæ, qvàm artificialium operum ſyſtema, circumduci poſſint? Et qvot ſunt res, qvæ oculis ſubjici neqveunt? ut DEUS ipſe, & Angeli; ut artes omnes, virtutes, actiones, qvædam & infinita alia. An interim earum rerum vocabula non diſcere debeat puer? 8 Res, qvarum vocabula mandantur memoriæ, per * adumbrationes & periphraſes aliqvas menti puerorum repræſentari, perutile eſt: & id induſtrios præceptores facere arbitror, ac, ut faciant, qvàm poſſunt, diligentiſſimè, moneo atqve hortor omnes. 9 Sed adoleſcentulos eò velle adducere, ut res omnes, qvarum nomina diſcunt, in primâ ſtatim ætate intelligant, hoc foret in Januario fruges metere velle, & infanti dentes non habenti nuces dare frangendas, præpoſterô ſanè & inani votô conatuqve. 10 Habet ut corpus, ita mens & ingenium humanum periodos ſuas & tempora: qvæ violenter velle antevertere, nihil aliud profectò eſſet, qvàm cum naturâ & DEO ipſo qvodammodò pugnare. 11 Sunt multæ res, qvas non pueri, ſed juvenes; ſunt aliæ, qvas nec juvenes, ſed viri, imò ſenes demùm rectè intelligunt. 12 Porrò in homine qvolibet prius memoria ſe prodit plerumqve, qvàm Intellectus. Qvod vel in Infantibus apparet, qvi longè citiùs voces auditas meminiſſe, & pronunciare multò ante, qvàm ratiocinari rectè, & cum ratione loqvi ſciunt. 13 Cur non in eo naturam imitabimur, & memoriæ, qvæ in pueris ad qvidvis recipiendum idonea eſt, aliqvid etiam, non ſatis adhuc intellectum, imprimi velimus, qvod deinde, procedente ætate, ruminari ſubinde mens, & pernoſcere penitiùs, atqve, ut cum Medicis loqvar, legitimâ aſſimilatione ſibi apponere, & in ſuccum ſuum ac ſangvinem vertere poſſit? 14 Commodior ergò faciliorqve alter modus, (qvem & alii ante me, qvanqvam fortè paulò aliter, propoſuêre,) ad juvandum puerorum intellectum fuerit, ſi imagines rerum, qvarum vocabula ſeu vernacula ſeu Latina diſcunt, in libro aliqvo depictas intuerentur. 15 Et optârim ſanè, reperiri aliqvem publicæ utilitatis tàm amantem, ut ſumptum eum facere, & laborem ſuſcipere vellet, & nempè ſecundùm ordinem Nomenclatorum, imagines ſeu picturas rerum, qvarum vel genuinæ, vel ingenioſæ ſaltem effigies dari poſſunt, unô aliqvô volumine, mundi nempè totius qvôdam qvaſi compendiô, publico juventutis bono daret. 16 Eâ eqvidem ratione, non ita merum ſonum, vocabula recitando, juventus ederet, ſed menti ſimul rei cujusqve formam utcunqve, imprimeret, & ad utrumqve laborem, uti & ad univerſum literarum ſtudium, talium imaginum inſpectione, tantò ſvaviùs tenera illa ætas pelliceretur. 17 Cæterùm brevem, pro primâ hâc ætate Nomenclatorem, adhibendum ſvaſi. Neqve enim totam rerum naturam ſuis vocabulis appellare, neqve etiam univerſam Latinitatem ſimul exhaurire tenella illa poteſt. Sed nempè uſitatiora & crebriùs occurrentia vocabula primò diſcenda puto. 18 Et diſcenda ſunt non flexa, aut in ſententiam colligata. Nam etſi faciliùs juncta, qvàm ſimplicia & ſingulatìm poſita vocabula

* Vide dicta Tomô I. Methodor. noſtrar. p. 696 ſ.

bula addiſci poſſunt; habet tamen ea res aliud incommodum, qvod ipſe qvoqve nunc, poſt periculum demùm, rectiùs intelligo. Nempè ſi non in recto caſu Nomen, non in Themate ſuo verbum puer diſcat, neſciet is unqvam rectè reſpondere, qvomodo vocetur hæc aut illa res? 19 Qvære ex. gr: ex adoleſcentulo, qvomodo homo Latinè appelletur? Si id aliunde non ſciat, ſed ex hâc ſententiâ, Deus hominem condidit, reſpondere debeat, pro homo reſpondebit hominem, & ſic in aliis. 20 Benè itaqve eſt, qvòd concinnati extant ejusmodi Nomenclatores, qvodqve ipſi etiam Veſtibulo Latinæ Lingvæ, qvod huic ætati congruentiſſimum exiſtimo, adjuncti ſunt: ut inde primæ literaturæ ‡ Tyrones rerum præcipuarum vocabula haurire poſſint. 21 Anteqvàm porrò ea memoriter recitare jubeantur, per Donati præcepta tranſigi illa omnia examinando debent: ſic enim aliud qvaſi agendo, adhæreſcent memoriæ, ut tantò minori negotiô faſtidiôqve poſteà ediſci ac recitari qveant. 22 In hoc eodem gradu rectiſſimè fit, cùm pueri ſuô tempore manum ad literas † eleganter pingendas exercere; cùm item pietatis causâ, textus Euangelicos, ſi ſententioſi ſunt, vel epiſtolicos legere, ex iis ſententias notabiliores ediſcere, cùm item Pſalmos ſelectos & breves recitare jubentur.

V. 1 In tertio gradu (qvi Claſſem, ut vulgô vocant, qvartam continet) pueri illi, qvi ex gradu inferiore adhuc recentes ſunt, usqve exerceantur (vehementer enim vitanda eſt præceps feſtinatio,) in examine vocabulorum, ſecundùm Donati rudimenta. 2 At interim habeant qvòqve compendium Grammaticæ Rhenianæ, ſed nullâ exemplorum ademptione mutilatum, & in eo, occaſione examinandorum vocabulorum, regulas etymologicas principaliores qværant illi omnes, legantqve qvidam clarâ voce, reliqvi tacitè. Ubi freqvente hâc lectione familiariores jam pueris factæ fuerint, recitentur. 3 Pergant porrò pueri in Nomenclatore Veſtibulari, eô, qvem ante deſcripſi, modô. Neqve verò eſt, ut ordine recitare vocabula pueri cogantur: nam, qvia non commiſſa inter ſe, ſed ſeorsìm ſingula reddenda ſunt, in ordine ipſo ſervando, crux aliqva figitur diſcenti. 4 Sed malim ego, ut bini pueri ſtantes mutuò â ſe aliqvot ejusmodi voces exigant. Qvi meliùs ſatisfecerit, habeat locum priorem 5 Magna profectò eſt utilitas, qvam inſtitutæ tales puerorum concertationes pariunt. Nam & excitant ad diligentiam, & honoris faces animis tenellis adhibent, & faſtidium, qvod immotè ſedentibus oboriri ſolet, agitatione illâ, ipsáqve certantes ſpectandi voluptate diſcutiunt. 6 Nomenclatori adjungatur adhuc ipſum Veſtibulum D. Comenii, idemqve, per illas tàm Donati, qvàm Com-

 pen-

‡ *Tyrones*] Malè ſcribitur, non tamen ſine exemplo ipſius Voſſii lib. I. de Vitiis Sermonis c. XVI. extr. p. m. 69 & Scioppii in Infamia Famiani p 217 & in Scaligero Hypobol. p. 280; *tiro* per *y*. Rectiùs ille ipſe Voſſius p. m. 522. b. Etymolog. *Tiro*, inqvit, *non per y, ſed per i, ut eſt in Pandectis Florentinis, imò & antiq. inſcript: in qvo perperam ſententiam mutavit Manutius, falſâ inſcriptione deceptus. Nec enim veram eſſe ſatis oſtendit Anton. Auguſtin. Dial. XI.* Scripſerat qvoqve per *y* Eraſmus Schmidius vir profectò Latinè eleganter doctus, ſed eo nomine notat ipſum doctiſſimus Joh. Rhenius in p. 76. Hiſtor. Belli Grammatic.

† *Eleganter pingendas*] Vide qvæ dixi è Caſelio Tomo I Methodor. p. 198. C.

pendii Grammatici (ubi apti ad id videbuntur diſcentes,) regulas examinetur. Qvô examine crebriùs iteratô, cùm ſententiolæ Veſtibuli ultrò qvodammodò animis inſertæ, fuerint, memoriter qvoqve reddi jubeantur. 7 Poſſunt ex iisdem ſententiis Veſtibuli dari exercitiola, qvibus præceptorum Etymologicorum uſum firmiùs ſibi pueri imprimant. 8 Inprimis id danda eſt opera, ut in nominibus genera, in verbis Præterita, Futura, Supina, Perfecta Paſſiva, Participia, quàm promptiſſimè ſciant. 9 Temporum qvoqve diſcrimina ut recte animis puerorum inprimantur, eorum exempla lingvâ vernaculâ proponenda ſunt, qvæ illi in arenâ ſtatim, omnibus aut certè potiſſimis Temporum, Modorum, Numerorum, Perſonarum formis Latinè reddant. 10 Hîc itidem manus adhuc, tàm in Germanicis, qvàm Latinis ſcribendis, exerceatur. 11 Pietatis cauſâ Pſalmos breviores repetant, pluresqve addiſcant, inprimis Pœnitentiales, vel etiam dictum ex Euangelio, aut Epiſtolâ Apoſtolicâ, examinent ad præcepta Grammatica, qvalia didicêre; & deniqve recitent.

VI. 1 In qvarto gradu (qvi & qvartam Claſſem efficit) præcepta Etymologica antè tractata repetantur: deinde poſt intervallum addantur jam Regulæ Etymologicæ ſpecialiores, ſed illô modô, qvalam jam ſæpiùs deſcribo: ut ſcilicet primùm diu legantur clarâ voce, demum recitentur. 2 Dixi poſt intervallum hoc faciendum eſſe. Nam qvi ex inferiore gradu recentes ſunt, ea qvæ antè tractârunt, adhuc tractent aliqvandiu, dum auditione aliorum in iſtâ claſſe veteranorum majoribus deniqve operarum penſis aſſveſcant. Id qvod pariter in cœteris claſſibus fieri velim. 3 Sed jam Syntaxeos qvoqve principaliores Regulæ, ſumptâ occaſione ex conſtructorum Veſtibuli vocabulorum vel etiam aliarum ſententiarum de induſtriâ in exercitii ejusmodi materiam contextarum examine, qværi legiqve aliqvamdiu, & deniqve ubi tempeſtivum viſum fuerit, recitari jubeantur. 4 Nomenclator Veſtibularis, & ipſum Veſtibulum, ſi in inferiore gradu non eſt abſolutum, continuetur, & ſi abſolutum ſit, tamen repetatur, ſed ſic, ut jam ſimul ad conſtructionem vocabulorum, ſeu Syntaxin, cujus anteà minùs habita ratio eſt, animi diſcentium in Veſtibuli tractatione qvàm maximè convertantur. 5 Ubi in ſyntaxi, modis antè ſæpiùs nominatis, aliqvantum jam profecerint, ad eam magis magisqve imprimendam, exempla & imitatiunculæ, ſed breves & facillimæ, proponi diſcentibus debent. 6 Proponantur qvoqve pueris breviſſimæ ſalutandi & familiarium ſermonum formulæ, qvæ excerpi ex Corderio, Eraſmo, aut ſimili aliqvo auctore poſſunt. 7 Præſcribantur verò illæ in tabulâ, deſcribantur à pueris, examinentur Grammaticè. Sic facilè eousqve infigentur animis, ut nullô negotiô eas mox recitaturi ſint diſcentes; qvod & datâ, ad rectè ediſcendum, ſufficiente morâ faciendum eſt. 8 Manum porrò ut in gradu inferiore, exerceant pueri, tum & Muſicam, qvi ad eam apti ſunt. 9 Arithmeticen verò, diſciplinam in omni vitæ colore valdè neceſſariam, omnes hîc jam diſcere incipiant. 10 Pietatis causâ, prima & neceſſaria Religionis elementa ex Catecheſi diſcant: ſubinde & unum ex Pſalmis notabilioribus, qvos ante didicêre, recitent, nec non alia Scripturæ dicta.

VII. In

VII. 1 In qvinto gradu (qvi tertiam Claſſem conſtituit) Nomenclatoris per plurium vocabulorum exactionem, fiat repetitio: poſteà enim Janualis, qvi alterô illô longè perfectior & copioſior eſt, diſci debet. 2 Syntaxis porrò tota, modis antè ſæpiùs jam deſcriptis, memoriæ diſcentium infigenda, Etymologiæ qvoqve præcepta crebrò repetenda. Proſodiæ item prima hîc jam elementa tradenda ſunt: ubi progreſſus aliqvos fecerint, verſus turbati in ordinem redigi jubeantur. 4 Et ut jam Autoribus Claſſicis aſſveſcere adoleſcentes incipiant, † Ciceronis epiſtolæ à Sturmio ſelectæ, hîc nunc illis proponendæ ſunt. 5 Qvas primò interpretabuntur prævio Magiſtrô, mox & per præcepta Grammatica reſolvent. 6 Hinc porrò ‡ phraſes excerpet Docens dictabitqve, vel in tabulâ præſcribet, ut inde rectiùs eas pueri deſcribant. 7 Sed inprimis qvoqve ubi Latina dicendi ratio à vernaculo ſermone abeat, monſtrare incipiet. 8 Dabit deniqve brevem imitandi materiem, unius nempè aut duarum, ſed brevium periodorum contextum, è vernaculo in Latinum, phraſibus Ciceronis, trans-

† *Ciceronis epiſtolæ*] Dixi de his in p. 126. ſ. 510. ſ. 701. Tomi I. Methodor. noſtrar. Argentorati annô M. D. LXXVI. edita eſt in 8t adinodum utilis interpretatio librorum III. Epiſtolar. Ciceronis pro pueris in Schola Argentinenſi. Genevæ annô M D LXXIII. in 8t. prodierunt Selecta qvædam è Ciceronis Epiſtolis ad pueros in Latina Lingva exercendos, adjectâ interpretatione Gallicâ & (ubi opus eſſe viſum eſt) Latinâ declaratione, auctore Maturinô Carderio. Meum exemplum poſſedit olim „ Abraham Muusho-„ lius Antwerpianus, deditqve ſeptimo die Decembr. ipſo feſto Nicolai anno ſalutis 1582. Lu-„ gduni Batavorum id pio (repeto hæc omnia è „ MSo) optimæqve ſpei adoleſcenti Petro Petri in „ perpetuam ſui memoriam. Addam & reliqva qvæ libro illi inſcripſit vir Clariſſimus; ne qvid pereat. S. P Hæc tibi eas ob cauſſas mi Petre non dedico, ut te Nicolao Epiſcopo Romanorum, qvi ante multos annos & vixit & periit acceptum ferre velim, hoc enim plane idololatricum & legi Dei contrarium foret, qvæ poſtulat ut ſolum Deum beneficii authorem agnoſcamus, contraqve vetat ne honorem Deo debitum creaturis deferamus: Ad hæc narrantur nobis acta Patrum non ut illos inſtar Deorum veneremur, & colamus: ſed ut eorum facta imitemur. & tanqvam Theſei filum ſecuti, parem tandem cum ipſis gradum obtineamus. Non inqvam eas ob cauſas hæc tibi oblata velim, ſed in perpetuam mei memoriam, tuumqve in ſtudiis profectum, partim etiam ad grati mei (erga te parentesqve tuos) animi declarationem. Qvocirca oro & exoro, ne tam munus & μνημόσυνον præiens, qvam animum reſpicias Inſuper oro Deum Immortalem: patremqve Domini noſtri Jeſu Chriſti ut ſuſceptos tuos in ſtudiis labores Spiritu ſuo regere, fortunare, illisqve benedicere ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ jam penitus collapſæ reſtaurationem & ædificationem dignetur; qvoad tandem cum reliqvis fidelibus Chriſti ſervis æternum Dei regnum obtineas Qvod tibi nobisqve omnibus largiatur pater miſericordiarum, qvi cum Filio & Spiritu Sancto vivit & regnat verus Deus laudandus in ſecula. Amen.

‡ *Phraſes excerpet*] Si qvis legere velit Ciceronis epiſtolas, ut ſermonis Latini proprietatem addiſcat, illi ducem ſvadet Dan Georg. Morhof. in de ratione Conſcribendar. Epiſtolar. libr. I. c. I. p. m 7 edit. opt. Lubecenſ. ann: 1694. in 8t. non comparandæ cum Lipſenſi in 12. de anno M. DC. XCIII. ut adhibeat Antqn. Schorum de docenda diſcendaqve Lingva Latina & Græca, Argentorati editum anno M. D XLIX (recentiſſimam enim editionem Franeqveranam hoc anno vulgatam qvare probare non poſſim, alibi dicam) „ Ex toto enim, pergit Morhofius, Gram-„ maticorum numero vix unum novi, qvem „ commendare præ ceteris poſſim in lingvæ *La-*„ *tinæ* ejusqve proprietatis intelligentia. Vehementer eam ob cauſſam laudatur Vavaſſori in libro de Epigrammatib. Eo in libro Schorus Ciceronis ſibi propoſuit Epiſtolas, atqve ex iis obſervationes inſtituit Latinæ Lingvæ, qvæ vix in mentem aliis venirent. Scio me recepiſſe in Tomo Methodor. noſtrar I. huic parti librum Schori dictum inſerturum. ſed fuerunt illud qvæ vetârunt rationes in medio. Habebis tamen, ſi DEUS dederit, propediem.

ſerendum. 9 Ubi verſionem abſolverint omnes, prodire bini ac bini jubeantur, qvorum alter alterius verſionem clarâ voce perlegat, examinetqve. 10 Qvi ſæpiùs peccâſſe convictus fuerit ab altero, judice & arbitrô Magiſtro, ſi ſuperior locô ſit, cedat inferiori. 11 Si erratum aliqvod neutri iſtorum fuerit obſervatum, id Magiſter ipſe indicabit ac corriget. 12 Porrò qvoniam in Epiſtolis Ciceronis rarior ſermo eſt de rebus familiaribus, & in communi vitâ ſubinde occurrentibus, adjungendus eſt aliqvis Colloqviorum libellus, ut * Corderii, Helvici aut ſimilis, modò terſæ puræqve Latinitatis ſit. 13 In his vero Magiſter & diſcentes idem agant, qvod in epiſtolis Ciceronis agendum diximus. 14 Verſus item ſententioſi, tàm ex Catone, (uti vulgò appellatur) qvàm ex aliis Poëtis, proponantur, qvos, præeunte in tabula Magiſtrô, in libello peculiari, orthographicè & eleganter ſcribere, interpretari porrò, & per præcepta non tantum etymologica & ſyntactica, ſed & proſodiaca transfigere diſcentes debent. 15 Optârim etiam horam unam & alteram in hebdomade, libello ‡ Eraſmi de civilitate morum, tribui: qvia & Latinitatis ſat nitidæ eſt, & præcepta ad elegantiam, in convictu hominum politiorum neceſſariam, utilia habet. 16 Si qvæ tamen noſtro loco, aut tempori minùs conveniunt, ea omitti, vel Magiſtri ſuppletione correctioneqve genio Regionis accommodari poſſunt. 17 Hic jam qvoqve Græcæ Lingvæ prima tyrocinia deponenda ſunt; Lingvæ jam plurimis in locis, maximô ſeculi damnô & dedecore, nimiùm viləſcen-

* *Corderii*] Fuit is, qvod ad laudem ejus ſufficit, Joh. Calvini Præceptor, ut in vita ejus Theodorus Beza Genevenſis Eccleſiæ miniſter tradit his verbis, Mommorios deinde *Lutetiam* ſtudiorum gratiâ ſecutus, præceptorem habuit in Gymnaſio Marchiano Maturinum Corderium, ſpectatæ tùm probitatis, tùm eruditionis virum, & inſignem ſemper habitum in omnibus ferè Galliæ ſcholis juventutis erudiendæ magiſtrum: Genevæ demum, eo ipſo anno, qvo Calvinus, VI. Nonas Septembris mortuum qvùm annum agens octuageſimum qvintum, eo docendi munere in hoc Gymnaſio Genevenſi fungeretur. Teſtatur in præfatione Principiorum Latinè loqvendi ſcribendiqve Genevæ in 8t. anno M. D. LXXIV. evulgatorum, de ſe ipſo Corderius, qvòd hæc puerilia & infima Lutetiæ & aliis in locis, non ſine ſucceſſu, magnoqve, ut res ipſa docuerit, adoleſcentulorum fructu tractaverit. Joan. Ludov. Vivis Valentini XXV. Dialogos egregiis Philologicis notis & argumentis monitiſqve moralibus illuſtravit Matthias Martinius Scholæ Bremenſis & Theologiæ Profeſſor olim, ediditqve Bremæ anno M. DC XVIII. in 8t. Atqve ſola hæc notas illas præclaras ac utiles habet editio, cæteræ omnes qvam plurimæ, Germanicæ, Anglicæ, Belgicæ, illis deſtituuntur integris.

‡ *Eraſmi de Civilitate morum*] Editio Lugdunenſis Batav. anni CIↃ IↃC XXVI in 8t. ſatis nitida eſt. At qvam Roſtochi ann. M. DC XXXII. in 8t David Jordanus *Scholæ* Cathedralis Svetinenſis Collega nobis dedit ſuis cum notis ſicuti & cum Scholiis M. Bernhardi Hederici Scholæ ejuſdem qvondam Rectoris celebris, eam unicè commendo. De Hederico ſanè meminit Joann. Poſſelius Græcæ Lingvæ in Academia Roſtochiana Profeſſor, in Oratione de Vita, ſtudiis itineribus, ſcriptis ac laboribus Cl. viri Petri Lindenbergii Hiſtorici & Poëtæ Excellentis, Roſtochi ann. CIↃ IↃC IV. edita; beatum illum & magnum Chytræum dixiſſe, ſc. *ἡλικιώτερον* Hederico non vidiſſe. Eſt & per Gisbertum Longolium Ultrajectinum Antverpiæ ann. M. D. LV. in 8t. elegantibus de Civilitate morum puerilium Eraſmi libellus Scholiis illuſtratus. Habeo qvoqve Petri Lautembergii eximii illius Philologi Præcepta civilitatis morum, qvibus prima ætas informatur ad honeſtatem & morum elegantiam, inſtituiturqve qvomodo tùm ſecum, tùm cum aliis decenter vivere ac converſari debeat. Roſtochi ann. M. DC. XXXII. in 8t. Conjungemus fortè aliqvando

leſcentis. 18 Sed † ſciant omnes, ſapientiam & priùs, & pluribus Græcorum, qvàm Latinorum ſcriptis comprehenſam fuiſſe: eandemqve ſolidiùs & ſvaviùs, ex ipſis illis fontibus, qvàm ex interpretationibus peti: ipſam deniqve Latinam Lingvam, qvia majore ſui parte à Græcâ profluxit, nec intimè perdiſci, nec rectè ſcribi, pronunciarivè à Græcæ Lingvæ ignaris poſſe. 19 Porrò, ſubinde Græca vocabula in Latinis ſcriptis intercurrunt, ad qvæ turpiter ſubſiſtere, & ignorantiam cum pudore profiteri eos oportet, qvi horas aliqvot lingvæ iſti, utilitate ejus nondum intellectâ, impendere neglexêre. 20 Qvare omnes omniordinum adoleſcentes hortor, ut lingvam iſtam maioris, qvàm vulgò jam fit, faciant. 21 Illi, qvi facultati alicui, aut docendi etiam functioni deſtinantur, eam lingvam penitiùs omninò ſibi imbibendam ducant. 21 Qvi ad vitam civilem parantur, dare operam debent, ut ſaltem legere Græca ſine errore & remorâ poſſint: atqve ut ea minimum vocabula, qvæ latinis communia, aut affinia ſunt, qvô rectiùs Latina hæc & intelligi, & ſcribi poſſint, cognita ſibi reddant; & ſeorſim aliqvo in libello ſibi deſcribant. 23 Non multum temporis ea res reqvirit, ſed fructum ſuum habebit per omne vitæ tempus. 24 In Muſicis & Arithmeticis pergatur. Et in his qvidem non hora tantum ad id deſtinata, ſed identidem etiam, cùm penſis aliis rectè abſolutis, aliqvid velut animi recreandi & varietatis cauſâ interponendum eſſe Magiſter putabit. Habet enim non parum in ſe amœnitatis numerandi ars, ſi dextrè & ſvavi modô, qvod ſanè proclive eſt, proponatur. 25 Pietatis cauſâ Dialogos Caſtellionis legant, & interpretentur diſcentes; qvia compendium Bibliorum continent; & tersâ Latinitate conſcripti ſunt. 62 Subindè verò etiam Catecheſin parvam repetant: qvæ jam illis uberiùs explicari debet.

VIII. 1 In ſexto gradu (qvi ſecundam claſſem continet) accedatur tandem ad Januam Comenii, librum ſanè perutilem, & magni faciendum; qvemqve adeò malè & ſine juſto fructu inter rudes primæ pueritiæ manus deteri, perpetuâqve malè utentium tractatione evileſcere qvodammodo & anteqvàm pretium ejus à diſcentibus intelligatur, faſtidiri doleo. 2 Continet is liber & Latinæ Lingvæ & univerſæ ſimul Naturæ, tùm circa Naturam, ſeu perficiendam, ſeu cognoſcendam ſe occupantis Sapientiæ brevem & artificioſam admodum compagem. 3 Hoc cùm ita ſit, proclive cuivis eſt colligere, res tantas complectentem librum non convenire primarum literarum Tyrunculis. Præſertim ſi id ſervandum ſit, qvod Autor ejus libri & multi alii deſiderant, ut nihil diſcendum tradatur pueris, niſi qvod aſſeqvi aut intelligere iſti, ſaltem utcunqve poſſint. 4 An verò parvi pueri eſt, diſcere Medicinam à triplice olim genere hominum tractatam Empiricis, Methodicis, Dogmaticis? qvod inter alia capite LXXIV. Januæ docetur. 5 An pueri eſt intelligere Theologiam in Poſitivam, Cate-

aliqvando omnia illa cum nonnullis aliis eò ſpectantibus nec vulgô cognitis ac obviis, utilibus tamen, opuſcula, qvò juventus infantiſi vivendi ratione relictâ, elegantioribus moribus, dignis ingenuis & ad magna ſurgentibus pueris, ſtudeat.

† *Sciant omnes*] Dicam de his cum DEO in notis ad Schori dictum librum.

Catecheticam, Didacticam, Polemicam, Propheticam Caſualem', Cabaliſticam, dividi: id qvod docetur cap: LXXVII. 6 Et ad hoc exemplum, ſunt profectò in libro illo plurima. 7 Porrò, qvia in Januâ non ſingula Latinitatis vocabula ſeorſim, ſed apta connexaqve, inter ſe, flexa item prout ſenſus reqvirebat, extant, haud facilè, qvod & antè innui, inde ſuis res nominibus, verbisqve appellare puſio poterit, niſi rectos nominum caſus, & themata verborum ſeorſim is excipiat, aut in Nomenclatore aliqvo (qvalem eqvidem margini cujusqve paginæ in Janua adjectum extare vellem) jam habeat parata. 8 Præterea, qvoniam in aphoriſmum unum plurimæ res, & ſi ſimul notæ rerum, voces conjectæ ſunt, etſi in margine adjecta interpretatio eſt; neſcit tamen puſio, qvæ vox vernacula cui Latinæ reſpondeat: & ſcio eam rem doctioribus etiam ſubinde faceſſere moleſtiam. 9 Mitto alia, unde porrò oſtendi poſſet, non primæ adoleſcentulorum ſtudiorumqve ætati obtrudendam eſſe Januam illam Lingvarum, qvod in Gymnaſiis hactenus factum vehementer miror, 10 Tanti ponderis hic liber eſt, ut meritò eum in ſecundam minimum Claſſem reſervandum putârim; ſi modò in ea abſolvi poſſit. 11 Si abſolvi iſtic non poteſt (uti ſanè non poſſe credo) alterutrum faciendum eſt. Aut difficiliora capita in Primam claſſem differri, aut huic ipſi Januæ in tertia, Tractatione faciliorum initiari diſcentes oportet; Si inprimis tales ſunt, qvorum ingenium & profectus id videantur ferre poſſe. 12 Cœterùm ubicunqve tractatur hæc Janua, danda eſt opera, ut Magiſtri interpretatione illa probè explicetur: qvæ vocabula aliqvid ſingulare, aut minus obvium habent, etiam Grammaticè, tàm per Orthographiam, qvàm per cœteras partes artis iſtius, examinentur: difficiliora item, & rariùs occurrentia enotentur, qvò ea ſic jam tot examinibus pertractata memoriter reddere poſſint diſcentes. 13 Occurrunt in eodem libro nonnulla technica vocabula, aliqva etiam alia, qvæ novitatem magis, qvàm puræ & claſſicæ autoritatis fontes ſapiunt. 14 In his itaqve ſeligendis, ſignandisqve non vulgari docentium labore & judiciò opus erit. Hi enim monere ſubindè juventutem debebunt, qvæ probatæ Latinitatis vocabula, vel phraſes ſint, qvæ minùs. 15 Qvemadmodum autem in Januâ iſtâ, ita porrò in Cicerone, aliisqve, qvi hic tractabuntur, autoribus, Grammatica jam tota, modis antè deſcriptis, exercenda eſt: ſic, ut omnia ejus præcepta ad uſum iſtic revocentur; urgeanturqve ea maximè, qvæ plus difficultatis in ſe habent, & à Regulis ordinariis longiùs abeunt: uti ſunt, Anomala, Defectiva, Exceptiones: qvæ omnia non minus diligenter, qvàm alia Analoga, ſeu ad Regulas qvadrantia, doceri debent: 16 dixerim imò, diligentiùs qvàm cœtera, inculcanda eſſe: qvemadmodùm in tabulis nauticis nulla alia loca curioſiùs qvàm qvæ vadis ſcopulisqve infida ſunt, annotari, & à nautis obſervari ſolent. 17 Porrò jam qvoqve Diſtinctionum, commatis, coli, ſemicoli &c. ratio, ex Grammaticâ diligenter monſtretur: res ut magnoperè neceſſaria, ita hodiè nimis qvàm neglecta. Unde fit, ut etiam illi, qvibus & puræ, & elegantis Latinitatis abundo eſt, in ſtructurâ periodorum, & diſtingvendo rite ſermone, ſubinde ſe non ſatis exercitatos eſſe oſtendant. 18 Ex Epiſtolis autem Ciceronis primùm eas, qvæ ad

ad finem libri Sturmiani prolixiores extant, poſteà illas ad Familiares dictas, Magiſter interpretetur explicetqve ſufficienter: phraſes inde excerpat, dictetqve, & ſubinde monſtret, qvomodo, qvod Cicero eleganter exprimat, vulgò ſoleat exprimi. Eâ enim ratione, & qvod elegans eſt, perſpicitur rectiùs, & qvod triviale, vel pravum, tantò faciliùs agnoſci & vitari diſcitur. 19 Poſteà etiam imitandi detur materies & modus. 20 Oſtendatur qvoqve in Cicerone, & omnibus ejusmodi autoribus, † diſtinctionum, de qvibus paulò antè, ratio. Cur ſcilicet hîc comma, vel colon, vel alia diſtingvendi nota poſita ſit: ut ſic pariter ſcriptiones ſuas cum curâ diſtingvere di-

Hh ſcat

† *Diſtinctionum*] Diſtinctio eſt ratio, qvâ ſermonem ſcriptum certis notis, aut pronunciatum juſtis reſpirandi intervallis partimur, ad faciliorem ſcriptorum vel dictorum intellectum. Diſtinctio vel eſt ſermonis, ſive pronunciationis, vel ſcripti. Utraqve pro triplici reſpirationis humanæ intervallo, eſt triplex. Nam vel minima eſt, qvæ ſententiam paulisper ſuſtinet, vel media, qvæ eam longiùs ſuſpendit: vel deniqve plena, qvæ ſententiam penitus deponit & claudit. Prima vulgò dicitur Comma, cujus nota eſt ſemicirculus (,). Secunda vocatur Colon, cujus nota ſunt duo puncta (:). Tertia Deniqve Periodus dicitur, cujus nota eſt punctum (.), ſeqvente literâ majuſculâ. Hisce accedunt Semicolon & Semiperiodus. Semicolon medium eſt diſtinctionis ſignum inter Comma & Colon, cujus nota, eſt punctum cum ſubjecto ſemicirculo (;). Semiperiodus eſt medium diſtinctionis ſignum inter Colon & Periodum, ſeqvente literâ minuſculâ. Conſtantinus Laſcaris, *στιγμή ἐστι διανοίας τελείας σημεῖον. διαιρεῖται δὲ εἰς τελείαν στιγμὴν, μέσην, καὶ ὑποστιγμήν. τελεία στιγμή ἐστιν, ὅτε ἡ διάνοια τελεία ὑπάρχει· μέση ὅτε ἡ διάνοια μεσάζεται, καὶ ἁπλῶς. ὑποστιγμὴ ὅτε κρεμαμένη καὶ ζητεῖ τὸ ἐπίλοιπον.* „Punctus eſt „ abſolutæ ſententiæ ſignum. Dividitur verò in „ perfectum punctum, medium, & infimum. „ Perfectus eſt, cùm ſententia abſoluta, ac per- „ fecta eſt: medius cùm qvaſi in medio rotans, „ nondum finem attigit: infimus cùm pendeat „ adhuc, & ſubſeqventem poſtulat. Laſcari ad amuſſim conſentit Iſidorus l. I c. XIX. Ultima diſtinctio, qvæ totam periodum claudit ipſa eſt *περίοδος* cujus, ut diximus, partes ſunt *κῶλον* & *κόμμα*: qvarum ratio diverſis punctis diverſò locò poſitis demonſtratur. Ubi enim in initio pronunciationis, necdum plena pars ſenſus eſt, & tamen reſpirare oportet, fit comma, id eſt particula ſenſus, punctusqve ad *imam* (ita enim pro *unam* lego) literam ponitur, & vocatur ſubdiſtinctio ab eo, qvod punctum ſubtus, id eſt ad imam literam accipit. Ubi autem in ſeqventibus jam ſententia ſenſum præſtat, ſed adhuc aliqvid ſupereſt, de ſententiæ plenitudine, fit colon, mediamqve literam punctô notamus, & mediam diſtinctionem vocamus: qvia punctum ad mediam literam ponimus. Ubi verò jam per gradus pronunciando plenam ſententiæ clauſulam facimus, fit Periodus: punctumqve ad caput literæ ponimus, & vocatur diſtinctio, id eſt disjunctio: qvia integram ſeparat ſententiam. Hæc Iſidor. Nec diſſentit Diomedes l. II p.m. 431. edit. Putſchianæ. Diſtinctio qvidem eſt appoſitô punctô nota finiti ſenſus, vel pendentis mora, qvod locis ponitur tribus: ſummô, cùm ſenſum terminat, & vocatur finalis à nobis, à Græcis *τελεία*: Mediô cùm reſpirandi ſpatium dat legenti, & dicitur media Græcè *μέση*; Imò, cùm lectionis interruptum tenorem aliud adhuc illatum ſuſpendit, & vocatur à Græcis *ὑποστιγμὴ* à noſtris ſubdiſtinctio. Similia repetit Donatus, & in Donatum Sergius; Igitur Diſtinctio eſt punctum appoſitum ad caput literæ plenæ ſententiæ: ſubdiſtinctio, punctum appoſitum ad imam partem ſemiplenæ orationis: Media diſtinctio punctum appoſitum mediæ ſententiæ ſuſpenſæ propter reſpirationem. Noſtro etiam ævo aliam veteres à noſtra diſtinctionem adhibuiſſe, & Inciſum, ſeu virgulam, ſeu ſemicirculum, & duo puncta, & punctum cum ſemicirculo inferiùs ducto: Recentiorum perfectiorem eſſe docet Valerius Andreas libello de recta interpungendi ratione, & diſtinctionum notis. Adde Matth. Martinium col. 2805. 2806. Etymolog. Voce *Poſitura*. Eryci Puteani eruditum libellum, qvem Faculam Diſtinctionum inſcripſit, ſuiqve Adparatus Philologici librum II. Cl. Dilherrus eſſe voluit, p. 208. ſ. Gerard. Joh. Voſſium IV. Inſtitut. Oratoriar. c. III. n. III. p. 60. ſ. & cum primis P. Bangium lib. II, Obſervation. Philologicar. p. 1431. ſ.

ſcat juventus. 21 Ciceroni hîc jam adjungi velim * Cornelium Nepotem de vitis illuſtrium virorum, cùm ob res egregias, & virtutum exempla, qvibus jure à primâ mox ætate inſtruuntur animi, tùm potiſſimum ideò, qvia is Autor caſtiſſimæ & ſimul facillimæ Latinitatis eſt, proximéqve ad Ciceronem accedit. 22 Hunc diſcentibus explicet Magiſter, ut rectè omnia intelligantur, poſteà inde voces elegantes & phraſes dictet: deniqve verti textum ipſum Nepotis jubeat in vernaculum; & ubi unius & alterius verſio clarâ voce correcta fuerit, in Latinum denuò transferatur: ſic tamen, ne Autoris verba omnia reponant, ſed ſua ſupponant; at voces ſelectiores, & phraſes, ex Autore ante excerptas, nè omittant. 23 Porrò phraſes, qvas in hac claſſe colligent diſcentes, ne neglectim habeant, multò minus perire ſinant: ſed potiùs in libello peculiari eleganter deſcriptas ſervent. Paulò poſt enim, ubi judiciò confirmatiores in primam claſſem tranſlati fuerint, eas in certum ordinem redigent, inqve uſum uberiorem poterunt transferre. 24 Opto pariter, ut ex Elegantiis Terentianis, Plautinisqve qvas Georg. † Fabritius, Neander, Pareus collegêre, ſelectiores aliqvæ à Magiſtro juventuti dictentur. 25 Nam ipſos iſtos Autores, etſi dignos, qvi inter primarios Latinitatis Promos Condos numerentur, in aliud tamen adhuc tempus reſervari velim, qvia tum in ſermone, (Platus inprimis) aliqva horridiuſcula, adeoqve vitanda, tum magnam partem materias habent juventuti imbecilliori, & in vitium nimis cereæ parùm adhuc aptas. 26 Adeò, ut non fruſtrà eorum locò ‡ Terentios Chriſtianos, Colloqvia Eraſmi, aut ſimiles libros legi

* *Corn. Nepot.*] Hoc de Scriptore exſtant ſummorum virorum elogia magno numero præfixa noſtræ hujus auctoris editioni & notis aliqvot à retroannis apud Dn. Leerſium Roterodamenſ Bibliopolam prælum exſpectantibus. Maximo Buchnero ſanè in Fabri Lexic. Voce „ Cornelius, eſt cultiſſimæ caſtiſſimæqve ora- „ tionis auctor, & qvi cum Cicerone, Teren- „ tio, Cæſare optimè jungitur. Pueris, vel „ adoloſcentulis, totus ediſcendus Addo hic judicium ibi à me omiſſum, Rolandi Mareſii è lib. II Epiſt. V. p. m. 256 edit. opt. Lipſienſ ann. 1 6. 87, Habemus egregium de vita excellentium Imperatorum libellum, qvem ut alius eſſe credam, qvàm Corn. Nepotis, animum inducere non poſſum: qvippe cætera congruunt, ſed præcipuè inſcriptio ad Atticum & terſum valdè & elegans ſcribendi genus qvod non alii ſeculo convenit, qvàm, ut ita dicam puto puto Latino, qvale fuit Nepotis. Sed is contractius ſcripſit, reſqve ſummorum Ducum magnas, & illuſtres breviori ſpatio incluſit: uberiùs verò & elegantiùs, ut mihi videtur, vitam Pomponii Attici amici ſui proſecutus eſt: qvi qvamvis à magiſtratibus abſtinuerit, in privata tamen ſorte, maximis Imperatoribus propter ſummam animi moderationem, prudentiam, aliaſqve virtutes mihi non inferior videtur. Hæc Mareſius. Præter editionem Francofurtanam cum commentariis Lambini; Magii &c ab Andrea Schotto in fol. ann. M. DC. VII. curatam & adductam Tomo noſtrar. Methodor. I. p. 321, optima eſt Jo. Andr. Boſii Jenæ vulgata ann. M. DC. LXXV. in 8t. Duæ enim hæ editiones omninò conjungi debent. Qvibus novos ob commentarios, indices, & qvod caput eſt, tabulas Chronologicas & Geographicas addi poteſt Cl. Cellarii Lipſ. M. DC. LXXXIX in 12.

† *Fabritius*] Habeo, ut cetera omnia doctiſſimi hujus viri ſcripta, non ſolùm libros ejus duos Elegantiarum ex Plauto & Terentio Lipſiæ ann. M. D LIV. in 8t. editos, ſed & libros tres elegantiarum è M. Tulii Ciceronis epiſtolis ab eodem Chemnicenſi Fabricio collectas ibid ann. M. D. LXXVI in 8t. evulgatos. Qvos his in locis nec docentibus familiariores eſſe ægrè fero. Neubuſii Electa ex adverſo magis obvia ſunt, etſi & illa à paucis uſurpentur.

‡ *Terentios Chriſtianos*] Optandum foret, ſi ſummum virum D. noſtrum Calovium audimus in

legi adoleſcentibus viri pii & prudentes ſvaſerint. 27 In Poëſi Bucolica Virgilii, vel etiam Fragmenta ſententioſa ex variis Poetis collecta & ſimul edita explicentur, atqve ad præcepta Grammatica, inprimis & Proſodiaca examinentur; Phraſes Poeticæ enotentur, & breviſſima aliqva materia detur, ad verſus faciendos: ità etiam, ut, ſi eò virium tyrones pervenêre, ex Heroicis Elegiacos, & viciſſim de Elegiacis Heroicos faciant. 28 In Græcis Grammatica perdiſcatur. Adjungantur Sententiæ Græcæ Lubini, qvas interpretetur Magiſter, & per præcepta Grammatica examinet. 29 Muſica continuetur, item Arithmetica; in qva idem qvoqve obſervandum eſt, qvod ante ad gradum qvintum monui: ut ſit illa ſubindè pro ſtudiorum qvodam interludio. 30 Pietatis cauſâ, præce-

in aureæ Pædiæ Sect. II. ſpecial. Partic. I. c. I. can. II. p. m. 76. ut loco auctorum qvorundam Ethnicorum, pueris ac juventuti Chriſtiani ſcriptores proponerentur, ut unà cum lingva veræ pietatis rudimenta, & qvæ per totam vitam uſui futura ſunt, imbiberent. Proſtant loco Horatii Buchananus, loco Terentii Ethnici Chriſtianus; proſtant Oratores egregii inter Chriſtianos, poſſentqve eum in finem ſeligi ex antiqvitate nonnulla & utilitate & elegantiâ præcellentia Patrum ſcripta, qvæ inter optimos lingvæ latinæ Magiſtros merito ſuo cenſentur, judicio etiam Magni Eraſmi, utpote Cypriani nonulla, Hieronymi Apologiæ & Epiſtolæ, Minutii Felicis Octavius, Lactantius cum notis Betuleji, Arnobius cum notis Elmenhorſtii &c. qvæ cum fructu tererentur à ſtudioſâ Juventute. Non abſimile invenio Conſilium in Giſb. Voëtio l. 1. c. IV. p. 30. Bibliothecæ: Philologicum ſtudium occupabitur in *Latinis*, lectione Tertulliani de Anima, Ambroſii Hexaëmeri; & c. VI. p. 43. Lingvæ Latinæ cognitionem augebunt lectione 1. Lactantii cum notis Betuleji. 2. Tertulliani Apologetici; & de pallio cum Scholiis Rhenani, Junii, Pamelii, Heraldi, Salmaſii, la Cerda. 3. Arnobii cum notis & commentariis Stewechii, Elmenhorſtii, Meurſii, Heraldi. 4. Julii Firmici cum Notis Wouwerii. 5. *Sidonii* Apollinaris cum notis Savaronis. 6 Prudentii cum Scholiis variorum à Weitzio editis. Hæc Voëtius. Adferam hic locum è raro, pio & erudito libro Henrici Ernſtii, inſcripto: Introductio ad veram vitam & Soræ edito ann. M. DC. XLIX in 8. Legitur is in c. XVI. §. 15. ſ. & ita habet. ,, Obſcenitates & nugas Plauti, Terentii, Petronii, aliorumqve non paucorum adoleſcentes noſtri ne tangant, immo ne aſpiciant, ,, ſedulò cavere omnes JESU CHRISTI diſcipuli debemus. Ut enim piis, & bonis viris ,, bilem, & ſtomachum illorum vaniloqventia ,, movet, ita incautorum adoleſcentum oculos, ,, lingvam, & animum facile contaminant. ,, Hæc & ejusmodi nullius profectò ingenio ac ,, palato ſapere poſſunt, niſi is ſit homo iners, ,, obſcenitatis, & petulantiæ amans. Prudentiores ,, nobis hac in parte ſunt Pontificii, qvi ejus generis ſcriptores ab omni turpitudine expurgatos ,, ſuis auditoribus demum prælegunt, ne, ut ,, Clemens ait, inuſitatæ auditiones, ἀκύσματα ἀκ[illegible], & indecora ſpectacula, ,, dum in eis adhuc fides fluctuat, mentem eorum ,, eventilent; ſive potius inflamment: (in Græco enim eſt ἐκριπίζει) cùm ætatis ,, inſtabilitas eos adjuvet, ut ad cupiditates ferantur præcipites. Lib. II. Pædagog. c VII. ,, Eccleſiæ veteris Doctores Chryſoſtomus, Hieronymus, & alii hac in re adeò ſemper fuerunt providi, ut non ſolùm obſcena verba, ,, ſed neqvidem ſales, qvi tantùm riſus cauſſâ ,, dicuntur, ferrent. Quare B. Ambroſius, gravis ille morum magiſter, etiam jocos, qvos ,, Philoſophi inter officia ponunt, penitus ab Eccleſia eſſe removendos cenſet, & ut vitium inſectatur. Multa præterea, inquit, de ratione ,, dicendi dant præcepta ſeculares viri, qvæ ,, nobis prætereunda arbitror; ut de jocandi diſciplina. Rationem addit hanc: qvoniam, ,, qvæ in Scripturis ſanctis non reperimus, ea ,, qvomodo uſurpare poſſumus? Qvem locum è ,, multis propterea adduco, ut adoleſcentes videant, qvomodo piis viris verbum Dei omnium ſuarum actionum ſemper fuerit Cynoſura, ,, & Helice. In eandem ſententiam, qvæ apud ,, Bernardum, in libro, de ordine vitæ, leguntur, ex Ambroſii de off. libris deſumpta ſunt, ,, qvod ipſe non negat Bernardus. Vide p. 1113. f. Hæc Ernſtius. Legenda etiam hoc ſuper argumento eſt præfatio Terentio Chriſtiano Amſtelodami ann 1646. in 8. edito præmiſſa nec inelegans nec falſa.

pta compendii alicujus Theologici ediſcantur. Si hora adhuc aliqva ſupereſt, Dialogis Caſtellionis conſecretur.

VII. 1 In ſeptimo gradu (qvi Primam claſſem facit) difficiliora Januæ capita, antè prætermiſſa, explicentur, eô modô, qvô priùs cætera; in claſſe Secunda. 2 Poſteà ad Nomenclatorem, Januæ adjectum, accedatur, ex eoqve vocabula non pauca, ita ut ibi ſunt, non recitentur qvidem, ſed exigenti Magiſtro clarâ voce reddantur. 3 Neqve omnia exigi debent, ſed difficiliora tantum, et ſi qvid in unoqvoqve peculiare eſt. 4 In aliqvibus de origine, vel de qvantitate, rectâ pronunciatione, & aliis id genus, interrogandi diſcentes ſunt. 5 Si ad eum modum unô die, nomenclatoris una pagella, duabus columnis conſtans, percurratur, qvod ſanè factu non arduum erit, diebus 144. Totus Nomenclator abſolvi poterit. 6 Hôc eôdem tempore perutile etiam fuerit, ob acqvirendam verborum copiam, rem in eloqventiæ ſtudio ſummè neceſſariam, in ſynonymias inqvirere: ut exempli gratiâ ſi in Nomenclatore Januali, in vocem *abſtrudere*, incidas, qværenti Magiſtro, qvæ ſynonyma verbum iſtud habeat, diſcentes recitent ex tempore, qvæ occurrunt, ut ſunt; occulere, occultare, abdere, abſcondere, tegere, contegere, auferre ex oculis &c. Non habitô adeô accuratô diſcrimine inter aſſinia: qvanqvàm ſignificationis qvoqve, ſi qvæ eſt, diſcrepantia obiter à Magiſtro indicari poteſt & debet. 7 Synonyma ejusmodi optarem adjecta fuiſſent aut etiamnum adjici poſſent verbis ſaltem præcipuis in Lexico à Cl. Comenio, inſigni labore artificiôqve, compoſito. 8 Foret ſanè ad hunc modum liber ille paulò forſitan grandior, ſed molis pretium abundè penſaret utilitas. 9 Qvæ autem ſynonyma, æqvipollentia, cognata, ſive illa propria, ſive tropica, ſive ſimplicia, ſive compoſita ſint, ex occaſione Nomenclatoris afferentur, ea diſcentes in arena mox in Diaria ſua, vulgò Raptuaria dicta, referant. 10 Qvorum Diariorum, ut hoc obiter addam, diligens cura & diſcentibus & Magiſtris habenda eſt. 11 Hæc enim qvotidiani in ſtudiis profectus & teſtimonia & ſimul promptuaria ſunt. 12 Cum Diariis verò ſimul alii Phraſium libri in certos titulos (qvi ad Calligraphiæ Parei aut ſimilis Autoris exemplar aptari poſſunt) digeſti haberi debent, ut in iſtos ſubinde optima & lectiſſima qvæqve ex Diariis & qvotidiana Autorum bonorum lectione inferantur. 13 Ex his qvaſi alvearibus poſteà, ubi propriô Marte aliqvid excudendum fuerit, ſvave erit jucundumqve paratum velut mel eloqventiæ poſſe depromere. 14 In iſtis verò libris annotent qvoqve Diſcentes ex præſcripto Magiſtri vocabula & phraſes, qvæ vulgò pro Latinis habentur uſurpanturqve: † cùm adulterinæ, adeoqve ſtudiosè vitandæ ſint ei, qvi ad caſtæ puræqve Latinitatis

laudem

† *Cùm adulterina*] Huc faciunt Expoſtulatio Henrici Stephani de Latinitate falsò ſuſpecta excuſa apud illum ipſum Stephanum in 8t ann. M. D. LXXVI. Farrago Sordidorum verborum, ſive Augiæ ſtabulum repurgatum per Cornel. Crocum. Antverpiæ CIↃ IↃ XXVI. Obſervationum Lingvæ Latinæ ſive puri ſermonis Analecta Rodolphi Goclenii Profeſſoris Philoſophici in Academia Marpurgenſi. Lichæ M DC IV. in 8t. ipſi auctori noſtro adducta. Gerardi Joann. Voſſii de Vitiis Sermonis & Gloſſematis Latino-Barbaris libri IV. cum animadverſionibus Gaſparis Scioppii Comitis à Claravalle in dictos Voſſii libros. Amſtelod M. DC. LX. in 8t. Item ejus Infamia

Famia

laudem contendit. 15 Qva in re inter alios juventuti pulchrè præivit Goclenius in Analectis Grammaticis. 16 Pariter etiam in ſingularem indicem congerantur vocabula, qvæ Diſcentes in rariore aliqvâ ſignificatione, propriâ tamen, & elegante, à bono Autore uſurpata ſeu repererint ipſi, ſeu à Magiſtro obſervata exceperint. 17 Ad Latinitatem, ſed * ſimul etiam Morum doctrinam, qvæ diligen-

Famiani Amſtelod. CIƆ IƆC LXIII. in 12. Defendit utrumqve tamen & Voſſium & Famianum eximius noſter Ol. Borrichius à Scioppio in fine Cogitationum, qvæ univerſæ qvoqve hûc ſpectant, de variis Latinæ Lingvæ Ætatibus p. 268. ſ. edit. Hafnienſis M. DC. LXXXII. in 4to. Cujus Borrichii & addenda Analecta ad Cogitationes de Lingvâ Latina, Hafniæ M. DC. LXXXII. in 4to. Item Borrichiô non inferioris Cl. Dn. Chriſtoph. Cellarii Antibarbarus Jenæ M. DC. LXXXII. in 12. & Curæ ejuſdem poſteriores ibid. in 12. M. DC. LXXXVII. curatæ paginam hîc utramqve faciunt. Prodiit & eodem annô Adpendix ad curas poſteriores recognitas Cellarii Doctiſſ. Dn. Andreæ Borrichii Hafniæ in 12. Item Chriſtoph. Cellarii erudita diſcuſſio Adpendicis Danicæ, Jenæ CIƆ IƆC XCV. in 12. *Nihil eſt*, ait in de ratione Obſervationis doctiſſ. Anton. Schotus, „ quod adeò „ conturbet ſtudia, impediatqve plurimos, ut „ uſus & conſvetudo vulgaris: qvam qvi emen„ dare cupit, duo hæc ſibi in auctoribus legen„ dis, ſuisqve conferendis proponat. Primum, „ ut animadvertat eos loqvendi modos, in qvi„ bus Latina Lingva à vernacula diſcedat, aut „ etiam ſuperet: deinde, ut uſitatæ nunc in „ ſcholis Lingvæ Latinæ barbariem corrigat. So„ lent enim ii plerumqve, qvi proprios cujuſ„ qve lingvæ modos conſignatos non habent, „ ſervatis temporibus, modis, caſibus & ordi„ ne, qvem à Grammaticis acceperunt, omnia „ ad ſuam lingvam deflectere, & accommoda„ re. Hinc vulgò voci *Videor*, *Qvod* conjun„ gitur, ſic enim à matre loqvi didicerunt. Si „ verò optimos auctores imitemur, non Vide„ tur mihi qvod ſis doctus, qvomodo Germa„ ni, ſed, Videris mihi non doctus, ut Latini „ loqvuntur, dicemus, hujus plurima exempla „ in libro de Ratione diſcendæ Lingvæ Latinæ „ propoſuimus, qvibus planè ſatis oſtendi„ mus, qvemadmodum Germanicam Latinita„ tem corrigamus. Qvod ſi qvisqve ſimili modô „ cum ſuæ gentis vel nationis Lingva, qvæ La„ tinæ ſunt, tanqvam propria, compareт, La„ tinè apud Latinos, ſuâ verò Lingvâ inter „ ſuos loqvi, cùm ex uſu ſit, poterit. Hæc Schotus. Monuit de voce *Videor* id jam olim qvoqve Laur. Valla Rom. è nobili familia, Canon. Lateranenſ. optime de Latina Lingva meritus tertiô ſatis accuratarum Elegantiarum librô c. LI. „ Non videtur, inqvit p. m. 360. tibi „ qvòd benefaciam: &, Mihi non videtur „ qvòd bene loqvaris. Sicut vobis videtur *qvod* „ malefacimus, ita nobis videtur qvòd malefa„ citis. Videtur tibi qvòd ille bene ſcribat. &, „ Videtur mihi qvòd iſti bene arent. Ruſtica„ nus hic ſermo eſt, & agreſtis. Eruditi enim „ ſic loqvuntur: Non videor tibi bene facere, „ & tu non videris mihi bene loqvi. Sicut vobis „ videmur malefacere, ita nobis vos videmini. „ Ille videtur tibi bene ſcribere, & iſti mihi „ videntur bene arare. Rectè ſic Vallenſis; omnino enim verbum *videor* conjunctionem *qvod* reſpuit. Ne ergo dixeris: *videtur* mihi *qvòd* ſum doctus, *qvod* es doctus, *qvòd* ille eſt vir doctus. Sed videor mihi eſſe doctus; videris mihi eſſe doctus; Ille ſibi videtur eſſe doctus. Et numero multitudinis eodem modo. Videmur nobis eſſe docti, Videmini nobis eſſe docti. Illi videntur ſibi eſſe viri docti. Cic. Att. Ep V. *Ne obtuliſſe nos gratulationi videamur.* Ep. VI. *Tantum mihi dedecoris admiſiſſe videor.* Et rurſus ibid. *Eas cum lego minus mihi turpis videor.* Cæſ. in ad Ciceron. Epiſtola poſt hanc *VI.* lib. IX. Att. *Etſi hoc & feci ſæpe, & ſæpius mihi facturus videor.* Tullius lib. IX. Att. Ep. X. „ Amens mihi fuiſ„ ſe videor, à principio, Et lib. II. Att. Ep. XI. „ Relegatus mihi videor, poſteà qvàm in „ Formiano ſum Et Pilipp. I. „ Neſcio qvid „ turbatus mihi eſſe videris. Terent. Andr. II. VI. 16. „ Subtriſtis viſu' eſt eſſe aliqvantulum „ mihi. Liv. lib. VIII. Belli Pun. „ Ne tibi P. „ Corneli cùm ex alto Africam conſpexeris „ ludus & jocus fuiſſe Hiſpaniæ tuæ videbuntur. Rurſus Cic. IX. Att. Ep. X. „ Sol excidiſſe mihi „ è mundo videtur. Vide Alvar. Gramm. p. 406. Bangium II Obſervat. Philolog. p. 1271. & Franciſci Sanctii Minerv. p. 361. Franeqver. M. DC. LXXXVII.

* *Simul etiam morum*] Planè ad mentem Philippi Melanchthonis, cujus in præfatione Offic: Cic: editioni Pariſinæ M. D. LVI. in 4to. & Baſileenſi M. D-

diligentiſſimè inſtillanda eſt juventuti, utiliſſima ſunt Officia Ciceronis, liber pre-

M. D. LXVI in 8t. præmiſſa hæc ſunt: ,, Ini-
,,tiò hujus libelli & argumentum operis indican-
,, dum eſt, & qvid conferat ſtudiis noſtris. Ea
,, demum eſt ſolida eruditio, de rebus moribuſ-
,, qve recte judicare poſſe, deinde qvæ animò
,, comprehenderis, perſpicuè & commodè ex-
,, plicare atqve eloqvi. Rerum cognitio ad
,, judicandum & ad parandam prudentiam eſt
,, neceſſaria. Magna inprimis optimorum
,, verborum copia reqviritur ad dicendum. Voco
,, autem rerum ſcientiam, phyſiologiam,
,, mathemata, præcepta de civilibus moribus.
,, Nam de religione hic nihil dicimus. Eſtqve
,, ad communem vitam inprimis utile, ea tenere,
,, qvæ de moribus, deqve civili vitæ conſvetu-
,, dine tradita ſunt. Beluam dicas non hominem,
,, qviſqvis non eſt excultus hòc doctrinæ genere,
,, & ad humanitatem & civilia officia aſſveſa-
,, ctus. Nam virtutis incunabula atqve rudi-
,, menta ſunt hæ literæ, qvibus ad honeſtatem
,, teneri animi aluntur & incitantur. Porrò non
,, alius extat libellus de moribus abſolutior
,, Officiis Ciceronis. Diligentiſſimè enim
,, præcipit de omnibus vitæ partibus, qvid
,, deceat qvamlibet ætatem. Accedit huc etiam
,, qvòd juſtò ordine formas virtutum propoſuit,
,, ut extarent ob oculos lectoribus tanqvam
,, regulæ omnium conſiliorum & factorum. Fe-
,, cit enim qvatuor virtutis membra, prudenti-
,, am, juſtitiam, fortitudinem, modeſtiam,
,, qvæ tanqvam locos communes proponant ſibi
,, adoleſcentes, ut eò referant omnia de mori-
,, bus conſilia, & qvos, judicaturi qvid deceat,
,, ceu Theſeium filum ſeqvantur. Nam ut
,, Zeuxis, cum Helenam Crotoniatis pingeret, in-
,, cluſam habebat in animo pulcherrimam qvam-
,, dam mulieris ſpeciem, ſeu, ut Græci dicunt,
,, ἰδέαν collectam ex optimis exem-
,, plis: ita judicaturos de moribus oportet animo
,, tenere tanqvam formas qvaſdam virtutum
,, deſcriptiones, qvas conſulant, qvas intueantur,
,, in qvas defigant oculos, qvoties de honeſtate
,, deliberant. Neqve ego hic de religione dico,
,, qvæ ex ſacris libris petenda eſt. Civilis vitæ
,, conſvetudo à Cicerone deſcribitur, cum qva
,, religio nihil pugnat. Scripſit de Officiis etiam
,, divus Ambroſius, credo ut pueris inculcaret
,, Religionem, de qva videbat in Ciceronianis
,, nihil præcipi, verùm ego religionem ex divi-
,, nis literis cenſeo hauriendam eſſe, de
,, civilibus moribus malim audire Ciceronem:
,, qvi maximis rebus geſtis, verſatus in Repu-
,, blica principe orbis terrarum, uſu pleraqve
,, comperit: pleraqve ex Græcorum ſcriptis, qvi
,, maximas civitates gubernârunt, verrit. Habes
,, itaqve qvid hic libellus ad judicandum confe-
,, rat. Eſt enim vel prima prudentiæ pars,
,, tenere præcepta de moribus. Eſt autem Ci-
,, cero res partitus in honeſta, & utilia. Ho-
,, neſtatis partes in primo libro tractat, ubi
,, primùm virtutes definit dialecticâ qvadam
,, conſvetudine: deinde congerit multa præce-
,, pta de moribus, velut in acervum. In ſecundo
,, libro res omnes enumerat, qvas natura ad
,, utilitatem ſeu uſum hominum condidit: do-
,, cetqve qvem ex qvaqve re uſum percipere de-
,, beamus. In tertio confert cum honeſtâte u-
,, tilitatem. Præterqvàm, qvod ut cetera Cice-
,, ronis omnia, magnum numerum lectiſſimo-
,, rum verborum & figurarum ſuppeditabit hic
,, libellus: ideo etiam ad dicendum aliqvanto
,, plus qvam pleraqve alia ſcripta confert, qvia
,, locorum aliqvot communium formulas, &
,, propemodum ſimulachra continet. Porro cùm
,, hi loci, virtutum ac vitiorum regulæ ſint, ad
,, qvas hominum mores & facta exigimus in ju-
,, dicando: oratio etiam omnis referri ad eos
,, debet: inde argumenta, amplificationeſqve
,, repetantur, ut ſi qvis in ingratum dicat, mul-
,, ta illi non de perſona tantùm, ſed de ipſo et-
,, jam vitii genere erunt dicenda: eritqve dan-
,, da opera, ut intelligant auditores qvanta ſit in
,, eo vitio turpitudo. Verùm id nemo præſtare
,, poterit, niſi locorum formulas benè medita-
,, tas habeat, & exempla veterum teneat, un-
,, de verba, ſententias, & ornamenta mutue-
,, tur. Erit itaqve hic libellus veluti penu, &,
,, ſicut inqvit Thucydides, κτῆμα, unde de-
,, promant orationem ſtudioſi, de qvacunqve
,, re dicendum fuerit. Hinc argumenta, hinc
,, ſententias, hinc figuras, hinc apta verba ex-
,, cerpant. M. Cicero magnum inſtrumentum
,, eloqventiæ id eſſe putavit, habere locos in nu-
,, merato, paratos atqve expeditos, in qvibus
procu-

pretioſis diſertæ Sapientiæ opibus, qvàm mole aut ſplendore major. 18 Eum velim in * lingvam vernaculam à diſcentibus verti, ita ut ſcribatur verſio. Verſionem autem bini aut terni ſemper Diſcipuli inter ſe conferant, atqve anteqvàm Magiſter ad corrigendum accedat, ipſi craſſiores ac notabiliores lapſus mutuâ inter ſe diligentiâ emendent. 20 Cùm Magiſter ipſe ad limam accedet, id qvidem præcipuè habebit curæ, num Diſcentes Autoris vertendi ſenſum rectè expreſſerint, ſed ſimul animadvertet, num vernaculus qvoqve ſermo rectè conſtet. 21 Cùm enim nunc omnes propè gentes in ‡ excolendis lingvis ſuis multùm

,, procudendis multum profectò Ciceronis e-
,, xemplis adjuvabimur. Qvæ enim poteſt de do
,, lo malo, deqve æqvitate uberior graviórve di.
,, ſputatio excogitari, qvàm illa de re in tertio
,, Officiorum? qvâ ad innumerabiles cauſſas ceu
,, Delphicô gladiô uti poſſis. Plurimùm etiam
,, ad dicendum conducunt narratiunculæ qvæ
,, ſunt in hoc opere, & multæ, & variæ.
,, Qvondam in Rhetorica progymnaſmata erant
,, διηγηματικα (ſic enim vocârunt.) In qvo gene-
,, re qvi ſe volent exercere, magnam hîc exem-
,, plorum copiam invenient. Et cùm nihil diffi-
,, cilius, qvàm commodè narrare, non eſt alia
,, exercitatio fructuoſior qvàm hæc. Qvanta,
,, Deum immortalem, elegantia, qvantus le-
,, pos eſt in narratione geſtorum Arati Sicyonii
,, in ſecundo libro? Non minorem laudem me-
,, retur Gygis Lydii hiſtoria verſa ex Platone,
,, in libro tertio. Similes aliæ multæ ſunt in hoc
,, commentariolo, qvas ſibi ad imitandum pro-
,, ponant, qvicunqve tolerabiliter dicendi ſtu-
,, diô tenentur. Eaqve exercitatio non tantùm
,, augebit verborum ſupellectilem, ſed etiam,
,, qvæ mihi in dicendo penè maxima virtus vi-
,, detur, benè diſponendi ſcientiam. Nam in-
,, docti non tantùm adulterinæ monetæ verbis
,, orationem obſcurant, ſed ita etiam confun-
,, dunt ac miſcent omnia, ut intelligi prorſus
,, neqveat. Hæc ibi Philippus. Qvae, etſi prolixa, adferenda hic duxi, tum qvia praefatio non eſt in omnium iſta manibus, tum qvod veteres editiones cum praefationibus negliguntur, cùm vix novae legantur & emtores reperiant, in qvibus tamen novis fruſtra hanc, uti & auream Eraſmi praefationem qvaeres.

* *Lingvam vernaculum*] Fecit hoc de ſtudioſa juventute optimè meritus Joh. Rhenius in ſua conſtructione Grammatica & erudita interpretatione Germanica Officiorum Ciceronis & Terentii; qvæ qvantum commodi docentibus in ſcholis ac diſcentibus attulerit, ii qvi eâ uſi ſunt teſtabuntur. Habemus & Taciti opera cum verſione Germanica Jacobi Micylli Rectoris olim Francofurtenſis deinde Profeſſoris Heidelbergenſis. Francof. M. DC. XII. in 8r. edita, qvæ tamen nihil ad Rhenii laborem.

‡ *In excolendis lingvis*] Fecerunt hoc Angli, fecerunt omnium optimè Galli, qvin & noſtri Batavi, de qvibus tamen videndus Cl. Abrahamus Uyttenbrouk Eccleſiaſtes Zaemſlaghenſis in Lingva Belgica clauſa, ſeu in tractatu de Scriptura Lingvæ Belgicæ reſtituenda & emendanda, Medioburgi annô M. DC. LIX. edito in 8r. Lingva noſtra Germanica, neqvidqvam Ben. Ariâ Montanô occinente, cùm aliis qvibuſqve lingvis ſolertiſſimorum verborum ſplendore, proprietate vocum, majeſtate dictionum, pulcherrimis & admirandis periodorum ductibus & universâ orationis elegantiâ non cedat, eam tamen ipſimet, ut, ſolet eſſe auctore Senecâ in III. de Beneficiis c. III. ,, vile, qvidqvid domi eſt, numeramus in poſtremiſſimis, nec juſtô, ut debebamus, excolimus modô & rectô, ſed & exoticorum, ut putamus, emblematis, at ut res eſt, inqvinamentis fœdamus mirificè. Diu jam vapulavit Germania noſtra, nec immeritò ob turpem illam æmulandi habitus aliarum Gentium & nationum libidinem. Cui rei ne foris argumenta qværantur, vel pictoris etiam illius in vulgus notum dicterium, ,, nullo ,, Germanum habitu certô uti, ſed nunc horum ,, populorum, nunc illorum ſtultâ æmulatione ,, adſumere. Verùm neſcio annon majus opprobrium noſtræ Gentis ſit ineptiſſima illa Lingvæ noſtræ corruptio & in exoticas ſive transformatio, ſive cum iiſdem barbara atqve auribus etiam ingrata confuſio. Qvæ res facit, ut Lingvam ipſi noſtram vix intelligamus amplius, atqve

tum ponant operæ, expedit, ut in ſcholis qvoqve ei rei debitè initietur juventus. 22 Creſcere porrò cura illa cum ætate debet, adeoqve qvò longiùs & annis & ſtudiis fuerint progreſſi Diſcentes, eò plus qvoqve operæ non puritati tantùm lingvæ vernaculæ, ſed & elegantiæ dare debent. 23 Ego hac de re injicere hîc mentionem volui, ut maturè illius ſtudii, alibi accuratius excolendi, qvale qvale fiat exordium. 24 Ceterum poſt emendatam verſionem, Phraſes ex Ciceronis textu excerpantur; formulæ etiam loqvendi non tantùm à vernacula loqvendi ratione, ſed etiam à vulgari Latinè loqvi conantium conſvetudine longiùs diſcedentes: voces qvoqve elegantiores & ſignificantiores enotentur. 25 Poſtea verſionem ſuam in Latinum revertant Diſcentes: ita tamen, ut non omnia Ciceronis verba ſed phraſes tantùm & elegantias antè excerptas, cetera ſuis verbis expreſſa exhibeant. 26 Ad Morum verò doctrinam usqve etiam exercendam utile erit, tempore delectô, nervoſam aliqvam ex Seneca ſententiam, vel tales aliqvot ex Publio Syro Mimo aliisqve Autoribus collectas diſcentibus proponere & memoriæ infigendas dare. 27 Ex iis ſententiis aliqvæ ſubindè in exercendi ſtyli materiam converti poſſunt: diducendæ ita, ut Gnomas Chriasqve, extendi & in oratiunculæ formam porrigi in Progymnaſmatibus docuit ‡ Aphthonius, qviqve alii in Aphthonio exemplis illuſtrando laudabilem operam navârunt. 28 Per intervalla

qve in convitio hoc Gentis noſtræ meritiſſimo, ridiculos etiam triumphos aucupemur. Sanè puriſſima noſtra & à peregrino ſqvalore libera hactenus lingva mutavit et in miras loqvendi degeneravit formulas. Monſtra vocabulorum et carcinomata irrepſerunt occultè, ad qvæ gravis aliqvis et genuinus Germanus qvandoqve vix indignationem, qvandoqve nauſeam vix teneat. Qvis enim eo ſit animi robore, qvi concoqvat Cerdones etiam et fungos, qvi loci natalis mœnia nondum egreſſi, in conviviis, foro, aut tonſtrinis voculas qvaſdam aucupati, magno cum fermento et tumore vernaculæ inferciunt, corruptis alienô ſonô iis ipſis, ut duplici ſic furore ludibrium humanioribus debeant, magis ſeriis et ſapientioribus odio ſint ac contemptui. Dicas in ſentinam Germanicam noſtram durare lingvam, ad qvam reliqvarum ſordes torrente deferantur promiſcuô. Jam à Latinis, jàm à Gallis, Hiſpanis etiam atqve Italis mutuamur, qvod domi naſcitur elegantiùs. Siniſteritatem horum hominum in Ariſtarcho ſuo multô ſale perfricuit Germaniæ Virgilius Martinus Opitius. Item Michaël Piccartus Francus Profeſſor Noricus Decade III. Obſervation. Hiſtorico Politicar. c. X. p. m. 172. ſ. edit: Noriberg. M. DC. LI. in 8r. et B. Caſp. Finckius in fine Centuriæ II. Canon. Theologicor. Enimverò longè turpius eſt, patriae lingvae rudem eſſe, qvàm peregrinae. Qvamobrem et Ramus vult in Ciceroniano ſuo, ut cum Graecae et Latinae Lingvae puritate puritas et noſtrae perdiſcatur. Et Caſelius eleganter, qvòd ſolet, qvodam in loco inqvit, „Luculenta adhibeatur interpretatio verbis vernaculis, non vulgaribus, non ſordidis, non jam „ malè excogitatis, ſed propriis, puris, lectiſſi„mis, adhibitis loqvendi modis, itidem in ipſa „ Germania natis. Hoc verò ego non ſine cauſſa „ tantopere urgeo. Cùm enim in Latino ſermo„ ne comparando plurimum laboremus, idqve „ nos multis de cauſſis rectè facere arbitremur; an „ planè incultam eſſe noſtram, & in ſitu ja„ cere patiemur? Qvæ (malum) hæc inſcitia „ eſt, non cupere eleganter, & politè cum „ noſtris hominibus loqvi? Hæc ille.

‡ *Aphthonius*] Dixi de Aphthonio & ejus interpretibus Tomô I. Methodor. noſtrar. p. 97. Hic addo, ibi omiſſum, Joachimum Camerarium, cujus Aphthonius cum compluribus exemplis additis Lipſiæ prodiit annô M. D. LXXXVIII. in 8r. Habeo & ejus, qvæ non cara ſunt auro contra, Elementa Rhetoricæ, ſive capita Exercitationum Studii puerilis & ſtili ad comparandam utriusqve Lingvæ facultatem, ibidem edita annô M. DC. in 8r.

la etiam Periodica doctrina plenius tradatur. 29 Qvemadmodum enim ædificium ſine juncturis ſtare aut elegans eſſe non poteſt: ita eloqventia ſine periodica, ſeu apta ſermonem vinciendi, atqve in Periodos ſeu breves ſeu longiores colligendi ratione. 30 Modi item variandi & amplificandi ex Eraſmo Roterodamo, aut alio, qvi Eraſmi orſa in opere hoc utiliſſimo expleverit, Autore expliceni tur: atqve identidem exempla & materiæ ſuppeditentur, in qvibus ſignatas ab Eraſmo lineas ſuô Marte æmulari conentur diſcentes. 31 Ei rei, inprimisqve adeò copiæ verborum, qvæ hîc potiſſimùm qværitur, exercendæ ſervire qvoqve plurimùm arbitror tale gymnaſma: ut nempè brevis aliqva epiſtola Ciceronis, Plinii, Mureti, Manutii, Eraſmi, Politiani &c. à Magiſtro priùs obiter explicata, aliis verbis phraſibusqve reddi, exhiberiqve aut legi jubeatur. 32 Hâc ratione non ubertati tantùm ſermonis, fœcundæqve facundiæ aſſveſcent, ſed alium qvoqve ſimul fructum haurient Alumni Eloqventiæ. 33 Dum enim diutiuſculè ita ſe circa textum illum Autoris occupant ipſa ejus verba, & res, & tractandi modum tantô rectius intelligent, penitiusqve imbibent animô. 34 Porrò etiam, Autoris lineis inſiſtendo, tùm periodos meliùs formare, tùm judicioſiùs atqve ad rem accommodatiùs propria ſcribere diſcent, cùm alioqvin, ubi ſuô ingeniô & nullis limitibus circumſcripti feruntur, nimiùm plerumqve extra oleas vagentur. 35 Ut, qvid velim, rectiùs perſpiciatur, adjiciam unum atqve alterum exemplum. 36 Ordiar à primâ epiſtolâ Plinii, qvam, ut eſt ab Autore ſuo ſcripta, non pigebit ſubjicere, ſed ſimul mox qvoqve apographum, qvò tanti viri eruditam manum noſtro qvalicunqve conatu ſeqvi tentavimus, adjiciam. 37 Illa epiſtola ita habet: Freqventer hortatus es, ut Epiſtolas, ſi qvas paulò accuratiùs ſcripſiſſem, colligerem publicaremqve. Collegi, non ſervatô temporis ordine: (neqve enim hiſtoriam componebam) ſed ut qvæqve in manus venerat. Supereſt, ut nec te conſilii, nec me pœniteat obſeqvii. Ita enim fiet, ut eas, qvæ adhuc neglectæ jacent, reqviram, & ſi qvas addidero, non ſupprimam. 38 *Autor mihi fuiſti identidem, ut literas, qvas intentiore paulò curâ exaraſſem, conqvirerem, publiciqve facerem juris. Ego ut tibi obtemperarem, ſelegi aliqvas, ſelectasqve in unum contraxi faſcem. Seriem temporis in iis non anxiè ſecutus ſum. Neqve enim res aliqvas geſtas fide & curâ hiſtoricâ proſeqvor. Sed uti ſeſe obtulêre, ita caſu magis, qvàm præmeditatâ aliqvâ ordinatione qvamqve locavi. Jam nihil reſtat, qvàm ut collectio & publicatio hæc ita cedat, ne cauſam vel tu habeas dolendi, qvod editionem ſvaſeris, vel ego, qvod tibi ſim obſecutus. Inde enim ſtimulus mihi addetur, ut eas etiam è tenebris producam, qvæ alicubi inter ſchediasmata ſparſim latent, atqve ut nec illas luci invideam, qvæ in poſterùm exarabuntur.* 39 Alterum exemplum eſto Epiſtola LI. Mureti edit. Ingolſtad. Annô 1605. qvam nos ita reddere (ipſam enim, qvia paulò longior, & in omnium manibus eſt, nolo ſubjicere) conamur: *Etſi ſummopere & multis negotiis diſtrictus ſum, Sinibalde, adeò ut ſub mole iſta tantum non fatiſcam: tamen evolvi Dialogum à te ſcriptum, & ex ejus lectitatione plurimum hauſi delectationis. Jucunda mihi fuêre argumenta, acutè admodum inventa, & preſſo, vegetô vividôqve dicendi artificiô delineata. Qvare uti Pythagoram ex pedis Herculei menſura de ceterâ corporis habitu-*

tùm ponant operæ, expedit, ut in ſcholis qvoqve ei rei debitè initietur juventus. 22 Creſcere porrò cura iſta cum ætate debet, adeoqve qvò longiùs & annis & ſtudiis fuerint progreſſi Diſcentes, eò plus qvoqve operæ non puritati tantùm lingvæ vernaculæ, ſed & elegantiæ dare debent. 23 Ego hac de re injicere hìc mentionem volui, ut maturè iſtius ſtudii, alibi accuratius excolendi, qvale qvale fiat exordium. 24 Ceterum poſt emendatam verſionem, Phraſes ex Ciceronis textu excerpantur; formulæ etiam loqvendi non tantùm à vernacula loqvendi ratione, ſed etiam à vulgari Latinè loqvi conantium conſvetudine longiùs diſcedentes: voces qvoqve elegantiores & ſignificantiores enotentur. 25 Poſtea verſionem ſuam in Latinum revertant Diſcentes: ita tamen, ut non omnia Ciceronis verba ſed phraſes tantùm & elegantias antè excerptas, cetera ſuis verbis expreſſa exhibeant. 26 Ad Morum verò doctrinam usqve etiam exercendam utile erit, tempore delectô, nervoſam aliqvam ex Seneca ſententiam, vel tales aliqvot ex Publio Syro Mimo aliisqve Autoribus collectas diſcentibus proponere & memoriæ infigendas dare. 27 Ex iis ſententiis aliqvæ ſubindè in exercendi ſtyli materiam converti poſſunt: diducendæ ita, ut Gnomas Chriasqve, extendi & in oratiunculæ formam porrigi in Progymnaſmatibus docuit ‡ Aphthonius, qviqve alii in Aphthonio exemplis illuſtrando laudabilem operam navârunt. 28 Per interval-

la

qve in convitio hoc Gentis noſtræ meritiſſimo, ridiculos etiam triumphos aucupemur. Sanè puriſſima noſtra & à peregrino ſqvalore libera hactenus lingva mutavit et in miras loqvendi degeneravit formulas. Monſtra vocabulorum et carcinomata irrepſerunt occultè, ad qvæ gravis aliqvis et genuinus Germanus qvandoqve vix indignationem, qvandoqve nauſeam vix teneat. Qvis enim eo ſit animi robore, qvi concoqvat Cerdones etiam et fungos, qvi loci natalis mœnia nondum egreſſi, in conviviis, foro, aut tonſtrinis voculas qvaſdam aucupati, magno cum fermento et tumore vernaculæ inferciunt, corruptis alienô ſonô iis ipſis, ut duplici ſic futore ludibrium humanioribus debeant, magis ſeriis et ſapientioribus odio ſint ac contemptui. Dicas in ſentinam Germanicam noſtram durare lingvam, ad qvam reliqvarum ſordes torrente deferantur promiſcuô. Jam à Latinis, jàm à Gallis, Hiſpanis etiam atqve Italis mutuamur, qvod domi naſcitur elegantiùs. Siniſteritatem horum hominum in Ariſtarcho ſuo multô ſale perfricuit Germaniæ Virgilius Martinus Opitius. Item Michaël Piccartus Francus Profeſſor Noricus Decade III. Obſervation. Hiſtorico-Politicar. c. X. p. m. 172. ſ. edit: Noriberg. M. DC. LI. in 8r. et B. Caſp. Finckius in fine Centuriæ II. Canon. Theologicor. Enimverò longè turpius eſt, patriae lingvae rudem eſſe, qvàm peregrinae. Qvamobrem et Ramus vult in Ciceroniano ſuo, ut cum Graecae et Latinae Lingvae puritate puritas et noſtrae perdiſcatur. Et Caſelius eleganter, qvòd ſolet, qvodam in loco inqvit. „Luculenta adhibeatur interpretatio verbis vernaculis, non vulgaribus, non ſordidis, non jam malè excogitatis, ſed propriis, puris, lectiſſimis, adhibitis loqvendi modis, itidem in ipſa Germania natis Hoc verò ego non ſine cauſſa tantopere urgeo. Cum enim in Latino ſermone comparando plurimum laboremus, idqve nos multis de cauſſis rectè facere arbitremur; an planè incultam eſſe noſtram, & in ſitu jacere patiemur? Qvæ (malum) hæc inſcitia eſt, non cupere eleganter, & politè cum noſtris hominibus loqvi? Hæc ille.

‡ *Aphthonius*] Dixi de Aphthonio & ejus interpretibus Tomô I. Methodor. noſtrar. p. 97. Hic addo, ibi omiſſum, Joachimum Camerarium, cujus Aphthonius cum compluribus exemplis additis Lipſiæ prodiit annô M. D. LXXXVIII. in 8r. Habeo & ejus, qvæ non cara ſunt auro contra, Elementa Rhetoricæ, ſive capita Exercitationum Studii puerilis & ſtili ad comparandam utriuſqve Lingvæ facultatem, ibidem edita annô M. DC. in 8r.

la etiam Periodica doctrina pleniùs tradatur. 29 Qvemadmodum enim ædificium ſine juncturis ſtare aut elegans eſſe non poteſt: ita eloqventia ſine periodica, ſeu apta ſermonem vinciendi, atqve in Periodos ſeu breves ſeu longiores colligendi ratione. 30 Modi item variandi & amplificandi ex Eraſmo Roterodamo, aut alio, qvi Eraſmi orſa in opere hoc utiliſſimo expleverit, Autore explicentur: atqve identidem exempla & materiæ ſuppeditentur, in qvibus ſignatas ab Eraſmo lineas ſuô Marte æmulari conentur diſcentes. 31 Ei rei, inprimisqve adeò copiæ verborum, qvæ hîc potiſſimùm qværitur, exercendæ ſervire qvoqve plurimùm arbitror tale gymnaſma: ut nempè brevis aliqva epiſtola Ciceronis, Plinii, Mureti, Manutii, Eraſmi, Politiani &c. â Magiſtro priùs obiter explicata, aliis verbis phraſibusqve reddi, exhiberiqve aut legi jubeatur. 32 Hâc ratione non ubertati tantùm ſermonis, fæcundæqve facundiæ aſſveſcent, ſed alium qvoqve ſimul fructum haurient Alumni Eloqventiæ. 33 Dum enim diutiuſculè ita ſe circa textum illum Autoris occupant ipſa ejus verba, & res, & tractandi modum tantò rectius intelligent, penitiusqve imbibent animô. 34 Porrò etiam, Autoris lineis inſiſtendo, tùm periodos meliùs formare, tùm judicioſiùs atqve ad rem accommodatiùs propria ſcribere diſcent, cùm alioqvin, ubi ſuô ingeniô & nullis limitibus circumſcripti feruntur, nimiùm plerumqve extra oleas vagentur. 35 Ut, qvid velim, rectiùs perſpiciatur, adjiciam unum atqve alterum exemplum. 36 Ordiar â primâ epiſtolâ Plinii, qvam, ut eſt ab Autore ſuo ſcripta, non pigebit ſubjicere, ſed ſimul mox qvoqve apographum, qvò tanti viri eruditam manum noſtro qvalicunqve conatu ſeqvi tentavimus, adjiciam. 37 Illa epiſtola ita habet: Freqventer hortatus es, ut Epiſtolas, ſi qvas paulò accuratius ſcripſiſſem, colligerem publicaremqve. Collegi, non ſervatô temporis ordine: (neqve enim hiſtoriam componebam) ſed ut qvæqve in manus venerat. Supereſt, ut nec te conſilii, nec me pœniteat obſeqvii. Ita enim fiet, ut eas, qvæ adhuc neglectæ jacent, reqviram, & ſi qvas addidero, non ſupprimam. 38 *Autor mihi fuiſti identidem, ut literas, qvas intentiore paulò curâ exaráſſem, conqvirerem, publiciqve facerem juris. Ego ut tibi obtemperarem, ſelegi aliqvas, ſelectasqve in unum contraxi faſcem. Seriem temporis in iis non anxiè ſecutus ſum. Neqve enim res aliqvas geſtas fide & curâ hiſtoricâ proſeqvor. Sed uti ſeſe obtulêre, ita caſu magis, qvàm præmeditatâ aliqvâ ordinatione qvamqve locavi. Jam nihil reſtat, qvàm ut collectio & publicatio hæc ita cedat, ne cauſam vel tu habeas dolendi, qvod editionem ſvaſeris, vel ego, qvod tibi ſim obſecutus. Inde enim ſtimulus mihi addetur, ut eas etiam è tenebris producam, qvæ alicubi inter ſchediaſmata ſparſim latent, atqve ut nec illas luci invideam, qvæ in poſterùm exarabuntur.*

39 Alterum exemplum eſto Epiſtola LI. Mureti edit. Ingolſtad. Annô 1605. qvam nos ita reddere (ipſam enim, qvia paulò longior, & in omnium manibus eſt, nolo ſubjicere) conamur: *Etſi ſummopere & multis negotiis diſtrictus ſum, Sinibalde, adeò ut ſub mole iſta tantum non fatiſcam: tamen evolvi Dialogum â te ſcriptum, & ex ejus lectitatione plurimum hauſi delectationis. Jucunda mihi fuêre argumenta, acutè admodum inventa, & preſſô, vegetô vividôqve dicendi artificiô delineata. Qvare uti Pythagoram ex pedis Herculei menſura de ceterâ corporis habitu-*

*dine conjecturam feciſſe perhibent, ita ego pariter ex ſcripto iſto tuo, etſi minimè diffu-
ſo, indolis tuæ excellentiam capacitatemqve intellexi. Jam tuus erga me affectus,
qvem maximum eſſe, indiciis à te datis plurimis cognoſco, qvantâ me voluptate affici-
at, noli poſcere, ut ſcribam tibi. Nam hunc omnibus meis conatibus & lucubrationi-
bus maximè ſemper finem ac ſcopum conſtitui, ut à talibus diligerer, qvalem te eſſe vi-
deo. Qvapropter licet mihi haud convenire puto ea encomia, qvæ tu totô qvaſi horreô
in me effundis: non poſſum tamen non amantiſſimè amplecti amorem tuum, qvi tibi
viro tantô acumine ingenii & tantâ prudentiâ prædito, offuſo glaucomate qvaſi impo-
ſuerit, inqve eam te neceſſitatem redegerit, ut talia de me crederes ſcriberesqve, qvæ
ut aliis credantur, ipſe etiam tu, qvamtumvis facundus, nonniſi difficillimè impe-
traturus ſis. Autor verò ſum tibi, ut edas Opus tuum. Etſi enim modeſtiæ meæ qvo-
dammodo gravia ſunt, qvæ iſtic de me ſcripta extant: non committendum tamen pu-
to, ut mea verecundia tuæ officiat laudi. Hortor etiam te, ut alia ejusmodi compo-
nas: nihil expaveſcens ſuſurros aut etiam occultas voces: qvæ in publicum theatrum
procedenti aliqvantum faceſſent moleſtiæ; ubi autem ſemel tibi aures placidas reddideris,
conſileſcent.* 40 Omnium autem iſtarum exercitationum atqve eloqventiæ i-
pſius, ut juſtum fundamentum habeant diſcentes, ante omnia in Artis Rhetoricæ
præceptis diligenter exercendi ſunt. 41 In eâ cùm omnia ſtudioſè animis com-
prehendenda ſunt, tùm inprimis Topologia, ut eloqventiſſimus Valentinus
Thilo, qvi ſcitiſſimô eam librô exſecutus eſt, vocat, ſeu Modus & ratio inven-
tionum in Monitione, Adhortatione, Conſolatione, Petitione & omni alio
Orationis genere; ſed & Troporum & Figurarum Doctrina ſummoperè tàm
Docentibus qvàm diſcentibus curæ eſſe debet. 42 Troporum verò, & figura-
rum doctrinam, per crebra autorum exempla utcunqve perceptam, pulchrè
exercere juventus poterit, ſi proponatur qvaliſcunqve ſententia, qvam illa per
Synonymiam, & alias Figuras Grammaticas antè variatam, poſteà per tropos
qvoqve & figuras Rhetoricas variare diſcat. 43 Domi qvicqvid tem-
poris à publicis operis elaborandis diſcendiſve ſupereſt, in Epiſtolis
Manutii, Sadoleti, Mureti, in Epiſtolis item Ciceronis ad Atticum, in Tuſ-
culanis qvæſtionibus, libris de Oratore & ſimilibus legendis occupentur diſcen-
tes. 44 Rhetoricæ Logica qvodammodò præmittenda, minimùm certe con-
jungenda eſt: cùm illa ex hac multa inſtrumenta petat, ſine qvibus conſiſtere,
& intelligi non poteſt. 45 Et ſi ad Rhetoricam etiam haud qvaqvam reſpicias,
certum tamen eſt, menti hominis præclarum à Logica accendi lumen, qvô u-
ſus homo, tantò rectiùs feliciùsqve in rerum omnium cognitione, conſiderati-
one, explicatione, probatione, verſari poſſit. Eò diligentiùs illa bonæ mentis
ſtudioſis addiſcenda & exercenda eſt. 46 Ut Hiſtoriæ univerſalis guſtum ali-
qvem ax antiqvo eoqve diſerto Autore juventus capiat; *Juſtinum* ei proponen-
dum autumo; eô modô, qvô antea Officia Ciceronis. 47 In *Poëſi* qvia utram-
qve penè paginam fabulæ antiqvæ faciunt, ad eas in vetuſtis noviſqve autoribus,
qvi illas ſubindè operibus ſuis intermiſcent, rectiùs intelligendas, & propriis po-
ſteà operibus tantò dexteriùs intexendas, optârim eqvidem Ovidii Metamor-
phoſin, aut ſelectas ſaltem ex illa fabulas præcipuas in Scholis non negligi. 48

Cum

Cum inprimis adeò venuſta & facilis ſit Ovidii vena, & nihil juventuti noxium in eo libro doceatur; imò & ſub tegmine fabularum, multa Phyſica, vel Ethica contineantur præcepta. 49 Si fieri id per aliqvâ impedimenta non poteſt, accedatur rectà ad Æneida Virgilii, & Horatii Odas, alternis vicibus. 50 In Græcis continuentur Lubini Sententiæ: & addantur ex Novo Teſt. Acta Apoſtolorum. 51 Arithmeticæ arti hîc jam faſtigium imponatur, qvò deinde ad alias Mathematicas diſciplinas acceſſus fiat. 52 In Sacris, dudum huic loco uſitatum Theologiæ compendium, vel aliud facile ſalutaris doctrinæ ſyſtema explicetur. Simul qvoqve Chriſtiana Morum præcepta, qvæ Theologiæ minimè poſtremam partem faciunt, ex bono aliqvo autore, qvàm maximè inculcentur juventuti: qvò hæc in Chriſtiani hominis officiis, plus, aut non minus ſaltem, qvàm in artibus ſcientiisqve proficiat.

VIII. 1 In Octavo gradu, qvi Supremam Claſſem, Academiæ nempè veſtibulum, conſtituit, penè eadem, qvæ in præcedente doceri, ſed uberiore tamen ratione, & praxi luculentiore, debent. 2 Tradatur inprimis Logica plenior, ejusqve uſus, in analyſi textuum, ex autoribus, ſeu ſacris, ſeu profanis, ſumptorum: tum & thematum ſimplicium, compoſitorumqve pertractandorum modus. 3 Orationes Ciceronis explicentur, ità, ut artificium Rhetoricum in iis oſtendatur juventuti, & ornamenta præcipua excerpantur, qvæ in promptuaria ſua, titulis diſtincta, diſcentes poſteà cum cura referant. 4 Eadem hæc aliorum ſimul, ſed bonæ notæ Autorum lectione domi locupletanda ſunt. 5 Hiſtoria univerſalis ita tradatur, ut cum ea ſimul Politicæ Prudentiæ præcepta & exempla hauriat juventus. 6 Neqve mirum cuiqvam videri debet, ſi ea res, ob materiarum copiam & gravitatem, lentius procedat, modò ſemper ex tali lectione uſum aliqvem notabilem, certæ nempè alicujus qvæſtionis Politicæ definitionem, vel aliud qvid, ad Hiſtoriam pertinens, & ſingulare, ſecum auditores domum ferant. 7 Juxtà autem compendium aliqvod Hiſtoriæ, ſed politô & terſô ſtylô ſcriptum domi diſcentes legant: item ex antiqvis Vellejum Paterculum, Cæſarem, Curtium, Saluſtium, Livium: ex recentioribus Buchananum aliosqve qvi à perito & prudente ſtudiorum Rectore ipſis fuerint commendati. Neqve enim omnes omnibus conveniunt. 8 Ad exercendam eloqventiam, detur ex Hiſtoria, vel Politica materies, ut exempli gratiâ ex occaſione Hiſtoriæ de Pyrrho, in prælio periclitante, ſumatur qvæſtio: an ſumma Regnorum capita præliis intereſſe debeant? dentur pro parte affirmante aliqva argumenta: dentur item poſteà pro negante. Deniqve etiam definitio controverſiæ. 9 Proponantur ſyllogiſmi Oratorii, ſic, ut nonnunqvàm propoſitiones, ordine qvem Logica ſervat, tractentur, nonnunqvàm ordo invertatur. 10 Subindè & epiſtola exempli gratiâ monitoria, commendatitia, hortatoria &c. Item laudatio, vituperatio. 11 Detur item diſcentibus textus aliqvis boni Autoris, ſive Orator, ſive Hiſtoricus ſit: ejus anatomia tum Logica, tum Rhetorica inſtituatur, & ornamenta excerpantur. 12 Poſteà * vertatur in vernacu-

* *Vertatur in vernaculum*] Ad hæc & ſeqventia rectè intelligenda vide omnino b. r. Morhofium in lib. II. Polyhiſtoris Litterar. c. XIII. XIV. XV. & XVI ubi multa hoc ad negotium facientia congeſſit exempla.

naculum, & mox revertatur, ita tamen ut in reverſione iſta non verbis Autoris inſiſtant, ſed ſua (nec unô modô ſed variata, qvæ in parentheſi vel margine apponi poſſunt) ſubſtituant, luminibus tamen verborum, & ornamentis, qvæ antè ex autore excerpsêre, non omiſſis. 13 Subindè etiam ubi amplificationi locus eſt, diducant amplificentqve Autoris ſermonem, ſic ut juſta aliqva Paraphraſis inde emergat. 14 Interdum & vertendæ vices ſunt, ita ut è proſâ ligata fiat Oratio, contrà etiam è ligata, ut oratione aliqva Virgilii, vel Oda Horatii, vel Satyra Juvenalis, proſâ. 15 Iſtarum poſteà compoſitionum correctarum fiant â nonnullis, qvi aptiores ceteris videntur, * recitationes in publico, præſentibus aliqvot Docentium Primariorum. 16 Poſt recitationem moneri debent recitatores, ſi qvid in elocutione & actione peccatum eſt. 17 Certis temporibus Actus etiam publici inſtituantur, in qvibus, coram majore auditorum coronâ perſonam qvalemcunqve ſuſtinere, & verba facere diſcat juventus. 18 Domi Orationes Ciceronis, Mureti, Baudii, Perpiniani, † Cunæi aliorumqve, qvorum terſum, facilem dignumqve imitatu ſtylum Profeſſor commendaverit: Epiſtolas item Politiani, Eraſmi, Baudii, Caſauboni, & ſimilium legant. 19 Poſteà ubi ex Ciceronianâ copioſitate, in breviorem modum contrahere ſtylum, maturius judicium permittet, ad Plinium, Symmachum, Ericium Puteanum, Heinſium &c. accedant. 20 Ex Poëtis evolvant Virgilium totum, Statium, Lucanum, Ovidii libros Metamorphoſeos, Triſtium, Faſtorum: Senecam deniqve Tragædum, autorem eo magis commendandum juventuti, qvia diverſa carminum genera, multa acumina, nihil ſpurcum, plurima verò vitæ ſalutaria præcepta habet. 21 Jam etiam poſt Terentium perlectum, Plautus evolvi poteſt, eâ adhibitâ cautione, ne omnia ibi reperta, ſibi imitanda, imo multa ſibi ſoli-

* *Recitationes*] De his multis actum Tomô I. Methodor. noſtrar. p. 786. ſ.

† *Cunæi*] Et qvidem cum commentariis Cl Buchneri & Cellarii Lipſ. M. DC. XCIII. editas in 8t. cum qvibuſdam ejus epiſtolis, qvarum & qvædam ineditæ penes me ſunt. Qvin & ipſorum amborum interpretum Orationes minimè hic contemnendæ ſunt. Aug. Buchneri Academicarum Orationum duo volumina Dreſdæ 1682. in 4to. edita, Plinii ſtylum referunt planè leguntùrqve ob elegantiam ab iis, qvi aliàs huic ſcholæ, ubi habitæ ſunt, non favent. Eruditiſſimi Cellarii Programmata & Orationes ſunt exqviſitæ & priſcæ eloqventiæ. Habeo illas in 8t. Lipſ. M. DC. LXXXIX. De Aonio Paleario Verulano (qvi nullo modo hîc omittendus erat) diximus in p. 86. hujus operis. Ab illo tempore, iſta qvô ſcripſeram, hoc ipsô, qvem agimus, ann. M. DC. XCV. in 8t. Amſtelodami apud Henr. Wetſteinium dicti excuſa ſunt Palearii Opera, ad illam editionem, qvam ipſe Auctor recenſuerat, & auxerat, nunc novis acceſſionibus locupletata, ut habet inſcriptio. Æſtimo, & forte, non ab re, qvoqve Dan. Heinſii Orationes ex editione Elzeviriana CIↃ IↃC LVII. in 12. Uti & Franciſci Bencii ab Aqvapendente Jeſuitæ Duaci M. D. XCVII. in 12. & M. Antonii Majoragii; Chriſtophoriqve Longolii; Lugdun. apud Gryphium 1542. in 8t. deniqve Famiani Stradæ Jeſuitæ Romani Proluſiones Academicas, ſive prolixiores Orationes ad facultatem Oratoriam, Poëticam & Hiſtoricam ſpectantes, Coloniæ Agrippinæ ann. M DC. XXXVIII. in 12. editas. Has qvi modo debito legerit, non facile titubabit vel in ipſis, qvæ vocant, rerum argumentis, eorumqve pondere, vel ordine, nexu, aptaqve cohærentia, vel in phraſi; ſtylo, elegantiis, numero oratorio & ceteris hùc facientibus, Ceterùm Voſſius lib II de Hiſtoric. Græc. c. XVIII. p. m. 250. Petrum iſtum, qvo de cœpi dicere, Cunæum, „virum Latinè, Græcè, Hebraicè ſci-„entiſſimum vocat, atqve eumdem eloqventiſ-„ſimum, & juriſconſultiſſimum, veterem in „Leidenſi, dum viveret, Collegam ſuum.

ſolicitè fugienda ducat adoleſcens. 22 Nam ne repetam, qvod antè jam monui, & cuivis erudito ſatis notum eſt, qvòd diſſolutos ſeculi ſui, præcipuè autem juventutis gentilis mores, Comici iſti deſcribunt, à qvibus Chriſtiana pubes qvàm maximè abhorrere debet: etiam ſermo eorum, inprimis Plauti, nonniſi judicioſâ imitatione effingendus eſt juventuti. 23 Sunt enim iſtic Archaiſmi, ſunt alia per luſum ficta, ſunt horridiuſcula, qvæ in epiſtolâ aliqvando forſan interſpergi poſſint, ſed in orationibus vitari debent, ut jam alii rectè monuêre. 24 In lectione autem autorum, qvorumcunqve obſervet excerpatqve juventus, ſi qvod *incidit inſigne verbum*, *ſi qvid antiqvè aut novè dictum*, *ſi qvod argumentum aut inventum acutè*, *aut tortum aptè*, *ſi qvod egregium orationis decus*, *ſi qvod adagium*, *ſi qvod exemplum*, *ſi qva ſententia digna*, *qvæ memoriæ commendetur*, ut monet alicubi Eraſmus. 25 Naturalis ſcientiae, ex Ariſtotele aliisqve bonae notæ autoribus depromptæ, compendium, qvale eſt Magiri, exponatur: niſi Profeſſor ſuum aliqvod, vel brevius, vel captui ſuorum magis accommodatum, dictare mavult. 26 Abſolutâ Phyſicâ ad Geographiam, &, ſi fieri poteſt, Geometriam, Sphæricamqve accedatur. 26 Ubi Philoſophiæ fundamenta utcunqve perceperint Diſcentes, in iis variè diſputando porrò exerceri debent. 28 In prudentiæ Practicæ diſciplinis, inprimis *Ethicâ, Ariſtoteles prælegatur, tùm ob ipſam doctrinam morum, qvam nemo veterum illo viro divinius excoluit, ſed ſimul qvoqve ob Græcam Lingvam. 29 Nam etſi Demoſthenes artificioſius eloqventiam, qvippè merus & in publico ſubindè auditus Orator, exercuit: hôc nihilominus ſeculô, qvô Græcæ Orationes vix haberi, & Lingva iſta non æqvè eloqventiæ Græcæ, inprimis forenſis, qvàm ſapientiæ ex Autoribus hauriendæ causâ, his in terris diſci ſolet, ſufficit ferè nobis (niſi aliqvem ad conſeqvendum in eâ lingvâ ſummum faſtigium, peculiaris & gloriæ forſan plus qvàm utilitatis habens impetus rapiat) ita loqvi, vel ſcribere poſſe, uti Ariſtoteles ſcripſit 30 Qvamvis enim vulgò pro Oratore non habetur, non fruſtrà tamen *aureum eloqventiæ flumen*, non fruſtra *copioſus eſſe in dicendo*; à Cicerone ipſo dictus eſt. 31 Deinde ea viri hujus autoritas eſt, & meritò eſt, ut multa ejus legiſſe, commodéqve in uſum afferre poſſe, magnum momentum habeat, non ad ſapientiam tantùm, ſed & famam ſapientiæ aſſeqvendam. 32 Deniqve materiæ, qvas iſtud Oraculum tractat, meliores pleræqve & utiliores ſunt, qvàm in Demoſthene, vel qvoqvam Rhetorum Græ-

* *Ethica, Ariſtoteles*] Teſtimonium, qvod inſtar omnium eſſe poterit præbet Apologia Auguſtanæ Confeſſ. p. m. 62. Formulæ Concordiæ, „ Symboli Eccleſiarum γνησίως Lutheranarum (ut B. Leonh. Hutterus vocat) „ noviſſimo hoc „ tempore, longè auguſtiſſimi, edit. Lipſienſis ann. M DC XX. in 8t. „ Audivimus qvoſdam (Pontificiorum) „ pro concione ablegato Euan„ gelio, Ariſtotelis Ethica narrare. Nec errabant „ iſti, ſi vera ſunt, qvæ defendunt adverſarii. „ Nam Ariſtoteles de moribus civilibus adeò ſcri„ pſit eruditè, nihil ut de his reqvirendum ſit am„ pliùs. Lege omnino Prolegomena Joach. Camerarii in Ciceron Officia. Conr. Hornei Philoſ. Moral. proæm. lib. I. c. I. § XI. p. m. 14. Conr. Dieteric. Prolegom. in Antiqvit Biblic. p. 32. a. Item Ethicæ doctrinæ Elementa, ſeu Epitomen Philoſophiæ moralis Philippi Melanchthonis. Witteb. M. D. LX. in 8t. qvam qvanti maximus noſter Boeclerus facere ſolitus fuerit, cum pauciſſimis ſcio.

corum. 33 Qvæ autem Orationis lumina & eloqventiæ præcepta vir ille habet, ea etſi à paucis leguntur, vel in uſum transferuntur: digna tamen ſunt, ad qvæ diligentiùs legenda atqve obſervanda, animi non tyronum tantùm, ſed & Doctorum advertantur. 34 Ariſtoteli Plutarchi opuſcula qvædam, tum & Poëtæ, Theognis, Phocylides, Menander, Opera & dies Heſiodi: deniqve Homerus ipſe, fons & princeps ingeniorum, adjungendus; & qvæ in eo peculiaria ac difficiliora ſunt, explananda. 35 Theologiæ Studioſi, Græcæ & Hebrææ Lingvæ cauſâ, uti &, qvò animum iis fontibus imbuant, qvibus aliorum poſteà mentes rigare debent, utriusqve Fœderis libros, qvà publicè, qvà privatim legant audiantqve, & ſenſum primò literalem, rectè intelligere diſcant. 36 Simul verò, ex utroqve Veteris & Novi Fœderis Codice, loca inprimis pathetica, qvæ ad DEI amorem, reverentiam, honorem hortantur, qvæ DEI iram & pœnas improbis minantur, qvæ afflictos conſolantur, qvæ vitæ hujus miſerias, alterius gaudia explicant, & id genus alia, conqvirant notentqve. 37 Qvam utilitatem ea res habeat, in praxi poſteà, & inprimis cum in publico dicendum erit, ſentient ſacrorum Tyrones. 38 Loca controverſa ſatis maturè, opinor, in Academiis tractabunt. 39 Concionandi exercitiis, non mox coram populo, ubi vix eſt, qvi corrigat moneatqve, qvæ ſunt monenda; ubi etiam inexercitati ejusmodi Tyrones publicam lucem malè plerumqve ſuſtinent, ac contemptui qvodammodo vulgi: & ſe, & verbum Divinum exponunt; ſed primum intra Gymnaſii parietes, initientur. Et ſumant ſubindè textum ex Salomone, Syracide; vel etiam Novo Teſtamento qvi juventuti qvadret. 40 Nam ità & dicens, qvantum ſatis eſt, excitabitur, & hæc aliqvid boni, atqve ad mores componendos faciens diſcet: qvandoqvidem in templis non crebrò fert occaſio, ut conciones juventuti aptari poſſint, plerumqve etiam hæc minùs attendat animum. 41 Si qvis eſt, qvi Latinè ſe ità exercere malit, qvod ſanè liberum ſit, tùm interim pueri illi, qvi Latinos ſermones nondum intelligunt, paræneſin à ſuis Præceptoribus audiant: qvam iſti, vel ſuo ex ingenio, prout res nata exigere videbitur, ſumptô tamen ſemper de pietate in DEUM, reverentia in Parentes & ſeniores, de vitæ modeſtiâ &c. argumentô; vel etiam ex Matheſii commentario in Syracidæ Eccleſiaſticum, aut ſimili Autore depromptam, coram minoribus inſtituent. 42 Qvod reſtat, Chriſtum Filium DEI unigenitum oro, ut qvemadmodum olim in terris publicè Doctores puer docuit, ita nunc porrò omnes & Docentes, & diſcentes Spiritu ſuô regere velit, qvò & illi, qvæ ſalutaria ſunt, rectè tradant, & iſti debitè percipiant, ad nominis Divini gloriam, & publicum orbis emolumentum.

V.

Viro Nobiliſſimo & Magnifico

D. S. M. Præc. & P. ſal. pl. d.

JOACH. PASTORIUS.

1 S*Tudia adoleſcentiæ, remqve adeò Scholaſticam juvare cujusvis erudita curâ &*
vel ſubactiſſimorum ingeniorum induſtriâ dignum opus eſt. 2 *Illâ enim operâ*
Eccleſiæ & Reipublicæ ipſius ſementis ac prima velut herba juvatur fovetur qve.
3 *Unde me qvoqve, etſi nullâ vel ingenii fiduciâ, vel doctrinæ opinione audacem, in*
iſtis verò Scholaſticis, cum aliis in ea arena exercitatis de palma certare haudqvaqvàm
cogitantem, ardor tamen hisce diebus invaſit ad texendam hanc methodum, qvâ eri-
gendis Gymnaſii noſtri ſtudiis nonnihil adjumenti afferri poſſe ſpes fuit. 4 *In ea an ali-*
qva novitatis vel gratiam habitura ſint, nec ne, parùm moror, dummodò utilia eſſe
judicentur. 5 *In bonum enim juventutis hæc dirigenda ſunt, non in aucupium famæ:*
qvæ qvia ex hoc pulvere nec peti debet, nec poteſt facilè ſperari, tantò
minus etiam ornare iſta conatus ſum, ne in re minuta & ornari negante operoſior eſſe
viderer. 6 *Qvanqvam verò non dubius ſum, qvin in his qvoqve meditationibus po-*
ſterior dies prioris ſit magiſter: qvicqvid tamen hujus eſt, prout calidium à matre ſua
rubet, V Nob. Amplit. & juxta cœteris Nobiliſſ. Collegis mitto, legendum cenſendum-
qve.. 7 *Arbitror enim in hoc qvoqve argumento, qvantumvis vile ac levidenſe vide-*
atur, non eſſe indecorum vel poſcere vel dare conſilium. 8 *Vale Vir Nobiliſſime &*
Ampliſſime, & mihi ſtudiisqve noſtris favere perge.

Ex Muſæo, 17. *Dec. Anno* 1652.

Ad Nobiliſſimum Adoleſcentem

SIGISMUNDUM de LINDA,

Magnifici & Nobiliſſimi Viri

* ADRIANI de LINDA,

Burggrabii & Præ-Conſulis Dantiſcani Filium,

Epiſtola de rectè inſtituendo Eloqventiæ Romanæ ſtudio.

1 BRevis; ſed grata mihi fuit, Nobilisſime Adoleſcens, Epiſtola
Tua: gratum qvoqve, qvod in ea exprimis, ſtyli probi deſideri-
um. 2 Illud tamen miror, petere Te à me eloqventiæ Latinæ ſe-
mitam, cùm eos audias Magiſtros, qvi iſtô ſtudiô jam pridem os
famæ laudemqve non exiguam meruêre. 3 Ut eorum adeò tam
præcepta qvàm exempla gratiam mihi facere videantur laboris, qvem vos (puto
enim Te non tuô tantùm, ſed & fratris Tui nomine mecum agere) itis mihi im-
poſitum. 4 Haud injucundum alioqvi futurum mihi, qvi ſpei veſtræ votisqve
gratificaturus, ſic ſimul juventutis meæ veſtigia lubens relegam. 5 Utinam
modò aliqvid vobis meqve dignum per vires vel negotia efficere liceat. 6 Sed
nunc moleſtis laboribus ita implicitum me ſentio, ut animi impetum huc ver-
tere non poſſim: res verò, qvam petis, utcunqve videatur levis, ejusmodi ta-
men eſt, ut propter viam & aliud agendo rectè perfici neqvat. 7 Nam & meta
in hoc eloqventiæ curriculo adeò ſeu altè ſeu longè poſita apparet, ut vix rariſſi-
mus qvisqve eam attingat, aut videri poſſit attigiſſe: & ſi qvis pertigit, vix pro-
fectò tam rectô ad eam itinere pertigit, ut idem aliis pariter tenendum ſvadere
qveat. 8 Multis ferè erroribus, multis ambagibus caſibusqve venitur ad hanc
Laviniam. 9 Qvidam etiam rariore ſeu agilitate ſeu vi ingenii tranſiliêre aut
perrupêre obſtacula, non auſuri per eadem ducere alios. 10 Viam itaqve ad
decus iſtud, qvod plerisqve noſtrûm magis eminùs cernere, qvàm aſſeqvi da-
tum eſt, monſtraturo, meditatione accuratâ opus eſt, & tantô qvidem majore, ſi
teri hoc iter feliciori pede ab aliis velimus, qvàm ipſi triverimus. 11 Sed tempore
nunc, ad juſti qvidem operis manuductricem tabulam parciùs ſuppetente, line-
as aliqvas duxiſſe contenti erimus, poſteà aliqvando cùm per otium alios, qvi
ante nos argumentum hoc tractârunt, inſpicere licuerit, diligentioris epiſtolæ pe-
nicillô, aut etiàm coràm excolendas, abſolvendasqve.

II. Pri-

* Dedicavit & huic ſuum Latronem Theologum B. Doctor Noſter Dorſcheus.

II. 1 Primò autem breviter indicandum exiſtimo, qvalis ſit ille ſtylus, ad qvem vobis adſpirandum putem: deinde qvô modô parandus. In utroqve enim rectè dijudicando non parva exiſtit difficultas: & multùm utrobiqve hîc non autores tantùm ſed & ætates diſſentiunt. 2 Plurimis eqvidem ſeculis Cicero non ſolùm ſummus ab omnibus, ſed & unus omnium Orator eſſe judicatus eſt. Aliô ævô Senecæ acumen majore exceptum eſt applauſu. Aliis Plinius junior omnium viſus eſt eſſe elegantiſſimus. Aliis Pacuvii, Plauti, Lucilii ſordes pro ſummâ munditie habitæ ſunt. 3 Etiam noſtra, certè Parentum noſtrorum ætas Rhetores vidit, qvi dicendi genere antiqvorum nullos imitati, plurimos tamen & admiratores ſui & imitatores repperêre. 4 Et fatendum ſanè eſt, pro naturæ cujusqve, tum & ſeculi genio, tam dicendi formas, qvàm de iis judicia variare, & qvi ad unam qvaſi ſpeciem redigere illa velit, haud aliud agat, qvàm ſi unô planè vultu conſpici homines, unôqve habitu indutos velit. 5 Attamen ut vultuum alii præ aliis habent, qvod probari meretur; pictores verò, qvod in ſingulis pulcherrimum conſpexêre, conferunt in unum, ſicqve conſummatiſſimum aliqvod opus effingunt: ita Orationis genus in alio aliud, & aliud præſtantius aliô exiſtit: Sed boni Rhetores comportatis in unum, qvæ in ſingulis excellerent, Ideam inde effinxêre, qvæ aut perfecta, aut perfectæ vicina eſſet. 6 In ea qvin partes præcipuæ & velut ſtamina ipſa ex Cicerone petantur, & peti debeant, nemo eſt ſanè rectéqve judicantium, qvi neget. 7 Ego qvidem ejus planiſſimè ſum ſententiæ, qvanqvam non ignarus defectuum, qvos jam pridem illi objecit ſeveritas Cenſorum. Nempè, *lentum eſſe in principiis, longum in narrationibus, otioſum circa exceſſus, tardè commoveri, raro incaleſcere, paucos in eo ſenſus optimè & cum qvodam impetu terminari.* 8 Sed qvid ſi qvæ in eo culpamus, ille ultrò qvæſivit dum ſcil. tempori & auditorio ſuo ſe accommodaret? 9 Hoc qvidem nemo non, qvi Ciceronem legerit, facile agnoſcat, prudentiſſimâ illum manu regere Orationis ſuæ velut jugales, & nunc leni curſu, nunc incitatô, nunc humilem, nunc magnificum, nunc deniqve medium invehi. 10 Non negem tamen, negotiorum etiam varietatem, & animi nunc magis nunc minùs erecti atqve excitati diſſimilitudinem, Ciceronem ſibi ipſi alicubi imparem ac diſſimilem reddere. 11 Qvis enim eſt hominum, qvi æqvè ſemper contentos ingenii nervos tenere poſſit? qvem ita eôdem ſidere afflet æther, qvin alioqvando ſe ſuperare, aliqvando & deſerere videatur? 12 Interim is haud dubiè eſt, qvi meritò tot ſeculis faſtigium tenet Oratorium, aut ei ſaltem ſtetit proximus. 13 Qvod age oſtendamus, factâ Ciceronianæ Orationis cum corpore aliqvo numeris maximè ſuis abſoluto, contentione. 14 Vix enim animum per omnia circumferens, qvidqvam corpore ſermoni ſimilius reperio; unde & veteres dicendi præcepta tradentes ſubindè ad corporum figuram videmus alludere. 15 *Oratio*, inqvit Fabius, *ſicut corpus hominis, ea demùm pulchra eſt, in qvâ non eminent venæ, nec oſſa numerantur, ſed temperatus ac bonus ſangvis implet membra, & exſurgit toris, atqve ipſos qvoqve nervos rubore tegit, & decore commendat.* 16 Qvæ verba, uti demonſtrant ſatis, ante me, qvem profeſſio de Corpore cogitare invitat, alios qvoqve, qvanqvàm non Me-

 dicos

dicos. Orationem cum corpore comparâſſe; ita capita nonnulla complectuntur, qvibus res illæ inter ſe conveniant. 17 Nos tamen paulò altiùs orſi, ſimilitudinis momenta, qvantâ properantes poſſumus, diligentiâ excutiemus.

III. 1 Primùm qvidem in Corpore id ſolet deſiderari, ut ex ſangvine bono puroqve ex partibus item omnibus integris incorruptisqve conſtet. Si enim vel ſangvis, ex qvo corpus coaluit, nimiâ bile flavus vel pituitâ albens, vel melancholiâ ater ſit, ſi item partes ſingulæ minùs rectè habeant, id corpus à perfectæ ſanitatis apice longè abeſt. 2 Orationis eadem ſors eſt. Niſi enim ex verborum ſimplicium puro qvaſi ſangvine procreverit, niſi modis dicendi ceu membris minoribus conſtet labe intactis, ſana eſſe ipſa atqve, integra non poteſt. 3 Ciceroni præ omnibus aliis laudem hanc puritatis deberi, ne illi qvidem negant, qvi aliàs multa ei negant adeſſe. 4 Perluſtra mihi Plautos, Varrones, Catones, qvàm multa reperies in iis exoleta, rancida, & nævorum, ne dicam, ulcerum inſtar, fugienda. 5 Ne Terentios qvidem, Saluſtios, Senecas, Tacitos, Svetonios, Floros, ita ſinceros reperies, qvin alicubi in iis cavendum qvid occurrat. 6 Solus (niſi fortè Cæſarem aut etiam Nepotem ei ſuppares facere lubet) ſolus inqvam, Cicero verba & phraſes habet caſtiſſimæ Latinitatis, & non labe tantùm ſed ſuſpicione etiam labis carentes, ſecuréqve adeo, ubi lubet, adhibendas.

IV. 1 Puritatem ſangvinis ſeqvitur coloris purpura, qvæ ex candido rutilans, ſolaris inſtar radii corpus illuſtrat, & amœnè lucidum efficit, minùs aliàs pallore luridô futurum aſpectu gratum. 2 Huic luciditati reſpondet in Oratione * perſpicuitas, dos ejus præcipua & ſine qvâ finem ſuum illa ægrè aſſeqvitur. 3 Ideò enim loqvimur, ut reconditos animi ſenſus aliis exponamus, qvod qvò facimus clariùs, qvò luculentius; hôc operæ noſtræ, qvam loqvendo ſumimus, ratio nobis conſtat perfectiùs. 4 Ciceronis Orationem lux hæc perſpicuitatis maximè ſemper ſpectabilem fecit: & cum pleroſqve alios diverſam ab illo ſemitam ingreſſos neſcio qvis noctis color inumbret, ille velut facem ſolis in lingva videtur ferre, ut ſine difficultate intelligi poſſit: non remorans qvemqvam, niſi vel hominum ejus temporis, vel rituum vel negotiorum aut etiam dicendi modorum ignarum.

V. 1 Proximum inde, qvod ad corporis laudem reqviri ſolet, eſt plenitudo ſtaturæ atqve habitus, ille non in altum modò juſtâ proceritate exſurgens, ſed ſanæ etiam carnis decorâ mole oſſium nervorumqve robora circumfundens. 2

Neqve

* *Perſpicuitas*] Oratio, cujus ſumma virtus eſt perſpicuitas, qvàm ſit vitioſa, ſi egeat interprete, jam dudum monuit Fabius I Inſtitut. c XI. Cujus & hæc ſunt c. III. libr. II. „ Prima eſt eloqventiæ virtus, perſpicuitas, & qvo qvisqve „ ingenio minus valet, hôc ſe magis attollere „ & dilatare conatur: ut ſtaturâ breves in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam „ tumidos, & corruptos, & tinnulos, & qvocunqve aliô cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, ſed Infirmitatis vitiô „ laborare: ut corpora non robore, ſed valetudine inflantur: & rectô itinere lapſi, plerumqve divertunt. Erit ergo obſcurior etiam qvo „ qvisqve deterior.

Neqve enim vel pumiliones, vel nimiâ macie graciles placere ſolent, aut certè ut placeant, magnis animi dotibus compenſare habent, qvod corpori deeſt. 3 Ita non placet oratio vel abjecta nimis & qvaſi nana ac humi repens, vel exſangvis & macilenta. 4 Ciceroni, ſi cui unqvam, contigerat iſta ſermonis & ſublimitas, egregium ferens decus majeſtatis, & toris ſuis pulcherrimè exſurgens plenitudo. 5 Certè creditum ſemper eſt, faciliùs in illo reperiri, qvod demi, qvàm qvod poſſit addi: & magis is magnitudine ſuâ, qvàm parvitate aut inopiâ aliqvâ laborare viſus eſt adverſariis ſuis.

VI. 1 Adhæc in corpore laudabili ſpectari ſolet decens partium omnium compages & aptè ſibi reſpondens membrorum proportio. 2 Cui ſi gratum colorem ſangvinis incorrupti copia affuderit, emergit inde, qvæ obtutum humanum afficere maximè ſolet, nativa venuſtas & pulchritudo, ſi proceritatem natura addidit, tantò conſpectior eſt corporis ejusmodi majeſtas: ſed ſine hoc membrorum commenſu, reſponſuqve perfectum non erit, qvantumcunqve etiam colore vel mole ſuperbiat corpus. 3 Orationem paritèr nihil propemodùm magis commendat, qvàm congrua compoſitio, & velut ad numerum amuſsímve exacta periodorum commenſuratio: qvâ fiat ſcilicet, ut ſingula in ſermone non tantum apta inter ſe connexaqve ſint, ſed & ita ſuis poſita appareant locis, ut gratiam ſibi invicem affundant, & ne qvidqvam in eo ſit vel hians vel prominens nimiùm, qvodqve vel ventrem faciat, vel trahat caudam. 4 Cicerone nullus unqvam vel ante vel poſt ipſum dixit ordinatiùs compoſitiúvè: nullus fluentem Orationis impetum curâ majore & exqviſitioribus velut legibus numerorum devinxit. 5 Unde & nonnullis vel æmulatione, vel imitandi deſperatione illi adverſis, fractus, lentus ac qvaſi ligatus nimiùm eſſe viſus eſt; qvia ſcilicet diligentiſſimè omnium eloqventiam, illam ſolutam nimis & velut patente campô liberiùs exultantem habenis & vinculis qvaſi impoſitis, in orbitam certam ac velut gyrum adduxit.

VII. 1 Inſuper verò Corporis cujusqve commendationi multum addit agilitas. 2 Qvorſum enim vel ſanitas vel proceritas toroſa, vel conveniens ſymmetria proſit, ſi ſegne, ſi veternoſum, ſi torpidum ſit corpus, ſi re nobiliſſimâ carcat, Spiritu, qvô concitetur, qvô in actus ſe dignos impellatur. 3 Eôdem modô Oratio qvantumvis ſana, qvantumvis plena, qvantumvis concinna, nihil effecerit, ſi jacet torpétve marcida, ſi non concitatur, non incaleſcit. 4 Fine profectò illa excidit ſuô: neqve movere alium poteſt: niſi ipſa ſemet commoveat. 5 Navis eſt in mari mortuo, qvæ nec ipſa provehitur, nec qvenqvam provehit. 6 At qvæ excitata, qvæ ſpiritûs atqve animæ veluti plena eſt oratio, qvò non ducit agitqve corda mortalium? 7 Ciceronis facundia qvin vivida agilisqve fuerit, nemo dubitare poteſt, qvi eum legit, multo minus qvi meminit, qvantis ſtimulis populi Romani, Judicum, Senatûs, Cæſaris deniqve dictatoris animos agitàrit: qvibus velut facibus admotis uſſerit Antonium, Catilinam verò urbe expulerit. 8 Non eqvidem is æqvè ſemper concitatus eſt: ſæpè lenis inſtar rivi defluit & nempè Senatorem ſe, nonnunqvam & Philoſo-

phum gravi inceſſu oſtendit. 9 At conditos licet, ſemper tamen inſitos habuit præclaros illos igniculos laudatosqve impetus, qvos qvoties exſereret, nullum fuit tam clauſum, tam impenetrabile pectus, in qvod vis illa eloqventiæ, plenis qvaſi velis ſeſe non inferret.

VIII. 1 Sed hactenus Corpus expendimus nativis dotibus locuples: qveis ubi cura atqve induſtria acceſſit, non conſervari id tantum in illo velut habitu, ſed evadere etiam pulchrius, robuſtius, agiliusqve poteſt. 2 Habeat corpus ſanitatis, habeat perfectionis omnes numeros; ſi malè alatur, ſi illotum impexúmve maneat, illuvie ſuâ ſordeſcet & gratiam omnem amittet. 3 Contra adde corpori ita abſoluto veſtem decoram, pecte capillitium, elue oculos, adde annulum, injice torqvem, duplicatum videbitur genuinarum virtutum decus. 4 Adde itidem Orationi puræ, lucidæ, juſtô habitu plenæ, Spiritu vegetô animoſæ, adde, inqvam ornamenta Rhetorum, adde lumina ſententiarum, adde figurarum gemmas, adde ſimilitudinum purpuram; non tantum ab ingenio ſuo habuiſſe opum, qvantum ab iſtis accepiſſe videbitur.

IX. 1 Jam uti Corpus qvantumvis conſummatum ad pugnas ineptum ſit, niſi arma habeat, qvibus ſe muniat, feriat alium: ita Oratio qvamvis propriô cenſu ditiſſima, niſi Rhetorum armis accingatur, tueri ſe adverſùm alios iis armis indutos non poteſt. 2 Cœterùm dum coli ſermonem, dum pecti, dum ſeu togæ ſeu ſago non impolito ſimilem eſſe cupio, haud velim videri laſcivientem probare orationis luxuriem, illam, ut ſic loqvar, de capſula totam, illam mollem & mera ungventa ſpirantem, illam bracteatam, illam offuciis & lenociniis meris fidentem. 3 Minimè placet mihi nimia iſta in conqvirendis pigmentis ambitio, & meretricium qvid ſapere, non Muſarum caſtitatem decere videtur. 4 Ætati tamen juvenili, cui matura non ſolent arridere, concedi aliqvis in talibus ludus poteſt, nec ſeverâ nimis falce qvidqvid lætiori luxurie in ſucculentis ingeniis exuberat, recidendum eſt. 5 Satis eſt ſcilicet paulatìm illi luxurianti virilis gravitatis habitum oſtendiſſe: qvem rectis monitis inoleſcens & per ſe ad ſiccitatem vergens ætas magis magisqve adamabit. Sed de his ſatis.

X. 1 Tempus jam eſt docere, qvomodo ad illam Latini ſtyli & probatæ orationis facultatem (qvalem in Cicerone maximè enituiſſe oſtendimus) perveniri poſſit. 2 Ac brevitèr ut me expediam, ajo, ita perveniri poſſe, qvomodo ad aliarum lingvarum peritiam perveniri ſolet. 3 Audiendo nimirùm legendoqve qvàm freqventiſſimè eos, qvi lingvæ cujusqve peritiſſimi eſſe judicantur: ſed ſimul ſemper lingvæ ejusdem exercitium partim ſermonis, partim ſtyli freqventiâ continuando. Ac qvia Cicero facundiæ Romanæ, ut diximus, non Coryphæus tantùm, ſed & parens eſſe, omnium ſanè judicantium, atqvè eorum etiam, qvi minimè imitati eum videntur, calculô cenſetur, is inprimis audiri, qvà poteſt, is legi, is inſcribi mentibus, eô velut alimentô præcipuô nutriri atqve adoleſcere in nobis Latina eloqventia debet. 5 Ab illo purè, perſpicuè, plenè, compoſitè, ornatè dicendi forma ac modus petendus eſt. 6 Atqve ut tenellæ ætati lac & optimus & unicus eſſe cibus ſolet: ita qvi Latinæ ſe addixêre lingvæ, uni ‡ primum maxime aſſveſcant dictioni Ciceronianæ. 7 Qvod eqvi-

qvidem fiet, non ſolum tantùm Ciceronem, ſed eos qvoqve ponè legendo imitandoqve qvi vel à Cicerone proximè abſunt, qvalis eſt Cæſar, Cornelius Nepos, Fabius; vel Ciceronem ipſum in ſuccum & ſangvinem convertêre, eumqve unicè & ſpirant & loqvuntur; qvales ſunt ex recentioribus: Paulus Manutius, Chriſtoph. Longolius, Petrus Bembus, M. Anton Muretus, Angelus Politianus, qvanqvàm hic liberiore & ſuô magis geniô fertur. 8 Illi enim Ciceronis imitatores plerumqve & faciliores ipſô ſunt, ſeu qvòd citra maturitatem illius ſubſtitêre, ſeu qvòd argumenta tractant notiora, utpotè temporibus noſtris propiora, eóqve etiam jucundiora animis diſcentium. 9 Ferè etiam nitidiores ipſô Cicerone dixerim, qvòd ille ſine curâ neglectéqve ſcribat ſæpè, hi verò meditatè ſolicitèqve utplurimùm. 10 Qvid, qvod pleriqve, qvi imitantur alium, omiſſis in illo, qvæ trita videntur, lumina ferè verborum, phraſiumqve & qvicqvid præ aliis elegantiâ aliqvâ ferit animos, annotant, convertunt, atqve ex his veluti floſculis, maximam partem, ſua conficiunt? 11 Cœterùm Ciceroni & his, qvi orbitæ ejus preſſiùs inſiſtunt, immorandum puto eousqve, donec vultum certum duxiſſe videatur oratio; & ipſe eloqventiæ candidatus eò roboris pervenerit, ut qvemvis qvaſi cibum ingeſtum vincere atqve in Ciceronianum, ut ſic loqvi liceat, Chylum commutare, vi qvâdam alteratrice poſſit. 12 Hoc enim niſi fiat, non concolor, neqve gratâ etiam variegatione interſperſum corpus ſermonis efficies, ſed aliqvid centonem aut Chimæram referens. 13 Sit parata,

 ſit

‡ *Primum maximè*] Qvod ad imitationem Ciceronis attinet, inveniuntur qvi *unum* Ciceronem imitandum eſſe contendunt fervidè, ut Paulus Cortelius in ad Politianum epiſtola, qvæ habetur libro VIII. Epiſtolar. Politiani p. m. 241 edit. Lugdunenſ. Gryphianæ 1546. in 8r. Jac. Omphalius lib. I. de Elocutionis Adparatu, Rochus Peruſinus de Scribend. Epiſtol. c. LXII. Romulus Amaſæus, Georg Fabricius cum ceteris. Alii ex adverſo *variorum* imitationem probant, ut Angelus Politianus familiæ Mediceæ alumnus & Franciſc. Picus. Qvidam phraſin & ſtyli indolem è Cicerone arceſſendam, & è variis auctoribus verba petenda putant, materiæqve habendam eſſe rationem prudenter monent. In qvibus ſunt Edmundus Campianus Jeſuita, cujus tractatus de Imitatione Rhetorica cum Orationib. ejus & Epiſtolis additus eſt Decem rationibus propoſitis in cauſſa fidei, editis in 12. Antverpiæ M. DC. XXXI. Cœl Calcagninus in ad Cynthium Johan. Baptiſtam Gyraldum Phyſicum ſuper imitationem Commentatione p. m 209 ſ. Poëmatum Cynthii Joh. Bapt. Gyraldi edit. Baſileenſis M. D. XL: in 8r. Marius Corradus lib. XIII. de Lingva Lat. Marc. Anton. Muretus; Delrio & Bernartius in primum de Conſolat. Philoſoph. Boëthii. Non deſunt deniqve qvi diſtingvunt imitationem inter puerilem & adultam, cenſentes illam ſolo à Cicerone petendam, hanc verò è variis iiſqve optimis auctoribus; ut Lipſius de Inſtitution. Epiſtolica, Chriſtoph. Heidmannus ibi. Lilius Greg. Gyraldus, & Nicol. Cauſſinus cujus libro III. de Sacra & Humana Eloqventia c. XII. hæc ſunt verba: „Benè & ſalubriter præcipiunt, qvi „*pueros* in unius Ciceronis lectionem incumbere „qvàm diligentiſſimè volunt. Ita enim contingit, ut principem eloqventiæ ſpiritum, à „primario Oratore, & feliciùs hauriant, & „aliis vitiis, qvæ imprudens lectio multa ſecum „affert, careant. Accedit, qvòd tunc debiliori „ſint ſtomacho, nec multa concoqvere aut „digerere valeant. Verùm poſtqvam ſalubriori „ſucco, à principiis fuerint imbuti, nihil vetat, „qvò minus varia perlegant, ut ab aliorum virtutibus aliqvid trahant, qvod ſuis adſtruant fundamentis, qvin & ex ipſis, qvos animadverterint erroribus in ſtilo, fiant cautiores. Hactenus Cauſſinus. Omnium autem fuſiſſimè Imitationem perſeqvutus eſt doctiſſ. Andr. Schottus in Qvæſtionibus Tullianis, qvi l. 1. c. IV. eò inclinat, ut tradat, *Ciceronem* potiſſimum imitandum videri, & dein alios qvosqve Ciceroni ſimillimos & ætate proximos.

ſit ſtructa ex Cicerone domus, anteqvam picturas & varii generis ſupellectilem convehas. 14 Non ſolent boni & providi parentes liberorum uda & ſub rectæ diſciplinæ ſole nondum ſat indurata ingenia concredere promiſcuo, & ut ajunt, mundano conſortio: ſed tùm demùm, cùm ita altè inſedit virtus, ut jam non elui facilè vel tranſire in alium colorem poſſit. 15 Eòdem modò ad variarum Autorum lectionem imitationemqve tùm demùm admitti ſvademus Eloqventiæ ſtudioſum, ubi puritatem, perſpicuitatem, plenitudinem, concinnitatem atqve elegantiam, laudata antè in Cicerone & ei proximis bona, penitiùs hauſerit

XI. 1 Sed & in iſtis autoribus delectu atqve ordine certò procedendum eſt. 2 Ad familiaria qvidem Colloqvia utiliſſimus Terentius erit, imitatione, ſi pauca excipias, digniſſimus, nec poſt Ciceronem, ſed cum Cicerone juxta legendus autor, dum illud caveri poſſit, ne de moribus, qvos gentili adoleſcentiæ uſitatos graphicè depingit, pravum qvid affricetur juventuti. 3 Qvæ cauſa eſt, cur nonnulli ſacros Caſtellionis Dialogos, aut floridiſſimi ſimul & feſtiviſſimi Eraſmi Colloqvia in ejus locum ſuffici maluerint. 4 De Plauto idem judico. Eſt is abſolutiſſimum ſermonis Latini, qvalis olim vulgo maximè obtinebat, exemplar: Sed majore etiam qvàm Terentius cautione legendus, qvòd non tantùm moribus, ſed & ſermoni ipſi periculoſa multa habet: qvibusqve adeò vix uti liceat, niſi veniâ rogatâ, & appoſitis velut amuletis illis: *ut ſic cum Plauto loqvi liceat.* 5 Multò confidentiùs Curtium, Livium, Vellejum juventuti commendem: qvorum ſi Oratio non tantum verborum ad vulgaris Colloqvii apparatum ſuppeditat: at ſuppeditat verba ſelecta, ſplendida, ſuppeditat conciones diſertiſſimas, ſuppeditat tot locorum, tot perſonarum, tot conſiliorum, tot præliorum, tot aliarum rerum geſtarum pulcherrimas deſcriptiones: qvæ maximâ jucunditate, & cum ſpe divite fructûs animo illabentes, plurimum cuiqve & ad ſtylum poliendum, & ad omnem vitæ uſum, vobis imprimis, qvi ad publica munia formamini, afferre poſſunt utilitatis. 6 His ſubjungi velim Saluſtium & ei ſimiles, minùs qvidem lacteæ dulcedinis, qvàm qvos hactenus laudavimus; plus verò aceti, ſed prudentis illius habentes, & nimirum durandæ acuendæqve eloqventiæ, qvàm ſaginandæ jam aptiores, ſiccaturosqve adeò paulatim, ſi qvid nimii roris ex illis prioribus ubertatis & copiæ alumnis redundans orationi ſupernatet. 7 Idem præſtabit uterqve Plinius, ſed præcipuè minor, ſinceriſſima Latini eloqvii mella ſtillans Autor, ſed idem ubiqve animis dulciſſimos figens aculeos. 8 Nullum profectò in omni antiqvitate novimus, aut ſenſibus ingenioſiorem, aut ſenſa ingenioſa pari facilitate ac ſvavitate exprimentem. 9 O qvàm diverſus ille eſt ab obſcuris qvibusdam noſtri ævi ſcriptoribus, qvi plerumqve nubibus, qvas alta & ſæpè inania ſpirantes captant, ita ſe involvunt, ut aciem omnem legentium effugiant! 10 Sed reſtant duo Scriptores, Seneca & Tacitus, qvos ideò ultimò locò memoro, qvia omnium imitatu difficillimos judico, qvippe & ab aliis propè omnibus diverſos. 11 ‡ Seneca altùs ſpiritu, ingeniò acutus, Orationi Romanæ, pondere ſuô & mole nimium, ut ipſi videbatur,

tur, lentæ obtuſæqve novos mucrones præfixit; &, qvò pluribus iſtis locus eſſet, grandiuſculas illas obeſasqve periodos in plures minutas ac qvaſi fruſta concîdit. 12 Autor rerum pleniſſimus, qvas ab ingenio & eruditione uberrimè affluentes ita promit, ita qvaſi ejaculatur, ut ferè ad tertiam qvamqve vocem mens legentis acerrimò veluti ſtimulò compuncta incendatur, aut qvaſi fulmine tacta obſtupeſcat. 13 Ei ingenii & ſermonis acie non impar, ſed argumentò diſſimilis, magisqve adeò ſedatus ac gravis Tacitus eſt: Vir * paucorum verborum, ſed prægnantium; ſenſuum optimorum in ſe dives, alienorum altiſſimè

‡ *Seneca*] Taciro uberior, judice Diodoro Tuldeno JCTO & in Academia Lovanienſi Profeſſore regio lib. IV. de Cognitione ſui c. IV. p. m. 249. edit. Lovanienſ. 1631. in 4to, diffuſſiorqve Seneca eſt; nuſqvam tamen otioſus. Nam dum luce ſuâ intellectui ſe inſinuavit ſermo ejus, amænâ adhuc varietate in pulcherrimis rebus affectum occupat. Carpſit facundiam ejus Fabius, ſed irritâ malignitate id adſecutus, ut non modò non imitando, ſed ne intelligendo qvid in tantam excellentiam fuiſſe videatur. Diſſeruit & ille de moribus Oratoris ſui in duodecimo operis, qvo eum inſtituit; & egregiè qvidem, niſi Senecæ comparetur: qvi perenni fonte exundat, cùm ille aqvas pluvias colligere videatur. Agellius verò ne primoribus qvidem labris libâſſe de Senecæ fonte videtur, adeò eum inſulsè culpat, Qvod ſi & hos invicem contenderimus, dixeris. Agellium, verborum, Senecam rerum causâ differere; hunc tamen omni dote eloqvii vincere. Explicat & Agellius de re morali & de naturæ cauſis qvædam; ſed qvæ ſummis in labris nata dixeris, cùm Senecæ omnia de vivo pectoris gurgite ſcaturiant: Ille audita reddere. hic comperta promere, vel ipſo ſermonis genere deprehenduntur. Scio Copiâ Senecam, ut propriâ ſtili dote, cenſeri: ſed non illa tamen ab eo brevitatem, ſed à brevitate caliginem excludit. Opportunè miſcuit utramqve, vel diſtribuit potiùs Num enim juſtè huic vindicem, auctore Sidonio. lib. IV. ep. III. „ dictionem, qvam, „ rebus amplam, ſtrictamqve ſententiis, ſententias plus docere qvàm dicere? In rebus ſanè reconditis perſpicuitatem explicandi præfert involutæ brevitati: ſed cùm diffuſæ dictionis luce intellectum perfudit, uno ſententiæ ictu omnia in animo defigit. Sententiæ verò ejus qvàm compendio ſtrictæ, tàm fructu uberes ſunt: qvàm argutæ ſubtilitate, tam veritate ſolidæ. Non ſemper aſtu Brevitatis, interim & Copiæ viribus, vel idcò prudenter nititur, qvia hebetiores multi, qvàm ut illo aſtu capiantur. Prorſus illi hoc præcipuum eſt, qvod nihil eo inveneris vel in ipſo acumine clarius vel in adſtricta dictione profluentius, vel in ornatu illaboratius, vel in argumentorum nervis ſpecioſius, vel in præceptorum deniqve ſeveritate amænius. Non dicam cum Sidonio, „ qvamqvam propter „ hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum, „ vernantis tamen eloqvii flore mellitum, hunc auctorem eſſe: cùm argumentorum in ipſo ſpinoſitas lateat, vis & perſvaſio ſentiatur; qvamvis ſingulis ſæpe verbis incluſa.

* *Paucorum verborum*] Admiratur ibidem Tuldenus Tacitum, qvi eâ brevitate, qvâ alii nec narrationem implerent, non modò res geſtas oculis ſubjicit, ſed gerendarum præcepta mentibus inſtillat: non facta modò eloqvio exæqvans, ſed conſilia prudenti judicio eruens & examinans. Niſi qvi exploraverit, non credat, in tantâ orationis frugalitate tantum poſſe majeſtatis fulgere. Vim tantam contineri breviloqventiâ Taciti; minùs mirandum: cùm ferè & vaſtiora corpora fluxa eſſe videamus; modicos verò & ſtrictos artus vehementiùs & conſtantiùs vigere. Robuſtior nempe eſt vis compacta qvàm diffuſa Ut telum magis vi & acumine, qvàm mole valet: ſic ſtricta oratio magis penetrat animos. Imò ut validior ad victoriam acies pauciorum lectorumqve bene inſtructa, & ordinibus cohærens, qvàm ingens, ſed promiſcua & vaga turba: ita & oratio delectu rerum brevis, & diſpoſitu denſa magis perſvadet; magis etiam docet, dum mentis aciem non diſpergit, nec intentionem abrumpit. Ut arbores qvæ eximios, eædem pauciores fructus proferunt: ſic eloqvium qvod ſapit, non ſuperfluit. De ſententia Herm. Contingii in præfatione, Taciti de morib. Germanor. libro præmiſſa, Helmæſtadii CIↃ IↃC XXXV. in 8t. conſtat Tacitum familiam ducere omnes inter Hiſtoricos, qvà prudentiam, qvà ſincerum mentis judicium, qvà poſtremò ipſam dictionem.

mè penetrans, maximus adeò artium Politicarum habitus nunc Promus condus. 14 Sed uterqve non rarum duntaxat Prudentiæ omnigenæ, qvod in illis coruſcat lumen; ſed ob ipſam etiam efficacem & robuſtam ſtyli brevitatem in maximo hodiè apud omnes ferè pretio & honore eſt. 15 Et ſcilicet uti ad grandia Galeni pocula (ne mirêre Medico Medica ſubindè in mentem venire) nauſeant hodiè multi, contra verò parvæ molis medicamina, qvalia ferè Chymica ſunt, præferunt: ita conciſam argutamqve iſtorum dicendi rationem, poſt Juſtum Lipſium, felicem eorum in ſcenam literatam productorem, plurimis probatam videmus. 16 Utinam ne arduam magis, qvàm ut ab ullo ingenio poſſit attingi: alioqvin ſi parem qvis ad eam attulerit indolis induſtriæqve vim, minimè improbandam. 17 Si enim Orationi omni is finis propoſitus eſt, ut animo hominis perſvadeat, qvæ velit: nihil refert, brevine an circumductô verborum ambitu finem illum obtineat: non magis certè, qvàm ſi acu aut pugione efficere qvis conetur, qvod ingente alius machærâ; aut acutô ſilice, qvod alius immani ſaxô. 18 Ac tantò minùs qvidem abhorrendum hodie videtur nervoſum illud & plùs ſpirituum, qvàm carnis continens dicendi genus; qvod extra ſcholas vix aut rariſſimè in publico datur perorandi locus, nunqvam ſanè ita ſubitò, qvin largum ſatis tempus concedatur meditandi. 19 Nam in repentinis profectò ingenioſam illam loqvendi rationem velle ſeqvi, nihil credo aliud fuerit, qvàm in præcipiti crepidine ſaltare velle. 20 Sed ferè noſtrô ſeculô Latina Eloqventia ſub domeſticæ curæ diligentiæqve incudem devenit; ex qvâ qvid mirum, ſi pleriqve monetam qvàm minimâ mole plurimùm valentem expetunt, & ſcilicet aureos nummos, qvàm argenteos, aut paucos argenteos, qvàm cupreos multos numerari ſibi malunt? 21 Porrò eruditis ferè ſolis Latinè hodie ſcribitur: qvi ſi ſeculi ſeu vitiô, ſeu more, orationis habitum concinnum magis, qvàm longum probant, ſi ad dictionem facilem, nullôqve acumine animos ferientem nauſeant: cur non id agamus, ut dicendo illis probari potiùs, qvàm diſplicere voluiſſe videamur? 22 Interim nulli eloqventiæ Tyroni autor eſſe velim, hos uti autores Laconicos ſibi in primis ſtudiorum crepundiis imitandos proponat. 23 Lac puero convenit, & malè aget, qvi lactis aliqvod extractum ei vel ſpiritum dare maluerit. 24 Gracile, macrum & tenue corpus educes, ſi qvod meris qvaſi eſſentiis, ut Chymicorum voce utar, nutrire velis. 25 Malè creſcet arbor, qvam parvô, qvantumvis artificioſâ deſtillatione elicitô humore irrigabis. 26 Plenâ ſolent Agricolæ lunâ agris credere ſemina; lætiorem ſic ſibi ſegetem pollicentes: ſæpè & aqvæ priùs, qvàm arvo grana injiciunt, qvòd faciliùs uvida proventura arbitrantur, qvàm arentia. 27 Magis qvoqve ſemper probamus fœtus, qvos procedens ætas efficiat, qvam qvos prima accipiat ſiccos. 28 Deniqve ex longiore togâ brevem facere proclive eſt, non contra: nec difficulter res lautas dives imminuerit, at difficulter exiles amplificat pauper.

XII. 1 Enumeravi præcipuos Authores ordine certô evolvendos imitandosqve: qvibus ex Magiſtrorum Amicorumqve Latinitatis melioris intelligentium arbitrio, addere poſteà alios licebit; neqve eos tantùm qvi proſâ ſcripſerunt: ed

ſed illos etiam ex ſenatu Apollineo Proceres, Poëtas. 2 Qvos inter eminent Vergilius, ille Latini carminis tùm princeps, tùm meta ultima; Horatius, ingens lyrâ, & opere qvaſi teſſellatô varius æqvè atqve admirabilis, Statius nihil non magnificum ſpirans, Lucanus fervidiſſimô ruens penetransqve animos ſpiritu, Naſo feſtivus, copioſus, & imitatu difficillimæ facilitatis, doctus Manilius, caſtigatus tornatusqve Claudianus. 3 Planè autem neceſſariam futuro Oratori Poëtarum lectionem cenſeo; non tantùm, qvòd ingenium ad inventionum ſublimitatem extollunt; ſed etiam qvia vocabula orationi ſuppeditant ſignificantia & ſonora. 4 Qvod ſi cui etiam vena ad verſus faciendos ſalit, is inter alia ex Poëſi, in curriculo eloqventiæ, hoc ſentiet commodi, qvod copiæ verborum tantò promptiùs aſſveſcet. 5 Poëta enim, qvia numeris omnia alligat, cum non qvodvis vocabulum ſibi aptum reperiat, multa qvaſi explorando perqvirere identidem, multa memoriâ repetere neceſſe habet. 6 Unde id tandem aſſeqvitur uſu crebrô, ut largiſſimam vocum ſynonymarum habeat penum, 7 De his porrò cùm aptiſſimam & qvadrantiſſimam qvamqve ſeponit ſeligitqve ſibi judicium Oratoris, naſcitur inde tantò lautior atqve exqviſitior Oratio.

XIII. 1 Cœterùm ſunt aliqvi adeò faſtidientes ſeculi ſui, ut Autores nonniſi antiqvos laudent, legendi verò imitandive induſtriæ ſubtractos omninò velint, recentiores. 2 Sed nos haud adeò ingrati ſumus erga divinam benignitatem, qvin ampliſſima lubenter agnoſcamus dona, qvæ ſerioribus qvoqve ſeculis per reſuſcitatas literas contingere voluit. 3 Fatemur potiùs apertiſſimè, tuliſſe & hæc viros ad antiqvorum eruditionem & eloqventiam propè admodùm accedentes, aliqva etiam ſuperiores antiqvis, certè poſt antiqvos, qvi fontium inſtar præhabendi ſunt, legi digniſſimos. 4 Non jam denuò recenſebo, qvos ante nominâſſe memini, Manutios, Bembum, Longolium, Muretum, nec illum uberrimum omnis eruditionis facundiæqve Oceanum Eraſmum. Sed iis jam meritò appono Georgium ‡ Buchananum Scotum, virum

‡ *Buchananum*] Dictum de hoc nonnihil à Scioppio Tom. I. Methodor. noſtrar. p. 412. In præſentia ſuccedit memoriæ magnum & impudens illud mendacium, qvô lectorem pro more Jeſuitis recepto fallere conatus eſt ſine ullo idoneo autore vel teſtibus adductis improbus ille Maximilianus Sandæus, ita habens. „ Celeberrimum eſt „ nomen, mentitur in Commentatione VI. Volum. I. Grammatici Profani §. XXII. p. 164 „ apud Britannos, haud paullò melioris Grammatici, qvàm Theologi, vel Catholici, Georgii Buchanani, qvi Pſalterium Davidicum carmine reddidit, & ſectæ Calvinianæ fuit propugnator acerrimus. Hic, me puero, Poëtarum princeps dicebatur, legebaturqve ab omnibus avide plauſu popularium in ſuperbiam, hæreticis propriam, elatus, diu jactabundus, „ per ora virùm nomen famamqve circumtulit; „ ſed venit tandem, qvæ ſors mortalium, ad extrema. Itaqve jam in mortis limine rogatus à „ Miniſtris, Orationem dominicam diceret, nec „ ſomnians, nec φρενιτικόν τι patiens, primam „ Propertii elegeiam, vice Pater & Ave, cycnæâ, „ ſcilicet, voce exorſus eſt:

„ Cynthia prima ſuis miſerum me cœpit ocellis,
„ Intactum nullis, antè cupidinibus.

„ negavitqve, aliam Orationem dominicam ſibi „ ante hos qvadraginta annos extitiſſe, & hydrope laborans accerſito ad lecti cervical Vaſconici vini dolio, conteſtatus eſt, ſi mentem, „ animamqve in illo mergeret, capturum ſe aliqvid in morte voluptatis.

tàm ligatæ, qvàm ſolutæ orationis facultate antiqvos penè provocantem. 5 Ex eâdem gente, ſtylô longè aliô & magis operoſô magnam hôc ſeculo famam adeptus eſt Joannes Barclajus, magnifici ſpiritus & floridiſſimæ Latinitatis ſcriptor, juventuti non jam ampliùs commendari indigens, qvia hanc Poëticâ non argumenti tantùm, ſed & eloqvii illecebrâ, ſvavi prætereà inventionum acumine, tùm exqviſitô & alicubi penè nimis pompoſô verborum apparatu ferè plusqvam ſatis trahit. 6 In epiſtolis mira eſt ſtyli caſtitas, qvam Caſaubonus adhibuit. 7 Magna indolis promptitudo & citra curam elegans ſtyli feſtivitas apparet in Baudianis. 8 Acutus & comptus in ſcriptis ſuis Heinſius, virilis & ponderoſus, nec minus profundus qvàm terſus ubiqve Grotius, purus & gravis uterqve Scaliger, niſi qvod pater ſplendidior alicubi, & vi ingenii induſtriæqve fertur majore. 9 In Hiſtoria, præter ante nominatos, Turſelinus & Maffeus non vulgariter enituêre. 10 Argutâ brevitate excellit Erycius Puteanus, Præceptorem Lipſium ita imitatus, ut magis qvàm ille, imitatu ſe & facilem & dignum effecerit. 11 Eleganter primam Bredæ obſidionem deſcripſit Hermannus Hugo, alteram Marcus Zuerius Boxhornius. 12 Belgicam Reidani Hiſtoriam ſcitè admodum & Cornelianô ſed Cæſarianâ facilitate temperatô acumine vertit ex vernaculo in Latinum Dionyſius Voſſius, magni Rhetoris vel Polyhiſtoris potiùs J. Gerardi Voſſii filius. 13 Qvem per eundem campum ſecutus eſt Famianus Strada, vir claræ facundiæ, & penè claſſicis Latinitatis Autoribus comparandus. 14 Hos itaqve & his ſimiles (neqve enim omnes jam ſuccurrunt) pervolitandos ſibi ducat eloqventiæ alumnus: nonnullis verò, prout genius vel prudens Magiſter ſvaſerit, ſelectis immoretur.

XIV. 1 Nullum autem ita percurrat, qvin, qvæ maximè arrident, excerpat. 2 Labilis eſt memoria noſtra, & facilè eam fugiunt, velutqve dedignantur, qvæ ipſi priùs annotandi induſtriâ non fuerimus dignati. 3 Ad eam rem qvidam libros certis titulis digeſtos habere ſolent, nec improbo ego: ſed lectionis impetum & qvaſi curſum inhiberi nolim ſolicitâ ejusmodi & moroſâ titulorum inqviſitione. Qvin potiùs, ut qvidqve occurrit, referri ſvadeam in adverſaria,

„ Sic autumnalis volitans fumantia circum
„ Dolia, ſe tandem mergit in ima culex.
„ Sic in Lemano; qvæ latrat gurgite rana,
„ Gaudet in obſcœnis vivere ſemper aqvis.
„ Sic fulgoris amans tremulos inſultat in ignes
„ Se ſimul in ſevo muſca liqvefaciens.
„ Sic Ægyptiacos habitans pyrauſta caminos
„ Vivit, & in flammis paſcitur ipſa ſuis.
„ Sic anus antiqvi capitur, qvæ flore falerni,
„ Vult ſua ſub gravibus vitibus oſſa tegi.

„ Sic ſuperbus, fatuuſqve *Grammatiſta*, ferreum ſoporem obdormiit: cujus anima de contubernio corporis egreſſa, rectà ad coeli oppoſitum cardinem, accentûs circumflexi in morem, per varios infimæ regionis anfractus tendere potuit, ætheream regionem penetrâſſe qvis dicat; Hactenus Sandæus. Et ne de veritate dubitemus addit in p. 181 dicti operis. „ Lucem vidit annô M. DC. XV. Elixir Calviniſticum, ſeu lapis Philoſophiæ Reformatæ, à Calvino Genevæ primùm effoſſus, deinde ab Iſaaco Caſaubono Londini politus, cum teſtamentario Anticotonis Codice nuper invento, & ad fidem M. S. membranæ caſtigato, reformatoqve, ad Anglico-Gallicanos præſumptæ Reformationis Fratres, Auctore Andrea Scioppio Gaſparis fratre. In eo pag. 38 & 39. ex fide narratur, qvod referimus, de Buchanano. Egregius profectò teſtis cujus de fide nemo niſi totus mundus cum ipſo teſte, & adducente, dubitat.

ſaria, unde, ſi lubet, poſteà ſub certa qvaſi ſigna redigere omnia licebit. 4 Excerpta ejusmodi identidem ſi relegantur, ſponte ſuâ, ſcripturo aliqvid occurrent, ſed ea, ut aptè qvisqve ſua faciat. elaborandum eſt. 5 Tyronibus utcunqve condonari poteſt, ſi operi ſuo aliena, prout invenerint, innectant. At aliqvousqve in hoc ſtadio progreſſis turpe ſit, non cocta & ἀπέψητα legitimam minus paſſa autorum qvaſi fruſta reponere, ſpectanda & recognoſcenda aliis. 6 Similia efformanda ſibi, non reddenda eadem putent; aut gemmam qvidem aliqvam mutuari fas ducant, ſed ita, ne facile cuivis adpareat, unde petita ſit: vel ita ſaltem aptè ponatur, ut non alium magis locum decere videatur. 7 Ad id prudentiâ imprimis opus eſt, optimâ ut rerum humanarum omnium, ita hujus Oratorii curriculi moderatrice. In qva non minus ſemper, qvàm in eloqventiâ ipſâ proficiendum eſt futuro Rhetori. 8 Qvemadmodum id qvoqve ſedulò curandum illi eſt, ut cum verborum ſupellectile in ipſo rerum creſcat apparatus. Alioqvin enim inanem dabit ſonum, eritqve Pygmalioni ſtatuam adamanti, aut Ixioni pro Junone nubem amplectenti ſimilis. 9 Et verò fruſtra de condimentis qvis cogitet, niſi cibi adſint: fruſtra de phaleris, ſi deſit eqvus. 10 Porrò etam difficilius eſt rerum habere copiam, qvàm verborum. 11 Umbra hæc ſunt, qvæ facilè ſeqvuntur corpus: cùm contra qvisqve multas myriadas eloqvi procliviùs poſſit, qvàm unum præſtare aſſem. 12 Itaqve rerum ſimul habenda cura eſt, qvibus niſi plenus ſit animus, lingva non erit verè diſerta, & certè, qvod ille ait, loqventiæ multum, parùm eloqventiæ habebit.

XV. 1 Expectas forſan, Nobiliſſime Adoleſcens, ut, poſtqvam acceperis, qvos & qvomodo imitari debeas, jam de lingvæ ſtyliqve exercendi generibus porrò diſſeram. Sed longiùs, qvàm initiò propoſueram, provectus ſum, & reliqva iſta Magiſtrorum Veſtrorum diligentiæ relinqvi rectiùs puto. 2 Hoc tamen obiter moneo, qvod ſatis dici nunqvam poteſt, exercitii aſſiduitatem in hac eloqventiæ palæſtra utramqve paginam facere. 3 Sæpè loqvendum eſt bene loqvi volentibus, benè ſcripturis crebrò & cum curâ ſcribendum. 4 Rectè Seneca; *Nihil eſt, qvod non expugnet pertinax opera & intenta.* 5 Ego in hoc campo facundiæ facilè aliis palmam concedo: ſed ſi qvid in eo profeci, magnam partem crebris juventutis meæ exercitationibus debeo. 6 Contigerat mihi Magiſter mei valdè amans cupiensqve, atqve idem puritatis Ciceronianæ, qvâ penitùs ipſe imbutus erat, diligentiſſimus Inſtillator. 7 Hunc ille unicè autorem & laudabat mihi & enucleabat; lumina verborum in eo ſubinde oſtendens, ſed imprimis qvoqve compoſitionis artificium, pulcherrimis periodices juncturis nexum ligatumqve. Juxta verò qvotidie ad ſtylum vertendum nos invitabat: argumenta proponens ſubindè alia & formas exercitii diverſas: puto, ut ipſâ novitate arrigeret diſcentium animos. 8 Interdum Latinum aliqvid ex Officiis Ciceronis, aut ſimili aliqvo libello, reddere vernaculô ſermone; mox vernaculum qvid in Latinum traducere jubebat. 9 Sæpè ut ad copiam & varietatem verborum nos aſſvefaceret, † unam eandemqve ſententiam aliis ſubindè atqve aliis non tantùm verbis, ſed

† *Unam eandemqve ſententiam aliis*] Planè ad ¦ qvi in qvarta primi libri Epiſtola ita de ſemeti-
mentem Paulli Manutii, viri priſcæ eloqventiæ, ¦ pſo. *Cum id*, inqvit p. m. 15. edit. opt. Lipſienſ.
M.

ſed & figuris qvà Grammaticis, qvà Rhetoricis exprimi, mox qvæ unâ continentur periodô, amplificatione diduci in plures, ſæpè & ex unimembri periodo, bimembrem, qvadrimembrem &c. idqve aliô atqve aliô modô fieri exigebat. 10 Idemtidem qvoqve Oden aliqvam Horatianam proſâ mutari, interdum proſam in ligatam transferri jubebat. 11 Aliqvando Chria vel Gnome, aliqvando laudatio rei vel perſonæ, aut etiam vituperatio, aliqvando Epiſtola injungebatur. 12 Sic ad majoris operæ gymnaſmata, & ad orationes in pulpito habendas ſurgebamus: qvibus ipſe primas lineas præfigurabat, domi ingeniô, induſtriâqve ex rerum & verborum, qvæ qvisqve Autores legendo congesſiſſet, ſylvâ explendas. 13 Tradebantur ſimul Ethices aliarumqve artium præcepta; ut ſic lingva animiqve cultus ſimul procederet. 14 Ego, ut viro (*eſt verò is Perreverend. & longè Clariſſimus vir, David Vechnerus, Bethaniæ olim Profeſſor Gymnaſii & Pædagogiarcha, nunc primarius Eccleſiaſtes & Rector Goriicienſis,*) optimè de me merito (qvanqvam eô non ita, ut oportuit, nec qvamdiu oportuit, uſus ſum) fauſtiſſima omnia, ita tibi ſimilem precor Magiſtrum: & qvia, opinor, contigit, ut recte eô utaris, opto. 15 Interim hæc qvoqve monita ab amico Scholaſticarum Exercitationum magis fructum jam qværente, qvàm ſervante memoriam profecta, haud tamen, ut arbitror, inutilia futura benè accipe & in commodum tuum verte. Vale optime cum Tuis omnibus. Dab. Gedani Cal. Aug. Anno Chriſti Servatoris 1649.

Ad Lectorem.

Epiſtola hæc, ſi alicubi luxuriem qvampiam redolere videatur, venia vel eô nomine digna deputanda eſt, qvod ætati floridæ, in qvâ lætior vernantiorqve Oratio probari ſolet, eſt accomodata. Porrò autem, ne pagellæ hæ vacuæ eſſent, M. DC. LXIX. „ qvod eniteat in oratione, aut „ in re videatur eſſe, aut in verbis: ego olim „ rem ſignificatam ſimul cum verbis ſignifican„ tibus ſumebam, eaqve meis ſcriptis cùm in„ ſeruiſſem, tum optimum illud, qvod qværi„ tur imitando, planè arbitrabar me eſſe con„ ſecutum, poſteà cœpit mihi meum conſilium „ diſplicere: cogitavi, qvoniam id eſſet memo„ riæ magis, qvam ingenii, qvod ego efficerem „ præſtare multos poſſe, qvod autem multi „ poſſent, egregium non eſſe. Tum inivi ratio„ nem haud paulò difficiliorem, qvam cum „ pauciſſimis mihi eſſe communem intelligebam. „ Exqviſitas ſententias de Cicerone excerptas, „ aut de Terentio, tacitus in animo verſabam, „ eas ornabam verbis, qvàm poteram lectiſſi„ mis, ut qvaſi veſtitu orationis mutato cùm „ eædem eſſent, aliæ tamen viderentur. Erat „ non diſſimilis in verborum figuris commen„ tatio. Si qvas notaveram illuſtriores ad alias „ ſententias ita traducebam, ut interdum can„ dem locutionem ad res propè innumerabiles „ accommodans, qvaſi ex una cera plures ima„ gines, nec tamen ejusdem generis, effinge„ rem. In hac exercitatione qvantum eſſet, „ utinam aut maturè cognoviſſem, aut ſerò „ cognitum avideqve arreptum vis occupationum „ non extorſiſſet. Eqvidem, ſi qvis me neget „ in ſcribendo qvidqvam eſſe, non pugnabo, „ ſed, ſi qvid ſum, ab hac una eſſe conten„ dam.

ſent, ſubjicere lubet titulos Oratorios, *ſed ſelectos & qvos crebrioris uſûs eſſe exiſtimamus: poſtea etiam ſpecimen* Epiſtolarum *addituri. Animus præterea erat*, Palæſtram Nobilium, *ſeu Conſilium peculiare in gratiam Illuſtrium nonnullorum Adoleſcentum ſcriptum adjicere. Sed certis ex cauſis in alium tempus id rejicimus.*

Tituli Locorum communium Oratoriorum.

ABrumpendi orationem, ſeu deſinendi ex abrupto.
Affirmandi firmiter & cum aſſeveratione.
Affirmandi dubitanter & qvadantenus.
Attentionem rogandi.
Benevolentiam captandi.
Brevitatem promittendi.
Brevitatem excuſandi.
Climacis exempla illuſtriora.
Comparandi majora cum minoribus, vel contra, formulæ & exempla.
Concludendi orationem ſeu Perorandi.
Confirmationem ſeu rem ipſam aggrediendi.
Connectendi.
Concedendi aliqvid adverſario.
Definiendi & deſcribendi.
Deſcribendi Perſonam.
Beſtiam.
Fontem.
Hortum.
Ædificium.
Montem.
Convivium.
Spectaculum. &c.
Dicendi rem ſatis exaggerari non poſſe.
Dicendi rem ita certam eſſe, ut probatione non egeat.
Digrediendi ad locum communem.
Digreſſionem finiendi, excuſandi & ad propoſitum redeundi.
Exaggerandi hyperbolicè.
Exempla afferendi.
Exordiendi ex abrupto.
â reipsâ.
Extenuandi argumenta contraria.
Extenuandi rem aliqvam vel factum per Mioſin.
Gratias agendi pro Audientiâ præſtitâ.
Limitandi & diſtingvendi.
Minoris in Syllogiſmo Oratorio ante majorem poſitæ exempla.
Negandi aliqvid fortiter.
Negandi dubitanter.
Obteſtandi.
Ominandi.
Oſtendendi conſeqventiam falſam.
Oſtendendi qvod ſtatum Controverſiæ mutet Adverſarius.
Paranomaſiarum elegantiorum exempla.
Partiendi ſeu dividendi orationem.
Perorandi *vide* Concludendi.
Perſpicuitatis promittendæ.
Proponendi ſeu ſcopum orationis explicandi.
Prolixitatis in oratione excuſandæ.
Recapitulandi antedicta.
Refutandi.
Teſtimonia Divina vel humana adducendi.
Tranſeundi â re unâ in aliam.
Vovendi ſeu precandi in fine Orationis.

* *Tituli Epiſtolares ſelecti.*

EPiſtola in genere, & Scribendi epiſtolam.
Epiſtolas poſcendi, ſeu adſcribendum incitandi.
Promittendi crebras literas.
Silentium & tarditatem in ſcribendo accuſandi.
Excuſandi eandem.
Negotia obtendendi & occaſionum defectum.
Silentium accuſanti reſpondendi.
Redeundi ad intermiſſam ſcriptionem.
Timiditatem & verecundiam in ſcribendo exponendi.
Audaciam in ſcribendo excuſandi.
Dicendi literas fuiſſe gratas, amoris plenas.
Dicendi literas fuiſſe eleganter ſcriptas.
Dicendi literas aut tardè redditas, aut omnino perditas.
Brevitatem } excuſandi.
Prolixitatem. } excuſandi.
Narrandi de valetudine, de ſtatu publico & privato.
Commendandi formulæ.
Commendationi reſpondendi.
Petendi aliqvid.
Petitioni annuendi.
Petitioni renuendi.
Conſulendi ſuper qvæſtione & dubio.
Cenſuram ſcripti alicujus poſtulandi.
Conſilium in re familiari & privatâ petendi.
Conſilium petenti reſpondendi.
Difficultatem in conſilio dando obtendendi.
Approbandi conſilium alterius.
Improbandi conſilium.
Mittendi & Donandi aliqvid.
Dedicandi aliqvid alteri.
Dedicationi reſpondendi.
Studium offerendi & promittendi officia.
Pro beneficio gratias agendi.
Gratitudinem promittendi.
Gratiarum actioni reſpondendi.
Valedicendi.
Precandi felix iter.
Gratulandi de reditu.
Gratulandi de honore vel aliâ re lætâ.
Gratulandi de valetudine receptâ.
Gratulationi reſpondendi.
Hortandi ad rem benè gerendam.
Hortandi ad diligentiam in ſtudiis.
Hortandi ad reditum in patriam.
Hortationi reſpondendi.
Dehortandi à ſtudio voluptatum aut vitâ diſſolutâ.
Dehortandi à conſilii alicujus vel expeditionis ſocietate.
Dehortationi reſpondendi.
Conſolandi & ſuum dolorem conteſtandi.
Conſolandi in morte Amici.

Con-

* *Tituli*] Vide qvæ diximus p. 98. Tomi I. Methodor. noſtrar. & adde Barthol. Keckermann. l. II. Syſtematis Rhetorici ſpecial. c. X. Tom. II. Oper. col. 1726. & in Idea Locor. Commun. Eloqventiæ Claſſ. ult. col. 217. ſ. Item Andreæ Dietheri Auguſtani Theſaurum contexendar. Epiſtolar. formandæqve Lingvæ ad imitationem Ciceronianæ dictionis locupletiſſimum è ſolius Tullii eloqventiſſimi oratoris operibus ad uſum juventutis olim congeſtum & Coloniæ editum annò M. D. LVIII. in 8.

Conſolandi in honoris aliqvo detrimento.
Conſolandi in publica calamitate.
Conſolandi in jactura bononorum, in exilio. &c.
Conſolationi reſpondendi.
Judicium ferendi de aliqvo.
Judicium poſtulandi de aliqvo.
Laudandi per epiſtolam ſine *commendatione* tamen, qvæ peculiarem titulum habet.
Laudationi reſpondendi.
Extenuandi ſe & laudationem affectui tribuendi.
Conciliandi & ambiendi amicitiam.
Benevolentiam & cultum conteſtandi.
Ad Conciliatoriam reſpondendi.
Accuſandi acerbè.
Reprehendendi modeſtè.
Reprehenſioni reſpondendi molliter.
Reprehenſioni reſpondendi acriter.
Excuſandi ſe vel alium.
Conqverendi de ſtatu publico.
Conqverendi de valetudine, de luctu privato.
Conqverenti reſpondendi, ubi multa ex locis Conſolandi peti ſolent.
Jocandi.
Jocanti reſpondendi.

VI.

VI
PALÆSTRA NOBILIUM SEU CONSILIUM

*De Generoſorum * Adoleſcentum educatione in gratiam qvorundam Illuſtrium Polonorum conſcriptum*

à

JOACHIMO PASTORIO MEDICINÆ DOCTORE.

* Habuit ipſo hoc de argumento Julius Nigronius orationem n. XIV. p. m. 384. ſ. qvam vide.

Daniel Georg. Morhof. II. Polyhiſtoris Literar. c. VIII. p. 412.

Magnus hîc nobis panderetur campus, ſi doctrinæ & methodi conſilia pro ratione perſonarum, & ſcopo eorum, qvi ſtudiis incumbunt, expendere vellemus. Si qvis republicæ aliqvando habenas tractabit, is ad ſuum finem omnia diriget, ac cuilibet ſua facilè prudentia dictabit, qvos intra limites continere ſe debeat. Secerni hîc debent τὰ ὑπάρχοντα à ſupervacuis, rerum momenta ab ornatu & cultu, & hujus in pompam & decoram ſui oſtentationem multa aſſumi debent. Sapienter Baco Verulamius ſermone fideli 52. *Non volitabit alicujus fama per ora virûm, neqve benè alata erit ſine plumis aliqvibus oſtentationis: In actionibus magnis ingenia jactabunda vivacius negotia impellunt. In Ducibus & viris militaribus glorioſum eſſe non inutile eſt, Jactantia inſtar vernicis videtur eſſe qvæ*

qvæ ligna non ſolùm ſplendere facit, verùm etiam durare. In hunc ſcopum integri à multis libri ſcripti ſunt, è qvibus nominabo nunc *Alexandri Piccolomini* librum Italicâ lingvâ, *della Inſtitutione di tutta la vita de l' Huomo nato nobile & in Citta libera*, in gratiam Alexandri Colombini ſcriptum, & locô muneris Luſtrici donatum, editumqve Venet. Annô 1552. in 8t. Hic è Peripatetica & Platonica Philoſophia traduntur omnia, qvæ in moralibus, Politicis. Oeconomicis ad felicitatem Viri nobilis faciunt: de exercitiis qvoqve corporis rectè inſtituendis inſtituitur diſſertatio, deqve cæteris diſciplinis omnibus, qvatenus illis uti Juvenes nobiles debent. A tertio ad qvartum ætatis annum in matris ſinu puerum nobilem bonis moribus, pietate & lingvæ rudimentis imbui jubet, à qvinto ad decimum inſtitutione Grammaticâ & humanioribus litteris; à decimo ad decimum qvartum, Dialecticâ, Rhetoricâ, Poeticâ, Picturâ, exercitiis muſicis & corporis informari vult, meô qvidem judiciô immaturè nimis. Non enim illa ætas Dialectices & Rhetorices capax eſt. Poſt annum decimum qvartum ad Mathematica ſtudia nobilem ſuum ablegat, qvorum vel ante Rhetoricam & Dialecticam puerile ingenium capax eſſe poteſt. Hinc illi totum illum Ethices & Politices campum aperit. Verùm in iis ad ingenia reſpiciendum eſt: Neqve enim, ut non omnis fert omnia tellus, ita qvodlibet ingenium, qvâ qvis reqvirat ætate, his vel illis ſtudiis aptum eſt. Conferri cum his Piccolominianis poſſunt, qvæ *Bloemertius* in libro de Nobilis informatione, *Paſtorius* in palæſtra Nobilium & *Scheſſerus* in libello de Informatione Nobilis, conſilia ſuppeditârunt; de qvibus capite de Pædagogia regia pluribus agemus. Confer eundem Morhof. libr. II. Polyhiſtor. c. XII. p. 462. 463. 465.

PALÆSTRA NOBILIUM,

SEU

CONSILIUM.

De Generoſorum Adoleſcentum Educatione, in gratiam qvorundam Illuſtrium Polonorum conſcriptum.

QVi de rectè inſtituendæ Juventutis methodo vel accuratiùs ceteris cogitant, vel judicant incorruptiùs, conſentiunt in eo, opinor, omnes, Nobilem, illuſtriqve locô natam Adoleſcentiam non eôdem prorſus modô cum reliqvo Puerorum vulgo erudiendam eſſe. 2
Cùm enim Generoſi illi ad eas ſtationes & munia educentur, ad qvæ ceteri adſpirare, aut pervenire certè vix ſoleant aut poſſint, danda qvoqve opera

eſt, ut, qvod genus vitæ adulti cum laude tenere debeant, ad id à teneris mox ungviculis præparentur. 3 Ac optandum ſanè eſſet, ita rem ſcholaſticam inſtitui poſſe, ut ſeparati extarent ludi, in qvibus Nobiles illi ſeorſim in ſtudiis exercerentur conditioni ipſorum reſpondentibus. 4 Uti eqvidem magnis qvibusdam Principibus * curæ fuit, ut in ea re exemplum præberent, meritò ab aliis omnibus imitandum. 5 Sed paucos usqve videmus, qvibus ad ſimilia molimina vel voluntas vel commoditas adſit. 6 Pleramqve enim, qvi rem eam cordi habent, per acciſas ſiniſteritate temporum res, aut alia obſtacula, deſtituuntur viribus, & qvi contra à viribus non deſeruntur, res iſtiusmodi penſi non habent. 7 Interim, qvia diſtincta ejusmodi Gymnaſia vel nulla, vel pauca adhuc habentur, communi in Palæſtra nobilem Juventutem cum cetera exerceri oportet. 8 Adhibenda tamen cura eſt, ut & ſic ei conſulatur, ne propter alios ſibi neceſſaria negligat, diſcat contrà non neceſſaria. 9 Multæ autem Inſtitutionis puerilis partes ita omnibus omnium generum Adoleſcentibus communes ſunt, ut nihil neceſſe ſit in iis diverſos vel Magiſtros, vel erudiendi modos venari. Adeoqve vulgaria Methodorum deſcriptarum Præcepta majorem partem cunctis ſervire poſſunt. 10 Unde & mihi de Inſtitutione Nobilium, in primis Polonorum, ſenſum meum breviter exprimere, uti iis, qvibus nihil non debeo, gratificer, cogitanti, non eſt animus repetere, qvæ ab aliis, vel à me ipſo, publicâ utilitate ita rejuveneſcere nos jubente, de methodo erudiendæ Juventutis generatim ſcripta ſunt: niſi fortè alicubi res non ferat aliter, qvàm ut nonnulla ex ante dictis inſpergantur.

II. 1 Literarum bonarum, & in primis Latinæ lingvæ ſtudium ſi usqvàm terrarum Ordini Eqveſtri vel uſitatum, vel neceſſarium eſt, eſt certè in Polonia. 2 Cauſæ ejus rei variæ ſunt. Prima & præcipua opinor eſt, qvòd Doctrinâ, & Lingvæ maximè Romanæ qvalicunqve peritiâ opus eſt ſacra munia & beneficia adituris. 3 Qvæ cùm longè maxima & plurima hoc in regno ſint, præcipuaqve eorum Nobilibus potiſſimum pateant, magnus ſanè inde ſtimulus omnibus additur ad ea comparanda ſubſidia, ſine qvibus Antiſtitia illa haberi, aut certè adminiſtrari ritè non poſſunt. 4 Porrò Negotiorum Cauſarumqve forenſium Acta latinis literis ſcribi ſolent, ipſæqve leges & ſanctiones Regni iisdem expreſſæ extant. 5 Adde, qvòd gens Polona exterarum Nationum viſendarum ſtudiô plerumqve ducitur, & cum cultiſſimis qvibusqve, come atqve amicum exercet commercium. 6 Ad id Lingvæ Latinæ organô opus cùm propria ipſorum Lingva non niſi à cognatæ, hoc eſt, Sarmaticæ originis populis intelligatur. 7 Poſtremò vix ulla alia gens eſt, qvæ vel majore gaudeat libertate, vel acrioribus ad eam tuendam animis feratur. 8 Ad id autem opus eſt Eloqventiâ, nec vulgari tantùm iſtâ, qvalis illiteratis etiam non raro contingit, ſed alterâ

illâ

* Non ita pridem Auguſtiſſimo Daniæ & Norvegiæ Regi Chriſtiano V. Havniæ talem aperienti Scholam, qvâ Suam Majeſtatem non tantùm apud DEUM, ſed & homines apud omnes tùm exteros tùm inqvilinos ſeramqve, ſi qva futura eſt, poſteritatem poſuit in gratia. Ego ſanè, etſi eâ nullo modò fruar, in Belgio vivens, devotas IPSI pro ea magnas, ingentes & immortales ago gratias, & qvàm vellem, ſi poſſem, ampliſſimis verbis.

illâ, qvæ à Doctrinæ ſtudiis, & ex bonorum Autorum, præſertim Latinorum tractatione exſurgit. 9 Iſtis igitur ſtimulis impulſa eò diligentiùs in bonarum artium Diſciplinas, & ſine qva illæ diſci non poſſunt, Latinam Lingvam incumbere ſolet aut certè debet Polona Juventus. 10 Et hactenùs eqvidem, ſi qvæ gens, hæc utiqve viris & Magnatibus doctiſſimis effloruit. 11 Tulit ſuperior ætas, & fert iſta etiamnùm non paucos, qvi inter Literatiſſimos & ſapientiſſimos ſeculi Viros ſolidæ Eruditionis famam eximiè poſſunt tueri. 12 Nec illa tamen profundior Eruditio qvidqvam officit illis, qvò minùs ad vitæ politicæ officia atqve elegantias ſint idonei: cùm alioqvin vulgaris qverela ſit, obtundi illâ reconditarum Diſciplinarum exqviſitiore tractatione ingenia, ut ad vitæ cultum, & ad negotia civilia videantur ineptiora. 13 Nec diffiteor ego, magnum hac in re ingeniorum delectum habendum eſſe. 14 Nam ſunt nonnulli animi ita comparati, ut in omne Diſciplinarum genus, tàm illud nempè, qvod contemplandi induſtriam reqvirit, qvàm alterum, qvod in actione conſiſtit, non poſſint ita diffundi, qvò in utroqve excellant, ſingularemqve aliqvam laudem mereantur. 15 Ceterùm ut ſummè glorioſum eſt, ſi alterum cum altero conjungi, & qvidqvid interioris Sapientiæ ſtudia ſuggerunt, id aptè ad vitæ civilis uſum afferri poſſit, ita ſi alterutrô carendum ſit, tolerabilius Theoreticæ Sapientiæ, qvàm Prudentiæ Practicæ damnum fuerit Nobili. 16 Qvocirca ad hanc in primis cum cura is ducendus eſt, ſimul atqve per ætatem duci fuerit idoneus. 17 Vitæ ille parandus eſt, non ſcholæ; luci publicæ, non umbraticæ ſolitudini. 18 Neqve turpius ſphalma, qvi Nobilium regendæ adoleſcentiæ præſunt, committere poſſint, qvàm ſi illos ſcholaſticarum diſciplinarum ceu Trophonianis qvibusdam antris ita detineri atqve inhorreſcere prorſus ſinant, ut indè ad negotia tractanda, & ad vitæ politicem fiant inhabiles. 19 Qvid profuerit intra terræ abdita gravidas pulcherrimô aurô glebas effodiſſe & collegiſſe, niſi, qvod collectum fuerit, efferas, & ad uſum deniqve tuum & aliorum convertas? 20 Qvorſum adeò conducet longinqva terrarum perveſtigare, ſi externis Cauponum geniis moribusqve diverſoriorum ita inſveſcas, ut parentum, amicorum, patriæ, metæ deniqve, ad qvam directa ſit peregrinatio, penitùs obliviſcaris? 21 Perindè ergò cogitandum qvoqve eſt Nobilibus, ſcholaſticas exercitationes hoſpitia & diverſoria eſſe, qvæ tranſeunda ſunt ad certum ſcopum tendentibus, non habitanda. 22 *Non hìc itur*, ait ille, *ſed hàc*. Eunt verò illi per hæc artium diverſoria ad Prudentiæ civilis, & ad vitæ politicæ Orcheſtram, propriam nempè Nobilium ſedem. Hic Rhodus, hic ſaltus. 23 Interim certò etiam ſibi perſvadeant Nobiles, fore ſe ad vitam illam politicam longè aptiores, & ſplendidiore ibi luce fulſuros, ſi illuc à bonis artibus ritè inſtructi acceſſerint. 24 Fore contra, ut, ſi iſtas non attulerint, malè ferant lucem publicam, & aut fugere illam debeant, aut inter rerum peritos miſerè ſe ſubindè proſtituere, aliis certè palmam, etſi forſan fortunâ longè inferioribus, dare cogantur. 25 Qvare neceſſe eſt, ut animum ita prorsùs inducant ſuum, eſſe omninò ſibi ſtudia colenda, & diligenter colenda, non perfunctoriè, non

qvaſi aliud agendo. 26 Altè ſibi qvisqve horum (qvi indole non deſtituitur prorsùs) metam figere debet, & ad imitandum proponere animo non iſtos vulgariter tinctos Qvirites, ſed illos potiùs, qvos veræ & ſolidæ Eruditionis Sapientiæqve gloria ſupra alios aut videt florentes, aut floruiſſe audit. 27 Si præſertim inter Majores ſuos habeat tales, ab eorum orbitâ turpe ſibi putet receſſiſſe. Inſonet auribus illud (Virgil. l. III. Æn. v. 343.)

— *Te Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.*

Etiam vetuſtioris Poëtæ * iſtud ſubindè animum ſtimulet:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Semper antecellere, & ſuperiorem aliis eſſe.

II. 1 Initium autem faciendum eſt à Lingvis, & inprimis Latinâ, qvia & maximè, qvemadmodum dixi, neceſſaria eſt, & difficilius hodie, qvàm ferè aliæ, diſcitur. 2 Si Terra aliqva in Europa eſſet, qvæ eam lingvam vernaculam haberet, eò haud dubiè Nobiles pleriqve ſaltem ditiores, mitterent filios ſuos. Sic enim iſtic non minore negotiô eam lingvam addiſcerent, qvàm diſci ſolent aliæ, qvarum causâ à foco paterno abſtrahi, mittiqve in extera loca conſvevêre adoleſcentes. 3 At nulla hodiè gens eſt, qvæ lingvam iſtam à matre hauriat, Italiâ, & Româ ipsâ etiam, qvoad lingvam, priſcæ illi adeò diſſimili, ut Latinum ſermonem nemo iſtic ſciat, niſi qvi deditâ operâ eam didicerit. 4 Ubiqve igitur labore, & qvadam velut inſitionis induſtriâ, lingvæ iſtius comparanda peritia eſt. 5 Eqvidem qvod ‡ de Collegiis, in qvibus Domeſtici omnes non aliâ lingvâ, qvàm Latinâ uterentur, & ego alibi, & alii ante me monuêre, id à nemine citius, qvàm à Nobilibus dari poſſet effectui: qvippe qvi facillimè omnium ſumtum eum facere ac ſuſtinere qveant. 6 Et miror de tali Inſtituto in locis ad eam rem opportunis non cogitari diligentiùs, neqve inter tot Viros Magnificos, & ad pia alioqvin opera propenſos, reperiri aliqvos, qvi tale velut Latium extra Italiam fundare, ſi non pro vulgo, ſaltem pro nobilibus pueris aggrediantur. 7 Dum id non fit, nulla alia ratio ſupereſt, qvàm ut Nobiles etiam atqve Illuſtres, modis hactenùs uſitatis, aliqvantum tamen ex Conſilio Virorum artem Didacticam curioſiùs excolentium correctis, ad lingvæ Latinæ Sacrarium deducantur. 8 Vorandum nempè ipſis qvoqve, qvantumvis tenellis, & laborum fugitantibus, vorandum, inqvam, pariter eſt, qvidqvid circa lingvæ Latinæ ſalebras occurrit difficultatis & faſtidii. 9 Tanti jam Dominatrix iſta & Monarchiam, inter

* Homeri Il ζ. v. 208.

‡ *De Collegiis*] Diſſerit hac de re prolixè & jucundè B. Dn. Morhof. lib. II. Polyſtor. Literar. c. IX p. 415. ſ. & c. XII. p. 462. ſ. ubi illa ipſa hæc Paſtorii verba adducit.

ter rudera etiam Romani Imperii, retinens Lingva eſt, tanti ſaltem habetur, ut ob eam acqvirendam ægrè ſibi facere nemini grave eſſe debeat. 10 Et penſabit ſanè illa, qvod in ipſam inſumtum fuerit laboris, nec magnô poſtea emta videbitur, cùm ampliſſimos ejus fructus ætas maturior fuerit experta. 11 Sed nec labor qvoqve ipſe, qvem diſcendæ illi impendere oportet, tàm immanis eſt, ut qvemqvam debeat terrere. 12 Pertulêre eas moleſtias tot Magnifici Viri, & ſine qverela, ſpe ſcilicet futuri commodi, pertulêre: cùm tamen uſitata ipſorum temporibus methodus non amœniorem, imò opinor ærumnoſiorem faceret laborem. 13 Mundantur à ſentibus ſuis magis magisqve in dies viæ, qvibus ad eam lingvam itur, & perpetuò uſqve deſudat in eo nonnullorum induſtria, ut hoc in ſtudio non omnis qvidem laboris (nam id fieri neqvit, & ſi fieret, vilior ipſa lingva foret) gratia fiat Juventuti, laboris tamen & tædium minus, & præſentior fructus appareat. 14 Sed ea in re cum, qvæ alii & nos ipſi meditati ſumus, extent, non ero nunc verboſus. 15 Utinam modò talia, qvâ ſcribuntur curâ & ſolicitudine, eâdem à Scholarum Magiſtris tàm privatis qvàm publicis in effectum deducantur. 16 Utroſqve meritò nominare oportuit, qvia niſi publicæ Inſtitutioni privata reſpondeat, parùm plerumqve efficitur. 17 Et in Nobilium potiſſimum inſtitutione non minores partes & operæ Magiſtrorum privatorum ſunt, qvàm publicorum: eò qvod publici pluribus, & variæ ſortis pueris accommodare operam ſuam coguntur; privati autem tali varietate minùs diſtracti, uni aut alteri Diſcipulo magis vacare, & pro ingenio, captu, uſu, & neceſſitate ſtudiis diſcentis conſulere poſſunt. 18 Qvocircà bene faciunt Parentes, cùm Filiis ſuis Educatores qværunt, qvi & muneris ſui difficultatem intelligant, & rectè id adminiſtrare tàm poſſint, qvàm velint: qviqve adeô ipſi in elegantiore literaturâ ad politiem verſati ſint, & à civilis tamen vitæ, morumqve cultu, cujus minimè expertes eſſe oportet, vitia, qvæ politicis nonnullis nimisqvam uſitata ſunt, ſejungant. 19 Eorum curæ incumbet, veræ Religionis & Pietatis ſemina animis inſerere Nobilium, ad precum officia ipſos aſſvetacere, ad omnem in habitu, geſtibus, moribusqve mundiciem, ad reddenda item operarum publicarum penſa iisqve addenda alia, qvæ in publico diſci neqveunt, attendere diligenter.

III. 1 In primis autem, qvod ad lingvam Latinam attinet, de qva jam hîc præcipuè agimus, tàm publicis, qvàm privatis Magiſtris danda eſt opera, ut præceptis Latinæ lingvæ qvàm freqventiſſimus addatur uſus adeoqve nobiles illi Latinitatis Alumni cum Magiſtro privato, publico, & inter ſe qvoqve, nec in ſchola tantùm, ſed ad menſam, & inter ludendum etiam non aliô ſermone qvàm Latinô loqvantur. 2 Neqve vernaculæ inde lingvæ ullum damnum eſt metuendum. Qvæ eqvidem etiam ad elegantiam uſqve exercenda Nobili eſt: cùm in publico verſanti turpe futurum ſit, non comtè loqvi eâ lingvâ poſſe, qvæ & materna, & maximi perpetuiqve in omni ferè negotiô uſûs ſit. 3 Sed ejus poliendæ ratio nunqvam deerit, cùm qvotidiana vitæ & conſortii neceſſitudo ad majorem ſubindè vernaculæ qvàm

Latinæ lingvæ conſvetudinem invitet, adigatqve. 4 Porrò hoc qvoqve, qvanqvàm cautis Parentibus vel ultrò obſervari ſolitum, haudqvaqvàm tamen omittere poſſum, qvin moneam: nimirum, cùm filiis ſuis plerumqve famulos ſoleant adjungere, tales ut adjungere ſtudeant, qvi, etſi nobiles, ſuâ tamen infra genus tenui fortunâ ad ſtruendam ſibi per animi Dotes fortunam incitati, in literis diligentes ſint, &, ut eadem cum Herulis ſtudia tractent, palò majores tamen in iis habeant profectûs. 5 Hi enim qvia acriùs examinari corripiqve poſſunt, ex alieno exemplo id capient Nobiles commodi, ut acerbitatem ſtudiorum minùs ſentiant, proficiantqve tamen non minùs. 6 Nam æmulatio ipſa non ſegnes animis ipſorum generoſis admovebit ſtimulos, cùm modicô ſpatiô præcurrent illi, qvos æqvare atqve etiam ſuperare eruditione velint, uti genere & fortunâ ſuperant. 7 Hoc qvoqve ad excitandos talium animos conducibile erit, ut, ubi aliqvantum in lingva iſta profecerint, aliqvando liber aliqvis jucundûs & facilis, cujuſqve materia aliundè jam qvodammodò nota ſit, illis legendus ſuoqve Marte interpretandus detur. 8 Tùm enim, ubi vel omnia, vel pleraqve ſe intelligere videbunt, gaudiô ipsô ad ſtudium, in qvo profectus ſuos ſentient, tantò vehementiùs inflammabuntur.

Spem ſucceſſus alit, poſſunt, qvia poſſe videntur.

IV. 1 Ceterùm qvod omnibus lingvam iſtam diſcentibus, id Nobilibus qvoqve neceſſarium eſt, ut ubi Grammaticæ rudimentis aliqvô modô fuerint imbuti, ſtylum crebrô vertant. 2 Ac primùm, dùm Tyrones ſunt, perbrevia iis dentur Exercitia, & ſint principiò aliqvæ ex Cicerone ſententiæ, qvas vertat Magiſter qvàm poteſt., perſpicuitate maximâ, & in Latinum transferri in arena à Diſcipulis jubeat: ubi poſteà, qvæ corrigenda erunt, correxerit, ipſa Ciceronis verba ſubjiciat, moxqve etiam, qvantum infra Autoris illius elegantiam ſubſtiterint, demonſtret diſcentibus, phraſesqve & qvæ præcipuè notanda occurrent, ſubnotari jubeat. 3 Ex † Cicerone autem eligi debent ea, qvæ in omnem vitam poſſunt utilia eſſe: qvæqve inprimis ad * mores formandos pertinent: ut ex Lib. II. de Nat. Deor. c. II: illud. *Qvid pot-*

† *Cicerone*] Ciceronis inſigniores Sententiæ, Apophthegmata atqve ſimilia; Terentii illuſtriores Gnomæ: Demoſthenis memorabiles è Græco in Latinum traductæ ſententiæ, concinnatæ ſunt & in Locos Communes digeſtæ junctimqve editæ Witebergæ annô M. D XCIV. in 8t. à Petro Lagnerio Compendienſi; qvas vel ad ungvem ediſcere & recitare poſſe operæ pretium puto. Germanis meis commendo Chriſtophori Lehmanni ob utilitatem & doctrinam omni meô encomiô majus Florilegium Politicum Francof. M. DC. XXXVIII. evulgatum in 12.

* *Mores formandos*] Nimirum non modò benè dicendi, ſed multò etiam magis benè vivendi ratio ab auctoribus petenda venit. Neqve enim nobis acuenda ſolùm, aut procudenda lingva eſt, ſed complendum etiam pectus plurimorum graviſſimarumqve artium cognitione & ſcientiâ, ne ſtrepitus verborum, vel ornatiſſimorum, & ſonitus audiatur inanis prætereaqve nihil. Omnia ſanè, qvocumqve etiam veniant nomine, ſtudia elegantiam vitæ ſpectare debent, qvam &

[co-

poteſt eſſe jàm apertum, tamqve perſpicuum, cùm Cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaqve contemplati ſumus, qvàm eſſe aliqvod Numen præſtantiſſimæ mentis, qvô hæc regantur. 4 Et de Conſcientia illud ex Orat. pro Milone c. XXIII. *Magna eſt vis Conſcientiæ in utramqve partem, ut neqve timeant, qvi nihil commiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qvi peccaverint.* 5 Sic de Prudentia ex l. 1. Offic. c. V. *Ut qvisqve maximè perſpicit, qvid in re qvaqve veriſſimum ſit, qviqve acutiſſimè, & celerrimè poteſt & videre, & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet.* 6 De Juſtitia ex eodem lib. c. XIII. *Totius Juſtitiæ nulla eſt capitalior peſtis, qvàm eorum, qvi cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni Viri videantur.* 7 De Patientia ex Epiſtola ad famil. I. libri VI. *Simus eâ mente, qvam & veritas, & ratio præſcribit, ut nihil in vita nobis præſtandum præter culpam putemus: eâqve maximè cùm careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus.* 8 Similes materiæ poſſunt qvoqve ex † Terentio depromi, eôdemqve modô tractari, ut nempè & verſæ Magiſtri operâ, in Latinum deinde transponantur, & deniqve Compoſitio cum ſubnexo Terentii textu conferatur. 9 Pro Exemplo ſit illud ex Adelph. Act. III. Sc. V. v. 56. ſ. *Qvàm eſtis maximè potentes, dites, fortunati, nobiles, tàm maximè vos æqvô animô æqva noſcere oportet, ſi vos vultis perhiberi probos.* v. 63. ſ. *Nimia licentiâ profectò evadet in aliqvod magnum malum.* 10 Item illud ex Act. IV. Sc. III. v. 14. ſ. *Omnes, qvibus ſunt res minùs ſecundæ, magis ſunt neſcio qvomodò ſuſpicioſi. Ad contumeliam omnia accipiunt magis. Propter ſuam Impotentiam ſe ſemper credunt negligi.* 11 Ad eum modum tradi ſententiæ poſſunt de cunctis Virtutibus, ut de Probitate, Temperantia, Sedulitate, Fortitudine, Manſvetudine, Beneficentiâ, Magnificentia, Veracitate, Taciturnitate, Comitate & Civilitate, Virtute Heroicâ, Amicitiâ, Decoro. 12 Ubi qvotidianis ejusmodi ſtyli Exercitiis Tyrones iſti Virtutum campum ſemel fuerint emenſi, remetiantur eundem Exemplis Apophthegmatum

propter à prudentibus ſtudia excoluntur, licet & à paucioribus. Enimverò ſtudemus & litteris operam navamus (ſicut mihi perſvaſum habeo) non ut divites evadamus, nec ut multa ſciamus gloriosè, neqve ut in pretio ſimus ubiqve & honore, ſed ut bene; beatéqve vivamus. Aberrant ſe vivere putantes, ut duntaxat ſtudeant, & abſolutâ ſtudiorum Cyclopædiâ ſibi continu, perfecti videantur; Cùm ſcientia utiliſſima qvidem illa & penè neceſſaria ad conſtantem probatamqve vitam, nonniſi viam monſtret, & fores aperiat, idqve menti præſtet, qvod lux oculis. Jam qvid profuerit, diſcuſſis tenebris, in claro verſari lumine, ſi obturatis oculis, & qvaſi feneſtris animi ſeratis clathratiſqve in præcipitium, aut in lacum ruere malis, qvàm rectam inſiſtere viam? Rurſus qvid juverit, qvòd parentes tibi qvondam puerulo manſum in os inſeruerint, teqve & comedere, & veſtibus uti condocefecerint, ſi nunc malis aut nudus frigore uri, & hybernis rigoribus enecari, qvàm veſtibus & parandis & induendis operam dare? aut inediâ atqve fame exhauriri, tabeſcere, confici, atqve perire, tibiqve continenti & obſtinato jejunio mortem conſciſcere, accelerareqve, qvàm latranti ſtomacho rectè conſulere, & ventri inani atqve famelico indulgere, qvod ſtimulante fame & neceſſitate urgente poſtulet? Sic & multa ſcire præclarum qvidem eſt, & magno ſtudio affectandum: at nihil boni patrare, prout ſcientia dictet, oberit magis qvàm proderit.

† *Terentio*] De imitatione Terentiana habemus Michaelem Ferrerium. Excerpſit & phraſes è Terentio Baſilius Faber.

tum de illis ipſis qvoqve virtutibus agentium, própoſitis: ut de Pietate, ad qvam Dei cognitio pertinet, illud ex 1. lib. de Nat. Deor. c. XII. *Cùm à Simonide qvæſiviſſet Tyrannus Hiero, qvid, aut qvale eſſet Deus deliberandi ſibi unum diem poſtulavit. Cùm idem ex eo poſtridiè qværeret, biduum petiit. Cùm ſæpiùs duplicaret numerum dierum, admiransqve Hiero reqvireret, cur ità faceret: qvia qvantò, inqvit, diutius conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior.* 13 Item de Continentia illud ex Catone Majore c. XVI. *Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. Non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit; ſed iis, qvi haberent aurum, imperare.*

V. 1 Olim fabellæ qvoqve variorum Autorum, ſed ab Æſopo præcipuè nomen adeptæ, ad hanc rem adhiberi ſolebant. 2 Et habent eqvidem illæ leporis ac ſvavitatis, qvâ capi muſtea hæc ætas amat, non parùm, earumqve non paucæ pulcherrima ſimul Prudentiæ tàm Politicæ qvàm Moralis continent Præcepta, veſtem porrò illis perelegantem terſó ſtyló ſuô circumdedit Magnus Vir † Camerarius. 3 Poſtremò illæ alicubi ita editæ ſunt, ut Imaginum qvoqve, qvæ additæ habentur, luce trahere poſſint tenellos Adoleſcentum animos. 4 Sed ea in re cum cura ad inclinationem diſcentium reſpiciendum eſt. Neqve enim omnia ingenia capiuntur fabulis, & verarum hiſtoriarum hodiè abundè eſt, qvibus prima Antiqvitas deſtituebatur. 5 Sed ſi rapi ad eas diſcentem videas, nonniſi lectiſſimas, & ad rem politicam plurimum facientes proponere oportet, ut exempli gratiâ illam de *Mure Leonem ex caſſibus admorſis liberante.* Ubi etiam mox applicationi maximè inſiſtendum eſt, qvòd nimirùm oſtendat fabula, magnis ſæpè & potentibus viris opem tenuiorum utilem eſſe poſſe. 6 *Item de Rana & Mure, dùm inter ſe decertant, Accipitri in prædam cedentibus*, qvô doceatur, qvòd alioqvin etiam Politici ſollicitè inculcare ſolent, parvis Urbibus, Rebuspubl. vel, ut hodiè loqvuntur, Statibus cautè agendum, & Concordiæ vinculum cum cura ſervandum eſſe: aliter ſi fiat, fore, ut tertius potentior ipſorum diſcordiâ in res ſuas abutatur, & adverſus utrumqve valeſcat. 7 Qvod idem aliô Apologô de Eqvo, qvi cervum in eodem pabulo ferre neqviret, hominem in tergum ſuum admittente ſignificatur. 8 Qvoniam etiam Parœmiæ ſeu * Adagia inter maximas cujusvis ſermonis lautitias non immeritò habentur, ſelecta aliqva, & ad vitam

† *Camerarius*] Optima Fabular. harum editio eſt Lipſienſis in 8t. anni M. D. LXXXIX. Sunt & Magdeburgi annô M. D. LXXVI. in 8t ſeqventes Fabularum auctores editi junctim Gvilielmus Goudanus. Hadrianus Barlandus. Eraſmus Roterodamus. Aulus Gellius. Laurentius Valla. Angelus Politianus. Petrus Crinitus Joannes Antonius Campanus. Plinius Secundus Novocomenſis. Anianus Guilielmus Hermannus. Nicolaus Gerbelius Phorcenſis Laurentius Abſtemius & Rimicius, cum dedicatione Martini Dorpii. Prodierunt & poſteà illi ipſi auctores Londini M. DC. LXXXI. in 8t.

* *Adagia*] Commendo hic, & fortè aliqvando de novo edam P. Fauſti Andrelini Forolivienſis Poetæ Laureati atqve Oratoris clariſſimi Epiſtolas Proverbiales & morales lepidiſſimas, nec minus ſententioſas, qvæ exierunt ex ædibus Theodorici Martini Aluſtenſis annô M. D. XVI in 4to. fortè Pariſiis. Edidit & Gilb. Cognatus eas in p. 281. ſ. Farraginis II. Epiſtolar. Laconicar. ac Selectarum Baſil. 1554. in 12.

ram politicam qvodammodò accommodata proponi poſſunt, additò, qvâ occaſione nata ſint, & qvis eorum verus ſit ſenſus. 8 Dictetur hæc explicatio Lingvâ vernaculâ, vertant denuò diſcentes in Latinum. Sic erit materia Compoſitiunculæ, qvâ ſimul & ſtylum exercebunt, & Adagium intelligere, ac porrò ad uſum transferre diſcent. 9 Pro Exemplo ſint iſta: *Argentanginam patitur:* qvod ex Demoſthenis facto ortum, in eos dici ſvevit, qvi muneribus ſe patiuntur corrumpi. *Argenteis haſtis pugnare. Aureô hamô piſcari. Aqvila muſcas non captat. Aureæ compedes*, de ſplendida ſervitute. *Satius eſt recurrere, qvàm malè currere. Romanus ſedendo vincit: Efficimus prò opibus noſtris mœnia. Virtute Duce, Comite Fortunâ. Benè natis turpe eſt malè vivere. Novos parans amicos, ne obliviſcere veterum. Simia in purpura. Optimum alienâ inſaniâ frui. In occipitio oculos gerit. Cum vulpe vulpinari. Ædilitatem gerit ſine populi ſuffragio. Scarabæus aqvilam qværit. Serò molunt Deorum molæ. Aqvilæ ſenecta corydi juventa. Dives aut iniqvus eſt, aut iniqvi hæres. Teſtudo intra tegumentum ſuum tuta eſt. Mortuo Leoni etiam lepores inſultant. Emungens acriùs elicit ſangvinem. Non ſemper erit æſtas. Omnis herus ſervo monoſyllabus. Leonina ſocietas. Hìc Rhodus, hìc ſaltus. Annoſa vulpes haut capitur laqveô. Jovis taxilli ſemper feliciter cadunt. Habet pilus qvoqve umbram ſuam. Habet & muſca ſplenem. Tentando ad Trojam pervenerunt Græci.* 10 Ceterùm qvæcunqve materiarum iſtarum Ethicarum Politicarúmve ad exercendum ſtylum fuerit propoſita, ipsâ hâc opinor Tractatione, aut certè adhibitâ etiam atqve etiam Magiſtri operâ, ita infigetur diſcenti, ut deinde, qvandocunqve exigere eam commodum videbitur, aut recitare ad verbum, ſi memoria fuerit felicior, ſin minùs, ſenſum ejus reddere poſſit. 11 Porrò ut aſſiduò in memoriæ theſaurum aliqvid recondatur, qvod deinceps, qvoties uſus erit, depromere nobilis puer, & ad rem porrò præſentem accommodare poſſit, ſententiæ qvoqve breviores, & ſeu proſâ ſeu ligatâ oratione, tamen acumen aliqvod continentes diſcentibus proponendæ ſunt. 12 Ut ſpecimen præbeam, aliqvas attexam, meô qvalicunqve judiciô ex variis Autoribus * (qvorum tamen nomina alicubi addita, plerubiqve omiſſa) etiam recentioribus, inter qvos Famianus Strada eſt, ſelectas, nec eas tàm novitate omnes, qvàm utilitate commendabiles. 13 Si enim ea duntaxat tradenda eſſent Adoleſcentibus, qvæ nobis jam viris nova videantur, qvando illi ea diſcent, qvæ nobis jam trita ſunt, ſed aliqvando pariter nova fuêre? 14 *Amicorum neqve nobis, neqve cui-*

* Faciunt huc Florilegii Gruteri duo Volumina in 8r. & Boxhornii Gnomæ Politicæ & Morales Poëmatibus ejus adcuſæ & Epiſtolis p. 151. ſ. edit. Amſtelodam. M DC. LXII. in 12. Selecta Politica è Cicerone, Dione, Polybio, Svetonio, Seneca, Lucano, Claudiano; Juvenale &c. congeſſit, & Artibus ſuis reconditis regendi Reſpublicas & dominandi addidit Cl. Deſiderius Creſcentius JCTUS Ultrajectinus. Trajecti M. DC. LVII. in 12. Habes & multas collectas ſententias à Gilberto Cognato Nozoreno in calce Operum ejus Baſileæ editorum in fol. M. D. LXII. Plauti ſententias & loqvendi formulas venuſtiores ex omnibus Comœdiis in gratiam juventutis decerpſit, & brevibus ſcholiis in ſingulas Comœdias adjectis illuſtravit Georgius Caſſander. Gandavi M. D. XXXVI. in 8r. Selectiores Ciceronis ſententias evulgârunt in 4to Antverpiæ Jeſuitæ, anno M. DC. XIII.

qvam ſatis fuit. Sal. *Acrius ſervitium iterùm victis. Adverſarum rerum ſenſus feliciſſimo cuiqve acerrimus eſt.* Str. *Autoritas rerum agendarum telum. Alium ſilere qvod voles, primus ſile. Aſtra regunt homines, ſed Deus aſtra regit. Ad pœnitendum properat, citò qvi judicat. In aula nulla virtus minus evehitur, qvàm qvæ timetur.* Str. *Audacia viliſſimo cuiqve creſcit, ſi timeri ſe ſentiat. Bonis nocet, qvi parcit malis. Benè ſperando & malè habendo tranſit vita mortalium. Bonæ Leges ex malis moribus naſcuntur. Beneficium eſt negare nocitura. Benevolentia importuna par odio eſt. Beneficium accipere, Libertatem eſt vendere. Beneficiis aliqvi utuntur ceu floribus, tàm diù gratis, qvàm diù recentibus. Bellicoſo Populo qvies diuturna nocet.* Sal. *Belli Dux nihil magis timere debet, qvàm ne videatur timere. Bonus Vir omnes judicat eſſe bonos. Carere debet omni vitiô, qvi in alium paratus eſt dicere. Caſus veteres non ſunt deplorandi novis lachrymis. Conſilia omnia, præcipuè bellica, tàm diù tuta, qvàm diù tecta.* Strad. *Conſilia hoſtium optimè reſerantur aureâ clave.* Id. *Continuò timere omnem excedit calamitatem. Contemtu gloriæ contemnuntur virtutes. Corpori indulgendum eſt, non ſerviendum. Cum celeritate temporis velocitate utendi certandum eſt. Crudelem Medicum intemperans æger facit. Caſus, qvem ſæpè tranſit, aliqvando invenit. Cunctationi nullus locus eſt in Conſilio, qvod non poteſt laudari, niſi peractum.* Tac. *Dei Judicia multa occulta, nulla injuſta. Deum colentibus omnia proſpera eveniunt, adverſa ſpernentibus.* Liv. *Diù apparandum eſt bellum, ut vincas celeriùs. Dulce & decorum eſt pro patria mori. Dignum laude virum Muſa vetat mori. Dei Naturam mirari, non rimari oportet. Ducum peritiâ, & virtute Militum conſeminantur exercitûs.* Str. *Eget minùs Mortalis, qvi minus cupit. Erroris confeſſio eſt, mutanda feciſſe. Etiam oblivisci qvod ſcis, interdùm expedit. Etiam ſanatô vulnere cicatrix manet. Eloqventia in homine malo eſt venenum in poculo aureo. Fidem qvi perdit, ultrà nihil poteſt. Fortunæ majori ſæpè locum fecit Injuria. Feſtinatio ſingulorum mora eſt omnium.* Str. *Furentem apud Multitudinem parum tuta eſt Majeſtas ſine viribus.* Id. *Fraus ſibi in parvis fidem præſtruit, ut majori emolumentô fallat.* Liv. * *Fruſtrà ſapit, qvi ſibi non ſapit. Faciliùs creſcit, qvàm incipit dignitas.* Sen. *Fruſtra rogatur, qvi miſereri non poteſt. Fatetur facinus is, qvi Judicium fugit. Gandium & ſilentium in eundem hominem vix competunt. Genus facere, qvàm accipere præclarius eſt. Gula plures perdit, qvàm gladius. Gratia in commune collata ab omnibus accipitur, redditur à nemine.* Str. *Graviora ſæpè ſunt periculis remedia. Graviſſimum eſt Imperium conſvetudinis. Graviſſimi morsûs irritatæ neceſſitatis. Hominem multa experiri Paupertas jubet. Homini Conſilium tùm deeſt, cùm multa invenit. Honor uberrimum virtutis alimentum. Hiſtoria Lux Veritatis, Magiſtra Vitæ eſt. Homine ingratô nihil terra pejus alit. Humanitate nemo facilè peccat. Humanis in rebus ſecula & Perſonæ intereunt, cauſſæ & eventus iidem recurrunt. Imperator nunqvàm ità paci credit, ut ſe bello non præparet. Injuria unius, minæ multorum. Injuriam a-*

liqvi

* Ciceronis eſt VII, Famil. Ep. VI. extr. „ Qvi ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non qvit, ne „ qvidqvam ſapit.

liqvi putant finem accipiendi. Strad. *In magnis & voluiſſe ſat eſt. Ignoſcito ſæpè alteri, raro tibi. Imperium magnum habet, ſibi qvi imperat. Inopiæ deſunt pauca, Avaritiæ omnia. Ingenia præclara ſæpè in occultô latent. Invidia ad felicitatem unicè intenta, ad merita cæcutit.* Str. *Initia Principatuum novis rebus accommodata.* Sta. *Malus Miles eſt, qvi Imperatorem gemens ſeqvitur. Maximæ cuiqve fortunæ minimè credendum eſt.* (Hannibal ap. Livium.) *Litteras fovent, qvi digna literis gerunt. Lingva mente nè ſit celerior. Levis eſt fortuna, citò repoſcit qvæ dedit. Mala, unde minimè expectantur, erumpunt.* Sen. *Locum homini, non hominem locus commendat. Marcet ſine adverſario Virtus. Multis diſplicet, qvi ſibi nimium placet. Minorem ſe fatetur, qvisqvis timet.* Str. *Miſera eſt fortuna, qvæ inimicô caret. Multos timere debet, qvem multi timent. Metu anxiis omnia in portenta vertuntur. Mendacium plerumqve aliqva portione veri adſperſum eſt.* Str. *Miſer eſt Imperator, apud qvem vera reticentur.* Capitol. *Morum ſimilitudo tenacîſſimum vinculum ad connectendas amicitias.* Plin. Ep. *Negotia magna magnis egent adjutoribus. Ne feceris, qvod factum nolis. Nil turpius, qvàm vivere incipiens ſenex. Nec cuilibet credamus, nec nulli. Nihil difficile eſt perſvadere, perſvaſis mori.* Juſtin. II. XI. 14. *Nullius rei ſine ſociô jucunda eſt poſſeſſio. Nimium altercandô Veritas amittitur. Non citò ruinâ perit is, qvi rimam timet. Non eſt cicatrix turpis, qvam Virtus peperit. Opes irritamenta malorum. Oderunt, qvem metuunt. Opinione conſtant humana. Opportunitas rebus etiam minimis pretium addit. Otium ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura. Propè ad ſummum, propè ad exitum. Patriæ fumus alienô igne luculentior. Pax ſervientibus gravior, qvàm liberis bellum. Peccatum qvi excuſat, bis peccat. Pecunia, ſive deſit, ſive ſuppetat, ſeditioſa res eſt. Perfidia nullis conſtringi vinculis poteſt. Potentia non ſemper intenditur, cùm extenditur. Puras Deus, non plenas adſpicit manus. Patientia ſæpiùs læſa fit furor. Qvod videri vis, eſto. Qvi facile credit, facile decipitur. Qvod durum pati, meminiſſe dulce eſt. Qvi pro innocente dicit, ſatis eſt eloqvens. Qvi invitus ſervit, fit miſer, ſervit tamen. Rectè faciendo neminem timeas. Regium eſt audire malè, cùm benè feceris. Ruborem amico excutere, amicum eſt perdere. Religionis qvoties mota eſt anchora, toties fluctuavit Reip. Navis.* Str. *Remedia tardiora ſunt, qvàm mala. Sæpè & contemptus hoſtis cruentum certamen dedit. Satius recurrere, qvàm malè currere. Sanitate nil habet vita præſtantius. Serum eſt, in periculis Conſilium qværere. Spes inopem, res avarum, mors miſerum levat. Spes eſt ſalutis, ubi hominem corrigit pudor. Suſpiciones interdùm nulla ſatis diluit innocentia.* Str. *Temeritas, ubi primum impetum effudit, ſicut qvædam animalia, amiſſô aculeô torpet.* Curt. *Temporis ſolius honeſta avaritia eſt. Terrore malè comparatur veneratio.* Str. *Taceri qvod vis, tace. Turpe eſt, benè natos malè vivere. Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt. Victorias ægriùs incipias, qvàm continues. Vive Deo, qvi eſt Autor vitæ tuæ, vive Conſcientiæ, qvæ eſt vita vitæ tuæ, vive famæ, qvæ eſt vita poſt vitam tuam. Victoria naturâ inſolens eſt, & ſuperba. Veritas filia temporis. Velox Conſilium ſeqvitur pœnitentia. Verecundia cuſtos Virtutum.*

VI. 1 Ubi brevium ejusmodi ſententiarum aliqvam farraginem animis per-

ceperint diſcentes, ad paulò majores qvoqve tranſitus fieri debet, cujus notæ ſunt illæ: *Fides in præſentia eos, qvibus reſiſtit, offendit, deinde ab iis ipſis ſuſpicitur laudaturqve.* Plin. libr. III. Ep. IX. *Eſt omninò iniqvum, ſed uſu receptum, qvod honeſta conſilia vel turpia, prout malè aut proſperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur.* Id. lib. V. Ep. XXI. extr. *Beneficia eousqve læta ſunt, dum exſolvi poſſe videntur, cùm multum antevenêre, pro gratiâ odium reponitur.* Tacit. Agric. XXVII. 2. *Iniqviſſima hæc bellorum conditio eſt, proſpera omnes ſibi vindicant, adverſa uni imputantur.* Tacit. *Sapiens tùm maximè Paupertatem meditatur, cùm in mediis Divitiis conſiſtit.* Sen. *Etiam excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars, qvâ Civem regant, qvàm qvâ hoſtem ſuperent.* Liv. l. II. c. XLIII. *Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, qvod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſvetudine abducimur.* Sen. *Nemo ſic à naturali lege deſcivit, & hominem exuit, ut animi cauſâ malus ſit.* Id. *Familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere, & invidiam rerum non ad cauſam, ſed ad voluntatem, perſonasqve dirigere.* Vell. Paterc. *Nunqvam in ſolido ſtetit ſuperba felicitas, & ingentium Imperiorum magna faſtigia oblivione fragilitatis humanæ collapſa ſunt.* Sen. Pater ſvaſ. XI. *Cuncta Mortalium in incertô, qvantoqve plus adeptus ſis, tantò te magis in lubrico eſſe cenſeas.* Tacit. *Naturâ Infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia, qvàm mala, & ut Corpora lentè augeſcunt, citò exſtingvuntur, ſic Ingenia ſtudiaqve facilius oppreſſeris, qvàm revocaveris.* Idem. 2 Sententias ejusmodi opus eſt ut ipſe Magiſter habeat in promtu, & qvaſi in numerato, qvò etiam eas datâ occaſione ad menſam vel alibi applicet ad uſum. 3 Ità enim crebrò auditas nec obliviſcentur Adoleſcentes, & exemplô Magiſtri ipſi qvoqvè ad rem accommodare diſcent: præſertim cùm ſubindè moniti fuerint.

VII. 1 Qvia verò profanorum ferè tantùm Autorum ſententias hactenùs adduco, nolim cuiqvam ſacrarum oblitus videri, qvin altiſſimâ voce inclamo omnes nobilium Adoleſcentum Magiſtros, ut ex divino & puriſſimo fonte veræ ſapientiæ petitas vitæ Regulas vel maximè inculcent Diſcipulis ſuis. 2 Nam & plus fidei habent, aut certè merentur, qvàm profanæ, & altiùs feriunt pectora, qvia divinæ ſunt, Pietatemqve meliùs inſerunt animis: rem tantò magis urgendam tantoqve Nobilibus inſtillandam religioſiùs: qvò illi poſtea in alto viventes, & à fortuna molliter habiti, faciliùs abripiuntur ventis licentiæ, qvoqve moleſtiùs plerumqve Cenſores ferre ſolent. 3 Habeant itaqve ejusmodi intra ſe qvaſi Monitores, habeant memoriæ impreſſos iſtos Dictorum ſacrorum velut aculeos, qvibus animus ſubindè ad pudorem Deiqve reverentiam ſtimuletur. 4 De Officiis itaqve hominis ergà Deum, Dominorum erga ſervos, filiorum erga Parentes præcepta, qvæ in ſacris occurrunt, item hortationes ad Sapientiam, Juſtitiam, Temperantiam &c. diligentiſſimè illis inſinuanda ſunt. 5 Ex Proverbiis præcipuè Salomonis & Syracide aliqva depromantur, qvippe in qvibus plurima morum & Prudentiæ præcepta continentur, omnibus Philoſophorum effatis ſolidiora. 6 Ut illa Salomonis: *Melior eſt correptio manifeſta, qvàm amor occultus. Noli eſſe amicus homini iracundo, nec ambulato cum homine furioſô.*

Vidiſti

Vidiſti Virum velocem in opere ſuo, coràm Regibus ſtabit, nec erit inter ignobiles. Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, at ſapiens reſervat aliqvid in poſterum. Princeps qvi libenter præbet aures verbis mendacii, omnes ſervos habet improbos. Non decet Principem labium mentiens. Mollis reſponſio frangit iram. Homines deriſores perdunt Civitatem, ſapientes verò avertunt calamitatem. Memoria juſti cum laudibus, at nomen impiorum putreſcet.

VIII. 1 Poſtqvàm Generoſi Tyrones iſtis, aliisqve in Diatribe explicatiùs propoſitis Progymnaſmatibus ad majora ſatis præparati videbuntur, proponi illis & Rhetorices Præcepta pleniora, & exercitii causâ † graviores materiæ debent, ac tales inprimis, qvæ homini politico poſſint eſſe conducibiles. 2 Seligenda itaqve Problemata politica, & in exercendi ſtyli materiam convertenda ſunt. Ut, exempli gratiâ, *An otioſi in Republ. ferendi? An factiones & Diſſidia inter ſubditos alenda? An ſceptrum dandum ſit Peregrino? An Legibus ſcriptis in Republ. opus ſit? An homicidas numeratâ pecuniâ impunes dimittere juſtum videatur? An externus Miles ad defenſionem Patriæ vocandus? &c.* 3 Tales Qvæſtiones à bonô aliqvô & Latinitatis non negligente Autore (qvales ſunt Piccartus, * Bernеggerus, Freinshemius, Boeclerus, alii) tractatas vertant in vernaculum Diſcentes, & poſteà ſepoſitô Autore reducant in Latinum. 4 Ubi ſic alienis lineis inſiſtendo aliqvandiù ſe exercuerint, ipſimet ſimilium Qvæſtionum Politicarum Deciſiones, conqviſitis ex Autoribus in utramqve partem argumentis, faciant, politioreqve Latini ſermonis qvaſi veſte induant, ac deniqve publice recitent. 5 Sic enim & diligentiùs ſolicitiusqve elaborabunt, qvæ plurium auribus judiciisqve ſubmittenda eſſe ſcient, & paulatìm coràm majore hominum Corona animis imperterritis verba facere diſcent. 6 Qvæ res Nobilibus præcipuè magnopere neceſſaria eſt. Qvos haud ornat eqvidem ferocia, etſi ea multis ſpecie animoſitatis imponat, ſed nihil magis qvoqve eosdem dedecet, qvàm ‡ Timiditas, ut contra nihil magis commendat, qvam animi præſentia, nullâqve in re honeſtâ nimis erubeſcens aut trepidans Generoſitas, ſeu, ut Tacitus vocat, ingenita Nobilitas. 7 Ceterùm hanc, de qva agimus, fiduciam nulli tantam inſevit Natura, qvin Exercitatione, etiam ſcholaſticâ; augeri poſſit. 8 Et eô fine in benè inſtitutis Gymnaſiis Declamationes ejusmodi & ſubindè qvidam Actus publici, petitis ex Hiſtoriâ Materiis, diſtributisqve velut ad Drama qvoddam, in ſingulas

 gulas

† *Graviores materiæ*] Exercitationum ſtyli exempla è Cornelio Nepote dedit nobis B. Joh. Scheffer. in Lectionib. Academicis Cornelianis p. 11. 19. ſ. edit. Hamburg. M.DC LXXV. in 8t.

* Melch. Junius in duob. Orationum Tomis Argentorati M. DC. XX. in 8t. & in Qvæſtionib. Politicis, qvas cum Moralium Qvæſtionum auctario qvartùm edidit Argentorati anno M. DC. XXXI. Vir reverendus olim maxime, ſummorumqve in Eccleſiam DEI meritorum B. Joh. Conr. Dannhawerus in 8t. Nicol. Vernulæus Hiſtoriographus regius & publicus Eloqventiæ Profeſſor Lovanii in duabus Diſſertationum Politicar. ſtylô Oratoriô explicatarum Decadib. Lovanii evulgatis annô M. DC. XLVI. in 8t.

‡ *Timiditas*] Citat è Poëta qvopiam Plato in Euthyphrone: ἐκ ἐθέλεις εἰπεῖν ἵνα γὰρ δέος ἔνθα καὶ αἰδώς. „ Namqve metus ſocium ſecum trahit uſqve pudorem.

gulas Perſonas penſis, haberi conſvevêre. 9 Poſſunt verò etiam in Eloqventiæ exercendæ materiam antiqva, atqve etiam ficta exempla ſumi. 10 Sic Pater Horatii Romani introduci poteſt, miſeriam ſuam qverens, qvod & filiam amiſerit, & filium tàm egregiè de Patria meritum amiſſurus ſit. 11 Item Populi Romani Horatium à ſuppliciò liberantis ſermo repræſentari qveat. 12 Item Oratio Matris Veturiæ, filium Coriolanum ab oppugnatione Patriæ dehortantis. 13 Sed inprimis ex Polona Hiſtoria ſegetem declamationum peti ſvadeam. 14 Exempli gratiâ: Repræſentetur populi Poloni Oratio Lechum II. regnô exuentis, qvia fratrem ſuum occidiſſet. 15 Producatur in Theatrum facinus Popieli Patruos ſuos nefandô facinore interimentis, ſed ſimul qvoqve pœnæ illi divinitùs illatæ atrocitas depingatur. 16 Exaggeretur facinus Boleſlai Audacis, qvi innocentiſſimum Antiſtitem occidere ſuſtinuerit. 17 Parentetur Uladiſlao Jagellonidæ, qvi malè ſuſcepti belli culpam ſangvine ſuô ad Varnam luit. 18 Ex qva Hiſtoria facile etiam integrum Drama confici poterit, ſi aliqvi Conſiliariorum Regis diſſvadere bellum in Amurathem, alii ſvadere fingantur, atqve inter hos præcipuè Julianus Pontificis Legatus: ſi & Amurathis Oratio perfidiam Chriſtianam deteſtantis; ſi deniqve nuncius omnem infelicis prælii actum & exitum referens introducatur.

IX. 1 Sed iſta, qvæ jàm præſcribo, non ante feliciter procedere poſſunt, qvàm in Autorum, è qvibus Latinitas haurienda eſt, lectione utcunqve verſati fuerit diſcentes. Qvare huc tempeſtivè illi ducendi ſunt. 2 Autores legendos, & ordinem, qvô legendi ſint, alibi pro viribus monſtrâſſe mihi videor. Attamen, qvia non omnium Autorum lectio, ab illis alioqvin exigi ſolita, qvi ex Eruditione vitæ præſidia qværunt, à Nobilibus poſtulari poteſt, vel debet, qvi præter cæteros his commendandi ſint, breviter indicabo. 3 Ac primùm Ciceronis Epiſtolas, ſed ſelectas, proponi iis velim: in qvibus & ipſis, qvia à viro Conſulari, & in magno Romani Imperii climacterico ſcriptæ ſunt, cùm multa Politico utilia occurrant, non ea tralatitiô ſegniqve oculô transmittenda ſunt, ſed qvantum captus & ætas fert, expendenda, atqve in futurum poſt uſum ſeponenda. 4 Indè ad Officia ejusdem Tullii, pòſt ad orationes pro Lege Manilia, pro Marcello, pro Archia, pro Milone, in Catilinam, & id genus alias tranſeundum eſt. 5 Simul mox ad * Cornelium Nepotem, & Cæſaris Commentarios ducendus eſt Tyro nobilis. 6 Hos ubi percurrerit (neqve enim diu morantur, qvia faciles ſunt, & meræ qvodammodò narrationes, nullis ferme ſententiis Lectorem ſiſtentibus diſtinctæ)

* *Corn. Nepotem*] *Ea exempla*, auctore Chriſtoph. Cellario, viro certè bono & florentis facundiæ in Dedicatione Nepotis ſui Lipſiæ M. DC. LXXXIX in 12. „ magnæ virtutis clariſ„ ſimarumqve rerum Cornelius Nepos propo„ nit, qvæ tùm cuilibet ad publicam rem præ„ parando, tùm maximè formando Principi „ ſunt accommodata, ut inde qviſqve ſibi & „ Reipubl. ſuæ, qvod imitetur, capiat, & „ qvod fœdum inceptu, fœdum exitu, devi„ tet. Ideo enim in illuſtri poſita, litterarum „ ope, exempla ſunt, ut illorum magiſterio „ noſtros mores, noſtramqve rempubl. finga„ mus, & aliorum lætô eventu, vel periculo eti„ am, qvod felix nobis & ſalubre ſit, accuratè „ conqviramus.

diſtinctæ) ad Curtium, Juſtinum, ‡ Salluſtium, † Livium deniqve ipſum admittatur. 7 Hic enim, etſi ceteri omnes ſuis dotibus ſuſpiciendi ſunt, plus ceteris animum diſcentis tùm verborum tùm rerum exemplorumqve copiâ ditare poteſt :: qvia univerſam rem Romanam & varias Dominatoris illius populi vices, ancipites Senatus deliberationes, tùm acerrimas cum plebe & Tribunis concertationes aliaqve ejusmodi pari ingeniô, judiciô & facundiâ complexus eſt, cùm reliqvi paucorum annorum particulas aut majorum duntaxat operum compendia dederint. 8 Non eſt etiam ſilentiô tranſeundus * Svetonius, mores aliqvot Imperatorum ingenuô ſtylô, & eâdem libertate proſecutus, qvâ illi vixerunt. 9 Atqve indè porrò ceterorum qvoqve Imperatorum vitas, etſi impare ſeqviorum ſeculorum facundiâ deſcriptas percurrere utile erit. 10 Neqve enim ullâ re ad vitam prudenter probéqve inſtituendam animus potentiùs movetur, qvàm (a) vitæ alienæ contemplatione. 11 Atqve inprimis magnorum natalium homines, ſi æqvè mentis qvàm gentis generoſæ ſint, ad ſubductiorem curatioremqve vitæ rationem ſtimulum indè capiunt, cùm nullas Principum virorum actiones ità delitеſcere potuiſſe vident, qvin ope literarum in apricum productæ, atqve ad perpetuam illorum vel laudem vel ignominiam in magno orbis theatro hodieqve ſpectentur, leganturqve. 12 Majore elegantiæ qvàm veri curâ Imperatorum res geſtas laudesqve deſcripsêre (b) Panegyriſtæ: adeoqve; ob ipſa inprimis magnifica verborum

‡ *Salluſtium*,]. Hic multas Romanæ Hiſtoriæ partes magna cum ſapientiæ & puræ argutæqve brevitatis elegantiſqve facundiæ laude perſcripſit. In qvo tamen etiam obſoleta qvædam reperias & novata, auctore Giſanio loco mox adducendo.

† *Livium*] Hunc Roland. Mareſ. I. Epiſt. XLVII. p. m. 211. Edit. opt Lipſienſ. 1687 in 12. „ exemplar optimi Hiſtorici habet, qvi ſummâ diligentiâ pariqve eloqventiâ, Hiſtoriam Populi Romani ab Urbe condita ad ſua uſqve tempora deduxerit. Si Obert. Giſanium in Diſſertatione de V. Ætatib. Romanæ Lingvæ addita ejus Obſervationib. Singularib. in Lingvam *Latinam* Francof. editis anno M. DC. XXIV. in 8r. p. m 431. audimus, „ Livius eſt Romanæ ſcriptor nobilis Hiſtoriæ (ſcripſit Decades 14 i. e. libros 140. de qvibus tantum tres decades exſtant, & qvintæ dimidium) verè lacteo eloqventiæ fonte manans, admirabili orationis gravitate, & copia ac ſplendore omnibus ferè Latinis hiſtoricis antecellens, hujus tamen locutionis forma alicubi eſt recentior, & Cicero eſt eo multo ſvavior ac politior. Animadverſa eſt à Pollione qvædam in eo *Patavinitas* i. e. judicatus eſt, non per omnia purum putumqve Romanum eloqvium retinuiſſe.

* *Svetonius*) Julii Cæſaris Aug. & decem Imperatorum ſeqventium Hiſtoriam deſcripſit uſqve ad annum Chriſti XCVIII. Oratio ejus propria & brevis plus nervorum qvàm corporis habet. Giſan. d. l. p 432.

(a) *Vita aliena contemplationem*) Juvat audire elegantiſſimum Janum Nicium Erythræum cujus in III. Pinacothecæ dedicatione hæc leguntur. „ Qvid eſt tàm utile, atqve adeo neceſſarium, qvàm eos, qvi nullo rerum uſu nullaqve experientia imbuti, hujus curriculum vitæ ingrediuntur, in qvô tam multi turpiter labuntur ac corruunt, poſſe, tanqvam in ſpeculum, in eorum vitas, qvi illud anteipſos confecerunt, inſpicere, atqve ex iis ſumere exemplum ſibi? videlicet, út, qvod illis itèr ad laudem apèruit, in eo omnes nervos ætatis induſtriæqve ſuæ contendant; qvod autem eiſdem datum eſt vitio, omni ope ſtudioqve defugiant.

(b) *Panegyriſtæ*) Panegyricis in Orationibus omnem dicendi & ingenii vim mihi explicuiſſe videntur veteres, ut non ſine magna Reipubl. litterariæ jactura tàm multa ejus generis temporum iniqvitate ſint intercepta. Conſtat enim in ſingulis pene urbibus laudatos olim Cæſares, & illuſtriſ-

borum lumina, & acutiſſimas ſententias legi debent. 13 Præcipuè Plinius, qvi omnium maximè eximiâ qvâdam ingenii & artis conſpiratione id aſſecutus videtur, ut mirificè ubiqve & ſine damno tamen perſpicuitatis, ſit argutus. 14 Minimè autem tacitè prætereundus nobis eſt (*c*)Seneca & (*d*) Tacitus, Autores ſanè magnificis ingeniis digniſſimi. 15 Nam ut ille altiſſimos, & qvemadmodùm virtutem, ſic ſummam plerumqve libertatem ſpirantes ſenſus pari verborum ſublimitate & efficaciâ eloqvitur: ita hic arcaniſſima hominum in alto agentium Conſilia & penè cogitata ſummô acumine & penetrat & effatur. 16 Sed de his aliisqve pluribus Autoribus alibi egi accuratiùs. 17 Injurius eſſem in Poëſin, rem divinam, ſi eam à ſtudio Nobilium prorsùs excluſam vellem. 18 Conſtat nobis, qvanti ab omnibus olim habitus fuerit Homerus, qvanti ab Alexandro ipſo, Magno illo orbis Domitore, æſtimatus. 19 Jam Virgilii carmina in deliciis fuiſſe Auguſto, uti & Horatii, latet profectò nemimem. 20 Et certè ſi non alios, hos ſaltèm duos à nobilibus evolvi, curæqve haberi velim. 21 Sed inprimis Virgilii Æneida: idqve tùm propter verborum lumina & Orationes paſſim inſertas elegantiſſimas, tùm præcipuè propter res ipſas(*e*)ad Politicam plurimùm facientes. 22 Nam in Ænea nihil aliud nobis Poëta divinus qvàm characterem pii & ſapientis, ſed multis periculis jactati Principis dedit: uti J. Cæſar Scaliger in doctiſſimo libro de Poëtica prolixè oſtendit. 23 Porrò illa virtutum caſuumqve exempla, qvia numeris ligata ſunt, eò facilius hærent memoriæ, adeoqve, ſi diligenter lecta fuerint, eò procliviùs, ubi opus erit, ſtylo & ſermoni ſeſe ingerent.

X. 1 In tanto verò Autorum numero, cùm fieri vix ſoleat. ut omnes pari diligentiâ à nobilibus evolvantur: eorum nonnullos utcunqve percurri ſufficit. 2 Interim ſeligantur aliqvi, qvos aſſiduâ iteratâqve adeò lectione plane ſuos facere nobiles illi conentur: ita ut ex iis præcipua qvæqve in promtu, & ferè memoriæ infixa habeant: ſaltem reperire qvidlibet poſſint, cùm uſus poſtula-

illuſtriſſima qvæqve ingenia ad agendas iis gratias auctoritate publicâ excitata fuiſſe. *Nihil autem*, auctore Boxhornió p. 21. Epiſtolar. „ eſt „ qvod cum Plinii Panegyrico poſſit comparari. „ Ut enim in Latinitate poſtremum, non „ negandum, ita ævo Auguſtæo digniſſimum „ eſſe in dubium vocari non debet.

(*c*) *Seneca*) Giſanio in Diſſertat. de V. Ætatib. Romanæ Lingv. p. m. 432. Seneca eſt in optimis hujus ætatis ſcriptoribus, cujus dictionem maximi facit Juſtus Lipſius, ut Philoſophi, & Oratoris excellentis.

(*d*) *Tacitus*) Tiberii Cæſaris Hiſtoriam deſcripſit ad Cæſarem uſqve Veſpaſianum. Oratione utitur preſſâ, propriâ, argutâ & paucis verbis multas res complectente, crebriſqve ſententiis ornatâ.

(*e*) *Ad Politicam*) Recordor hîc verborum Boecleri, qvæ non ita pridem legi in p. 16. præfationis Commentationi in Grotium de Jure Belli & Pacis præfixæ: „ Sæpe apud Epicos Poëtas „ pars magna οἰκονομίας & contexendi operis eſt hæc Philoſophia Juris, de qva loqvimur, ſicut in divina *Æneide Maronis* obſervari debet. „ Qvæ & nullam particulam juris „ naturæ & Gentium intactam reliqvit. „ Ex „ *Homero* itidem non eſt locus hujus argumenti, „ qvi non poſſit inſtrui. „ Sed qvæ exprimuntur vocabulis & monſtrantur titulis, faciliùs „ hoc nomine æſtimantur, qvæ autem politicis involuta ſunt artibus eruditioribus copioſam prorſus meſſem bonæ frugis ſuppeditant. „ *Horatio* tamen multum debere ſeorſum „ poteſt, qvi ſapientiæ ſtudiis ſeriò imbutus „ eſt.

poſtulaverit. 3 In delectu ipſa animorum inclinatio qvodammodò ſeqvenda eſt. Alius enim hôc, alius alio Autore magis delectatur. 4 Interim optem, ut propenſio illa in Livium potiſſimum, poſteà in Tacitum incidat. 5 Hos ſi Autores, (qvibus Senecam ob morum præcepta addi velim) pernoverint penitiùs, habebit ſemper mens, undè bonos conceptus, habebit & lingva, undè penetrantia & efficacia Orationis lumina fulminaqve haurire poſſit.

XI. 1 Græcorum qvoqve Hiſtoricorum aliqva facienda eſſet mentio, qvia multa habent egregia, inprimis Xenophon, Thucydides & Polybius. 2 At vix audeo illos commendare Nobilibus. Non, qvòd non mereantur legi, aut ab aliqvibus magnæ ſtirpis & conditionis Viris non cum fructu lectos ſciam, verùm ideò, qvòd Nobiles plerumqve vix latinis Autoribus legendis debitam patientiam commodant, nonnunqvàm etiam ad vitam vel aulicam vel militarem ità properant, ut non niſi ſelectiores, neqve illos totos, ſed vix particulas, & ſæpè nimis feſtinante oculô percurrant. 3 Qvod cùm ita ſit, ſatius eſt, in Latinis præcipuè ut occupentur Autoribus: ſic enim præter rerum ſcientiam Lingvæ qvoqve Latinæ fructum metere poſſunt: cùm Græcam rari diſcere ſoleant, imò altô plerumqve ſuperciliô, ut non neceſſariam, deſpiciant: ignari ſcilicet aut minùs penſi habentes, ſine illa ne Latinam qvidem ſolidè diſci, imò nec legitimè ſcribi pronunciarive poſſe. Qva de re alibi monui. 4 Si tamen Græcorum aliqvem legere vel animus vel otium ſvadet, Plutarchi vitas inprimis commendavero, librum multifariæ frugis, & Nobilibus perqvàm utilem, qvia magnorum virorum mores & geſta, factâ inter Romanos & Græcos contentione pulcherrimâ, cordatiſſimè exeqvitur. 5 Vir haudqvaqvàm umbraticus, ſed magnis dignitatibus functus, & ut qvidam exiſtimant, Trajano qvondam à ſtudiis, jure qvoqve apud Agellium *doctiſſimus* atqve *prudentiſſimus* dictus. 6 De eô deniqve non immeritò Theodorus Gaza, cùm rogaretur, ſi neceſſe eſſet libros omnes in mare præcipites dare, qvem poſtremò projecturus eſſet, reſpondit: Plutarchum. 7 Qvocirca, ſi etiam Græcum cui non libeat legere, Latinum tamen (cùm ſat benè à Xylandro verſus extet) legendum cenſeo.

XII. 1 Nominavi non paucos Autores, qvorum lectionem frugiferam fore Nobilibus certus ſum: & reſtant tamen alii, qvos haudqvaqvàm puto negligendos, præcipuè ex recentioribus. 2 Ac primùm ut totius hiſtoriæ qvoddam Compendium, & velut Enchiridion, qvod ubiqve; ſecum ferre poſſint, habeant, præter * Turſellinum mirè terſum, ſed perbrevem, † *Cluveri*

Oo *veri*

* *Turſellinum*) Multa hic edidit, in qvibus incorrupta Latini ſermonis ſanitas, & Ciceronis elegantiâ, qvem ſibi ad imitandum propoſuerat, tincta apparet oratio; De vita S. Franciſci Xaverii lib. VI.; Epiſtolarum ejuſdem lib. IV; Lauretanæ hiſtoriæ lib. VIII; Literas annuas Soc. Jeſu anni CIↃ IↃ CIII; De particulis Latinæ orationis; Nomenclatorem vocum Latinarum; Orationem funebrem in morte Gregorii XIII. Epitomen hiſtoriarum à mundo condito, lib. X. edit. Franeqv. M. DC. LXXXVIII. in 12.

† *Cluveri*) Hunc, ait Cl. Rupertus in Methodo Studii Philol. p. 194 „ ab elegantia ſtyli „ ſemper

veri Epitomen, ut ſibi familiarem reddant ſvadeo. 3 Qvia illa omnem ferè meliorem antiqvioris hiſtoriæ ſuccum exhauſit, adeoqve ea, qvæ ſparsim in Hiſtoricis lecta fuerint, in memoriam revocare poteſt: plerumqve etiam verba bonorum Autorum retinet, ut ſtylô qvoqve lectio libri illius non pœnitendum afferre adjumentum poſſit. 4 Cùm tempus eſſe privatus ſtudiorum Director judicabit, ad alios qvoqve recentioris ævi Autores ducet generoſos diſcipulos ſuos. 5 Sed primùm eos ſeliget, qvorum dictio puræ latinitatis ſit, adeoqve eloqventiæ ſtudio provehendo utilis eſſe poſſit: qvorum non paucos anni ſuperiores & tempora noſtra effudêre. 6 Nominare eos hîc nihil attinet, cùm alibi in *Epiſtolâ de eloqventiæ ſtudiô* id operosè fecerim. 7 Hoc tantùm monere hâc occaſione velim, malè ſibi ſtudiisqve illos conſulere, qvi intra veterum unicè Hiſtoriarum lectionem conſiſtunt, recentiorum & ‡ domeſticarum rerum incurioſi. 8 Undè fit, ut tales plerumqve in antiqvis & longè remotis oculati, in ſuis cœci, verèqve adeò peregrè domeſtici, domi peregrini ſint. 9 Cùm cuiqve patriæ ſuæ & ſeculi ſui res ſcire maximè neceſſarium ſit, & antiqvos non aliô fine legere oporteat, qvàm ut, qvæ olim geſta ſunt, ad præſentia accommodemus. 10 Porrò non principum familiarum vincula, nec Regnorum Provinciarumqve, inter ſe neceſſitudines, vel controverſias, bellòrumqve adeò jura ſcire qvisqvam (cum tamen vir nobilis & politicus iſta ignorare non debeat) poſſit ſine diligente recentiorum Autorum lectione. 11 Unde viros illos, qvi in Republ. plurimùm posſunt, non minùs in Comineo, Paulo Æmilio, Bonfinio, Cromero, Gvicciardino, Thuano, Strada, Gramondo, qvi Venetam hiſtoriam, Bentivolio qvi Belgicam, Amirato, qvi Florentinam, Malavolta qvi Senenſem, Emmio, Vinſemio, qvi Friſiam ſcripsêre, & ejusmodi aliis verſatos ſcio, qvàm in Curtio, Vellejo & aliis ejusmodi antiqvæ monetæ Autoribus. 12 Multi inter alias ſummas utilitates, hanc qvoqve ex peregrinatione hauriunt, qvod dùm peregrè in gentium externarum lingvis ſe exercere cupiunt, libros earum vernaculos atqve inprimis hiſtorias evolvunt, magnô ſanè in omnem vitam emolumentô. 13 Hinc fit, ut qvi induſtrii ſunt & rerum ſuarum ſatagunt, Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum, Autoribus lectis non lingvas tantùm iſtarum gentium addiſcant, ſed rerum etiam apud illas geſtarum non pœnitendam ſecum domum peritiam referant.

XIII. Ce-

„ ſemper commendavi. Optima, ne in ea errent Studioſi, ſeptima eſt editio, qvæ Amſtelædami apud Raveſteinium M. DC. LXVIII in 4to exiit. Addes & Boxhornii Hiſtoriam Univerſalem Sacram & Profanam cum Chriſtiani Matthiæ Theatro Hiſtorico-Theoretico Practico, in qvo qvatuor Monarchiæ novâ & artificioſâ Methodo explicantur. Amſtelod. M. DC. LXXXVIII. in 4to, qvod & nuper in Germania rurſus prodiit ad annum M. DC. LXXXIX continuatum. Boeclerus in de utilitate ex Hiſtoriæ Univerſ. compoſitione capienda p. 16. Auctorem, „ ſvavitate & novitate qvâdam methodi ſua ad „ Monarchias excerpta adornâſſe judicat. F. Spizelius in p. 206. Templi Honoris reſerati, „ perfectum Hiſtoriæ pariter ac Moralis diſci„ plinæ exemplum exhibuiſſe, *ſcribit*. Sed de „ perfectione dubitaverim, ſubjicit Cl. D. Caſpar Sagittarius in Introduct. in Hiſtor. Eccleſiaſtic. p. m. 185. §. 32. c. XII. „ utut inſtitutum „ omni laude dignum cenſeam.

‡ *Domeſticarum*) Lege Tomum I. noſtrae Methodoc. p. 713.

XIII. 1 Ceterùm ut Medico vel Seplaſiario latiſſimos & ſalutarium herbarum fertiliſſimos campos hortosqve perluſtrare nulli rei fuerit, niſi eas plantas, qvas uſui medico idoneas putet, decerpat, colligatqve; ità lectio plurimorum Autorum nihil profuerit, niſi ‡ excerpendi diligentia accedat. 2 Solet nonnullis Labor iſte faſtidio atqve odio penè eſſe, qvidam & memoriæ fidunt, & prout id, qvod legunt, dùm à lectione recentes ſunt, meminiſſe ſe vident, ità perpetuò id animo hæſurum credunt. 3 Sed plerosqve fallit opinio, & rerum aliarum ſubindè imaginibus oblatis obliterantur priores: rapitqve oblivio identidem optima qvæqve & memoriâ digniſſima. 4 Omninò igitur * Plinium imitari oportet, qvem Plinius Junior (libr. III. Ep. V.) nihil legiſſe teſtatur, *qvod non excerperet.*

XIV. 1 Excerpenda autem tùm verba & phraſes ſunt, tùm res. 2 De verbis, qvomodò, & qvæ excerpenda digerendaqve ſint, alibi monui. 3 Circa res paulò major difficultas eſt. 4 Ego primùm ordine omnia memorabilia, ſive ſententia ſit eximia, ſive judicium de re aut perſona, ſive exemplum virtutis vel vitii, ſive omen, ſive monſtrum, ſive caſus, ſive ſtratagema, ſive inſtitutum gentis ſingulare, ſive calamitas publica, ſive ritus, ſive ſtructura aliqva, ſingularis & alia ejusmodi ordine, prout qvidqve occurrit, in li-

‡ *Excerpendi diligentia*) Proderit plurimum qvidqvid qviſqve à prima adoleſcentia ſcriptione & memoriâ dignum legerit, in adverſaria ut redigat; eaqve maximè, qvæ genio ſuo, & cogitatæ aliqvando ſcriptioni commodiſſima. qvidqvid in primis virtutes vitiaqve tangit qvidqvid novum, reconditum, veteris eruditionis, hiſtoriarum, qvidqvid admirationem laudemqve meretur; damnanda etiam; deniqve qvidqvid calamo in qvacunqve re dignum: ut ſingula ad ſua referat capita, è qvibus pro meditata ſcriptione, nullo poſtea negotio profutura mutuetur. Facillima ſcriptio eſt cui labor ille viam ſtravit. In qvam rem neceſſum erit, qvidqvid ubiqve veteris monetæ doctum, ſeriâ lectione percurrere, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos varios, Græcos juxtà ac Latinos; nec ullum indiſcuſſum tranſire: nec res tantum in indicem referre, ſed & ſententias, & ſi qvid in epitheris elegans & proprium, ſi qvid in figuris urbanum & grande, ſi qvod pondus in ſenſibus, ſi qvæ metaphoræ nobiliores, verba deniqve ſingula illuſtriora. Ita cùm maxima è magnis capita defruſtaverit, transferre in calamum chartamqve, tanqvam horrea ſua, poterit, qvidqvid à varia eruditionum area collegerit, ut aliorum opibus, non magno molimine, domum ſuam locupletet, felix labore non ſuo diveſqve audiat ærario alieno, omniumqve retrò ſeculorum fortuuis fortunas augeat ſuas.

* *Plinium*) Idem animus, mens eadem hoc circa negotium Rolando Mareſio, cujus è XXX. libri II. Epiſtola p. m. 408. hæc ſubjicio, „ Plinii „ in ſtudiis ſedulitatem, & inſtantiam planè „ incredibilem, eum qvi in literis nomen ali- „ qvod habere volet, imitari convenit. Ille „ perire omne tempus arbitrabatur, qvod non „ ſtudiis impertiretur, & nihil unqvam legit, „ qvod non excerperet, ut de eo refert ſororis filius. Itaqve ut fructum aliqvem ex ſtu- „ diis colligat, & ex varia lectione aliqvid in „ penum, qvod ſibi uſui eſſe poſſit, congerat, „ ex omnibus libris, qvi lectione non indigni „ ſint, maximè inſignia excerpere, & adno- „ tare oportet: ſuo autem cuiqve pro arbitrio „ excerpi, & in commentarium referri, ni- „ mirum ritum aliqvem inſignem, in hiſtoria „ res memoria dignas, ſcitè & arguitè dicta, „ gnomas graves, ad mores aut ad pruden- „ tiam pertinentes: nam qvæ ad Grammaticam „ pertinent, ſeorſum ſunt adnotanda, ut ſi qva „ καινοπρέπεια occurrat, ſi qva vocabuli ſi- „ gnificatio non vulgaris, aut verbum aliqvod „ rarum. Eorum excerptorum præcipua, qvæ „ electa vocabant veteres, poſtea ſub titulis „ certis ordine collocari poterunt, ut, cum „ opus erit, ex qvibus locis in unaqvaqve ma- „ teria res petendæ erunt, ſtatim agnoſca- „ tur.

bro ad id comparato connotari, & in margine Titulum addi ſvadeo. 5 Interim alius Liber concinnetur, cui (donec aliundè qvid accuratius ſuggeratur) Tituli ex Keckermannianis, (*Vide Tom. II. Oper. p.* 248. *ſ.*) qvi nimium multi & operoſi eſſe videntur, ſelecti contractiqve inſcribantur, & ſub his ea, qvæ ante raptim & ſine ordine diſcens congeſſerat, adhibitâ accuratiore diribitione collocentur. 6 Qvibusdam Cl. Viri Berneggeri conſilium & * exemplum placet. 7 Qvi vir Politicæ Lipſii, qvam familiariſſimam ſibi reddiderat adeò ut nihil in ea ipſum lateret, chartam mundam inſeruerat, ibiqve annotabat, qvidqvid in Autoribus ad textum Lipſii faciens reperiret. 8 Sed tùm tamen in fine Libri locus relinqvendus erit multis rebus, qvibus intra Librum annotandis ex Lipſiano textu nulla erit occaſio: Cùm Lipſius Principem formet, & qvid in Monarchico ſtatu fieri ſoleat debeatqve, doceat potiſſimùm: caſuum, ſtructurarum, calamitatum publicarum, plurimarumqve ſimilium rerum iſtic non fiat adeò mentio neqve fieri potuerit.

XV. 1 Ego præterea nobilem, cui, ſi aptus ſit, freqventem ſubindè in publico dicendi campum mos patrius ſuppeditat, optimè ſibi conſulere autumo, ſi qvoties aliqvid egregium in Autore legit, illicò cogitet, ubi id ſibi olim in luce publica ad Orationem decorandam utile eſſe poſſit. 2 Ut rem iſtam tantò vel commendatiorem, vel perſpicuam magis reddam, lubet præire, & lineas aliqvas pingere, qvas æmulari deindè Juventus poterit. 3 Si exempli gratiâ

* *Exemplum*] De celeberrimo Londinate Thoma Gatakero ſcio; eum aliqvot in volumina Junii & Tremellii Biblia chartâ purâ inſertâ, diſtribuiſſe, in qvæ omnia obſervatu digna apud Auctores occurrentia retulit, occaſione hujus vel illius verbi in Bibliis occurrentis. Qvi mihi nunqvam nimiam ob confuſionem colligendi placere modus potuit. Ut multa nobis qvotidie in Scriptorum obvenire lectione taceam, qvorum nec veſtigium in ſacris offenditur nec vola. At ex eo qvod nonnulli magnam, qvam in ipſo agnoſcimus, Bibliorum cognitionem colligere ſatagunt, in eo qvidem eos fugit ratio, cùm vel Concordantiis, qvas vocant, hanc in rem uti potuerit vir doctus; cetera ut adminicula hunc ad ſcopum facientia ſileam. Barth. Keckermannus ſententias ad *Stobæum* colligere ſvaſit, minus tamen conſultè, cùm longè locupletiores & ordinatiores extent ejus argumenti recentiores, verbi gratiâ Magirus, Langius, Gruterus. Sic de Longolio, ad Plinii Hiſtoriam Mundi omnem ſuam congeſſiſſe eruditionem, in vita ipſius cum aliis à Bateſio non ita pridem edita refertur p. 140 ſ. Qvem Cl. Salmaſius videtur imitatus eſſe, cujus tamen de vegrandi opere exiliter admodum judicat Jeſuita Harduinus in præfatione Plinii ſui in uſum Delphini publicati: liberaliùs multo D. Morhofius in I. Polyhiſtoris c. XXI p. m. 241. Ego ſanè Commentarios ejus in Hiſtoriam Auguſtam & Exercitationes has in Plinium optimos Salmaſii, qvos unqvam ſcripſit, libros habeo. Qvibus adde illius ipſius Salmaſii Explicationem duarum Inſcriptionum Veterum Herodis Attici Rhetoris & Regillæ Conjugis Honori poſitarum. Lutet. Pariſ. M. DC. XIX. in 4to. Item notas ejus in Tertullian. de Pallio. Lugd. Batav. M DC. LVI. in 8t. De Matthia Berneggero apud Jo. Freinshemium in Dedicatione Politic. Lipſii, edit. (qvam Studioſi probè obſervent, ut ex inſtituto Matthiæ Berneggeri adornatam) Francof. M. DC. LVIII. in 12. hoc modo ſcriptum eſt: „ Matthias Berneggerus haud obſcurum in literis „ nomen, Juſti Lipſii Politica tanti fecit, ut in „ hoc genere ſtudiorum non aliô aut moderatore „ judicii, aut memoriæ præſidiò uteretur. Itqve „ qvidqvid compluirium annorum diligens & ac„ curata lectio, egregium & obſervatione dignum „ obtulerat, hunc in theſaurum (cujus omne ar„ gumentum, continuò uſu, velut in numerato „ habebat) congerere inſtituit. Vide hoc de Excerpendi modo Cl. Vincentium Placcium Hamburgenſ. in libro de Arte Excerpendi c. II Sect. IX §. 3. p. m. 118. ſ. edit. Holmienſ. M. DC. LXXXIX. in 8t.

gratiâ in Senecâ leget ſententiam: *Omnis dies, omnis hora, qvàm nihil ſimus, oſtendit, & aliqvô argumentô recenti admonet fragilitatis oblitos*; cogitabit illicò, fore ei aliqvando locum in Oratione funebri. 4 Cùm apud eundem illud occurrit: *Eripit ſe, aufertqve ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant qvæ in primo maturuerunt*, veniet mox in mentem id uſurpari poſſe, ſi de magno aliqvo ſed præmaturè mortuo Juvene loqvendum ſit. 5 Cùm apud eundem Senecam illud incidet: *Idem huic Urbi dominandi finis erit, qvi parendi fuerit*, id locum habiturum reputabit, ſi qvando ordines ad obſeqvium legum hortari voluerit. 6 In Interregno ſi de Electione feſtinandâ loqvendum ſit, illud Taciti non incommodè uſurpari poſſe reputabit: *Hoc Imperii corpus ſtare ac librari ſine Rectore non poteſt.* 7 Si ſvadendum vel excuſandum bellum, non importunè ſe aliqvandò illud Livianum obtulerit: *Juſtum eſt bellum. qvibus neceſſarium eſt, & pia arma, qvibus nulla niſi in armis ſpes relinqvitur.* 8 Si calamitoſo Reip. tempore Civibus ſvadendum ſit, ut Conditiones aliqvas iniqviores accipiant, non ineptum fuerit illud Alconis apud Livium uſurpare: *Hæc, qvanqvàm gravia atqve acerba, Fortuna noſtra nobis ſvadet.* 9 Si Clementia Principi ſvadenda, gratiam qvandoqve inveniet Senecæ illud: *Maxima Regi gloria eſt, ſi vim ſuam continet, ſi multos alienæ iræ eripuit, neminem ſuæ impendit.* Item Tiberii prudentiſſima vox apud Tacitum: *Omittere potiùs prævalida & adulta vitia, qvàm illud aſſeqvi, ut palàm fiat, qvibus flagitiis impares ſimus.* Huc etiam aliqva conducent ex Oratione Roderici Gomeſii, qvæ eſt ap. Strad. Dec. 1. libr. VI. 10 Si de Principis aſſiduitate, & laboribus indelaſſatâ diligentiâ verba facere res ferat, haud indecens erit illud ex Panegyrico ad Theodoſium: *Gaudent divina perpetuô motu, & jugi agitatione ſe vegetat æternitas, & qvicqvid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt. Ut indefeſſa vertigo cœlum rotat, & maria æſtibus inqvieta ſunt, & ſtare ſol neſcit: Ità tu, Imperator, continuatis negotiis in ſe qvôdam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* 11 Tales gemmulæ cùm in Autoribus occurrunt, adeò non oſcitanter tranſeundæ ſunt, ut illicò, qvemadmodùm paulò ante monui, de earum tempeſtivo uſu meditandum, & qvò ſuô tempore faciliùs ad nutum ſint, ſuis locis ſingulæ reponendæ ſint. 12 Qvô fine ſvadeo, ut tituli materiarum in Publico crebriùs obvenientium habeantur, ſub qvos lumina ejuſmodi referri poſſint. 13 Occaſiones autem & argumenta Orationum uſitatiora ferè hæc ſunt. Primò circa *Sponſaliorum* & * *Nuptiarum ſolennia*: ubi de laude conjugii, de dotibus Sponſi Sponſæqve dici aliqvid, poſtremò deniqve pro fauſto ſucceſſu Nuptiarum votum addi ſolet. 14 Poſſunt hìc locum reperire ſententiæ nonnullæ de Amicitiâ: ut exempli gratiâ: *Qvi Amicum invenit, theſaurum invenit. Nulla eſt Amicô pulchrior poſſeſſio. Solem è mundo tollere videntur, qvi amicitiam de vita humana.* 15 Item de laudibus bonarum conjugum, qvalis illa ſacra eſt: *Uxor bona eſt columna aurea ſuper baſes argenteas. Mulier bona Corona eſt Viro ſuo. Gratia ſuper gratiam mulier*

* *Nuptiarum*] Vide M. Anton. Majoragii Oration. III. p. 71. ſ.

lier ſancta & pudica. *Eccleſ.* XXVI. v. 1, 2, 3, 4. 16, 17. §. Item Horatianum illud librò I. Carm. Od. XIII. extr.

> *Felices ter & ampliùs!*
> *Qvos irrupta tenet Copula: nec malis*
> *Divulſos qverimoniis,*
> *Supremâ citiùs ſolvit amor die.*

16 Si qvis uberem materiarum ad Nuptias pertinentium farraginem qværit, conſulat *Oratorem Extemporaneum* nuper editum, à p. 189. uſqve ad p. 268. 17 Si de Principis alicujus nuptiis agatur, reqvirendi ejuſmodi actus ſunt in Hiſtoriis. Vide inter alia deliberationes & apparatus circa Conjugium Alexandri Farneſii apud Strad. Dec. I. libr. IV. mihi p. 211. edit. minutæ anni 1636. Vide item Legationes de Matrimoniis inter Principem Andinum & Eliſabetham Reginam, apud Cambdenum in hiſtoriâ Elizab. ſub anno 1581. Alterum genus eſt Funebrium, in qvibus plerumqve aliqvid de conditione humanâ præmittitur, poſteà genus & virtutes Defuncti enarrantur. 19 Ad utrumqve hoc plurima obſervare annotareqve poterunt, qvi iſtùc, dùm Autores legunt, volent advertere animum: & aliqva paulò ante in ſpecimen attuli. 20 Lubet tamen pauca adhùc addére. *Qvomodo ſabula, ſic vita, non qvàm diù, ſed qvàm benè acta ſit, refert.* Senec.

> *Ut tibi mors felix contingat, vivere diſce;*
> *Ut felix poſſis vivere, diſce mori.*

Non eſt mala mors putanda, qvam bona vita præceſſit.
Mors vitam intermittit, non eripit. Senec.
Nullum eſt majus ſolatium mortalis, qvàm ipſa mortalitas.

Et: *Ingens mortalis ſolatium eſt, terram qvandoqve videre mortalem.* Vide multa ejus notæ in Oratore extemporaneo p. 308. Vide etiam Voſſii Rhetoricam maj. libr. III. p. 412. Et Palatium Eloqvent. PP. Mogunt p. 739. ſeqq. 21 Poſteà ſeqvuntur Conciliationes vicinorum, vel magnorum in Republ. Civium: qvam ad rem, uti multa opportuna Autorum lectio ſuppeditabit, ita illud Metelli apud Livium ſervire poterit: *Non poſſumus non vereri, nè tantum Reip. proſit, qvod omnibus bonis egregiè placetis, qvàm, qvod alter alteri diſplicetis, noceat.* Item Taciti illud, *Fas eſt privata odia publicis utilitatibus remittere.* 22 Nonnunqvam tempora ferunt, ut milites tumultuantes, & vim Patriæ inferre molientes oratione demulcere neceſſe ſit: tùm haud pauca utilia ſuggeret Oratio Germanici apud Tacit. Annal. libr. I. c. XLII Othonis apud eund. Tac. I. Hiſtor. Vide etiam Orationem Eſcovedi ad Hiſpanos ſeditionem in Belgiò molientes apud Stradam Dec. I. libr. IX. edit. minut. p. 593. 23 Si Poëtas qvoqve adire lubet, vide Julii Cæſaris Orationem apud Lucan. libr. V. in qva Cæſar præfractiùs agens cum milite ferociente, permittit ei ut abeat, ſi ita lubeat, ſe nolle talibus debere fortunam ſuam. 24 Milites verò ad prælium animandi plurima tàm in antiqvis, qvàm recentibus Hiſtoricis exempla extant.

extant. Vide Scipionis & Annibalis Orationes in Liv. libr. XXI. c. XL. XLI. item Valer Corvini libr. VII. hôc initiô: *Facta mea, non dicta vos milites ſeqvi volo, &c.* Apud Tacitum in Vitâ Agricolæ extant duæ inſignes, una Galgaci, altera ipſius Agricolæ. Conſule etiam ſvaſ. II. Senecæ Patris, vide & apud Stradam Oſorii Ulloæ Dec. I. libr. VIII. mihi p. 546. hôc initiô: *Ecqvid videtis, Commilitones.* Vide deniqve apud Lucanum libr. II. Orationem Pompeji militem ſuum adverſus Cæſarem animantis. 25 In Comitiis qvæ occurrunt Materiæ, vix numerô comprehendi poſſunt. Uſitatiores tamen hæ ſunt: Salutari primò omnium Princeps ſolet nomine Nobilitatis, & ſi negotia publica non infeliciter ceſſerint, pro curâ & amore in Rempubl., pro re bene & fideliter geſta ſolenniter & magnifico verborum apparatu gratiæ agi conſvevêre. 26 Qvam ad rem non ſterilis colorum ſeges ſuppetet illi, qvi in lectione Autorum, præſertim Panegyricorum, aliqva ſubindè ſelecta ſibi repoſuerit. 27 Solent qvoqve tùm Duces militares, ſi qvid in bello benè geſtum eſt publicè enarrare, ſimulqve milites, qvi virtutis ſpecimina dederint, commendare, qvod & apud Romanos uſitatum fuiſſe, cùm aliundè, tùm ex oratione L. Æmilii patet, qvæ extat apud Livium libr. XLV. 28 Solet item beneficiorum, ſeu vacantium Reipubl: dignitatum honorumqve erogatio poſtulari, ubi de præmiis de Republ. benè meritorum agi ſolet. Hic iſtarum ſententiarum uſus eſſe poteſt: *Eò impenditur Labor ac periculum, unde honos atqve alimentum ſperatur.* Liv. *Virtutis uberrimum alimentum honor eſt.* Val. Max. 29 Conferet qvoqve ad eam rem aliqvid Oratio Eumenis in Senatu habita, qvæ extat in Liv. libr. XXXVII. Poteſt & illud locum hîc invenire: *Peſſimè agitur cum Rep. ubi honores alii merentur, alii habent.* Item illud Taciti XI. Annal. *Apud Majores virtutis erant præmium Magiſtratus, cunctisqve Civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum eos petere.* Utilia qvoqve in rem iſtam monita habet illuſtris Savedra ſub Symb. 58. 30 Plurimus qvoqve de Libertate in Comitiis ſermo eſſe ſolet: *Qvæ inter præcipua humani animi bona,* ut Galba apud Tacit. libr. I. Hiſt. Modeſtè tamen ſemper habenda, qvia *plerumqve homines nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.* 31 Huc pertinet admonitio Jannini Regis Galliarum Legati, qvam Ordinibus Belgicis dat apud Baudium libr. XI. de Induciis Belgicis: *Moderatè utamini ingente munere ac dono libertatis: Periculoſum eſt depoſitum, & velut ferrum in manu furioſi, ſi qvis non habeat artem eam regendi, &c.* 32 Adhortatio verò ad aſſerendam libertatem populi extat apud Salluſtium in fragm. Hiſt. libr. III. qvam habuit Marcus Tribunus plebis: in qva inter alia *vis tribunitia telum à majoribus libertati paratum* vocatur. Qvemadmodum & Icilius apud Livium *Tribunitium auxilium & provocationem duas arces tuendæ libertatis* appellat. 33 Plerumqve etiam Contributiones ſvadendæ vel diſſvadendæ. Ubi ſvadendum Tributum eſt, conducet illa ſententia Cerialis apud Tac. libr. IV. Hiſt. *Neqve qvies gentium ſine armis, neqve arma ſine ſtipendiis, neqve ſtipendia ſine Tributis haberi qveunt.* 34 Si de æqvalitate Tributorum ſermo eſſe debeat, conſuli poteſt Qvæſtio 194. Cl. Berneggeri in Agricol. Taciti. 35 Si diſſvadenda Tributi exactio

actio

actio, vide apud Strad. Dec. I. libr. VII. p. 587. initium ita habet: *Falli rationes Albani, qvi ſibi perſvadeat &c.* Vide & qvæ habet vir Clariſſ. Forſtnerus ad Taciti illa (lib. IV. Annal.) verba: *Pacem exuêre, noſtrâ magis avaritiâ, qvàm obſeqvii impatientes.* 36 Nonnunqvàm & bellum ſvadendum, qvò pertinent Orationes Actii Tulli in Liv. libr. III. Item Capitolini ad Pop. Rom. libr. III. & Camilli Exulis ad Ardeates. libr. V. & Attilii Reguli ad bellum cum Pœnis continuandum hortantis, in Cl. Freinshemii Suppl. Livian. libr. VIII. p. 363. Et Appii Claudii ap. eund. libr. III. p. 108. 37 Rationes pacem Belgis ſvadentium diſſvadentiumqve vide ap. Reidan. libr. VI. p. 132. & ſeqq. Apud eundem extat Legatorum Belgicorum Oratio, qvâ Reginæ Anglorum Pacem cum Hiſpano diſſvadent libr. XV. p. 402. & ſeqq. Ejuſdem argumenti, ſed prolixior eſt Oratio Baudii ad Jacobum Britanniæ Regem, qvæ inter orationes Baudianas ſexta eſt. 38 Si & Poëtas conſulere non grave eſt, videri poteſt in Virgilio Oratio Alectûs Furiæ Turnum hortantis ad bellum, Æneidos VII. item Iridos, libr. IX. Turni item ſeipſum & Socios ad bellum hortantis libr. eod. IX. Apud Lucanum qvoqve legi meretur Oratio Curionis Cæſarem ad apertum bellum hortantis. 39 Ad diſſvadendum bellum conferre poteſt Oratio Nabarzanis ad Darium apud Curtium libr. V. Metii Suffetii apud Livium, & apud eundem Hannonis ad Senatum Carthaginenſem libr. XXIII. c. XII. & Scytharum ad Alexandrum apud Curtium libr. VI. & Parmenionis apud eund. lib. IV. Apud Virgil. à bello dehortatur Drances Æneidos libr. XI. & Venulus verbis Diomedis libr. eod. & Latinus Rex libr. XI. & XII. Vide etiam in Strada Dec. I. libr. VI. Orationem Feriæ Ducis Regi Hiſpano bellum diſſvadentis, item Roderici Gomeſii ap. eund. Dec. I. libr. VI. p. 383. & apud Gramondum libr. XVIII. Orationem eorum, qvi Ludovico XIII. Galliarum Regi expeditionem Mantuanam diſſvadebant 40 Aliqvando etiam Ordines Regni ad Concordiam hortandi ſunt, qvò conducent illa in Livio libr. III. *Diſcordia Ordinum venenum eſt hujus Urbis* (*Reipubl.*) Item: *Læti hoſtes dùm Diſcordiis attinemur.* Tacit. *Externis Victoriis aliena, civilibus noſtra conſumere didicimus.* Idem. *Qvoties concordes agunt, ſpernitur hoſtis, ubi diſſensêre, dùm ſibi qvisqve contra æmulos ſubſidium vocat, accitus in partem, adverſum omnes valeſcit.* Idem. 41 Conſuli præterea in hac materia poteſt Oratio Micipſæ Regis in Salluſtii Jugurtha: item Seniorum Romanorum, tum & Legatorum ad plebem in cauſa Decemviratûs apud Liv. libr. III. 42 *Conſultationes* qvoqve de belli gerendi rationibus haberi conſvevêre. Ad qvas acceſſuro non obfuerit legiſſe ac meminiſſe qvæ L. Æmilius Paulus apud Liv. libr. XLIV. ad milites perorat. Item T. Qvintius libr. XXXIV. & Appius Claudius libr. V. *Si unqvàm dubitatum eſt Qvirites.* 43 Aliqvando de Conſcientiarum libertate materies incidit, ad qvam nihil meliùs adferri poteſt, qvàm illud Stephani Regis tritum qvidem, ſed dignum, qvod nulla unqvam oblivio ex animis hominum deleat: *Deum tria ſibi reſervâſſe: Scire futura, ex nihilo aliqvid facere, & conſcientiis imperare.* 44 Huc qvadrat qvoqve illud ex Lactantio: *Qvis imponat mihi neceſſitatem vel credendi qvod nolim, vel qvod velim, non credendi?* Et ejusdem

jusdem alterum iſtud: *Nihil tàm voluntarium qvàm Religio, in qva ſi animus averſus eſt, jàm ſublata, jàm nulla eſt.* 45 De eadem * Conſcientiarum Libertate multa eximiè diſſerit Vir Romano-Catholicus Petrus Matthæus in Henrici IV. Hiſtoria ſeptennali libr. II. mihi p. 203. editionis minoris. Plurima qvoqve ad id argumentum utilia habet Magnus Thuanus in præfatione operis ſui hiſtorici. Sed Matthæi diſſertatio digna mihi videtur, qvam & ex gallico vertam, & qvantumvis fuſiorem, hùc apponam. 46 Ità verò ille: *Optandum eqvidem eſſet non niſi unum Religionis exercitium inter mortalas haberi. Nam in Unitate Veritas eſt, qvæ ipſa una, ſicut & Deus unus eſt, & ſummè unus. Et hæc unitas, ut Triſmegiſtus ait, eſt radix & principium rerum omnium.* 47 *Sed nempè torrens (diſſidiorum) iſte non poteſt ſiſti, & ſchiſma hoc jam vigorem ſuum & robur aſſumſit, qvia malum inveteratum eſt.* 48 *Deindè Deo competit Eccleſiam repurgare vel reſtaurare, non minùs qvàm eandem condere.* 49 *Oportet igitur, ut intra metas humanæ poteſtatis ſtemus homines, & triumphum victoriamqve animarum ſapientiæ relinqvamus æternæ, qvæ ſola poteſt reformare & recoqvere corda àd placitum ſuum, qvæqve tot animis deviis ac palantibus ſignum*

* *Conſcientiarum libertate*] Teſtantur Eccleſiaſticarum rerum Hiſtoriæ ſemper hoc hæreticorum fuiſſe, ut in Chriſtianos ſævirent, & per vim ſuis inventis ac opinionibus locum facerent: Chriſtianos autem ſemper animo fuiſſe à ſeditionibus alieno. Nam ut Arium prætercam, cujus hypocriſin & perjuria hæretici noſtræ tempeſtatis æmulantur, Georgius qvidam ejus aſſecla ex Cappadocia miſſus Alexandriam, cum populo decreta ſua videret exoſa, tantâ Chriſtianos immanitate vexavit, ut vel Chriſtiani nominis hoſtes ad commiſerationem impelleret. Nam illo dignitatem Epiſcopalem adepto, virgines in carcerem conjici, & rogis admoveri ut Chriſtianæ fidei & receptæ in Eccleſia religioni nuncium remitterent, Epiſcopi bene de Deo ſentientes compedibus vinciri, & à militibus traduci, ædes viduis & orphanis adimi, familiæ diripi, noctu laribus exportari Chriſtiani, ædes eorum obſignari, multi verberibus ad mortem cædi, mortuorum cadavera canibus obtrudi, omnia deniqve per fas, nefas, ſurſum deorſum agi rapi cœpêre. Lucius item Arianus per vim abdicato Petro, ſanctiſſimo & integerrimo viro, cum Alexandrinarum Eccleſiarum ſibi curam & moderationem arrogâſſet, Valentis auguſti fretus auctoritate, Chriſtianorum cædibus Ægyptum irrigavit. Neqve tantum hoc Arianorum fuit. Nam ante hos Macedonius, novæ factionis auctor, vi & armis in Eccleſiam irrupit, & pro ſua inauguratione mactatis tribus, & eo amplius, Chriſtianorum millibus, Orco litavit. Sed qvid eſt opus his recenſendis immorari, qvæ paſſim legentibus obvia ſunt, & hujus operis compendio dicere prohibemur? Cum his contendantur Chriſtiani paſtores qvi in orthodoxa majorum diſciplina perſtiterunt, qvi qvanqvam infinitis cladibus obruebantur, qvis tamen omnium ad arma confugit? Cum Lucius ille, qvem dixi, cæco furore ſic per Ægyptum bacchuretur, & legionibus ſuis meliorem populi Chriſtiani partem infeſtaret, viri ſancti vitam in ſolitudine tolerantes, ductabant exercitum Chriſti, non fragilibus armatum telis ſed fide religionis inſtructum: exercitum, inqvam, qvi moriens vincebat, & ſangvinis effuſione ſui triumphans inſerebatur cœlo. Neqve enim hi armis arma retundebant, ſed in tuguriis, & cavernulis orationi vacantes & jejunio, carnifices ſuos porrecto ad ferrum jugulo præſtolabantur. Religiosè Conſtantinus, primus ille Chriſtianorum imperatorum, ad Saporem Perſarum Regem, Deus, inqvit, non vindictæ, ſed manſuetudinis & modeſtiæ lætatur officiis, pacificos & mites amat, factionum autem & ſeditionis amantes averſatur. Hoc, ni fallor conſilio, idem Conſtantinus, cum ad propagandos Chriſtianæ fidei terminos animum adjiceret, Byzanti pacis primùm, deinde Apoſtolorum ædem conſecravit. Pacis enim, non turbarum & ſeditionis genio agi oportet eum, qvi veritatis Apoſtolicæ myſteriis initiari ſtudet. Primum Chriſtianæ religionis argumentum eſt ſtudium qvietis & otii, alterum eſt magiſtratuum obedientia, ſine qva nullum Imperium, nulla reſpub. nulla civitas, nulla domus ſtare poteſt.

tollit in viam ſalutis redeundi. 50 *Cæterùm humanæ poteſtatis non eſt imponere neceſſitatis legem iis rebus, quas Deus ſui juris eſſe voluit, ut ſunt Conſcientiæ: quæ adeò perindè ut cogitationes, in Politia liberæ eſſe debent.* 51 *Eccleſia hæreſes ſemper deteſtata eſt, ſed Judiciorum rigorem nunquàm niſi in Hæreſiarchas exercuit, idque etiam tùm tantùm, cùm eorum in errore patuit pertinacia. Ità ut illa rationibus invicta ſuæ eſſet opinionis mancipium.* 52 *Et pœnæ quibus Eccleſia uſa eſt, magis ignominioſæ, quàm crudeles, magis ſalubres, quàm mortiferæ fuerunt.* 53 *Ac nempè eos pudore potiùs, quàm ſangvine fuſô rubere maluit.* 54 *Theodoſius Imperator graves conſtituit pœnas, ſed eas nunqvam exercuit. Maluit ſubditos ſuos ad concordiam Religionis & rerum divinarum, per æqvitatem, qvàm per vim; metu & amore potiùs, qvàm ſuppliciis & immanitate attrahere.* 55 *Etiam qvatuor Concilia non aliis eos armis oppugnârunt, qvàm qvæ ex verbo divino petita eſſent.* 56 *Nec enim Nicœæ trecentorum Epiſcoporum Conventus aliter cum Ario; nec centum & qvinqvaginta Patres Conſtantinopoli cum Macedonio, nec ducenti Epheſi cum Neſtorio, nec ſexcenti triginta Chalcedone cum Eutyche egerunt.* 57 *Nempè ſenſerunt illi Hæreſin eſſe obſtinationem animæ, qvæ non eſt ſubjecta tormentis corpus jugulantibus, qvod ſupplicia magis aperiant ſectas, qvàm ſuffocent, qvodqve mortis pœna Hæreticis inflicta in id, nè ſectatores invenirent, incidit ſæpè in animos tàm immobiles & mori paratos, ut morte ſuâ plures ſibi aſſeclas unâ horâ reddant, qvàm viventes vix feciſſent decenniô* 58 *Conſtantia illorum, qvi Conſtantienſis Concilii decretô ignis ſupplicium ſubierunt, & noviſſima eorum verba admirationem adſtantibus movêre, & hodiè usqve illa aſſervantur recoluntur qve, non ſecus atqve aliqva Sibyllæ folia.* 59 *Chriſtiani ipſi primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis qvantis execrationibus, qvantis afflictionibus fuerunt obnoxii? Nonnè Impoſtorum infamabantur titulis? nonnè aëris injuriæ, ſterilitates annorum, eluviones fluminum, & terræ motus ipſis imputabantur? Adrianus poſteà Religionis causâ conqviri eos noluit. Antoninus Succeſſor ejus vivicomburiô plecti juſſit eorum Accuſatores. Poſtqvàm Diocletiani & Maximini perſecutiones irritæ & ſine fructu eſſe, atqve ex cineribus unius cremati hominis centum alii reſurgere totô Imperiô animadverſi ſunt, Succeſſores iſtorum Cæſarum verum eſſe agnovêre, Reges non ut corporibus ſic animis imperare, & fidem non poſſe imperari: neqve convenire veritati cum coactione, neqve Juſtitiæ cum Crudelitate, & nihil eſſe tàm voluntarium qvàm Religionem.* 60 *Pagani Principes tolerârunt Chriſtianos.* 61 *Decius armorum & Legum gloriâ inter magnos Principes numerari meruiſſet, ſi in Chriſtianos fuiſſet moderatior.* 62 *Chriſtiani Principes pariter tolerârunt Paganos, neqve videmus Paganiſmum ab illis usqvàm punitum fuiſſe.* 63 *Honorius & Theodoſius, etſi promovendæ ſuæ Religionis zelô arderent, tamen Paganos per vim ad Chriſtianam fidem converti noluêre, qvin imò Judicibus & Præfectis Provinciarum interdixêre, nè turbarent illos, dùm qvieti, & in obſeqvio legum viverent.* 64 *Judæi etſi irreconciliabiles inimici Ethnicorum, & Deorum, qvos Ethnici colerent, multitudinis, magnâ tamen ſecuritate inter Græcos, Parthos, Medos, Elamitas, Meſopotamios habitârunt. Neqve Romanô Imperiô ejecti ſunt, qvin*

imò

imò ſemper Synagogas **iſtic ſuas habuêre**, *præcipuè ſub Nerva & Antonino Imperatoribus. In Gallia qvoqve tranqvillè vixêre, & poſtea indè non propter Religionem,* **ſed propter** *uſuras & immania facinora ejecti ſunt.* 65 *Certum eſt itaqve Principes prudentes nunqvàm morti adjudicâſſe ſubditos, ut fidei ipſos adjungerent,* **nunqvàm bello** *deſtruxiſſe Provincias, qvò Conſcientias gladiô inſtruerent.* 66 **Agnovêre** *potiùs Religionem eſſe unionis & Concordiæ opus, bellum verò non* **conſtare niſi** *ſeditionibus & everſionibus Regnorum.* 67 *Undè adeò illi etiam, qvi noſtrô ſeculô* **Cœlum terra** *miſcuerunt, ut ſubditos ſuos ſub ejusdem Religionis obſeqvium* **redigerent, deſtitêre** *tandem ab incepto, repudiâruntqve Conſilium illorum* ‡ *Me*-**dicorum, qvi in** *qvolibet morbo curando antimanium adhibendum, & venas ſecandas*

‡ *Medicorum*] Hic veniunt in mentem Deſider. Eraſmi verba, qvæ non ita pridem legi in Catalogis Lucubration. ipſo ab Erſamo confectis & Antverpiæ annô M. D. XXXVII. in 8t. editis. *Video*, inqvit, in p. m. 63. qvi tamen paginarum numerus à mea manu eſt; ,, multis magis placere ſævitiam. ac per me qvidem licebit ut ſuum cuiqve judicium blandiatur. Sævire facilius eſt, ſed hoc mihi viſum eſt conducibilius. Si corporis affectio in uno qvopiam membro verſetur, fortaſſe profuerit cauterium aut ſectio: cæterùm ubi malum ſper omne corpus fuſum eſt, ubi per intimas venas ac fibras ſparſum eſt, fortaſſis aliqvô Mercuriô ſit opus, qvi qvemadmodum letalem ſoporem exemit ex omnibus membris pſyches, ita paulatim ex intimis educat id qvod eſt noxium. Eſt poſt pauca: Odi cruenta diſſidia luſibus innoxiis magis capior, velut huc natus. Tum mihi probè conſcius ſum, qvantum Herculem hæc res poſtulet, & qvantulus ego ſim pygmæus. Ac prorſus nondum mihi ſatis decretum eſt, an velim, qvod inſtitutum eſt abſolvere. Qvicqvid fiet, non fiet temerè: nec exibit omnino, niſi privatim lectum ac probatum ab his qvos maximè decet favere gloriæ Chriſti: nam in hoc certè cudetur, ſi tamen cudetur unqvam. Siqvidem video partem utramqve ſic eſſe accenſam, ut aut tota velit vincere, aut tota perire. Porrò altera devicta, magnam Evangelicæ veritatis ac libertatis ruinam ſecum trahet: altera non opprimetur, niſi perniciosiſſimo orbis tumultu, qvi multos etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi ut utraqve pars victoriam concederet veritati & gloriæ Chriſti. Hæc ibi Eraſmus. Idem qvi exclamabat: Utinam Leo ſciret qvibus modis hic res agatur, in illos (monachos qvi odioſiſſimè clamabant in Lutherum.) primum eſſet Leo. idem ait: Nec obſto, ſi vel aſſum ,, malint Lutherum, vel elixum, levis eſt unius hominis jactura. Ejus hæc ſunt è libr. 1. Epiſt. II. ad Barbirium p. m. 5. Mihi (in religione) adeò inviſa eſt diſcordia ut veritas etiam diſpliceat ſeditioſa. Item mihi ſtat ſemperqve mihi ſtabit ſententia, vel membratim diſcerpi potius qvam fovere diſcordiam, præſertim in negotio fidei. occinunt multi, qvi Luthero favent illud Evangelicum: non veni mittere pacem. ſed gladium Eqvidem ut mihi videre videor eſſe qvædam in Eccleſia recepta qvæ magno Chriſtianæ religionis bono mutarentur, ita nihil placet qvod hujuſmodi tumultu geritur. rurſus p. 7. mihi ut ſemper placet concordia ita hic qvoqve malim pacem aliqvantulum iniqvam, qvàm bellum æqviſſimum. Contigit autem Eraſmo, qvod ipſe ſui fati vates cecinit, ibid. næ ego. p. 7. præclarum operæ precium fero, qvi utrinqve lapidor? Apud noſtros falſiſſimo titulo traducor Lutheranus, apud Germanos malè audio ut Lutheranæ factionis adverſarius. Nam & ſemi-Chriſtianus audit Bellarmino l. 1. de verb. DEI p. 43. & judicum exputgantium cenſuras ſuſtinet. Is nimirum eâ tempeſtate erat Deſiderius, in qvem potiſſimum nulla non livoris jacula, odii ſpicula, invidiæqve Sagittæ ex hoſtium (auctoritati ſuæ & famæ metuentium, indeqve ſtudia literarum reſurgentia opprimere omni conatu laborantium) animis veluti arcubus ſunt evibratæ. Ita cum Stunicæ, Lei, Sutores, Bucentæ, Standicii, Dorpii aliiqve calumniis celebres, in aulis, in concionibus, in collegiis, in gynecæis urgente livore oppugnaverant, ut concidiſſet millies, ni gorgone ſua, h. e. doctrinâ eloqventiâqve inſigni armatus, hoſtium agmina fortiter repuliſſet. Qvod ἐπαμφοτερίζων à nonnullis habeatur Erſamus forte ſubeſt ratio, at illum ipſum cum nonnullis Atheiſmi aut Luciaiſmi nolim inſimulare temere. *Aliud ſanè*, inqvit Cl. Theophil. Spizelius Augu-

candas putavêre. Hactenus P. Matthæus. 68 Qvod ſi contingat aliqvando capite ſuô Rempubl. privari, tùm verò ut conventus plurimi, ità varia in publico diſſerendi freqventior campus eſt. 69 Tali enim tempore fieri ſæpe ſolet, qvod Auguſtô deficiente Romæ: *Aderat*, inqvit Tacitus, *finis, & ſpes novæ; pauci Bona libertatis in caſſum diſſerere, plures bellum paveſcere, alii cupere, pars multò maxima imminentes Dominos variis rumoribus differebant.* 70 Tùm de ſecuritate publica ſermo haberi ſolet, *nè rerum tranſitus novis hoſtium conatibus fiant opportuni.* 71 Solet qvoqve agi de Legum veterum correctione, ſtabilitione, vel, ſi qvæ violatæ ſint, reſtitutione in integrum. 72 Qvâ occaſione multæ liberiores cenſuræ nonnunqvam audiuntur. *Hoc eſſe tempus, qvô Aqvilæ Sarmaticæ ſenectus, redditâ qvaſi juventute, revireſcere poſſit. In manu jàm civium poſitum, ægrum Reipubl. corpus à vitioſa humorum liberare ſaburrâ, & vulneribus, ſi qvæ illata ſint, medicinam afferre. Legum optimas, & præcipua libertatis jura interregnorum partum eſſe*, & ſimilia. 73 Servire hùc qvoqve qveat qvod Galba apud Tacitum libr. I. hiſtor. ait: *Utiliſſimus ac breviſſimus bonarum malarumve rerum delectus eſt, cogitare qvid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris.* 74 De Legibus non mutandis vide Savedram in ſymb. XXI. mihi p. 163. & Stradam Dec. I. libr. V. mihi p. 243. 75 Sed ibidem alia qvoqve Oratio mox additur de iisdem Legibus ad præſentium temporum uſum flectendis. Qvô pertinent illa ex Tacito: *Non omnia apud priores meliora.* Et: *qvod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* 76 De Electione novi Capitis cùm fiunt verba, plerùmqve oſtendi ſolet, qvàm felix ſit Reſpubl. *qvæ non unius familiæ hæreditas ſit*, ut Galba apud Tacitum de Romana loqvitur. *Optimam eſſe publicæ rei conſulendi rationem, ſi imperaturus omnibus eligatur ex omnibus.* Plin. in Paneg. 77 Si ex defuncti Principis ſtirpe eligendus qvis videatur, ſervient illa: *Minori diſcrimine ſumi Principem, qvàm qværi.* 78 Non abludunt verò ab hoc argumento, qvæ apud Curtium lib. X. Perdiccas, & poſt eum alii, mortuô Alexandrô, ſuper conſtituendo Succeſſore, qvæ item Clodius Albinus apud Julium Capitolinum diſſerunt, tùm & qvæ Barclajus in Argenidos lib. I. ſub nominibus Anaximandri, Lycogenis, Dunalbii, Nicopompi in utramqve partem diſputat. 79 Poſtqvàm ſuffragia in unum qvempiam Regni Candidatum conſenſêre, tùm deſtinantur-

guſtanus Commentat. I. §. III. Felicis Literati p. m. 97. ,, in illo fuit religionis, lectionis ſacræ & ,, rerum divinarum ſtudium, & qvamvis judi ,, cio nonnullorum fuerit qvandoqve in negotio ,, religionis nimis politicus, inqve doctrina de ,, Trinitate ſcepticus, inde tamen nemo evin- ,, cet illum atheis ipſis eſſe accenſendum, aut ,, infami Luciani cujusdam recentioris nomine ,, traducendum, qvo etiam probro anonymus ,, qvidam Cenſor Philippum Melanchthonem, ,, ipſumqve Jac. A. Thuanum præter omnem ,, veri ſpeciem infamavit. Ac licet aliqvi eru- ,, ditorum atheiſmi propterea fuerint participes, ,, qvod cauſam pietatis perperam agendo atheiſ- ,, mum imprudentes promoverint, ideò tamen ,, atrociſſimi illius criminis peragere reos, nimis ,, inhumanum, nimis rigidum, imò extremæ ,, temeritatis opus haud abs re videretur. Hæc ille. Tandem adjicio hæc notatu digna Eraſmi verba è p. 64 Catalog. Lucubrat. Ego vix ,, ulli conceſſerim, ut magis faveat Euangelio, ,, qvàm faveo.

tur aliqvi, nomine Nobilitatis qvi deferant Imperium Candidato. 80 Hûc aliqvô modô qvadrare videtur Oratio Leonini, nomine Belgarum, Regi Galliæ Provinciarum fœderatarum Imperium deferentis; ſed ſunt in ea qvædam nimis ſubmiſſa & abjecta, nec niſi ſummè periclitanti Reipubl. conveniunt. Oratio autem illa extat in Reidano libr. IV. p. 64. Exſtat item apud Stradam. dec. II. libr. V. 81 Solent deindè, Candidati qvoqve nomine, pro Electione gratiæ agi Ordinibus Reip. Id qvod in noviſſima Regis Johannis Caſimiri electione ſplendidiſſimô ſermone fecit Illuſtriſſ. Comes Boguſlaus Leſcinius Regni nunc Ærario Præfectus. 82 Hûc qvoqve qvadantenus pertinet Alenzonii Principis Galli Oratio, qvam Antverpiæ habuit, cùm Ordinibus fœderatis pro commiſſa ſibi rerum ſumma gratias ageret. Extat verò illa apud Reidanum de rebus Belgicis ſub initium libr. III. 83 Poſtea in Coronatione, magnificâ plerumqve Oratione Princeps à Nobilitate excipi ſolet. 84 Ubi explicari conſvevit, qvantus electo Regi à Deo contigerit honos, ſed qvantum ſimul etiam onus. 85 Hûc facere poſſunt illa ex Seneca: *Omnium ſomnos Regis vigilantia defendit; Omnium otium illius labor. Omnium delicias ejus induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* 86 Sed ſimul quoqve Fiducia exponitur: qvam habeant cives de Principe: *Fore nempè illum patriô in ſubditos affectu, uti ipſum non tàm ſupra ſe, qvàm pro ſe eſſe ſentiant. Ita ad illum, tanqvàm ad clarum & beneficum ſidus certatim advolaturos (cives,) objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimos &c.* Qvæ verba ex Senecæ libro I. de Clem. c. III. depromta olìm J. Lipſius explicanda ſibi ſumſit, cùm illum Albertus & Iſabella Auſtriaci in magno Procerum conventu audire publicè voluêre. 87 Deniqve vota adduntur, & perpetuæ proſperitatis comprecationes. Qvam ad rem ſervire poſſunt illa ex Plinii Paneg. *Te, ô ſummum Numen, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisqve addas muneribus perpetuitatem.* Idem ex Senec. ad Polybium iſta, ſed cum judicio correcta, atqve ad rem adcommodata: *Dii illum, Deæqve omnes terris diù commodent, &c. Abſtine ab hoc manus tuas fortuna, nec in iſto potentiam tuam niſi eâ parte, qvâ prodes, oſtende.* Item antiqvum Votum: *Auguſtô felicior, melior Trajanô.* *

XVI. 1 Porrò ad Legationes qvoqve identidem nobiliora ingenia adhiberi ſolent. 2 Qvibus ad tam arduum munus ritè ſuô tempore præparandis expediet legiſſe brevem diſſertatiunculam Barclaji, qvæ extat lib. V. Argen: hôc initiô: *Nullam ſuorum negotiorum partem cautiùs exigebat Melcander, qvàm delectum eorum, qvibus ad exteros Reges aut populos legationem concrederet, reputans illos venarum inſtar eſſe, qvæ pro ſuo habitu occultam ſalutis aut morbi vim ex diverſo tractu terrarum inſpirarent in patriam, &c.* 3 Sed cum extent de

 Legato-

* Addas & hic qvod qvandoqve Imperatores & Reges Magiſtratu ſe ac imperiô abdicent. Qvo in genere admodum elegans, ſed rara, eſt eruditæ Chriſtinæ Reginæ Valedictio Upſaliæ menſe Febr. M. DC. LIV. dicta, & cum Cl. viri Chriſtoph. Forſtneri Epiſtola ſive judicio de moderno Imperii ſtatu, item Cardinal. Richelieu Teſtamento Chriſtiano & Politico Freiſtadii annò M. DC. LXXVI. in 12. junctim edita.

Zamoſciorum, Leſciniorum, Coniecpolſciorum, ſimiliumqve in Rep. celebrium Heroum dicta & judicia privatìm aliqvando à ſe audita, concinnè & tempeſtivè allegarent. 7 Eò major felicitas judicanda eſt eorum, qvibus in ejusmodi ſapientiâ, experientiâ, honoribusqve eminentium Virorum interiorem neceſſitudinem datur pertingere: ubi ſcilicet & judicium & ſermones & actiones ſuas formare diſcant. 8 Eò etiam ſolicitius nobilium Adoleſcentum Parentibus atqve Educatoribus hùc enitendum eſt, ut qvæ publicæ lucis capacia eſſe ſenſerint ingenia, iis illuſtris ejusmodi & ſapientis * contubernii ac conſvetudinis celebrioris copiam atqve uſum concilient. 9 Conſiderari hanc in rem meretur prudentiſſimi Hiſtorici Philippi Cominei judicium, qvi Ludovico XI. Galliar. Regi *plurimùm profuiſſe* ait, *qvòd desertô Patre, apud Philippum Burgundiæ Ducem ſex annis vixiſſet: neqve illum ex tot difficultatibus emerſurum fuiſſe exiſtimat*, *ſi in Gallia*, *more ſolitô*, *fuiſſet educatus.* 10 Huc qvoqve ſpectat Virgilius, cum Pallanta ab Evandro Patre ita Æneæ commendatum refert lib. VIII. Æneid. v. 515.

— — Sub te tolerare magiſtro
Militiam, & grave Martis opus; tua cernere facta
Adſveſcat, primis & Te miretur ab annis.

XIX. Sed

* *Contubernii*] Nunqvam tantus evaſiſſet Joh. Schroderus Theologus, niſi tam diu fuiſſet in ædibus B. Ægidii Hunnii. Accuratiſſimus noſter Hullemannus domui Graviſſimi Theologi Friderici Balduini multum debet. Auguſto Buchnero & Wilhelmo Lyſero, qvibuſcum vixerat, omnia ſua accepta fert Joh. Meiſnerus, veluti ſummo Calovio Henricus Baumannus, Director olim Gymnaſii Coburgenſis ſine ulla ambitione doctiſſimus. Prudenter hac in re & verè ſexta in Epiſtola Seneca: „Zenonem Cleanthes non „expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiviſſet. „Vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſer- „vavit illum, an ex formula ſua viveret. „Plato & Ariſtoteles, & omnis in diverſum „itura ſapientium turba, plus ex moribus, „qvàm ex verbis Socratis traxit. Metrodo- „rum & Hermachum, & Polyænum, ma- „gnos viros non ſchola Epicuri, ſed contuber- „nium fecit. Et in fine Epiſt. XI. O felicem, „qvi ſic aliqvem vereri poteſt, ut ad memo- „riam qvoqve ejus ſe componat, atqve ordinet! „Qvi ſic aliqvem vereri poteſt, cito erit veren- „dus. Elige itaqve Catonem: ſi hic videtur „tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi vi- „rum Lælium; elige eum, cujus tibi placuit & „vita & oratio; & ipſius animum ante te „ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, „vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, in- „qvam, aliqvo, ad qvem mores noſtri ſe ipſi „exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges. Neſcio an non hinc illud Actuum I. 1. „Cœpit „Jeſus facere & docere. Facta nimirum dictis potentiora ſunt, & faciliùs erunt in exemplum, in imitationem; influunt potentiùs, hauriuntur altiùs, inhærent tenaciùs, & calcar qvoddam addunt etiam reluctanti, verecundiam ſanè incutiunt & ruborem, & vel hôc ſolô freqventer nomine, trahunt in ſeqvelam. Pudet nimirùm non ſubſeqvi præeuntem, tantumqve exempla valent, ut corporis etiam & lingvæ vitia in magiſtro imitentur diſcipuli, cùm enim per ætatem rerum diſcrimina ignorent, probumqve ab improbo diſcernere non valeant, qvidqvid in magiſtro vident, imitandum ſibi proponunt. Ut verum illud ſit. Juvenal. Satyr. XIV. v. 31. ſ.

„Velociùs, & citiùs nos
„Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica,
„magnis
„Cùm ſubeunt animos auctoribus.

Vivimus nimirùm ad exemplum, ut meritò Stoicus Ep. CVIII. „Nullos pejùs mereri de omnibus mor- „talibus judico, qvam qvi aliter vivunt qvàm „vivendum eſſe præcipiunt: nec magis talis poteſt „prodeſſe præceptor, qvàm gubernator in tem- „peſtate nauſeabundus.

XIX. 1 Sed ſi qvis de vitæ politicæ ornamentis tempeſtivè cogitare incipiat, poteſt lectio qvoqve bonorum Autorum multa ad eam rem pertinentia ſuggerere. 2 Hùc autem qvadrant præcipuè, qvæ brevia ſunt, & ſimul acuta, nervoſa, atqve inſigni aliqvâ elegantiâ conſpicua. 3 Brevia, ut memoriâ comprehendi, & ubi occaſiò eſt, ſine labore atqve hæſitatione reddi poſſint. 4 Acuta atqve inſigniter pulchra eſſe oportet, qvò & judicium legentis acuant, & animos afficiant audientium. Qvod efficere vulgaria & trita neqveunt. 5 Præcipuè autem hùc præter ſententias nervoſas, de qvibus antè ſatis dictum, conducunt *Adagia*, non vernacula tantùm, qvalia in Lingva Polonica utili labore collegit explicuitqve Cnapius; ſed & gentium aliarum, qvalia in ſingulis fere lingvis exſtant. 6 Utinam aliqvis præcipua & ſelectiſſima qvæqve ex omnibus aut certè præcipuis ‡ lingvis, ac potiſſimùm ea, qvæ pluribus nationibus communia ſunt, in unum Volumen colligeret! 7 Conducunt qveqve hùc *Apophthegmata*, ex iis, qvæ Eraſmus, & poſt eum Lycoſthenes, Beyerlingius aliiqve collegêre, ſelecta. 8 Et utilem ea in re operam navavit Gerardus Tuningius, qvi præſtantioribus Græcis Latinisqve Italica, Gallica, Hiſpanica addidit: multa egregia iſtic complexus, multa etiam utilia iis, qvi Lingvarum illarum peritiâ tantum valent, ut intelligere ea, tantum & judiciô, ut apte applicare, & ſcenæ accommodare poſſint. 8 Addere his expediet Æliani hiſtoriam † variam, Attica Bellaria Pontani, & Epidorpidas Caſp. Ens. 9 Plurimum porrò ad rem, qvam nunc agimus, conferunt *Similitudines*, qvales multas ex Cicerone, Plutarcho, Seneca, Plinio, aliisqve Autoribus collegêre boni Autores, inprimis autem Eraſmus & Lycoſthenes. 10 Nos qvoqve hos ſecuti, ſimilia non pauca, aut taliſum ſaltem materiam infrà in Politica naturali, etſi obiter, & aliud qvaſi agentes, dabimus. 11 Sed nonnunqvam integras ſimilitudines adducere tædioſum aut ineptum, commodè verò atqve eleganter ad eas alluſiſſe perdecorum fuerit. 12 Ut, ſi de aliqvo Generoſo Juvene dicere velis, eum non refugere aſpectum hominum & lucem publicam, poſſis ſimili hôc exprimere. Sicut Aqvilæ genuina proles Solem inconnivis oculis intueri poteſt: ſic iſte nullam celebritatis lucem reformidat. 13 Sed per *Alluſionem* breviùs hoc expediveris, ita ſcilicet: Nullum publici ſolis fulgorem reformidat generoſus iſte aqvilæ pullus. 14 Ejusmodi alluſiones ad Mythologiam etiam aliqvam veterem, vel Ritum, vel Hiſtoriam cum fiunt aptè, multum cuilibet ſermoni gratiæ & Veneris addunt. 15 Ut, ſi ſeditionem perdomitam dicere volens, dicas: Ceſſit tandem Hydra iſta Herculi noſtro: Item, ſi de belli alicujus periculoſi initiis loqvens nobilis dicat: *Tranſiimus Rubiconem.* 16 Commen-

‡ *Lingvis*] Laudandum hic venit inſignem ob utilitatem in Lingva Germanica Florilegium Politicum Chriſtoph. Lehmanni Francof. editum annô M. DC. XXXVIII. qvod miror potuiſſe diligentiam Dn. Morhofii effugere; recenſens enim in c. XXI. primi Polyhiſtoris Literarii libri p. 258. Germanicorum Adagiorum Scriptores aliqvot, hunc planè ſilet inprimis tamen nominandum.

† Qvæ optimè prodiit Argentorati curante Eximiô ac doctiſſ. Dn. Joach. Kuhnio Gryphiſwaldenſi Pomeranô annô M. DC. LXXV. in 8.

bro ad id comparato connotari, & in margine Titulum addi ſvadeo. 5 Interim alius Liber concinnetur, cui (donec aliundè qvid accuratius ſuggeratur) Tituli ex Keckermannianis, (*Vide Tom. II. Oper. p.* 248. *ſ.*) qvi nimium multi & operoſi eſſe videntur, ſelecti contractiqve inſcribantur, & ſub his ea, qvæ ante raptim & ſine ordine diſcens congeſſerat, adhibitâ accuratiore diribitione collocentur. 6 Qvibusdam Cl. Viri Berneggeri conſilium & * exemplum placet. 7 Qvi vir Politicæ Lipſii, qvam familiariſſimam ſibi reddiderat adeò ut nihil in ea ipſum lateret, chartam mundam inſeruerat, ibiqve annotabat, qvidqvid in Autoribus ad textum Lipſii faciens reperiret. 8 Sed tùm tamen in fine Libri locus relinqvendus erit multis rebus, qvibus intra Librum annotandis ex Lipſiano textu nulla erit occaſio: Cùm Lipſius Principem formet, & qvid in Monarchico ſtatu fieri ſoleat debeatqve, doceat potiſſimùm: caſuum, ſtructurarum, calamitatum publicarum, plurimarumqve ſimilium rerum iſtic non fiat adeò mentio neqve fieri potuerit.

XV. 1 Ego præterea nobilem, cui, ſi aptus ſit, freqventem ſubindè in publico dicendi campum mos patrius ſuppeditat, optimè ſibi conſulere autumo, ſi qvoties aliqvid egregium in Autore legit, illicò cogitet, ubi id ſibi olim in luce publica ad Orationem decorandam utile eſſe poſſit. 2 Ut rem iſtam tantò vel commendatiorem, vel perſpicuam magis reddam, lubet præire, & lineas aliqvas pingere, qvas æmulari deindè Juventus poterit. 3 Si exempli gratiâ

* *Exemplum*] De celeberrimo Londinate Thoma Gatakero ſcio; eum aliqvot in volumina Junii & Tremellii Biblia chartâ purâ inſertâ, diſtribuiſſe, in qvæ omnia obſervatu digna apud Auctores occurrentia retulit, occaſione hujus vel illius verbi in Bibliis occurrentis. Qvi mihi nunqvam nimiam ob confuſionem colligendi placere modus potuit. Ut multa nobis qvotidie in Scriptorum obvenire lectione taceam, qvorum nec veſtigium in ſacris offenditur nec vola. At ex eo qvod nonnulli magnam, qvam in ipſo agnoſcimus, Bibliorum cognitionem colligere ſatagunt, in eo qvidem eos fugit ratio, cùm vel Concordantiis, qvas vocant, hanc in rem uti potuerit vir doctus; cetera ut adminicula huncad ſcopum facientia ſileam. Barth. Keckermannus ſententias ad *Stobæum* colligere ſvaſit, minus tamen conſultè, cùm longè locupletiores & ordinatiores exſtent ejus argumenti recentiores, verbi gratiâ Magius, Langius, Gruterus. Sic de Longolio, ad Plinii Hiſtoriam Mundi omnem ſuam congeſſiſſe eruditionem, in vita ipſius cum aliis à Bateſio non ita pridem edita refertur p. 140 ſ. Qvem Cl. Salmaſius videtur imitatus eſſe, cujus tamen de vegrandi opere exiliter admodum judicat Jeſuita Harduinus in præfatione Plinii ſui in uſum Delphini publicati: liberaliùs multo D. Morhofius in I. Polyhiſtoris c. XXI p. m. 241. Ego ſanè Commentarios ejus in Hiſtoriam Auguſtam & Exercitationes has in Plinium optimos Salmaſii, qvos unqvam ſcripſit, libros habeo. Qvibus adde illius ipſius Salmaſii Explicationem duarum Inſcriptionum Veterum Herodis Attici Rhetoris & Regillæ Conjugis Honori poſitarum. Lutet. Pariſ. M. DC. XIX. in 4to. Item notas ejus in Tertullian. de Pallio. Lugd. Batav. M. DC. LVI. in 8r. De Matthia Berneggero apud Jo. Freinshemium in Dedicatione Politic. Lipſii, edit. (qvam Studioſi probè obſervent, ut ex inſtituto Matthiæ Berneggeri adornatam) Francof. M. DC. LVIII. in 12. hoc modo ſcriptum eſt: „ Matthias Berneggerus haud obſcurum in literis „ nomen, Juſti Lipſii Politica tanti fecit, ut in „ hoc genere ſtudiorum non aliò aut moderatore „ judicii, aut memoriæ præſidiò uteretur. Itqve „ qvidqvid complurium annorum diligens & ac„ curata lectio, egregium & obſervatione dignum „ obtulerat, hunc in theſaurum (cujus omne ar„ gumentum, continuò uſu, velut in numerato „ habebat) congerere inſtituit. Vide hoc de Excerpendi modo Cl. Vincentium Placcium Hamburgenſ. in libro de Arte Excerpendi c. II Sect. IX §. 3. p. m. 118, ſ. edit. Holmienſ. M. DC. LXXXIX. in 8r.

gratiâ in Senecâ leget ſententiam.: *Omnis dies, omnis hora, qvàm nihil ſimus, oſtendit, & aliqvô argumentô recenti admonet fragilitatis oblitos*; cogitabit illicò, fore ei aliqvando locum in Oratione funebri. 4 Cùm apud eundem illud occurrit: *Eripit ſe, auſertqve ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant qvæ in primo maturuerunt*, veniet mox in mentem id uſurpari poſſe, ſi de magno aliqvo ſed præmaturè mortuo Juvene loqvendum ſit. 5 Cùm apud eundem Senecam illud incidet: *Idem huic Urbi dominandi finis erit, qvi parendi fuerit*, id locum habiturum reputabit, ſi qvando ordines ad obſeqvium legum hortari voluerit. 6 In Interregno ſi de Electione feſtinandâ loqvendum ſit, illud Taciti non incommodè uſurpari poſſe reputabit: *Hoc Imperii corpus ſtare ac librari ſine Rectore non poteſt.* 7 Si ſvadendum vel excuſandum bellum, non importunè ſe aliqvandò illud Livianum obtulerit: *Juſtum eſt bellum. qvibus neceſſarium eſt, & pia arma, qvibus nulla niſi in armis ſpes relinqvitur.* 8 Si calamitoſo Reip. tempore Civibus ſvadendum ſit, ut Conditiones aliqvas iniqviores accipiant, non ineptum fuerit illud Alconis apud Livium uſurpare: *Hæc, qvanqvàm gravia atqve acerba, Fortuna noſtra nobis ſvadet.* 9 Si Clementia Principi ſvadenda, gratiam qvandoqve inveniet Senecæ illud: *Maxima Regi gloria eſt, ſi vim ſuam continet, ſi multos alienæ iræ eripuit, neminem ſuæ impendit.* Item Tiberii prudentiſſima vox apud Tacitum: *Omittere potiùs prævalida & adulta vitia, qvàm illud aſſeqvi, ut palàm fiat, qvibus flagitiis impares ſimus.* Huc etiam aliqva conducent ex Oratione Roderici Gomeſii, qvæ eſt ap. Strad. Dec. I. libr. VI. 10 Si de Principis aſſiduitate, & laboribus indelaſſatâ diligentiâ verba facere res ferat, haud indecens erit illud ex Panegyrico ad Theodoſium: *Gaudent divina perpetuô motu, & jugi agitatione ſe vegetat æternitas, & qvicqvid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt. Ut indeſeſſa vertigo cœlum rotat, & maria æſtibus inqvieta ſunt, & ſtare ſol neſcit: Ità tu, Imperator, continuatis negotiis in ſe qvôdam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* 11 Tales gemmulæ cùm in Autoribus occurrunt, adeò non oſcitanter tranſeundæ ſunt, ut illicò, qvemadmodùm paulò ante monui, de earum tempeſtivo uſu meditandum, & qvò ſuô tempore faciliùs ad nutum ſint, ſuis locis ſingulæ reponendæ ſint. 12 Qvô fine ſvadeo, ut tituli materiarum in Publico crebriùs obvenientium habeantur, ſub qvos lumina ejuſmodi referri poſſint. 13 Occaſiones autem & argumenta Orationum uſitatiora ferè hæc ſunt. Primò circa *Sponſaliorum & * Nuptiarum ſolennia:* ubi de laude conjugii, de dotibus Sponſi Sponſæqve dici aliqvid, poſtremò deniqve pro fauſto ſucceſſu Nuptiarum votum addi ſolet. 14 Poſſunt hìc locum reperire ſententiæ nonnullæ de Amicitiâ: ut exempli gratiâ. *Qvi Amicum invenit, theſaurum invenit. Nulla eſt Amicô pulchrior poſſeſſio. Solem è mundo tollere videntur, qvi amicitiam de vita humana.* 15 Item de laudibus bonarum conjugum, qvalis illa ſacra eſt: *Uxor bona eſt columna aurea ſuper baſes argenteas. Mulier bona Corona eſt Viro ſuo. Gratia ſuper gratiam mu-*

 lier

* *Nuptiarum*] Vide M. Anton. Majoragii Oration. III. p. 71. ſ.

lier ſancta & pudica.Eccleſ. XXVI. v. 1, 2, 3, 4. 16, 17. ¶ Item Horatianum illud librô I. Carm. Od. XIII. extr.

Felices ter & ampliùs!
Qvos irrupta tenet Copula: nec malis
Divulſos qverimoniis,
Supremâ citiùs ſolvit amor die.

16 Si qvis uberem materiarum ad Nuptias pertinentium farraginem qværit, conſulat *Oratorem Extemporaneum* nuper editum, à p. 189. uſqve ad p. 268. 17 Si de Principis alicujus nuptiis agatur, reqvirendi ejusmodi actus ſunt in Hiſtoriis. Vide inter alia deliberationes & apparatus circa Conjugium Alexandri Farneſii apud Strad. Dec. I. libr. IV. mihi p. 211. edit. minutæ anni 1636. Vide item Legationes de Matrimoniis inter Principem Andinum & Eliſabetham Reginam, apud Cambdenum in hiſtoriâ Elizab. ſub anno 1581. Alterum genus eſt Funebrium, in qvibus plerumqve aliqvid de conditione humanâ præmittitur, poſteà genus & virtutes Defuncti enarrantur. 19 Ad utrumqve hoc plurima obſervare annotareqve poterunt, qvi iſtùc, dùm Autores legunt, volent advertere animum: & aliqva paulò ante in ſpecimen attuli. 20 Lubet tamen pauca adhùc addére. *Qvomodo fabula, ſic vita, non qvàm diù, ſed qvàm benè acta ſit, refert.* Senec.

Ut tibi mors felix contingat, vivere diſce;
Ut felix poſſis vivere, diſce mori.

Non eſt mala mors putanda, qvam bona vita præceſſit.
Mors vitam intermittit, non eripit. Senec.
Nullum eſt majus ſolatium mortalis, qvàm ipſa mortalitas.

Et: *Ingens mortalis ſolatium eſt, terram qvandoqve videre mortalem.* Vide multa ejus notæ in Oratore extemporaneo p. 308. Vide etiam Voſſii Rhetoricam maj. libr. III. p. 412. Et Palatium Eloqvent. PP. Mogunt p. 739. ſeqq. 21 Poſteà ſeqvuntur Conciliationes vicinorum, vel magnorum in Republ. Civium: qvam ad rem, uti multa opportuna Autorum lectio ſuppeditabit, ita illud Metelli apud Livium ſervire poterit: *Non poſſumus non vereri, nè tantum Reip. proſit, qvod omnibus bonis egregiè placetis, qvàm, qvod alter alteri diſplicetis, noceat.* Item Taciti illud, *Fas eſt privata odia publicis utilitatibus remittere.* 22 Nonnunqvam tempora ferunt, ut milites tumultuantes, & vim Patriæ inferre molientes oratione demulcere neceſſe ſit: tùm haud pauca utilia ſuggeret Oratio Germanici apud Tacit. Annal. libr. I. c. XLII Othonis apud eund. Tac. l. Hiſtor. Vide etiam Orationem Eſcovedi ad Hiſpanos ſeditionem in Belgiô molientes apud Stradam Dec. I. libr. IX. edit. minut. p. 593. 23 Si Poëtas qvoqve adire lubet, vide Julii Cæſaris Orationem apud Lucan. libr. V. in qva Cæſar præfractiùs agens cum milite ferociente, permittit ei ut abeat, ſi ita lubeat, ſe nolle talibus debere fortunam ſuam. 24 Milites verò ad prælium animandi plurima tàm in antiqvis, qvàm recentibus Hiſtoricis exempla extant.

extant. Vide Scipionis & Annibalis Orationes in Liv. libr. XXI. c. XL. XLI. item Valer Corvini libr. VII. hôc initiô: *Facta mea, non dicta vos milites ſeqvi volo, &c.* Apud Tacitum in Vitâ Agricolæ extant duæ inſignes, una Galgaci, altera ipſius Agricolæ. Conſule etiam ſvaſ. II. Senecæ Patris, vide & apud Stradam Oſorii Ulloæ Dec. I. libr. VIII. mihi p. 546. hôc initiô: *Ecqvid videtis, Commilitones.* Vide deniqve apud Lucanum libr. II. Orationem Pompeji militem ſuum adverſus Cæſarem animantis. 25 In Comitiis qvæ occurrunt Materiæ, vix numerô comprehendi poſſunt. Uſitatiores tamen hæ ſunt: Salutari primò omnium Princeps ſolet nomine Nobilitatis, & ſi negotia publica non infeliciter ceſſerint, pro curâ & amore in Rempubl., pro re bene & fideliter geſta ſolenniter & magnifico verborum apparatu gratiæ agi conſvevêre. 26 Qvam ad rem non ſterilis colorum ſeges ſuppetet illi, qvi in lectione Autorum, præſertim Panegyricorum, aliqva ſubindè ſelecta ſibi repoſuerit. 27 Solent qvoqve tùm Duces militares, ſi qvid in bello benè geſtum eſt publicè enarrare, ſimulqve milites, qvi virtutis ſpecimina dederint, commendare, qvod & apud Romanos uſitatum fuiſſe, cùm aliundè, tùm ex oratione L. Æmilii patet, qvæ extat apud Livium libr. XLV. 28 Solet item beneficiorum, ſeu vacantium Reipubl: dignitatum honorumqve erogatio poſtulari, ubi de præmiis de Republ. benè meritorum agi ſolet. Hic iſtarum ſententiarum uſus eſſe poteſt: *Eò impenditur Labor ac periculum, unde honos atqve alimentum ſperatur.* Liv. *Virtutis uberrimum alimentum honor eſt.* Val. Max. 29 Conferet qvoqve ad eam rem aliqvid Oratio Eumenis in Senatu habita, qvæ extat in Liv. libr. XXXVII. Poteſt & illud locum hîc invenire: *Peſſimè agitur cum Rep. ubi honores alii merentur, alii habent.* Item illud Taciti XI. Annal. *Apud Majores virtutis erant præmium Magiſtratus, cunctisqve Civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum eos petere.* Utilia qvoqve in rem iſtam monita habet illuſtris Savedra ſub Symb. 58. 30 Plurimus qvoqve de Libertate in Comitiis ſermo eſſe ſolet: *Qvæ inter præcipua humani animi bona*, ut Galba apud Tacit. libr. I. Hiſt. Modeſtè tamen ſemper habenda, qvia *plerumqve homines nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.* 31 Huc pertinet admonitio Jannini Regis Galliarum Legati, qvam Ordinibus Belgicis dat apud Baudium libr. XI. de Induciis Belgicis: *Moderatè utamini ingente munere ac dono libertatis: Periculoſum eſt depoſitum, & velut ferrum in manu furioſi, ſi qvis non habeat artem eam regendi, &c.* 32 Adhortatio verò ad aſſerendam libertatem populi extat apud Salluſtium in fragm. Hiſt. libr. III. qvam habuit Marcus Tribunus plebis: in qva inter alia *vis tribunitia telum à majoribus libertati paratum* vocatur. Qvemadmodum & Icilius apud Livium *Tribunitium auxilium & provocationem duas arces tuendæ libertatis* appellat. 33 Plerumqve etiam Contributiones ſvadendæ vel diſſvadendæ. Ubi ſvadendum Tributum eſt, conducet illa ſententia Cerialis apud Tac. libr. IV. Hiſt. *Neqve qvies gentium ſine armis, neqve arma ſine ſtipendiis, neqve ſtipendia ſine Tributis haberi qveunt.* 34 Si de æqvalitate Tributorum ſermo eſſe debeat, conſuli poteſt Qvæſtio 194. Cl. Berneggeri in Agricol. Taciti. 35 Si diſſvadenda Tributi exactio

actio

lier ſancta & pudica.Ecclеſ. XXVI. v. 1, 2, 3, 4. 16, 17. f. Item Horatianum illud librô I. Carm. Od. XIII. extr.

Felices ter & ampliùs!
Qvos irrupta tenet Copula: nec malis
Divulſos qverimoniis,
Supremâ citiùs ſolvit amor die.

16 Si qvis uberem materiarum ad Nuptias pertinentium farraginem qværit, conſulat *Oratorem Extemporaneum* nuper editum, à p. 189. uſqve ad p. 268. 17 Si de Principis alicujus nuptiis agatur, reqvirendi ejusmodi actus ſunt in Hiſtoriis. Vide inter alia deliberationes & apparatus circa Conjugium Alexandri Farneſii apud Strad. Dec. I. libr. IV. mihi p. 211. edit. minutæ anni 1636. Vide item Legationes de Matrimoniis inter Principem Andinum & Eliſabetham Reginam, apud Cambdenum in hiſtoriâ Elizab. ſub anno 1581. Alterum genus eſt Funebrium, in qvibus plerumqve aliqvid de conditione humanâ præmittitur, poſteà genus & virtutes Defuncti enarrantur. 19 Ad utrumqve hoc plurima obſervare annotareqve poterunt, qvi iſtùc, dùm Autores legunt, volent advertere animum: & aliqva paulò ante in ſpecimen attuli. 20 Lubet tamen pauca adhùc addére. *Qvomodo fabula, ſic vita, non qvàm diù, ſed qvàm benè acta ſit, refert.* Senec.

Ut tibi mors felix contingat, vivere diſce;
Ut felix poſſis vivere, diſce mori.

Non eſt mala mors putanda, qvam bona vita præceſſit.
Mors vitam intermittit, non eripit. Senec.
Nullum eſt majus ſolatium mortalis, qvàm ipſa mortalitas.

Et: *Ingens mortalis ſolatium eſt, terram qvandoqve videre mortalem.* Vide multa ejus notæ in Oratore extemporaneo p. 308. Vide etiam Voſſii Rhetoricam maj. libr. III. p. 412. Et Palatium Eloqvent. PP. Mogunt p. 739. ſeqq. 21 Poſteà ſeqvuntur Conciliationes vicinorum, vel magnorum in Republ. Civium: qvam ad rem, uti multa opportuna Autorum lectio ſuppeditabit, ita illud Metelli apud Livium ſervire poterit: *Non poſſumus non vereri, nè tantum Reip. proſit, qvod omnibus bonis egregiè placetis, qvàm, qvod alter alteri diſplicetis, noceat.* Item Taciti illud, *Fas eſt privata odia publicis utilitatibus remittere.* 22 Nonnunqvam tempora ferunt, ut milites tumultuantes, & vim Patriæ inferre molientes oratione demulcere neceſſe ſit: tùm haud pauca utilia ſuggeret Oratio Germanici apud Tacit. Annal. libr. I. c. XLII Othonis apud eund. Tac. I. Hiſtor. Vide etiam Orationem Eſcovedi ad Hiſpanos ſeditionem in Belgiô molientes apud Stradam Dec. I. libr. IX. edit. minut. p. 593. 23 Si Poëtas qvoqve adire lubet, vide Julii Cæſaris Orationem apud Lucan. libr. V. in qva Cæſar præfractiùs agens cum milite ferociente, permittit ei ut abeat, ſi ita lubeat, ſe nolle talibus debere fortunam ſuam. 24 Milites verò ad prælium animandi plurima tàm in antiqvis, qvàm recentibus Hiſtoricis exempla extant.

extant. Vide Scipionis & Annibalis Orationes in Liv. libr. XXI. c. XL. XLI. item Valer Corvini libr. VII. hôc initiô: *Facta mea, non dicta vos milites ſeqvi volo, &c.* Apud Tacitum in Vitâ Agricolæ extant duæ inſignes, una Galgaci, altera ipſius Agricolæ. Conſule etiam ſvaſ. II. Senecæ Patris, vide & apud Stradam Oſorii Ulloæ Dec. I. libr. VIII. mihi p. 546. hôc initiô: *Ecqvid videtis, Commilitones.* Vide deniqve apud Lucanum libr. II. Orationem Pompeji militem ſuum adverſus Cæſarem animantis. 25 In Comitiis qvæ occurrunt Materiæ, vix numerô comprehendi poſſunt. Uſitatiores tamen hæ ſunt: Salutari primò omnium Princeps ſolet nomine Nobilitatis, & ſi negotia publica non infeliciter ceſſerint, pro curâ & amore in Rempubl., pro re bene & fideliter geſta ſolenniter & magnifico verborum apparatu gratiæ agi conſvevêre. 26 Qvam ad rem non ſterilis colorum ſeges ſuppetet illi, qvi in lectione Autorum, præſertim Panegyricorum, aliqva ſubindè ſelecta ſibi repoſuerit. 27 Solent qvoqve tùm Duces militares, ſi qvid in bello benè geſtum eſt publicè enarrare, ſimulqve milites, qvi virtutis ſpecimina dederint, commendare, qvod & apud Romanos uſitatum fuiſſe, cùm aliundè, tùm ex oratione L. Æmilii patet, qvæ extat apud Livium libr. XLV. 28 Solet item beneficiorum, ſeu vacantium Reipubl: dignitatum honorumqve erogatio poſtulari, ubi de præmiis de Republ. benè meritorum agi ſolet. Hic iſtarum ſententiarum uſus eſſe poteſt: *Eò impenditur Labor ac periculum, unde honos atqve alimentum ſperatur.* Liv. *Virtutis uberrimum alimentum honor eſt.* Val. Max. 29 Conferet qvoqve ad eam rem aliqvid Oratio Eumenis in Senatu habita, qvæ extat in Liv. libr. XXXVII. Poteſt & illud locum hîc invenire: *Peſſimè agitur cum Rep. ubi honores alii merentur, alii habent.* Item illud Taciti XI. Annal. *Apud Majores virtutis erant præmium Magiſtratus, cunctisqve Civium, ſi bonis artibus fiderent, licitum eos petere.* Utilia qvoqve in rem iſtam monita habet illuſtris Savedra ſub Symb. 58. 30 Plurimus qvoqve de Libertate in Comitiis ſermo eſſe ſolet: *Qvæ inter præcipua humani animi bona*, ut Galba apud Tacit. libr. I. Hiſt. Modeſtè tamen ſemper habenda, qvia *plerumqve homines nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam libertatem.* 31 Huc pertinet admonitio Jannini Regis Galliarum Legati, qvam Ordinibus Belgicis dat apud Baudium libr. XI. de Induciis Belgicis: *Moderatè utamini ingente munere ac dono libertatis: Periculoſum eſt depoſitum, & velut ferrum in manu furioſi, ſi qvis non habeat artem eam regendi, &c.* 32 Adhortatio verò ad aſſerendam libertatem populi extat apud Salluſtium in fragm. Hiſt. libr. III. qvam habuit Marcus Tribunus plebis: in qva inter alia *vis tribunitia telum à majoribus libertati paratum* vocatur. Qvemadmodum & Icilius apud Livium *Tribunitium auxilium & provocationem duas arces tuendæ libertatis* appellat. 33 Plerumqve etiam Contributiones ſvadendæ vel diſſvadendæ. Ubi ſvadendum Tributum eſt, conducet illa ſententia Cerialis apud Tac. libr. IV. Hiſt. *Neqve qvies gentium ſine armis, neqve arma ſine ſtipendiis, neqve ſtipendia ſine Tributis haberi qveunt.* 34 Si de æqvalitate Tributorum ſermo eſſe debeat, conſuli poteſt Qvæſtio 194. Cl. Berneggeri in Agricol. Taciti. 35 Si diſſvadenda Tributi ex-

actio, vide apud Strad. Dec. I. libr. VII. p. 587. initium ita habet: *Falli rationes Albani, qvi ſibi perſvadeat &c.* Vide & qvæ habet vir Clariſſ. Forſtnerus ad Taciti illa (lib. IV. Annal.) verba: *Pacem exuêre, noſtrâ magis avaritiâ, qvàm obſeqvii impatientes.* 36 Nonnunqvàm & bellum ſvadendum, qvò pertinent Orationes Actii Tulli in Liv. libr. III. Item Capitolini ad Pop. Rom. libr. III. & Camilli Exulis ad Ardeates. libr. V. & Attilii Reguli ad bellum cum Pœnis continuandum hortantis, in Cl. Freinshemii Suppl. Livian. libr. VIII. p. 363. Et Appii Claudii ap. eund. libr. III. p. 108. 37 Rationes pacem Belgis ſvadentium diſſvadentiumqve vide ap. Reidan. libr. VI. p. 132. & ſeqq. Apud eundem extat Legatorum Belgicorum Oratio, qvâ Reginæ Anglorum Pacem cum Hiſpano diſſvadent libr. XV. p. 402. & ſeqq. Ejuſdem argumenti, ſed prolixior eſt Oratio Baudii ad Jacobum Britanniæ Regem, qvæ inter orationes Baudianas ſexta eſt. 38 Si & Poëtas conſulere non grave eſt, videri poteſt in Virgilio Oratio Alectûs Furiæ Turnum hortantis ad bellum, Æneidos VII. item Iridos, libr. IX. Turni item ſeipſum & Socios ad bellum hortantis libr. eod. IX. Apud Lucanum qvoqve legi meretur Oratio Curionis Cæſarem ad apertum bellum hortantis. 39 Ad diſſvadendum bellum conferre poteſt Oratio Nabarzanis ad Darium apud Curtium libr. V. Metii Suffetii apud Livium, & apud eundem Hannonis ad Senatum Carthaginenſem libr. XXIII. c. XII. & Scytharum ad Alexandrum apud Curtium libr. VI. & Parmenionis apud eund. lib. IV. Apud Virgil. à bello dehortatur Drances Æneidos libr. XI. & Venulus verbis Diomedis libr. eod. & Latinus Rex libr. XI. & XII. Vide etiam in Strada Dec. I. libr. VI. Orationem Feriæ Ducis Regi Hiſpano bellum diſſvadentis, item Roderici Gomeſii ap. eund. Dec. I. libr. VI. p. 383. & apud Gramondum libr. XVIII. Orationem eorum, qvi Ludovico XIII. Galliarum Regi expeditionem Mantuanam diſſvadebant. 40 Aliqvando etiam Ordines Regni ad Concordiam hortandi ſunt, qvò conducent illa in Livio libr. III. *Diſcordia Ordinum venenum eſt hujus Urbis* (*Reipubl.*) Item: *Læti hoſtes dùm Diſcordiis attinemur.* Tacit. *Externis Victoriis aliena, civilibus noſtra conſumere didicimus.* Idem. *Qvoties concordes agunt, ſpernitur hoſtis, ubi diſſensêre, dùm ſibi qvisqve contra æmulos ſubſidium vocat, accitus in partem, adverſum omnes valeſcit.* Idem. 41 Conſuli præteréà in hac materia poteſt Oratio Micipſæ Regis in Salluſtii Jugurtha: item Seniorum Romanorum, tum & Legatorum ad plebem in cauſa Decemviratûs apud Liv. libr. III. 42 *Conſultationes* qvoqve de belli gerendi rationibus haberi conſvevêre. Ad qvas acceſſuro non obfuerit legiſſe ac meminiſſe qvæ L. Æmilius Paulus apud Liv. libr. XLIV. ad milites perorat. Item T. Qvintius libr. XXXIV. & Appius Claudius libr. V. *Si unqvàm dubitatum eſt Qvirites.* 43 Aliqvando de Conſcientiarum libertate materies incidit, ad qvam nihil meliùs adferri poteſt, qvàm illud Stephani Regis tritum qvidem, ſed dignum, qvod nulla unqvam oblivio ex animis hominum deleat: *Deum tria ſibi reſervâſſe: Scire futura, ex nihilo aliqvid facere, & conſcientiis imperare.* 44 Huc qvadrat qvoqve illud ex Lactantio: *Qvis imponat mihi neceſſitatem vel credendi qvod nolim, vel qvod velim, non credendi?* Et ejusdem

jusdem alterum iſtud: *Nihil tàm voluntarium qvàm Religio, in qva ſi animus averſus eſt, jàm ſublata, jàm nulla eſt.* 45 De eadem * Conſcientiarum Libertate multa eximiè diſſerit Vir Romano-Catholicus Petrus Matthæus in Henrici IV. Hiſtoria ſeptennali libr. II. mihi p. 203. editionis minoris. Plurima qvoqve ad id argumentum utilia habet Magnus Thuanus in præfatione operis ſui hiſtorici. Sed Matthæi diſſertatio digna mihi videtur, qvam & ex gallico vertam, & qvantumvis fuſiorem, hùc apponam. 46 Ità verò ille: *Optandum eqvidem eſſet non niſi unum Religionis exercitium inter mortalas haberi. Nam in Unitate Veritas eſt, qvæ ipſa una, ſicut & Deus unus eſt, & ſummè unus. Et hæc unitas, ut Triſmegiſtus ait, eſt radix & principium rerum omnium.* 47 *Sed nempè torrens (diſſidiorum) iſte non poteſt ſiſti, & ſchiſma hoc jam vigorem ſuum & robur aſſumſit, qvia malum inveteratum eſt.* 48 *Deindè Deo competit Eccleſiam repurgare vel reſtaurare, non minùs qvàm eandem condere.* 49 *Oportet igitur, ut intra metas humanæ poteſtatis ſtemus homines, & triumphum victoriamqve animarum ſapientiæ relinqvamus æternæ, qvæ ſola poteſt reformare & recoqvere corda àd placitum ſuum, qvæqve tot animis deviis ac palantibus ſignum*

* *Conſcientiarum libertate*] Teſtantur Eccleſiaſticarum rerum Hiſtoriæ ſemper hoc hæreticorum fuiſſe, ut in Chriſtianos ſævirent, & per vim ſuis inventis ac opinionibus locum facerent: Chriſtianos autem ſemper animo fuiſſe â ſeditionibus alieno. Nam ut Arium prætercam, cujus hypocriſin & perjuria hæretici noſtræ tempeſtatis æmulantur, Georgius qvidam ejus aſſecla ex Cappadocia miſſus Alexandriam, cum populo decreta ſua videret exoſa, tantâ Chriſtianos immanitate vexavit, ut vel Chriſtiani nominis hoſtes ad commiſerationem impelleret. Nam illo dignitatem Epiſcopalem adepto, virgines in carcerem conjici, & rogis admoveri ut Chriſtianæ fidei & receptæ in Eccleſia religioni nuncium remitterent, Epiſcopi bene de Deo ſentientes compedibus vinciri, & â militibus traduci, ædes viduis & orphanis adimi, familiæ diripi, noctu laribus exportati Chriſtiani, ædes eorum obſignati, multi verberibus ad mortem cædi, mortuorum cadavera canibus obtrudi, omnia deniqve per fas, nefas, ſurſum deorſum agi rapi cœpêre. Lucius item Arianus per vim abdicato Petro, ſanctiſſimo & integerrimo viro, cum Alexandrinarum Eccleſiarum ſibi curam & moderationem arrogâſſet, Valentis auguſti fretus auctoritate, Chriſtianorum cædibus Ægyptum irrigavit. Neqve tantum hoc Arianorum fuit. Nam ante hos Macedonius, novæ factionis auctor, vi & armis in Eccleſiam irrupit, & pro ſua inauguratione mactatis tribus, & eo amplius, Chriſtianorum millibus, Orco litavit. Sed qvid eſt opus his recenſendis immorari, qvæ paſſim legentibus obvia ſunt, & hujus operis compendio dicere prohibemur? Cum his contendantur Chriſtiani paſtores qvi in orthodoxa majorum diſciplina perſtiterunt, qvi qvanqvam infinitis cladibus obruebantur, qvis tamen omnium ad arma confugit? Cum Lucius ille, qvem dixi, cæco furore ſic per Ægyptum bacchuretur, & legionibus ſuis meliorem populi Chriſtiani partem infeſtaret, viri ſancti vitam in ſolitudine tolerantes, ductabant exercitum Chriſti, non fragilibus armatum telis ſed fide religionis inſtructum: exercitum, inqvam, qvi moriens vincebat, & ſangvinis effuſione ſui triumphans inferebatur cœlo. Neqve enim hi armis arma retundebant, ſed in tuguriis, & caverulis orationi vacantes & jejunio, carnifices ſuos porrecto ad ferrum jugulo præſtolabantur. Religioſè Conſtantinus, primus ille Chriſtianorum imperatorum, ad Saporem Perſarum Regem, Deus, inqvit, non vindictæ, ſed manſuetudinis & modeſtiæ lætatur officiis, pacificos & mites amat, factionumq; autem & ſeditionis amantes averſatur. Hoc, ni fallor conſilio, idem Conſtantinus, cum ad propagandos Chriſtianæ fidei terminos animum adjiceret, Byzantii pacis primùm, deinde Apoſtolorum ædem conſecravit. Pacis enim, non turbarum & ſeditionis genio agi oportet eum, qvi veritatis Apoſtolicæ myſteriis initiari ſtudet. Primum Chriſtianæ religionis argumentum eſt ſtudium qvietis & otii, alterum eſt magiſtratuum obedientia, ſine qva nullum Imperium, nulla reſpub. nulla civitas, nulla domus ſtare poteſt.

tollit in vinm ſalutis redeundi. 50 *Cæterùm humanæ poteſtatis non eſt imponere neceſſitatis legem iis rebus, qvas Deus ſui juris eſſe voluit, ut ſunt Conſcientiæ: qvæ adeò perindè ut cogitationes, in Politia liberæ eſſe debent.* 51 *Eccleſia hæreſes ſemper deteſtata eſt, ſed Judiciorum rigorem nunqvàm niſi in Hæreſiarchas exercuit, idqve etiam tùm tantùm, cùm eorum in errore patuit pertinacia. Ità ut illa rationibus invicta ſuæ eſſet opinionis mancipium.* 52 *Et pœnæ qvibus Eccleſia uſa eſt, magis ignominioſæ, qvàm crudeles, magis ſalubres, qvàm mortiferæ fuerunt.* 53 *Ac nempè eos pudore potiùs, qvàm ſangvine fuſô rubere maluit.* 54 *Theodoſius Imperator graves conſtituit pœnas, ſed eas nunqvam exercuit. Maluit ſubditos ſuos ad concordiam Religionis & rerum divinarum, per æqvitatem, qvàm per vim; metu & amore potiùs, qvàm ſuppliciis & immanitate attrahere.* 55 *Etiam qvatuor Concilia non aliis eos armis oppugnârunt, qvàm qvæ ex verbo divino petita eſſent.* 56 *Nec enim Nicææ trecentorum Epiſcoporum Conventus aliter cum Ario; nec centum & qvinqvaginta Patres Conſtantinopoli cum Macedonio, nec ducenti Epheſi cum Neſtorio, nec ſexcenti triginta Chalcedone cum Eutyche egerunt.* 57 *Nempè ſenſerunt illi Hæreſin eſſe obſtinationem animæ, qvæ non eſt ſubjecta tormentis corpus jugulantibus, qvod ſupplicia magis aperiant ſectas, qvàm ſuffocent, qvodqve mortis pœna Hæreticis inflicta in id, nè ſectatores invenirent, incidit ſæpè in animos tàm immobiles & mori paratos, ut morte ſuâ plures ſibi aſſeclas unâ horâ reddant, qvàm viventes vix feciſſent decenniô* 58 *Conſtantia illorum, qvi Conſtantienſis Concilii decretô ignis ſupplicium ſubierunt, & noviſſima eorum verba admirationem adſtantibus movêre, & hodiè usqve illa aſſervantur recoluntùrqve, non ſecus atqve aliqva Sibyllæ folia.* 59 *Chriſtiani ipſi primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis qvantis execrationibus, qvantis afflictionibus fuerunt obnoxii? Nonnè Impoſtorum infamabantur titulis? nonnè aëris injuriæ, ſterilitates annorum, eluviones fluminum, & terræ motus ipſis imputabantur? Adrianus poſteà Religionis causâ conqviri eos noluit. Antoninus Succeſſor ejus vivicomburiô plecti juſſit eorum Accuſatores. Poſtqvàm Diocletiani & Maximini perſecutiones irritæ & ſine fructu eſſe, atqve ex cineribus unius cremati hominis centum alii reſurgere totô Imperiô animadverſi ſunt, Succeſſores iſtorum Cæſarum verùm eſſe agnovêre, Reges non ut corporibus ſic animis imperare, & fidem non poſſe imperari: neqve convenire veritati cum coactione, neqve Juſtitiæ cum Crudelitate, & nihil eſſe tàm voluntarium qvàm Religionem.* 60 *Pagani Principes tolerârunt Chriſtianos.* 61 *Decius armorum & Legum gloriâ inter magnos Principes numerari meruiſſet, ſi in Chriſtianos fuiſſet moderatior.* 62 *Chriſtiani Principes pariter tolerârunt Paganos, neqve videmus Paganiſmum ab illis usqvàm punitum fuiſſe.* 63 *Honorius & Theodoſius, etſi promovendæ ſuæ Religionis zelô arderent, tamen Paganos per vim ad Chriſtianam fidem converti noluêre, qvin imò Judicibus & Præfectis Provinciarum interdixêre, nè turbarent illos, dùm qvieti, & in obſeqvio legum viverent.* 64 *Judæi etſi irreconciliabiles inimici Ethnicorum, & Deorum, qvos Ethnici colerent, multitudinis, magnâ tamen ſecuritate inter Græcos, Parthos, Medos, Elamitas, Meſopotamios habitârunt. Neqve Romanô Imperiô ejecti ſunt, qvin imò*

imò ſemper Synagogas iſtic ſuas habuêre, præcipuè ſub Nerva & Antonino Imperatoribus. In Gallia qvoqve tranqvillè vixêre, & poſtea indè non propter Religionem, ſed propter uſuras & immania facinora ejecti ſunt. 65 *Certum eſt itaqve Principes prudentes nunqvàm morti adjudicâſſe ſubditos, ut fidei ipſos adjungerent, nunqvàm bello deſtruxiſſe Provincias, qvò Conſcientias gladiô inſtruerent.* 66 *Agnovêre potiùs Religionem eſſe unionis & Concordiæ opus, bellum verò non conſtare niſi ſeditionibus & everſionibus Regnorum.* 67 *Undè adeò illi etiam, qvi noſtrô ſeculô Cœlum terra miſcuerunt, ut ſubditos ſuos ſub ejusdem Religionis obſeqvium redigerent, deſtitère tandem ab incepto, repudiaruntqve Conſilium illorum* ‡ *Medicorum, qvi in qvolibet morbo curando antimonium adhibendum, & venas ſe-*

‡ *Medicorum*] Hîc veniunt in mentem Deſider. Eraſmi verba, qvæ non ita pridem legi in Catalogis. Lucuburation. ipſo ab Erſamo confectis & Antverpiæ annô M. D. XXXVII. in 8t. editis. *Video*, inqvit, in p. m. 63. qvi tamen paginarum numerus à mea manu eſt; „ multis magis placere ſævitiam, ac per me qvidem licebit ut ſuum cuiqve judicium blandiatur. Sævire facilius eſt, ſed hoc mihi viſum eſt conducibilius. Si corporis affectio in uno qvopiam membro verſetur, fortaſſe profuerit cauterium aut ſectio: cæterùm ubi malum ſper omne corpus fuſum eſt, ubi per intimas venas ac fibras ſparſum eſt, fortaſſis aliqvô Mercuriô ſit opus, qvi qvemadmodum letalem ſoporem exemit ex omnibus membris pſyches, ita paulatim ex intimis educat id qvod eſt noxium. Eſt poſt pauca: Odi cruenta diſſidia luſibus innoxiis magis capior, velut huc natus. Tum mihi probè conſcius ſum, qvantum Herculem hæc res poſtulet, & qvantulus ego ſim pygmæus. Ac prorſus nondum mihi ſatis decretum eſt, an velim, qvod inſtitutum eſt abſolvere. Qvicqvid fiet, non fiet temerè: nec exibit omnino, niſi privatim lectum ac probatum ab his qvos maximè decet favere gloriæ Chriſti: nam in hoc certè cudetur, ſi tamen cudetur unqvam. Siqvidem video partem utramqve ſic eſſe accenſam, ut aut tota velit vincere, aut tota perire. Porrò altera devicta, magnam Euangelicæ veritatis ac libertatis ruinam ſecum trahet: altera non opprimetur, niſi pernicioſiſſimo orbis tumultu, qvi multos etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi ut utraqve pars victoriam concederet veritati & gloriæ Chriſti. Hæc ibi Eraſmus. Idem qvi exclamabat: Utinam Leo ſciret qvibus modis hîc res agatur, in illos (monachos qvi odioſiſſimè clamabant in Lutherum.) primum eſſet Leo. idem ait: Nec obſto, ſi vel aſſum malint Lutherum, vel elixum; levis eſt unius hominis jactura. Ejus hæc ſunt è libr. 1. Epiſt. II. ad Barbirium p. m. 5. Mihi (in religione) adeò inviſa eſt diſcordia ut veritas etiam diſpliceat ſeditioſa. Item mihi ſtat ſemperqve mihi ſtabit ſententia, vel membratim diſcerpi potius qvam fovere diſcordiam, præſertim in negotio fidei. occinunt multi, qvi Luthero favent illud Euangelicum: non veni mittere pacem, ſed gladium. Eqvidem ut mihi videre videor eſſe qvædam in Eccleſia recepta qvæ magno Chriſtianæ religionis bono mutarentur, ita nihil placet qvod hujuſmodi tumultu geritur. rurſus p. 7. mihi ut ſemper placet concordia ita hic qvoqve malim pacem aliqvantulum iniqvam, qvàm bellum æqviſſimum. Contigit autem Eraſmo, qvod ipſe ſui fati vates cecinit, ibid. næ ego, p. 7. præclarum operæ precium fero, qvi utrinqve lapidor! Apud noſtros falſiſſimo titulo traducor Lutheranus, apud Germanos malè audio ut Lutheranæ factionis adverſarius. Nam & ſemi-Chriſtianus audit Bellarmino l. 1. de verb. DEI p. 43. & judicum expurgantium cenſuras ſuſtinet. Is nimirum eâ tempeſtate erat Deſiderius, in qvem potiſſimum nulla non livoris jacula, odii ſpicula, invidiæqve Sagittæ ex hoſtium (anctoritati ſuæ & famæ metuentium, indeqve ſtudia literarum reſurgentia opprimere omni conatu laborantium) animis veluti arcubus ſunt evibratæ. Ita cum Stunicæ, Lei, Sutores, Bucentæ, Standicii, Dorpii aliiqve, calumniis celebres, in aulis, in concionibus, in collegiis, in gynecæis urgente livore oppugnaverant, ut concidiſſet millies, ni gorgone ſua h. e. doctrinâ eloqventiâqve inſigni armatus, hoſtium agmina fortiter repuliſſet. Qvod [illegible] à nonnullis habeatur Erſamus fortè ſubeſt ratio, at illum ipſum cum nonnullis Atheiſmi aut Luciamiſmi nolim inſimulare temere. *Aliud ſanè*, inqvit Cl. Theophil. Spizelius Au-

ga-

candæ putavêre. Hactenus P. Matthæus. 68 Qvod ſi contingat aliqvando capite ſuô Rempubl. privari, tùm verò ut conventus plurimi, ità varia in publico diſſerendi freqventior campus eſt. 69 Tali enim tempore fieri ſæpe ſolet, qvod Auguſtô deficiente Romæ: *Aderat*, inqvit Tacitus, *finis, & ſpes novæ; pauci Bona libertatis in caſſum diſſerere, plures bellum paveſcere, alii cupere, pars multò maxima imminentes Dominos variis rumoribus differebant.* 70 Tùm de ſecuritate publica ſermo haberi ſolet, *nè rerum tranſitus novis hoſtium conatibus fiant opportuni.* 71 Solet qvoqve agi de Legum veterum correctione, ſtabilitione, vel, ſi qvæ violatæ ſint, reſtitutione in integrum. 72 Qvâ occaſione multæ liberiores cenſuræ nonnunqvam audiuntur. *Hoc eſſe tempus, qvô Aqvilæ Sarmaticæ ſenectus, redditâ qvaſi juventute, revireſcere poſſit. In manu jàm civium poſitum, ægrum Reipubl. corpus à vitioſa humorum liberare ſaburrâ, & vulneribus, ſi qvæ illata ſint, medicinam afferre. Legum optimas, & præcipua libertatis jura interregnorum partum eſſe*, & ſimilia. 73 Servire hùc qvoqve qveat qvod Galba apud Tacitum libr. I. hiſtor. ait: *Utiliſſimus ac breviſſimus bonarum malarumve rerum delectus eſt, cogitare qvid aut nolueris ſub alio Principe, aut volueris.* 74 De Legibus non mutandis vide Savedram in ſymb. XXI. mihi p. 163. & Stradam Dec. I. libr. V. mihi p. 243. 75 Sed ibidem alia qvoqve Oratio mox additur de iisdem Legibus ad præſentium temporum uſum flectendis. Qvô pertinent illa ex Tacito: *Non omnia apud priores meliora.* Et: *qvod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* 76 De Electione novi Capitis cùm fiunt verba, plerùmqve oſtendi ſolet, qvàm felix ſit Reſpubl. *qvæ non unius familiæ hæreditas ſit*, ut Galba apud Tacitum de Romana loqvitur. *Optimam eſſe publicæ rei conſulendi rationem, ſi imperaturus omnibus eligatur ex omnibus.* Plin. in Paneg. 77 Si ex defuncti Principis ſtirpe eligendus qvis videatur, ſervient illa: *Minori diſcrimine ſumi Principem, qvàm qværi.* 78 Non abludunt verò ab hoc argumento, qvæ apud Curtium lib. X. Perdiccas, & poſt eum alii, mortuô Alexandrô, ſuper conſtituendo Succeſſore, qvæ item Clodius Albinus apud Julium Capitolinum diſſerunt, tùm & qvæ Barclajus in Argenidos lib. I. ſub nominibus Anaximandri, Lycogenis, Dunalbii, Nicopompi in utramqve partem diſputat. 79 Poſtqvàm ſuffragia in unum qvempiam Regni Candidatum conſensêre, tùm deſtinantur

guſtanus Commentat. I. §. III. Felicis Literati p. m. 97. „ in illo fuit religionis, lectionis ſacræ & „ rerum divinarum ſtudium, & qvamvis judi„ cio nonnullorum fuerit qvandoqve in negotio „ religionis nimis politicus, inqve doctrina de „ Trinitate ſcepticus, inde tamen nemo evin„ cet illum atheis ipſis eſſe accenſendum, aut „ infami Luciani cujusdam recentioris nomine „ traducendum, qvo etiam probro anonymus „ qvidam Cenſor Philippum Melanchthonem, „ ipſumqve Jac. A. Thuanum præter omnem „ veri ſpeciem infamavit. „ Ac licet aliqvi eru„ ditorum atheiſmi propterea fuerint participes, „ qvod cauſam pietatis perperam agendo atheiſ„ mum imprudentes promoverint, ideò tamen „ atrociſſimi illius criminis peragere reos, nimis „ inhumanum, nimis rigidum, im . extremæ „ temeritatis opus haud abs re videretur. Hæc ille. Tandem adjicio hæc notatu digna Eraſmi verba è p. 64 Catalog. Lucubrat. „ Ego vix „ ulli conceſſerim, ut magis faveat Euangelio, „ qvàm faveo.

tur aliqvi, nomine Nobilitatis qvi deferant Imperium Candidato. 80 Hùc aliqvô modò qvadrare videtur Oratio Leonini, nomine Belgarum, Regi Galliæ Provinciarum fœderatarum Imperium deferentis; ſed ſunt in ea qvædam nimis ſubmiſſa & abjecta, nec niſi ſummè periclitanti Reipubl. conveniunt. Oratio autem illa extat in Reidano libr. IV. p. 64. Extat item apud Stradam. dec. II. libr. V. 81 Solent deindè, Candidati qvoqve nomine, pro Electione gratiæ agi Ordinibus Reip. Id qvod in noviſſima Regis Johannis Caſimiri electione ſplendidiſſimô ſermone fecit Illuſtriſſ. Comes Boguſlaus Leſcinius Regni nunc Ærario Præfectus. 82 Hùc qvoqve qvadantenus pertinet Alenzonii Principis Galli Oratio, qvam Antverpiæ habuit, cùm Ordinibus fœderatis pro commiſſa ſibi rerum ſumma gratias ageret. Extat verò illa apud Reidanum de rebus Belgicis ſub initium libr. III. 83 Poſtea in Coronatione, magnificâ plerumqve Oratione Princeps à Nobilitate excipi ſolet. 84 Ubi explicari conſvevit, qvantus electo Regi à Deo contigerit honos, ſed qvantum ſimul etiam onus. 85 Hùc facere poſſunt illa ex Seneca: *Omnium ſomnos Regis vigilantia defendit; Omnium otium illius labor. Omnium delicias ejus induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* 86 Sed ſimul quoqve Fiducia exponitur: qvam habeant cives de Principe: *Fore nempè illum patriô in ſubditos affectu, uti ipſum non tàm ſupra ſe, qvàm pro ſe eſſe ſentiant. Ita ad illum, tanqvàm ad clarum & beneficum ſidus certatim advolaturos (cives,) objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimos &c.* Qvæ verba ex Senecæ libro I. de Clem. c. III. depromta olìm J. Lipſius explicanda ſibi ſumſit, cùm illum Albertus & Iſabella Auſtriaci in magno Procerum conventu audire publicè voluêre. 87 Deniqve vota adduntur, & perpetuæ proſperitatis comprecationes. Qvam ad rem ſervire poſſunt illa ex Plinii Paneg. *Te, ô ſummum Numen, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisqve addas muneribus perpetuitatem.* Idem ex Senec. ad Polybium iſta, ſed cum judicio correcta, atqve ad rem adcommodata: *Dii illum, Deæqve omnes terris diù commodent, &c. Abſtine ab hoc manus tuas fortuna, nec in iſto potentiam tuam niſi eâ parte, qvâ prodes, oſtende.* Item antiqvum Votum: *Auguſtô felicior, melior Trajanô.* *

XVI. 1 Porrò ad Legationes qvoqve identidem nobiliora ingenia adhiberi ſolent. 2 Qvibus ad tam arduum munus ritè ſuô tempore præparandis expediet legiſſe brevem diſſertatiunculam Barclaji, qvæ extat lib. V. Argen: hôc initiô: *Nullam ſuorum negotiorum partem cautiùs exigebat Meleander, qvàm delectum eorum, qvibus ad exteros Reges aut populos legationem concrederet, reputans illos venarum inſtar eſſe, qvæ pro ſuo habitu occultam ſalutis aut morbi vim ex diverſo tractu terrarum inſpirarent in patriam, &c.* 3 Sed cum extent de

* Addas & hic qvod qvandoqve Imperatores & Reges Magiſtratu ſe ac imperiô abdicent. Qvo in genere admodum elegans, ſed rara, eſt eruditæ Chriſtinæ Reginæ Valedictio Upſaliæ menſe Febr. M. DC. LIV. dicta, & cum Cl. viri Chriſtoph. Forſtneri Epiſtola ſive judicio de moderno Imperii ſtatu, item Cardinal. Richelieu Teſtamento Chriſtiano & Politico Freiſtadii annô M. DC. LXXVI. in 12. junctum edita.

Legatorum officio † libri ſingulari curâ à ‡ Chokiero & * Marſelario ſcripti, ii præcipuè cum cura, ubi res reqviret, evolvendi erunt. 4 Materiæ verò Legationum variæ ſunt. Illis qvippe conteſtationes Benevolentiæ aliis Principibus deferri moris eſt, tùm & de fœdere novo ineundo, vel veteri confirmando, auxilio vel poſcendo vel ferendo, de Matrimonio, Pace tractanda, aliqvando verò de Injuriis expoſtulandis, rebusqve repetendis, aliisqve id genus agi ſolet. Ad qvæ omnia ex hiſtoriis multa utilia maturè ſeponi poſſunt. 5 Auxilium petunt Campani à Senatu Romano apud Livium libr. VIII. item Samnites ab Hannibale adverſus Romanos libr. XXIII. Petitio Pacis extat apud eundem Livium libr. XXX. ubi Annibal Scipionem ad pacem invitat, & apud Curt. libr. IV. ubi Darii Legati cum Alexandro M. de pace tractant. 6 Tractationem Pacis ſi qvis diſertè latéqve deſcriptam legere velit, legat Baudii librum de Induciis belli Belgici, ubi multa pro Pace & contra Pacem ineundam afferuntur. Vide potiſſimum p. 62. lib. prim. edit. anni 1629. ubi contra pacem diſſeritur. Pro pace verò p. 70. & ſeqq. 7 Svaſio fœderis ineundi extat ap. Livium libr. XLI. ubi Xenarchus ſocietatem cum Perſeo Rege ineundam eſſe diſſerit. 8 De fœdere violato expoſtulat cum Feciale Romanorum Cl. Pontius Samnis apud Liv. lib. IX. Item Q. Martius cum Perſeo Rege lib. XLII. c. XL. Et Hiero Rex Syracuſanus in ſuppl. Livianis. Cl. Freinshemii lib. VII. mihi p. 237. 9 Expoſtulatorias Legationes Reginæ Angliæ ad Ordines Belgii fœderatos, & viciſsim, vide in Reidano libr. VI. & libr. VII. 10 Sæpè etiam Legati in id mittuntur, ut inter Principes vel Status diſſidentes gratia & amicitia ſtabiliatur. 11 Sic Stephanus Rex Poloniæ olim Chriſtoph. Closkovium ad Ordines Belgicos, illos cum Rege ſuo reconciliandi cauſâ allegavit. Qva de re vide Stradam Dec. II. libr. VIII. mihi p. 457. Sigismundus qvoqve III. ad eosdem miſit. Sed eam Legationem ut ingratam tum Ordinibus acerbiore ſtylô perſeqvitur Reidanus libr. XIV. mihi p. 372. & ſeqq. 12 Verùm qvis omnes in publico dicendi materias exhauriat? cùm rerum vices & negotiorum publicorum varietates propè infinitæ ſint, & de ſingulis ferè loqvendi poteſtatem, occaſionem, imò & neceſſitatem ſæpè faciat nobili viro ratio Reipubl. in qva ordo Eqveſtris ad maximas & intimas conſultationes, deqve publicis rebus diſceptationes admittitur vocaturqve.

XVII. 1 In his autem, qvæ attulimus ſunt qvædam, qvæ verbis iisdem vernaculæ Orationi, ſi emphatica & acuta ſunt, inſeri poſſunt, talia ſi inſeri vel non poſ-

† Vide dicta parte 1. Methodor. noſtrar. p. 554. ſ. & adde Vicqvefortii librum, cui titulus: Memoires touchant les Ambaſſadeurs & les Miniſtres publics, à Cologne M. DC. LXXIX. Tractat hoc ipſum fuſiùs argumentum Carol: Scribanius Jeſuita lib. I. c. XXVI. Politico-Chriſtiani p. m. 326. ſ. edit. Antverpienſ. M. DC. XXIV. in 4to.

‡ Annò 1643. in fol.

* *Marſelario*] Vide de hoc Boecler. in I. Annal. c. III. Taciti §. VII. p. m. 100 edit. Argentorat. M. DC. LXIV. in 8r. Porrò Marſelarii Legatum ad Philippum IV. Hiſpan. Regem habeo in fol. Antverpiæ editum ex officina Plantin. M. DC. LXVI.

poſſunt, vel non merentur, occaſionem tamen campumqve dabunt ad meditandum ea, qvæ ad rem præſentem accommodata videantur. 2 Illud porrò non neceſſe eſſe puto monere, qvod qvemqve judicium & experientia ſuô tempore ſatis docebit, ſententiarum, qvæ in Autoribus placent, non omnia verba, uti in Autore habentur, religiosè ſervanda, inqve publicum afferenda omnia eſſe. 3 Demi enim atqve etiam mutari aliqvid poteſt, prout res nata poſtulaverit. 4 Nonnunqvam magis alludere ad iſtiusmodi dicta Autorum, qvàm allegare ea convenit. 5 Autores qvoqve ipſi non ſunt facilè nominandi publicè, qvia ea res ſcholam nimiùm ſapere, atqve apud nonnullos cavillum incurrere ſolet. 6 Sed, ut dixi, arena ipſa optima hîc cuiqve dicendi Magiſtra erit, & anteqvàm in eam ipſe deſcendat, audire alios in publica Regni paleſtra probatos, legere etiam Virorum in Republ. clarorum epiſtolas ‡ & ſermones, (qvi magnâ curioſitate in Poloniâ à diligentibus conqviri colligiqve ſolent,) expendere eosdem cum cura, atqve ad eorum ſe exemplar decorâ æmulatione componere, ſi rectè ſibi conſulere volet, debebit.

XVIII. 1 Non autem ad Orationes tantùm in publico habendas accingere ſe Nobilem oportet. Ea qvoqve ſubſidia maturè ſibi comparare debet, qvæ in qvovis congreſſu, inqve omni civili cum aliis & negotio & conſvetudine gratiam exiſtimationemqve ipſi conciliare poſſunt. 2 Qvam ad rem non Prudentiâ tantùm & Judicii ſagacitate, neqve Comitate modò, qvâdamqve ſvavitate morum opus eſt, ſed reqviritur ſimul, ut ſermones ſuos aptis condimentis cuivis meliori palato attemperare diſcat futurus Politicus. 3 Judicii autem limandi occaſiones, tum & orationis condimentorum ſegetem ipſe qvidem uſus benè natis Ingeniis ſuppeditat, & ex † convictu freqventioriqve cum viris dignitate & doctrinâ inſignibus conſvetudine, multa utilia & rara hauriri poſſunt. 4 Et iſta cùm à talibus capiuntur, fortiùs plerumqve penetrant, penitiusqve inſident animis capacibus. 5 Cùm ea porrò in congreſſu aliqvo in uſum adducuntur, longè magis aures ac corda audientium arrigunt, qvàm qvæ ex libro qvalicunqve depromta afferuntur. 6 Memini ſanè ipſe, me præſente, attentiſſimè, nec ſine ſingulari animorum motu auditos eſſe viros generoſos, cùm Radzivilliorum, Zbaraſciorum, Zamo-

‡ Collegit illas peculiari volumine in 8t. Melch. Junius Argentor. edit.

† *Convictu*] Certum citra controverſiam verumqve profectus adminiculum in ſtudiis converſatio cum eruditis eſt: at qvo minus ad eam pertingere qveas, obſtat non magis magna verè eruditorum paucitas, qvàm aſperitas: neqve enim facile ſe indoctiores proficereqve cupientes, niſi magna ipſis numeretur pecunia, admittunt; aut ſi ſemel aliqvando admittant, qvod in magna gratia deputandum ac lucro, adeò breviter & ſuperbè ſe expediunt, ut difficiles eorum mores nemo non vereatur & fugiat. Plurimi in Academiis opinione ſuâ eruditi Profeſſores, addo & re ipſâ, labefactari ſuam auctoritatem exiſtimant ſi freqvens ſtudioſis exteris & humilibus ad eos aditus pateat. Non paucos neqvidqvam convenimus, cùm ex invidia vel arrogantia de nulla re minus qvàm de litteraria loqvantur. Et ſi loqvuntur, digrediuntur cum aliorum ſi non manifeſto, ſaltem tacito contemptu, ſuas in laudes, adorariqve volunt. Qvi hîc interrogat, inqvirit, de dictis dubitat modeſtè, doceriqve non obiter ſatagit, moleſtus eſt, ſecundâqve admiſſione indignus.

Zamoſciorum, Leſciniorum, Coniecpolſciorum, ſimiliumqve in Rep. celebrium Heroum dicta & judicia privatim aliqvando à ſe audita, concinnè & tempeſtivè allegarent. 7 Eò major felicitas judicanda eſt eorum, qvibus in ejusmodi, ſapientiâ, experientiâ, honoribusqve eminentium Virorum interiorem neceſſitudinem datur pertingere: ubi ſcilicet & judicium & ſermones & actiones ſuas formare diſcant. 8 Eò etiam ſolicitiùs nobilium Adoleſcentum Parentibus atqve Educatoribus hùc enitendum eſt, ut qvæ publicæ lucis capacia eſſe ſenſerint ingenia, iis illuſtris ejusmodi & ſapientis * contubernii ac conſvetudinis celebrioris copiam atqve uſum concilient. 9 Conſiderari hanc in rem meretur prudentiſſimi Hiſtorici Philippi Cominei judicium, qvi Ludovico XI. Galliar. Regi *plurimùm profuiſſe* ait, *qvòd deſertô Patre, apud Philippum Burgundiæ Ducem ſex annis vixiſſet: neqve illum ex tot difficultatibus emerſurum fuiſſe exiſtimat*, *ſi in Galliâ*, *more ſolitô*, *fuiſſet educatus.* 10 Huc qvoqve ſpectat Virgilius, cum Pallanta ab Evandro Patre ita Æneæ commendatum refert lib. VIII. Æneid. v. 515.

— — Sub te tolerare magiſtro
Militiam, & grave Martis opus; tua cernere facta
Adſveſcat, primis & Te miretur ab annis.

XIX. Sed

* *Contubernii*] Nunqvam tantus evaſiſſet Joh. Schroderus Theologus, niſi tam diu fuiſſet in ædibus B. Ægidii Hunnii. Accuratiſſimus noſter Hullemannus domui Graviſſimi Theologi Friderici Balduini multum debet. Auguſto Buchnero & Wilhelmo Lyſero, qvibuſcum vixerat, omnia ſua accepta fert Joh. Meiſnerus, veluti ſummo Calovio Henricus Baumannus, Director olim Gymnaſii Coburgenſis ſine ulla ambitione doctiſſimus. Prudenter hac in re & verè ſexta in Epiſtola Seneca: „Zenonem Cleanthes non „expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiviſſet. „Vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, an ex formula ſua viveret. „Plato & Ariſtoteles, & omnis in diverſum „itura ſapientium turba, plus ex moribus, „qvàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermachum, & Polyænum, magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit. Et in fine Epiſt. XI. O felicem, „qvi ſic aliqvem vereri poteſt, ut ad memoriam qvoqve ejus ſe componat, atqve ordinet! „Qvi ſic aliqvem vereri poteſt, cito erit verendus. Elige itaqve Catonem: ſi hic videtur „tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Lælium; elige eum, cujus tibi placuit & „vita & oratio; & ipſius animum ante te „ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, „vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inqvam, aliqvo, ad qvem mores noſtri ſe ipſi „exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges. Neſcio an non hinc illud Actuum I. 1. „Cœpit „Jeſus facere & docere. Facta nimirum dictis potentiora ſunt, & faciliùs eunt in exemplum, in imitationem; influunt potentiùs, hauriuntur altiùs, inhærent tenaciùs, & calcar qvoddam addunt etiam reluctanti, verecundiam ſanè incutiunt & ruborem, & vel hôc ſolô freqventer nomine, trahunt in ſeqvelam. Pudet nimirùm non ſubſeqvi præeuntem, tantumqve exempla valent, ut corporis etiam & lingvæ vitia in magiſtro imitentur diſcipuli, cùm enim per ætatem rerum diſcrimina ignorent, probumqve ab improbo diſcernere non valeant, qvidqvid in magiſtro vident, imitandum ſibi proponunt. Ut verum illud ſit. Juvenal. Satyr. XIV. v. 31. ſ.

„Velociùs, & citiùs nos
„Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica,
„magnis
„Cùm ſubeunt animos auctoribus.

Vivimus nimirùm ad exemplum, ut meritò Stoicus Ep. CVIII. „Nullos pejùs mereri de omnibus mortalibus judico, qvàm qvi aliter vivunt qvàm „vivendum eſſe præcipiunt: nec magis talis poteſt „prodeſſe præceptor, qvàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus.

XIX. 1 Sed ſi qvis de vitæ politicæ ornamentis tempeſtivè cogitare incipiat, poteſt lectio qvoqve bonorum Autorum multa ad eam rem pertinentia ſuggerere. 2 Hùc autem qvadrant præcipuè, qvæ brevia ſunt, & ſimul acuta, nervoſa, atqve inſigni aliqvâ elegantiâ conſpicua. 3 Brevia, ut memoriâ comprehendi, & ubi occaſiò eſt, ſine labore atqve hæſitatione reddi poſſint. 4 Acuta atqve inſigniter pulchra eſſe oportet, qvò & judicium legentis acuant, & animos afficiant audientium. Qvod efficere vulgaria & trita neqveunt. 5 Præcipuè autem hùc præter ſententias nervoſas, de qvibus antè ſatis dictum, conducunt *Adagia*, non vernacula tantùm, qvalia in Lingva Polonica utili labore collegit explicuitqve Cnapius; ſed & gentium aliarum, qvalia in ſingulis fere lingvis exſtant. 6 Utinam aliqvis præcipua & ſelectiſſima qvæqve ex omnibus aut certè præcipuis ‡ lingvis, ac potiſſimùm ea, qvæ pluribus nationibus communia ſunt, in unum Volumen colligeret! 7 Conducunt qvoqve hùc *Apophthegmata*, ex iis, qvæ Eraſmus, & poſt eum Lycoſthenes, Beyerlingius aliiqve collegêre, ſelecta. 8 Et utilem ea in re operam navavit Gerardus Tuningius, qvi præſtantioribus Græcis Latinisqve Italica, Gallica, Hiſpanica addidit: multa egregia iſtic complexus, multa etiam utilia iis, qvi Lingvarum illarum peritiâ tantum valent, ut intelligere ea, tantum & judiciô, ut apte applicare, & ſcenæ accommodare poſſint. 8 Addere his expediet Æliani hiſtoriam † variam, Attica Bellaria Pontani, & Epidorpidas Caſp. Ens. 9 Plurimum porrò ad rem, qvam nunc agimus, conferunt *Similitudines*, qvales multas ex Cicerone, Plutarcho, Seneca, Plinio, aliisqve Autoribus collegêre boni Autores, inprimis autem Eraſmus & Lycoſthenes. 10 Nos qvoqve hos ſecuti, ſimilia non pauca, aut taliſum ſaltem materiam infrà in Politica naturali, etſi obiter, & aliud qvaſi agentes, dabimus. 11 Sed nonnunqvam integras ſimilitudines adducere tædioſum aut ineptum, commodè verò atqve eleganter ad eas alluſiſſe perdecorum fuerit. 12 Ut, ſi de aliqvo Generoſo Juvene dicere velis, eum non refugere aſpectum hominum & lucem publicam, poſſis ſimili hôc exprimere. Sicut Aqvilæ genuina proles Solem inconnivis oculis intueri poteſt: ſic iſte nullam celebritatis lucem reformidat. 13 Sed per *Alluſionem* breviùs hoc expediveris, ita ſcilicet: Nullum publici ſolis fulgorem reformidat generoſus iſte aqvilæ pullus. 14 Ejusmodi alluſiones ad Mythologiam etiam aliqvam veterem, vel Ritum, vel Hiſtoriam cum fiunt aptè, multum cuilibet ſermoni gratiæ & Veneris addunt. 15 Ut, ſi ſeditionem perdomitam dicere volens, dicas: Ceſſit tandem Hydra iſta Herculi noſtro: Item, ſi de belli alicujus periculoſi initiis loqvens nobilis dicat: *Tranſiimus Rubiconem.* 16 Commendant

‡ *Lingvis*] Laudandum hic venit inſignem ob utilitatem in Lingva Germanica Florilegium Politicum Chriſtoph. Lehmanni Francof. editum annò M. DC. XXXVIII. qvod miror potuiſſe diligentiam Dn. Morhofii effugere; recenſens enim in c. XXI. primi Polyhiſtoris Literarii libri p. 258. Germanicorum Adagiorum Scriptores aliqvot, hunc planè ſilet in primis tamen nominandum.

† Qvæ optimè prodiit Argentorati curante Eximiô ac doctiſſ. Dn. Joach. Kuhnio Gryphiſwaldenſi Pomeranô annò M. DC. LXXV. in 8o.

dant etiam ſermonem ſcriptionemqve *Paronomaſiæ* elegantes & appoſitæ; ut, ſi cum Alphonſo dicas: *Fœnus eſt funus animæ*: Et cum Lipſio: *Qvò magis lata, eò magis læta erit epiſtola*: Item: *Tu vide, ride, & Satyram pro noſtra Satyra contra ſaturos iſtos ſcribe*: Item: *Laudet potiùs, qvam lædat*. Item: *Sine crimine diſcrimen*. Item: *Patior, ut potiar*. *Minimum decet libere, cui nimium licet*. *Ego rumorem parvi facio, dùm ſit, rumen qvî impleam*. *Sub luce lues*: qvod à ſtellione ad adulatorem transfert magnus Savedra ſymbolo 48.

17 Ornant qvoqve *Oxymora*, ut in illo.

> *Neſcire velle, qvæ Magiſter optimus*
> *Neſcire nos vult, erudita inſcitia eſt.* Et in iſtô:
> *Gratia, qvæ tarda eſt, ingrata eſt.*

Cum priore illo convenit illud Auguſtini. *Deus meliùs ſcitur neſciendô.*

XX. 1 Inter alias verò poliendi judicii qvaſi limas, Sermonumqve civilium elegantias non minùs locum invenient *Elogia*, ſeu brevia & acuta judicia de viris, qvi ſeu togâ, ſeu ſagô id aſſecuti ſunt, ut crebra de iis mentio in colloqviis conſeſſibusqve fiat. 2 Nam ob id ipſum qvòd freqventer in ore eſſe ſolent, tantò crebrior occaſio offertur proferendi id, qvod de qvoqve ſingulare ſciveris. 3 De Catone Majore Livii lib. XXXIX. c. XL. hoc judicium eſt: *In hoc viro tanta vis animi & ingenii inerat, ut qvocunqve locô natus eſſet, ſibi ipſe fortunam facturus videretur.* De altero Catone ita Salluſtius: Bell. Catil. c. LIV. extr. *Eſſe qvàm videri bonus malebat: ità quò minùs gloriam petebat, eò magis aſſeqvebatur.* Hujus Catonis mores proliхiùs paulò ſed eleganter deſcribit Lucanus: lib. II. v. 380. ſ.

> *— Hi mores, hæc duri immota Catonis*
> *Secta fuit, ſervare modum, finemqve tenere,*
> *Naturamqve ſeqvi, Patriæqve impendere vitam,*
> *Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo. &c.*

Paulò poſt: v. 389:

> *Juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti.*

4 De Pompejo Magno Salluſtius: * *Oris probi, animô inverecundus.* Qvod de ore probo ait, qvò rectiùs intelligi poſſit, addere lubet illud Senecæ Ep. XI. *Nihil, inqvit, mollius erat ore Pompeji*: alterum de animo inverecundo illuſtrius fit teſtimoniô Taciti, qvi de illo (1. Hiſtor. XXXVIII. 4.) ait: *Occultior Pompejus, non melior.* De eodem memorabile eſt, qvod Seneca libr. V. de Beneficiis c. XVI. habet: *Pompejus*, inqvit, *Populum Romanum eò redegit, ut ſalvus eſſe non poſſet, niſi beneficiô ſervitutis.* De Sylla idem Seneca

* Apud Sveton. de Illuſtrib. Grammat. c. XV. ubi tamen plurimis in editionibus ſicuti & in Salluſtii Fragment. *improbi* non *probi* eſt. Vide tamen hic Achillem Statium.

ca ibidem: *Patriam durioribus remediis, qvàm pericula erant, ſanavit.* De Mario Paterculus II. XI. 1. *Vir quantùm optimus bellô, tantum pace peſſimus.* 5 Potiſſimùm verò de præcipuis Imperatoribus notanda ſunt, qvæ apud Autores occurrunt, judicia, ut, qvod de Julio Cæſare Livius dixit, allegante Senec. Nat. Qvæſt. lib. V. c. XVIII. *In incerto eſt, utrum eum magis naſci Reipubl. profuerit, an non naſci*, & qvod de eodem Gyraldus: *Unus mihi cæteros & pugnando & ſcribendo viciſſe videtur Cæſar.* 6 De Auguſto vulgatum illud eſt: *Aut nunqvàm debuit naſci, aut nunqvam mori.* De ejusdem Clementia eleganter Seneca lib. I. de Clement. c. X. *Dare illum pœnas apparebat, cùm exigeret.* 7 De Tiberio tritum eſt illud, ex nomine leviter immutato: *Biberius Caldius Mero.* Et qvod recentiorum qviſpiam: *Nunqvàm magis hoſtis, qvàm cùm blandus:* De eodem antiqvus aliqvis apud Sveton. in Tiber. c. LIX.

Aurea mutâſti Saturni ſecula, Cæſar:
Incolumi nam Te, ferrea ſemper erunt.

8 De Cajo Cæſare Svetonius (in Calig. c. X. extr.) acutè judicat, *nec ſervum meliorem ullum, nec deteriorem Dominum fuiſſe.* De eodem Senec. Conſol. ad Helviam c. IX. *Hunc mihi videtur rerum natura edidiſſe, ut oſtenderet, qvid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent:* Et idem alibi: *Sub Cajo in eum ſtatum res decidère, ut inter miſericordiæ opera haberetur occidi.* 9 De Claudio mater Antonia judicare ſolebat: *Non abſolutum à Natura, ſed tantùm inchoatum eſſe.* De eodem recens Autor: *Omnia in imperio habuit, præter Imperium.* Seneca in Apocolocyntoſi: *Annos LXIV. cum anima luctatus eſt.* De eodem Auſonius, in Cæſarib. Eleg. V. v. extr. *Non faciendo nocens, ſed patiendo fuit.* 10 De Nerone Præceptor Chæremon apud Suidam dicere ſolitus eſt: *Lutum illud ſangvine maceratum.* De eodem Poëta Gallus:

Te celebrare poteſt, ô Cæſaris ultima proles,
Et ſcelus & vitium qvi celebrare poteſt.

Et recentior qvidam de eodem: *Matri occiſæ Romam fecit rogum.* 11 De Galba Tacitus: 1. Hiſtor. XLIX. 3. *Alieno Imperiô felicior, qvàm ſuo.* Et: v. 4. *Medium ei ingenium, & magis extra vitia, qvàm cum virtutibus.* Et: *Pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ avarus.* 12 De Othone Auſonius, in Cæſarib. Eleg. VIII. v. 3, 4.

— Qvi morte decorâ
Hoc ſolùm fecit nobile qvod periit.

13 De Vitellio Tacitus, II. Hiſtor. XXXI. 2. *Ventre & gula ſibi ipſi hoſtis.* Idem, III. Hiſtor. LXXXVI. 3. *Amicitias dùm magnitudine munerum, non conſtantiâ morum retinere vult, meruit magis, qvàm habuit.* 14 De Veſpaſiano

Tacitus, 1. Hiſtor. L. 5. *Solus Principum in melius mutatus.* Idem, 11. Hiſtor. V. 1. *Prorsùs ſi avaritia abeſſet, antiqvis Ducibus par.* Eutropius de eodem: *Nullius cæde unqvàm lætatus juſtis etiam ſuppliciis ingemuit.* 15 De Tito tritum eſt, (è Sveton. in Tito c. I. 1.) qvod *Deliciæ generis humani ſit* appellatus. *Tito*, ait Tacitus 11. Hiſtor. I. 4. *ingenium qvantæcunqve fortunæ capax, decor oris cum qvadam Majeſtate.* 16 De Domitiano Juvene Tacitus IV. Hiſtor. II. 1. *qvod ſtupris & adulteriis filium Principis egerit.* Et Agric. c. XLI. 1. *inſenſus virtutibus Princeps.* Et idem ibid. c. VII. 3. *qvod ex paterna fortuna licentiam tantùm uſurpaverit.* De eodem Plinius in Paneg: c. XLVIII. 5. *Nunqvàm ex ſolitudine ſua prodibat, niſi ut ſolitudinem faceret.* 17 De Nerva Plinius in Paneg: c. VI. 3. *Ruebat Imperium ſuper Imperatorem.* De eodem recentior aliqvis: *Enervis Nerva.* De eodem Tacitus, Agric. c. III. 1. *Nerva Cæſar res olim diſſociabiles miſcuit, Principatum & Libertatem.* 18 De Trajano vetus acclamatio eſt pro elogio, qvod & ante allegavimus: *Felicior Auguſtô, melior Trajanô.* De eodem Florus in Proœm. V. 8. *Sub Trajano Principe movet lacertos Reſpubl. & præter ſpem omnium ſenectus Imperii, qvaſi redditâ Juventute, revireſcit.* Eundem Conſtantinus *M. Parietarium* dicere ſolebat qvòd ubiqve nomen ipſius publicis operibus inſcriptum cerneretur. 19 Ad hoc exemplar de reliqvis qvoqve Principibus annotari debent, ſi qvæ in lectione Autorum occurrunt, judicia brevia & acuta. Neqve intra antiqvorum Elogia ſtandum eſt, ſed de poſterioribus qvoqve ſimilia colligere expedit: ut qvod Otho I. Imperator *Amor mundi*, Tertius, *Miraculum mundi* dictus. 20 De Carolo V. * Imperatore nota Thuani teſtimonium: *In eo*, inqvit, *Principe cum Virtute certavit fortuna, ut meritis illius ſupremum felicitatis faſtigium imponeret.* Idem: *Nullum perfecti magis & ad omnem virtutem expreſſi Principis exemplar noſtrâ & retrò ſeculorum memoriâ reperiri poſſe arbitror.* De eodem Glaſerus: *Heros incomparabilis & priſcis Imperatoribus laudatiſſimis adnumerandus.* 21 Ità colligenda ſimiliter Elogia & Judicia ſunt de aliis Regibus, Principibus & Magnatibus celebrioribus. Ut, de Henrico IV. Galliarum Rege Pariſiis in Palatio Richeliano extat tale Elogium: *Galliam ab Hiſpanis & perduellibus uſurpatam Galliæ ſibiqve dextrâ & ferrô reſtituit, Phœnix exqviſitus, ingentium virtutum odoribus immortuus, & è cineribus datô ſucceſſore redivivus, unus omnium admiranda inchoare potuit, unum, qvi conſummavit, reliqvit.* 22 De Ludovico XIII. Filio Henrici ibidem: *Juſtus, pius, felix, terrâ mariqve victor, Europæ arbiter, conſumtâ ſectarum rebellium excetrâ, domitis perduellibus, amplificatô Imperiô, ſummotis ultra Rhenum & Padum Franciæ hoſtibus, defenſis ſociis, retextâ aulicarum factionum, qvæ turbas in Regno ciebant, telâ, duo ad cumulum gloriæ, in cogitatione prima, in opere ultima, Chriſtiani orbis Pacem, & populorum levamentum, qvæ ſperamus, reſpirat.* 23 De-

* Vide hic B. Jo. Georg. Dorſchei Theologi [illegible] eruditam Diſſertationem Secularem de Conſeqventibus Aug. Confeſſ. inſignioribus p. 14. ſ § 19 ſ. Argentinæ editam annô cIↃ. IↃC. XXX. in 4to. Item Caroli Scribani libr. II Inſtitutionis politico Chriſtianæ c. II. p. 40 ſ.

De ipſo Cardinale Richelio ibidem: *Tot exantlatis, qvos univerſus orbis audiit, laboribus, hoc unum præſtitiſſe ſibi viſus eſt, qvod ſummâ rerum à Domino ſuo ſibi concreditâ, tanti Regis mentem ingeniò aſſecutus, ſecundante cœlô, forti animô feliciter executus eſt.* [24] De eodem Cardinale habentur alia qvoqve, tàm vivo, qvàm mortuo, & tàm ad laudem illi, qvàm probrum ejus ſcripta, omnia tamen acuta. Sed nè longior ſim, hic inſerere ea nolo. [25] Elegans Gvilielmi Principis Orangii Elogium per comparationem cum Duce Egmontio extat in Famiano Strada, Dec. I. lib. III. qvod etſi paulò prolixius, inſeram tamen ideò ut ad ſimilia in Autoribus obſervanda excitem Juventutem: [26] *Erat Egmontius ingeniô hilari, explicatô, ſibiqve præfidente, triſti Orangius, inobſervabili, vitabundô.* [27] *In hoc ſolertiam ubiqve laudares: fidem in illo ſæpiùs reperires.* [28] *Dux belli melior, qvàm Senator; Ajax ille: hic Ulyſſes domi pugnacior conſiliô, qvàm foris manu.* [29] *Proviſor alter anxius, inqve futura ſemper animô præcurrens, eòqve adversùs repentina nunqvàm improtectus: alter plerumqve curis vacuus, niſi inſtantibus; ad ſubita tamen magis imparatus, qvàm aut impromtus, aut impar.* [30] *Plus ab alterô ſperares, ab altero plus timeres, amicumqve tibi Egmontium malles: Orangium magis inimicum nolles.* [31] *Et ne qva in re convenirent, vultu erat Egmontius perqvàm pulchrô, validis membris aſpectu plenô dignitatis: alter ore gracili, colore fuſcô, capite recalvô.* [32] *Summus tamen uterqve Populo habebatur: ſed illum homines amabant, hunc colebant.* [33] Similis, nec acumine inferior comparatio inter duos celebres belli per Poloniam Duces, Hotkevicium & Zolkievium, extat in Hiſtoria Johannis Innocentii Petricii, Viri ſanè eximii, & majorem verè laudem, qvàm habet, merentis. [34] *His,* inqvit, *Genus, ætas, opes, propè æqvalia fuêre: magnitudo factorum par, ambo bellis Moſchoviticis; Hotkevicius plus Livonicis Svecicisqve, floruêre. Indè Militiæ utriqve magna ſcientia, ſed uſus alii alius.* [35] *Hotkevicius ſubitus conſiliis, ſed eventu felix erat, cautior, qvàm promtior habebatur Zolkievius.* [36] *Ille bella manu & armis componere, alter Sapientiâ & Conſiliô, gaudebat.* [37] *Hotkevicius deſpiciendo pericula, agendo, laborando, famam extendebat: Zolkievius fortunæ moderando poſt captos bellô Moſchorum Imperatores, partam gloriam intactumqve nomen qvietè obſervabat.* [38] *Alius nil ob formidinem recuſabat, alius nil ob jactationem appetebat.* [39] *Alterius temeritatem audacia in fortitudinem emendabat: alterius providentiam cunctatio in metum corrumpebat:* [40] *Zolkievius æqvus, miſericors, & ſæpiùs exorabilis: Hotkievicius gravis, intentus, ſeverus, & malis injucundus.* [41] *Ceterùm in utroque nihilò minor erat pro gloria vitæ contemtus, par cura publicæ ſalutis; eadem erga Regem fides, & pro Republ. ſatum: ut, qvantum his aliisqve virtutibus gemini, tantum in officiorum adminiſtratione ab omnibus pares magis, qvàm ſimiles haberentur.* [42] Cùm iſta legimus, in memoriam redimus comparationis Cæſaris cum Catone, qvæ apud Salluſtium in Catilina reperitur, tùm illarum qvibus Germanicum cum Alexandro M., Mucianum cum Veſpaſiano confert Tacitus, Annal. lib. II. c. LXXIII. Hiſtor. lib. II. c. V. [43] Non inelegans qvoqve (ut in propoſito elogiorum argumento pergamus) ejusdem Petricii

judicium eſt de Johanne Zamoſcio, qvod *in Comitiis ſapientum* extat: *Nil minor omnibus*, inquit ille, *Joannes Zamoſcius eſt, tàm in Romanorum Senatu deſcribendo, qvàm in ſuo gerendo gravis, ſapiens, innocens, ſanctus, ſic ſtudia amplexus ut pauperes ſolent, ſic doctos, ut divites debent, addictis qvoqve literis in ſuâ Urbe tectis Laribusqve, qvod vix ſoli faciunt Reges.* 4 De eodem Piccartus in obſervat. Politic. Dec XII. c. VIII. *Vir in tantum laudandus, in qvantum virtus & doctrina intelligi poteſt.*

XXI. 1 Sed qvia Eruditorum qvoqve Virorum in politiorum hominum conſeſſibus crebra mentio incidit, de illis, præſertim celebrioribus, & qui Eruditionis Principatum ſuô ſeculô tenuêre, aliquid ſingulare obſervâſſe pariter expediet. 2 Multum enim afficiet animos, qui de moribus illorum & vita opportunè referre qvid poterit. 3 Qva in re multum qvemlibet juvabunt libri de vitis illuſtrium Scriptorum à Petro Crinito, Jovio, ‡ Melchiore Adami, † Voſſio, & aliis compoſiti. 4 De iis, qvi ſuperiori ævô claruêre veriſſima

‡ *Melchiore Adami*] Hujus Vitæ Theologorum, JCtorum, Medicorum, Philoſophorum & Politicorum editæ ſunt Heidelbergæ ann. CIϽ. IϽC. XV. & XX. in 8t in qvibus ſicuti diligentiam eruditi laudant, ita ſimpliciorem hic & illic veritatem deſiderant. Qvam ſæpe enim ſtudiô partium abreptus falſa narret, nec ubiqve veritati ſtudeat, dudum adverterunt eruditi, qvos hic adducere nihil attinet.

† Adde Antonii Teiſſieri Sanct. Matth. in Gallia Chr. Henningi Wittenii Pauli Freheri &c. elogia. Item Caſparis Sagittarii Hiſtorici Saxonici & Hiſtoriar. Profeſſoris olim Jenenſis Introductionem in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ſive Notitiam Scriptorum veterum atqve recentium. Jenæ CIϽ. IϽC XCIV. in 4to. Et Theoph. Spizelii veterem Academiam Jeſu Chriſti. Auguſtæ CIϽ IϽC. LXXI in 4to. editam; cum ejuſdem Templo Honoris reſerato. Sunt & Lipſiæ in 4to. annô CIϽ. IϽC. LXXXVIII.; variis è Scriptoribus collecta cognomina, deſcriptiones, elogia & cenſuræ perſonarum ac rerum cùm veterum tùm recentium, bellô aut pace inſignium curâ Magiri & Eybenii. Corn. Curtii virorum illuſtrium ex Ordine Eremitarum D. Auguſtini elogia cum ſingulorum expreſſis ad vivum iconibus prodierunt Antverpiæ annô CIϽ. IϽC. XXXVI. in 4to. Auberti Miræi Bibliotheca Scriptorum ſacri Ordinis Ciſtercienſis Elogiis plurimorum maximè illuſtrium adornata exiit in 4to. Duaci M. DC. XLIX. Hieronymus de Illuſtrib. Eccleſiæ Doctorib. Helmæſtadii annô M. DC. XL. in 4to.; Gennadius de Illuſtrib. viris ibid. editus eſt in 4to. annô M. DC. XII. P. Labbii Elogia Sacra Theologica & Philoſophica, Poëtica & Miſcellanea habeo in 8t. Lipſiæ edita 1686. Exierant jam tùm ann. M. DC LXIV. Gratianopoli in fol. in qvibus multa ſunt arguta & ingenioſa, non pauca tamen adfectata & frigida. Laurent. Pignorius ac Ferrarius Patavii ediderunt varias Inſcriptiones & Elogia, qvæ ipſi varia ſcripſêre in argumenta. Uterqve ſimplicitatem illam veterum, judice Morhofio *Sect.* III c. IV. Diſciplinæ Argutiarum p. m. 184. imitatur, nec in acuminum adfectatione adeò luxurioſus eſt. Aloyſius qvoqve Juglaris ſcripſit Elogia DEI Hominis; qvo in libro ſuper præcipuas Chriſti actiones & vitæ circumſtantias elogia ſcribit, acumine qvidem & ipſa concinnitate dictionis Emanuelis Theſauro cedens, non paucis tamen meditationibus affluens, qvæ ſacras orationes ſcripturis uſui eſſe poſſunt. De Johannis Baptiſtæ Maſculi elogiis idem penè dixerim. Albertus ab Ines, Polonus, Regum Polonorum vitas & res geſtas talibus elogiis deſcripſit, qvæ ſatis qvidem arguta ſunt ſed ſtylo diffuſiore: longè tamen meliora ſunt illis, qvæ Friſchmannus de rebus Imperii ſcripſit. Albertus ab Ines non pauca acumina aliis ſublegit, qvorum tamen nomina in frontiſpicio libri poſuit, qvæ tamen ipſi argumento adeò annexa ſunt, ut ex re ipſa nata videantur. Prodiit illud opus ſub titulo: Lechiados, Cracoviæ in qvarto ann. 1654. & non ita pridem recuſum eſt. Tandem ut ingenuè, qvod ſentio, dicam, pauca rei ad veritatem ſcripta ſunt elogia; cùm ad oſtentationem ex adverſo plurima & in ſpem lucri. Prodierunt & apud Zylium in fol. Trajecti ad Rhenum cum figuris ann. 1671. Monumenta illuſtrium virorum & elogia aucta antiqvis monumentis in agro Trajectino repertis.

veriſſima * judicia operi ſuo innexuit vir magnus & veritatis ſtudioſiſſimus Thuanus. 5 Hiſtoricis potioribus qvæ J. Lipſius nobilis Criticus & Politicus dat teſtimonia, qvia proſtant, & in vulgus ferè nota ſunt, tantò turpius fuerit ea ignorare. 6 Sed qvia Nobilibus minus temporis ad perlegendos illos Autores, qvi vitas ſcripsêre, ſuppetit, eorum præcipuos Magiſtri illorum evolvere debent, quò hinc ſelectiſſima qvæqve, & qvaſi meliorem ſuccum Diſcipulis inſinuare poſſint. 7 Aliqua etiam Elogia Oratorum lectio ſuppeditabit. Exempli gratiâ in Heinſii Orationibus occurrit Elogium Plutarchi, qvem ille alicubi ità laudat: *Qui*, inqvit, *compendium eruditionis, Prudentiæ theſaurus, Antiqvitatum utriusqve gentis qvidam Delius Apollo videtur.* 8 Galenum idem appellat *Mare eruditionis, Oceanum diſciplinarum, omnium ingenuarum artium promuncondum, & qvaſi Bibliothecam qvandam.* 9 Hieronymus (nè Eccleſiæ etiam ſidera prorſùs omittamus) ab eodem Heinſio vocatur *magnum ac incomparabile columen Eccleſiæ, ac decus.* 10 Chryſoſtomus, *Svada ac medulla ſacræ Eloqventiæ, qvi, ut amnis qvidam ſummò è monte provolutus, ore immensô decurrit.* 11 Qvia verò facilius memoriæ inhærent, qvæ numeris ligata ſunt, utile erit brevia Epigrammata de viris iſtis eruditis in promtu habere, ſive ea ſepulchris, ſive Iconibus inſcripta, ſive aliô modô laudi eorum dicata ſint, ut *Exempli gratia* illud de Laurentio Valla.

Juppiter hunc cœli dignatus honore fuiſſet,
Cenſorem lingvæ ſed timet ille ſuæ.

12 De Eraſmo Roterodamo:

Ingens ingentem qvem perſonat orbis Eraſmum,
Hæc tibi dimidium parva tabella refert.
At cur non totum, mirari deſine, Lector,
Integra nam totum terra nec ipſa capit.

13 De eodem alibi hoc ſcriptum memini:

Fatalis ſeries nobis invidit Eraſmum,
At Deſiderium tollere non potuit.

De

* *Veriſſima judicia*] At in nominibus locorum ad genium *Latinum* flectendis, dum pronunciationem Gallicam ſimul ſpectavit, & in Hiſtoria qvoqve doctorum virorum cespitavit aliqvoties; ut ante nos dudum obſervavit Gerard. Joh. Voſſius. *Sanè*, inqvit in c. XII. p. m. 69. Artis Hiſtoricæ, *maximus vir Thuanus in ſui temporis Hiſtoria* „ qvando res Belgicas enarrat, ſæpe in locorum „ nominibus vix à Belgis intelligitur, qvia loca „ appellat non ut Belgicis ſonant auribus, ſed ut „ corruptè ea proferunt Galli, non ſatis aſſeqventes Belgicorum ſonum. Hæc Voſſius. Qvem eundem id pluribus exeqventem vide in præfatione Librorum de Hiſtoricis Latinis: addentem tamen: „ Viro genere, doctrinâ, dignitate maximo aliqvid humanitus patienti planè „ debet ignoſci, partim ob graves occupationes, „ qvæ ſingula ad amuſſim expendere non patiebantur, partim etiam ob merita præclara erga „ Gallias ſuas ac Rempubl. literariam.

14 De Gvilielmo * Budæo, qvi eximium de Aſſe librum edidit:

Qvod ſibi vix multò multi pepercre labore,
Unô Budæus comparat Aſſe ſibi.

15 Cui affine eſt, qvod nos aliqvando in Cl. Salmaſii librum de Uſuris ſcripſimus, quod pace invidiæ adjicere licebit,

Grandior à Phœbo ſors, qvàm tibi, credita nulli eſt:
Majorem Uſuram te qvoqve nemo dedit.

16 De eodem porrò Budæo olìm aliqvis ita breviter:

Gallia qvod Græca eſt, qvod Græcia barbara non eſt,
Utraqve Budæo debet utrumqve ſuo.

17 In Elogiis dùm verſamur, non prætereunda qvoqve nobis putamus illa, qvæ de Urbibus celebrioribus extant, ut *exempli gratiâ* qvod de Urbe Veneta olìm Sannazarius ſcripſit, ut elegantiâ ſuâ, ita præmiô luculentô nobilitatum Epigramma (ſexcentis enim aureis penſatum eſt à Senatu Veneto.) Lubet id autem ſubjicere, qviâ Juvenibus, qvibus iſta ſcribimus, nondùm forsàn lectum eſt, viris alioqvin notiſſimum:

Viderat

* *Budæo*] De qvò ita Celeberr. D. Fridericus Spanhemius Fil. in de Fabula Acceptulationis p. m. 26. ,, Græcarum illud & Romanarum Literarum qvin & Juriſconſultorum decus, Gvil. Budæus. A qvo & genus nos maternum ducere, ipſiſſimo nobis Atavo, inter decora noſtra reponimus. Et Ob. Giſanius in p 511. eruditæ Apologiæ in Plauti aliorumqve Poëtarum & Lingvæ Latinæ obtrectatores, Obſervationib. ejus ſingularibus in Lingvam Latinam additæ ac Francof. editæ ann M. DC. XXIV. in 8t. ,, Inter eos, *inqvit*, qvi viventes immortalem ex Latinis litteris gloriam adſecuti ſunt, primus mihi ſeſe obfert Gvilielmus Budæus, omnium qvi vivunt eruditiſſimus, qvo nemo noſtrorum temporum Latinæ lingvæ magis profuit, dum obſcuriſſima qvæqve ac impervia ſumma cum laude nobis aperuit: nam tanta præterea eſt homini Græcarum literarum peritia, ut neminem illi vel in media Græcia ortum conferendum judices. Nec qvemqvam moveat, qvod durior pleriſqve in ſcribendo viſus fuerit: id enim plus qvam humanæ rerum omnium cognitioni tribuendum eſt: qvod & Terentio Varroni, & majori Plinio, & Fabio Qvintiliano contigiſſe ſcimus: hunc igitur qvi non amplectitur qvi non ſummis laudibus ad cœlum effert, illius nomen ex bonorum albo meritò eradi poteſt. Hæc Giſan. Gvil. Poſtellus Mathematum qvondam & peregrinarum in Academia Pariſienſi regius lingvarum interpres de Budæo Gulielmo Poyeto Galliæ Cancellario in Epiſt. Nuncupat. libro de Magiſtratib. Atheníenſium præfixa ita ſcribit. ,, Budæo qvamdiu vixit, nunqvam in hoc ſummo Honorum, qvo es inſignitus cumulo, participando carere potuiſti: cujus Mortis acerbitatem ut es lachrymis copioſiſſimis ac continuo mœrore teſtatus: ita maximum illius nomine favorem ejus Liberis, Patre qvidem dignis, exhibes, locoqve Patris es. Thomæ Moro in ad Eraſmum epiſtola p. m. 445. Operum Mori, edit. Baſil. 1563. in 8t. Budæus ,, vir eſt non minùs publicæ rei peritus, qvàm litterariæ, in qva planè principatum obtinet. Iiſdem in Operibus Mori p. 165. ſ. habetur Beati Rhenani epiſtola ad Bilibaldum Pirckheimerum in qva p. 168. ,, accuratiſſimus in litteris *vocatur* Budæus, incomparabilis melioris eruditionis antiſtes, & ingens atqve adeo unicum Galliarum decus. De Budæi facilitate, qvi ne injurias qvidem ad animum admiſit, videndus eſt Ludov. Regius in ejus vita.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem , & totô ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpejas qvantumvis , Juppiter , arces
Objice , & illa tui mœnia Martis , ait.
Si pelago Tybrim præfers , urbem adſpice utramqve ,
Illam homines dices , hanc poſuiſſe Deos.

18 Talia autem urbium Elogia à Jul. Scalig. aliisqve compoſita * Libri Itinerarii , & meliùs ipſa denique itinera ſeu peregrinationes ad loca extera ſuſceptæ nobili Juveni ſuppeditabunt. 19 Epigrammatum , qvæ datâ Occaſione jàm adduximus , ſvavitas alliciet opinor Elegantiarum ſtudioſum, ut alia qvoqve, etſi nullum in iis Elogium contineatur , judicii acuendi , animiqve tàm ſui , qvàm alieni delectandi causâ , legere, ac ſi brevia atqve elegantia ſunt , memoriæ qvoqve , ſi ea felicior adeſt , mandare non dedignetur, 20 Qvalia nonnulla ex † Martiali , plura ex ‡ Oveno, graviora ex ** Bauhuſio, Sarbievio, Bidermanno aliisqve ejusmodi peti poſſunt. Ut ex Martiali de Fannio illud libr. II. Epigr. LXXX.

Hoſtem cùm fugeret , ſe Fannius ipſe peremit:
Hic , rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

De Piſcibus ſculptis, lib. III. Epigr. XXXV.

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Piſces adſpicis , adde aqvam , natabunt.

* *Libri Itinerarii*] Præter Nathanis Chytræi Delicias Studioſi legant Andreæ Schotti Itinerarium Italiæ Veſaliæ editum in 12. Et Joh. Henr. à Pflaumern JCTI Mercurium Italicum in 8t.

† *Martiali*] Huic & Catullo è veteribus præ ceteris in Epigrammatibus habetur honor, ſed in qvibus tamen , qvod deſiderent multi habent. Nam aliqvi in Catullo Martialem , aliqvi in Martiale Catullum reqvirunt. Illi major ſvavitas eſt & elegantia ſermonis , & neſcio qvæ venuſtas : huic major freqventia eſt , & vis acuminum , ut ita utrumqve amplecti ſatius ſit , ac utriusqve dotes imitando ſimul exprimere , qvàm alicutri adhærere , ut faciunt Victorius & Muretus , qvibus Catullus adeò placet , ut totus penè Martialis diſplicent , qvem vilem è trivio ſcurram vocare Muretus veritus non eſt.

‡ *Oweno*] Hujus epigrammata , ſi B. Morhofio in Commentatione de Diſciplina Argutiar. Sect. III. c. V. p. 193. credimus , in triviis cantata non pauca habent laudabilia , ſi argutiam ſpectes; nonnunqvam tamen frigidus eſt , & vulgaria ſectatur ; dictio non ſatis nitida , ſæpe ne Latina qvidem , neqve concinnitas tanta eſt , qvanta in veteribus Catullo , Martiali reperitur, aut in recentioribus illis Heinſio , Grotio ; qvare ridendi ſunt, cum bello iſto judicio ſuo populares ejus, qvi Martialem Britannicum ipſum vocant.

** *Bauhuſio*] Inter Jeſuitas Bidermanni , Bauhuſii , Capillavii Epigrammata bona ſunt. Sarbievius inter illos princeps eſt. Cujus epigrammata argutiſſima ſunt & ex antitheſi pleraqve petita , niſi fortè oſtentatio aliqva artis à delicatioribus Cenſoribus illi vitio verti poſſit. Scotl. Buchananus præcipuè & Jonſtonus non contemnenda ſæpe epigrammata habent. In Belgis principes ſunt hoc in genere Grotius , cujus in epigrammate elegantia incomparabilis eſt , ac Heinſius , ambo Poëtæ ſine pari. C. Barlæo acrimonia non deeſt, ſed manum neſcit tollere de tabula , cùm Epigrammata commendet brevitas.

Item ad Priſcum lib. VIII. Epigr. XII.

Uxorem qvare locupletem ducere nolim
Qværitis? Uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuô ſit, Priſce, maritô,
Non aliter fiunt fœmina virqve pares.

Ex Oveno ſint pro Exemplo illa:

Scaliger annoſi correxit ſecula mundi:
O qvis qui mores corrigat, alter erit?

Ad Germanicum:

Mitto tibi Carmen, Germanice, muneris inſtar:
Mitte mihi munus, Carminis inſtar erit.

21 Venit mihi jam in mentem alia literata elegantia, qvæ tamen forſan aliqvibus primâ fronte nimis ſcholaſtica, minusqve adeò Illuſtribus ingeniis digna credetur. Mihi verò non prorsùs videtur ſpernenda. Luſus eſt, ſed ingenioſus, & qvi gratiam invenire ſolet, ſi ex vena non infelice provenerit. Loqvor autem de *Anagrammatum luſu.* 22 His eqvidem efficiendis nolim ego nobilia ſe dare ingenia, ſed elegantiora aliqva ab aliis inventa meminiſſe nihil perfectò cuiqvam obfuerit, imò hinc qvoqve ſvave familiarium ſermonum condimentum peti poteſt. 23 Sunt autem qvædam ex prænomine, aut etiam cognomine ſolo petita: ut: *Emanuel* Levamen. *Sigiſmundis*, Dignus Muſis, *Mauritius* Mars vivit, *Cicero* Cor cie, *Ferdinandus* Dura findens. *Ladiſlaus* Das villas, *Caſimirus* Mars civis, *Senatus* tu ſanes. 24 Alia ex utroqve nomine, qvæ eò præſtantiora, qvò magis ad perſonam, cui ſcribuntur, qvadrant, ut: *Carolus Magnus*: cumulans agros, *Boleſlaus Crivouſtus*: O ut bello acris viſus! *Joannes Caſimirus*: O ſine armis vincas! *Staniſlaus Coniecpolius*: Is cinctus Poloniæ ſalus. *Staniſlaus Lubomierſcius*, is notus auſis Mars bellicus. *Samuel Leſcinius* Celſis lumen Avis. *Thomas Samoſcius*, Muſas haſtis como, &: haſtas Muſis como; qvod â plurimùm Reverendo & tàm literis qvàm dignitate illuſtri Viro *Gregorio Boraſto* compoſitum tantò elegantius eſt, quòd ad ſtemma Illuſtriſſ. Samoſciorum, eorundemqve in literas favorem apprimè qvadrat.

XXII. 1 Reſtant duo ad acuendum ingenium, & ad elegantiorem doctrinam perqvàm utilia miniméqve adeò nobis prætereunda, * *Symbola & Emblemata.* 2 Nunc enim iſta diſtingvo, etſi non ignarus ſum, facile ex Symbolo fieri Emblema, cùm dicto alicui brevi & acuto imago additur: pariter etiam ex Emblemate Symbolum, ſi qvis picturam unà cum epigraphe ſeu Lem-

* *Symbola*) De his cum cura agit Claudius Minos Divionenſis in Syntagmate de Symbolis, Alciati Emblematibus præmiſſo.

Lemmate ſuo ad exprimendum aliqvem ſenſum, conſilium vel factum, ſeu ſuum, ſeu alterius adhibeat. 3 Illuſtribus autem Juvenibus venanda notandaqve ſunt illa maximè Symbola, qvæ à ſummis Viris profecta noverunt. 4 Tantò enim plus & ipſorum animos afficient, & aliorum pariter, apud qvos mentionem eorum fecerint. 5 Edidit autem jàm pridem Nicolaus Reuſnerus vir Clariſſimus ſymbola Imperatorum Romanorum omnium, eademqve luculentiſſimò commentariò illuſtravit: 6 Sic ut liber is Ethices, ferè & Politices illuſtre qvoddam Compendium ſit, nobiliqve adeò juventuti meritò commendatus eſſe debeat. 7 Circa Symbola qvoqve laudabilem atqve utilem operam navavit Petra-ſancta. 8 Olim in Gallia in Hiſtoricum Charronium incidi, qvi Regum Gallicorum Symbola Hiſtoriæ ſuæ operi intexuit: qvorum aliqva ſatis concinna ſunt, ut Clodovei: *Incendo qvod adoravi, adoro qvod incendi.* 9 Clotarii II: *Mens immota manet.* Cui Lemmati alius Poſterior autor Emblema additurus, molendini rotam addit, aqvis verſam, axe rotæ immotâ manente. 10 Clotarii III: *Regis otium ſervi negotium.* Dagoberti: *Qvies inqvies.* Pipini Brevis: *Deus ſe tibi, tu te Deo.* Caroli Magni: *Gratia Dei id ſum, qvod ſum.* Notabile qvoqve Symbolum eſt, qvod Rex, primum Scotiæ, at poſteà totius Magnæ Britanniæ, Jacobus VI. Uraniburgi Annô 1590. reliqvit manu ſuâ:

— Eſt nobilis ira Leonis
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Item illud Henrici VIII. Angliæ Regis: *Cui adhæreo, præeſt*: alludens ſcilicet ad illud, qvod jàm dudùm Politici obſervârunt, Galliam & Hiſpaniam eſſe qvaſi lances in Europâ, Angliam verò lingulam ſeu libripendem; ut annotat Cambdenus ſub anno 1577. mihi p. 285.

XXIII. 1 *Emblemata* autem tantò magis afficere, & demulcere nobilia ingenia ſolent, qvòd non animo tantùm ſvavem meditandi curam, ſed & oculis luſtrandi voluptatem objiciunt. 2 In iis verò effingendis, ſi qvæ unqvàm, noſtra profectò ætas plurimùm deſudavit: & ut multis in rebus aliis apicem, ita in hac qvoqve videtur attigiſſe. 3 Habentur Emblemata * Al-

† *Alciati*) Hujus Emblemata tametſi pauciſſima artis emblematicæ reſpondent regulis, in tanto tamen olim pretio habita ſunt, Claſſici ut auctoris loco publicè prælegerentur in Academiis; qvod non ab re improbatur Vavaſſori in libro de Epigrammate. Exſtat in ea doctiſſimus Claudii Minois Divionenſis commentarius aliqvoties ipſo cum Alciato editus. Antverpiæ CIↃ. IↃ. LXXXI. Pariſ. CIↃ. IↃ. LXXXIII. in 8r. Patavii M. DC. XXI. & M. DC. LXI. in 4to. qvæ omnium optima eſt editio, utpote in qva præter Minois notas habes qvoqve Franciſci Saretii, Laurentii Pignorii & Job. Thuilii. Scio & Sebaſtianum Stokamerum Germanum aliqvot in Alciati Emblemata ſcripſiſſe Commentariola (ſic enim appellat) familiariter admodùm, & ſtudiò facili concinnata: ſed an fuerit auctoris mentem & argumenti ſplendorem ſeqvutus, dubitare videtur in præfatione Minos dictus. Eſt & Bartholomæus Anulus, vir eruditus brevibus verbis omnium ferè Emblematum complexus ſententiam. Theodori Bezæ, Sambuci & aliorum artis ad præcepta planè non formata Emblemata cenſet Maſenius in Imaginum Speculo.

ciati, Paradini, Sambuci, Adriani Junii, Camerarii, Schönhovii, Buxtorfii, Heſii aliorumqve qvos enumerare non attinet. 4 Pulchra qvoqve ſunt qvæ ex porticu regia Pariſienſi collegit Joannes Gviſſius, edita ſuperioribus annis Lutetiæ. 5 Sed omnium gloriam hoc in genere ſuperavit ac propè extinxit illuſtris Savedræ labor, qvi centum Emblematibus, additisqve inſuper commentariis totam ferè diſciplinam Politicam complexus eſt. 6 Ità jàm hoc inprimis curæ nobilis adoleſcentis relictum videtur, uti illa à tàm diverſis ingeniis edita Emblemata in ordinem aliqvem, & ſub certa qvaſi ſigna locorum communium redigat. 7 Et niſi alii commodiores tituli adſunt, ſuppleat interìm locum Politica Lipſii, qvam ubi familiarem diſcenti nobili Magiſter fecerit, Emblemata illa variorum Autorum percurrat, & qvæ melioris notæ fuerint, in charta ſingulis pagnis interſerta adjiciat. 8 Poſſem plura de ejusmodi elegantiis & qvaſi lautitiis literariis hùc accumulare, ſed nimium jam vereor, ne eorum, qvi iſta legunt, convitium, ſaltem tacitum, ideò dudùm incurrerim, qvod circa floſculos eruditionis ità operoſus ſim, ſolidæ autem ſapientiæ frugem negligam, aut nimis differam proponere. 9 Ego verò deliciarum ſeu condimentorum iſtorum ἀποθήκας ſemel ingreſſus abire indè non ante volui, qvàm ſingulas qvaſi capſulas ſeu ληκύθους excuſſiſſem. 10 Specimina qvoqve ſingulis iſtis, qvaſi guſtûs capiendi causâ, adjeci: qvò nimirum faciliùs percipiatur qvid velim, & levior labor ſit ſeqvendi atqve imitandi præeuntem. 11 Ordinem in iſtis non tàm noſtra præcepta, qvàm ſuum cuiqve docenti judicium monſtrabit: cujus prudentiæ incumbet, omnia iſta ætati & captui ſuorum diſcipulorum attemperare. 12 Nos ſanè ea hîc tradidimus, qvorum uſus non adoleſcentibus tantùm, ſed adultioris qvoqve ætatis juvenibus, atqve etiam peregrinantibus convenit.

XXIV. 1 Cæterùm prorſus fateor & conſtanter asſero, dùm condimenta ejusmodi venatur ſectaturqve juventus nobilis, non eſſe ei negligendum ſolidæ ſapientiæ cibum. 2 Qvid enim aromata proſint, niſi ſit, qvod illa condiant? Qvorſum phaleræ, tapetes, niſi habeas cui inſterni qveant? Solidæ autem ſapientiæ fundamenta haud ſanè alibi qværenda ſunt, qvàm in Philoſophiæ officina. 3 Qvæ cùm partìm in diſciplinis contemplativis, partìm in practicis conſiſtat, has eqvidèm poſteriores nobili juventuti præ alteris illis convenire, & nos antè diximus, & apud omnes in confeſſo eſt. 4 Sed nec illæ facilè ulli, cui ingenium natura, opes & commoditatem fortuna dederit, negligendæ ſunt. 5 Aliqvæ tamen, ut, qvod res eſt, fateamur, ſpinoſiores ſunt, qvam ut magnoperè coli debeant ab iis, qvibus in conficiendo ſtudiorum curriculo feſtinandum eſt. 6 Qvalis præcipuè eſt *Metaphyſica diſciplina*, circa ſumma rerum genera verſans, atqve ita, qvantùm abſtractionum ſubtilitate in altum evolans, tantùm animum humanum ab operationibus vitæ utilioribus avocans, adeoqve otio literario ſe deditâ operâ addicentibus, qvàm functiones civiles adminiſtraturis aptior. 7 Ex Metaphyſicis qvorundam Magiſtrorum culpâ in *Logicam* qvoqve non parum defluxit obſcuritatis. 8 Undè adeò lentô, prolixô & moroſô qvodam præceptorum tractu ea ars in ſcholis haut

paucis

paucis docetur, utiliſſima alioqvin & planè neceſſaria cuilibet ſapientiæ alumno. 9 Ab ea enim Inventionis artificium, ab ea ratiocinandi dexteritas, ab ea vera probandi, falſa refellendi, item ordinandi ſuas cogitationes, alienas reſolvendi methodus dependet. 10 Qvibus rebus, in benè natis ingeniis multum eqvidem ſubindè naturalis ſolertia ſuômet Marte poteſt, ſic ut qvidam viri Logicorum præceptorum ignari inſitô lumine ſuô exercitatiſſimis identidem ſatisfacere cum admiratione omnium poſſint. 11 Sed & & iſtis, qvantumvis naturâ acutis, multum aſtruxiſſet diſciplina: & qvi Logicam artificialem naturali addidit, poteſt illis alteris terminorum artis, ceu Gorgonei capitis objectu ſæpè os occludere aut pudorem excutere. 12 Qvare omninò compendium aliqvod Logicum ediſcendum etiam Nobili eſt, nè, ſi qvando cum eruditis eruditè loqvi aut diſſerere res poſtulet, terminis artis, veluti novis qvibusdam monſtris perterreatur, ſed potiſſimùm etiam ideò, ut ipſe modum habeat, fila & ſtamina inventionum, qvibus ad texendum qvalemcunqve diſcurſum opus eſt, ex ſe educendi, atqve ordine concinnô proferendi: tùm qvoqve ut de aliis, docere vel dicere aggredientibus, tantò aptiùs judicare poſſit. 13 Compendium verò tale vel ipſe Magiſter dictabit, vel (id qvod malim) ex impreſſis aliqvod eliget; ut exempli gratia Scharffii, Bartholini, Molinæi, Keckermanni. 14 Præcipuè autem regulæ & formæ ſyllogiſticæ inculcentur diligenter, ſed non minùs Topica qvoqve præcepta, ipſiſſimum ſcilicet inveniendorum argumentorum in qvavis re gazophylacium. 15 Dare porrò Magiſter operam debet, ut qvàm maximè perſpicua diſcenti præcepta reddat, ad naturale potiſſimùm rationis lumen omnia exponendô, tùm etiam exemplis qvam familiariſſimis terminos illos artis, ipsâ plerumqve re, qvam notant, obſcuriores, illuſtrandô.

XXV. 1 Poſt Logicam accedatur ad *ſcientiam rerum naturalium*: ſtudium non minùs utile qvàm jucundum: ſi præſertìm ſcitè tractetur. 2 Svavitatem certè ſummam habet per hoc univerſum circumferre oculos, luſtrare rerum ortus & cauſas, & naturæ animadvertere ſympathias atqve antipathias. 3 Neqve verò curioſis tantùm & ſpeculationi vacantibus ingeniis talia accommodata eſſe credendum eſt. 4 Sunt qvippe in Phyſicorum ſcriptis problemata & qvæſtiones tàm amœnæ & ſvaves, ut qvemqve etiam nobiliſſimum trahere ac tenere genium poſſint. 5 Magiſtris tantum incumbet ex * Ariſtotelis problematibus à Septalio explicatis, ex theatro Naturæ Bodini, aliorumqve ejusmodi libris inſigniorum faciliorumqve problematum facere delectum. 6 Sed porrò ex univerſa Phyſices tractatione ad civile qvoqve ſtudium luculentiſſimus manare fructus poteſt. 7 Qvis neſcit Macrocoſmo ſeu naturæ rerum univerſæ, Microcoſmum, hoc eſt, hominem mirificè reſpondere: adeoqve qvæ in illo cernuntur, obſervanturqve pulcherrimâ applicatione ad vitam & mores humanos traduci poſſe? 8 Ex homine ſanè ipſo ejuſqve ſtru-

* *Ariſtotelis Problemata*] Commendo hic editionem Wechelian. in 4to. qvam curavit, notis ſuis illuſtravit, dedicavitqve Hieronymo Mercuriali doctiſſimus Frider. Sylburgius.

ſtructura non contemnenda Prudentiæ Politicæ præcepta elicuêre Autores nonnulli, & præ aliis Cl. Caſp. (*a*) Dornavius: qvanqvàm ab hoc qvoqve aliqvid adhuc induſtriæ aliorum relictum eſſe, ſi otium ſuppeteret, non eſſet difficile oſtendere. 9 Sed qvod in corpore humano tentatum dixi, idem in cetero Naturæ univerſæ ſyſtemate, cœlo, ſtellis, meteoris, plantis, animalibus, fieri poſſe nemo non videt. 10 Et paſsìm etiam ab iſtis ſingulis rebus ſumtæ ſimilitudines in Autoribus optimis, ſed ſparsìm, & vagarum inſtar ſtellarum inſertæ occurrunt. 11 Qvi autem per ſingula rerum genera filô qvodam continuô operam eam deduxerit, neminem hactenùs vidi. 12 Et opinor tamen hujusmodi laborem omnibus, ac præcipuè nobilibus & utilem & gratum fore. 13 Qvò autem, qvid velim, intelligatur rectiùs, dabo παραδείγματος locô pauca, qvæ de facili ſe ingerent, (neqve enim rara tantùm hìc ſectari res poſcit, aut negotia mea nunc patiuntur) exempla, ex qvibus tamen haut difficulter cognoſcetur, qvomodò eadem cura ultra hominis naturam extendi, atqve ad alia rerum naturalium genera applicari qveat.

XXVI. 1 In *Phyſicis* agi ſolet de Natura *Mundi*: & nempè anteqvam in partes ejus omnes curioſitas ſcientiæ ſeſe diffundat, qvid generatìm de hac cœli terræqve fabrica cognoſcendum ſit, explicari. 2 Hìc inter alia docetur, Mundum ex contrariis conſiſtere, & ut Seneca Qvæſt. Nat lib. VII. ait: *totam hujus Mundi concordiam ex diſcordibus conſtare:* Applica hoc ad Imperium ſeu Rempubl. Et id ſanè ex Magiſtratu & ſubditis, Dominis & ſervis, rebus diſparibus & qvodammodò contrariis conſiſtit: ſed ità, ut res iſtæ, qvæ contrariæ videntur, & ſunt, vel ſponte, vel vi coactæ in unam ſocietatis compagem coaleſcant. 3 Deindè eadem illa ex rebus diſcordibus concordia elucet tùm qvoqve, cùm diverſarum Nationum, Lingvarum, ſenſuum, artium, ſtudiorum homines intra unius civitatis mœnia, intra ejusdem Imperii fines, ſub eodem moderamine, ſub iisdem legibus vivunt. 4 Facit hùc, qvod apud Politicos (*Vid. Savedram in Symb. XXX. ſub finem & in Symb. LXI.*) legi: utile eſſe in eadem Republ. non per omnia ingeniô & oratione ſimiles, ſed faciles & graves; comes & triſtes, ſeveros & lenes, Appios & Publicolas, Catones & Cæſares exiſtere. 5 Ut enim in fidibus ſi nervi omnes ſimilem ſonum ediderint, harmonia nulla, ſed ex diſſimillimarum vocum moderatione concen-

(*a*) Tu adde Eraſmi Roterodami Parabolas ſive Similia, ex intimis naturæ arcanis, penitiſſimis diſciplinarum adytis & eloqventium Poëtarum eruditis fabulis, deqve nobilium Hiſtoricorum monumentis eruta; in qvibus è Plutarcho complura recenſuit, qvòd in hoc genere is homo Græcus ita excellit, ut cum hoc nemo vel eloqventiſſimorum jure conferri qveat. Et qvoniam à Seneca, non parum hûc faciente, minimè multa decerpſit Eraſmus, legas velim Locos Communes de rebus Phyſicis, Medicis, Mathematicis, & de Hiſtoria Animalium è Seneca factos à Dionyſio Gothofredo JCto. Habes eos in egregia Operum Senecæ editione Pariſina CIↃ IↃC. XIII. in fol. qvâ libenter utor, uti & Elzevirianâ Amſtelodamenſi CIↃ. IↃC. LXXII. in 8t. Nec ſpernendæ Conradi Lycoſthenis Parabolæ ſive Similitudines, Apophthegmatib. ejus ſubjunctæ Genev. M. DC. XXXIII. in 8t. Lego & non ſine fructu Ludovici Granatenſis Philoſophiam Chriſtianam de admirabili opere creationis, & qvomodo per creaturas ad Creatoris cognitionem perveniatur. Ingolſtadii M DC. L in 8t.

centus congruens & concors efficitur: ità ſi ii, qvi ad conſilia publica adhibentur, etſi cetera diſpares, in rebus deliberandis tamen ità comparati ſint, ut in eundem omnes ſcopum, publicum videlicet bonum colliment, longè certior clariorqve in rebus & conſiliis veritas ex illa diſſimilitudine ſententiarum, & velut concorde diſcordia emergit, qvàm ſi absqve ulla varietate omnes idem ſentiant. 6 In Politici, (id eſt, Machiavelli) Florentini *Diſputationibus de Republ.* totum caput qvartum libri primi occupatur in hoc ſolo demonſtrando: *Diſcordias, qvæ inter plebem & Senatum Romæ fuerunt, in cauſa fuiſſe, ut ea Reſp. libera ſimul & potens efficeretur.* 7 Facit deniqve huc ſententia Senecæ Ep. XCV. *Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, qvæ caſura, niſi invicem obſtarent, hôc ipſô ſuſtinetur.* 8 Præterea ubi Phyſicus de mundo agit, docere ſolet, primam mundi ex nihilo productam materiam confuſum qvoddam chaos, & rudem atqve indigeſtam fuiſſe molem. 9 Ex talibus qvoqve principiis exiſtere ſolent Reſpublicæ. Ex prædonibus, & agreſtem feritatem ſpirantibus hominibus prima urbis Romanæ concrevêre rudimenta. Venetias profugi homines condiderunt, Barbarorum incurſionem, præſertim Attilæ, fugientes. 10 Talia non pauca in doctrina Phyſicorum de Mundo generatim conſiderato inveneris, Reipubl. & Imperiorum inſtitutis apprimè qvadrantia: ſed iſta pro exemplo adduxiſſe ſufficiat. 11 Qvando *Cœli* Naturam exponunt Phyſici, docent inter alia cœlum & ſidera agere in res inferiores, & iſti defluvio magnos prorsùs effectus tribuunt. Non minor Aulæ & Principum in ſubditorum tùm mores & fortunas efficacia eſt. 12 De moribus notum illud: *Qvales in Republ. Principes ſunt, tales reliqvi eſſe ſolent cives.* Cicero lib. I. Ep. IX. & qvod Vellejus II. CXXVI. 5. habet: *Rectè facere ſuos Princeps optimus faciendô docet.*

— Procerum motus hæc cuncta ſeqvuntur,
Humanum paucis vivit genus. —

13 Qvod ad fortunas attinet, eæ à Cœlo aulico, ut ſic dicam, & Principis plerumqve voluntate dependent. Nero apud Senec. lib. I. de Clement. c. I. non malè: *Qvalem qvisqve ſortem ſtatumqve habeat, in manu mea poſitum eſt. Qvid cuiqve mortalium fortuna datum velit, meô ore pronunciat. Ex noſtro reſponſo lætitiæ cauſas populi urbesqve concipiunt.* 14 Cœlum Ariſtoteles ab intelligentiis moveri ſtatuit, Utinam ita Aulæ! Rectiùs ſanè res in iis ſe haberent, prudentiorqve earum motus, ac forma eſſet conſtantior. 15 Cùm de *Sole* agunt naturalis ſcientiæ Autores, tradunt inter cetera, qvô altior is ſit, eô illum minores umbras jacere; Sic Imperia, dùm intra prima incrementa luctantur, multæ vicinorum invidiæ ſubjaceant; cùm ad faſtigium emerſerunt, ſupra invidiam ſunt. 16 Sol medio inter Planetas loco ſitus eſt, & ab eclyptica nunqvàm deflectit;

— Medium non deſerit unqvam

Cœli

Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat. Claudian. Sic Princeps, in medio etiam ditionum ſuarum degens, longè remota gubernat ac moderatur. 17 Ad lucis *Solaris reflexionem ſi qvæ objecta intueatur oculus,* (verba ſunt Savedræ,) *jàm probè & diſtinctè videt, qvalia ea ſint: at ſi in radios ipſos ſolares directè velit intendere, nimiâ luce ſic perſtringitur, ut colores rerum & figuras haud qvaqvam poſſit diſcernere: ita prorsùs ingeniis accidit, qvæ ſapientiæ & doctrinæ ‡ ſtudiis impenſiùs qvàm par eſt, ſeſe dedunt, ad negotia enim publica minùs fiunt idonea.* 18 Sole terris luceſcente ſtellæ non videntur: Sic Procerum autoritas præſentiâ Regis præumbratur offuſcaturqve. 19 Sol æſtate cùm urit maximè, tùm ſolent ſeqvi tempeſtates: ſic cùm in ſubditos crudelitas aut injuſtitia Principum ſævit, tùm turbæ, ſeditiones, mutationes oriri conſvevère. 20 Solis defectus magnas plerumqve calamitates mortalibus afferre ſolet: ſic Principum errores. 21 Soles cùm plures apparent, prodigioſum, & calamitatum imminentium præſagium eſt: ita cùm plura in imperio capita. 22 Solis beneficia qvotidiana imò perpetua non ſolent ita obſervari, atqve eclipſes ejusdem: itá in errores principum magis oculi omnium advertuntur, qvàm in virtutes, & rectè facta. 23 Solis radii ſi in ſpeculum curvum ſeu concavum, atqve inprimis chalybeum incidant, fiunt ignei & urunt obvia: ita ſi Principes ingeniis pravis, immoderatis, Martiis, ſe dedant nimiùm, conſilia ignea, tumultus, bella ſeqventur. Vid. Saved. ſymb. LXXVI. 24 Sol idem eſt pauperi & diviti, nobili & obſcuro: ita Princeps benefacere & juſtitiam adminiſtrare debet tam imis, qvam ſummis. 25 *Rex,* inqvit Ariſtoteles lib. V. polit. c. x. *Cuſtos eſſe debet, ut nec opulenti injuſtum aliqvid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.* 26 Sol ſua habet ſolſtitia & æqvinoctia, ſic Imperia ſuas periodos, ſuas creſcendi & decreſcendi vices. 27 * *Cometa-*

rum

‡ *Studiis impenſiùs*] Minimè maxima ſemper ingenia deligenda tanqvam optanda regno. Miremur hæc ut naturæ qvædam miracula & eùm in ſpem magnarum rerum venerimus, deteriorum adjiciamus metum. Qvantum enim ferè à ſublimibus illis ingeniis ſpei, periculum tantum eſt. qvid? qvòd metus ſuperet. Mediocria ingenia magis tuta regnis: duci ſe patiuntur, conſilia admittunt, ac, ut ita dicam, ſeſſorem admittunt. priora ferè excutiunt, nec fræna ferunt, nec calcaria, imperii non patientia. Mediocria qvò veles, duces; neqve regna cogitant, nec domini purpuram, ſorte contenta ſuâ. Jam cùm prima confidentiâ qvadam ſui laborent, cui adſociata temeritas; poſteriora alienis potiùs conſiliis qvàm ſuis regantur, nec niſi diu & ſeriò cogitata aggrediantur; fit, ut maturiùs ſua peragant, nec periculi ſecum tantum trahant; cùm prima qvaſi ab aleæ unius jactu regna ſuſpendant. Qvare mediocria magis ingenia regnis voveo. Magna illa naturæ miracula ſi conceſſerit Deus, amplectar, nec ambiam: ſtudiisqve ac ſcientiis magis idonea judicem, qvàm aut ducendis exercitibus, aut provinciis pro imperio obtinendis; ex qvibus periculi plurimum adeſſe ſolet. qvanqvam & hæc ſumma, prudentis moderatoris ſtudio, ad modeſtiam deduci poſſint. Nullâ verò re aliâ magna hæc ingenia, qvàm ratione & amore temperaveris; freqventi etiam narratione & lectione eorum, qvæ ad virtutem ducunt; maximè exemplorum, in qvibus, variante res humanas fortunâ, ſubiti & funeſti nimiùm caſus, præcipitia præruptis adjacere, alta fulminibus obnoxia, nec ulla in re plus aut luſiſſe fortunam aut ſæviſſe, qvàm in ſummis, aut ſumma petentibus.

* *Cometarum*] Laudo hic, ut omnia hujus viri ſcripta, Joachimi Camerarii Pabepergenſis Diſputationem atqve narrationem de Cometarum nominibus, natura, ſignificatione, cum Hiſtoriarum memorabilium exemplis. Lipſ. M D LIX.

rum qvoqve doctrina multas dabit occaſiones ad egregia monita, ut verbi gratiâ Cometæ ſtellæ magis videntur, qvàm ſunt, aut ſi ſunt (id enim jàm video à nonnullis ſtatui) minores tamen ſunt aliis ſtellis, præſertim Planetis, etſi majores videntur: & qvalescunqve ſint, ſemper Imperiis aliqvid ſiniſtri minantur: Ita plerumqve homines, qvi ex humili loco ſubitò in altum evecti, fortunâ ſuâ corrumpuntur & inſoleſcunt, aliisqve vetuſtô ſplendore claris ſe præferunt. 28 In tales Sejanos vel (ſi ex recentiore Hiſtoria nomen mavis) Volséos luſit qvidam aliqvandò tali Epigrammate:

Antiqvâ de ſtirpe viris te, Pontice, præfers,
Cùm ſis ipſe novæ conditionis homo:
Servorumqve gravem longô trahis ordine caudam,
Mente tumens, habitu ſplendidus, ore minax.
Sic noviter natô dirus rubet igne Cometes
Sangvineâ longum lampade ſyrma trahens.
Phoſphorus at contrà, vetus ille anteambulo Solis,
Haud grandi nitidam jactitat igne facem.
Lumen at inducit Phœbejum Phoſphorus orbi,
Tu Regnis tenebras; dire Cometa, paris.

29 Si de *Fulgure* agat Phyſices Magiſter, multa eximiæ prudentiæ ſcita animis Nobilium ſubjicere poterit, ut *exempli gratiâ:* Fulmina, mollibus illæſis res duriſſimas comminuunt: ita Principes cedentibus parcunt, ſuperbos ac

Ss resiſtentes

D. LIX. in 8r. Andreæ Libavii Declamationem de Cometa anni CIↃ IↃC IV. & Gisb. Voëtii Exercitationem de Prognoſticis Cometarum. Amſtelæd. CIↃ. IↃC LXV. in 4to. Item D. Frider. Spanhemii eruditam Orationem de Cometarum & naturæ totius admirandis, habitam hic & editam Lugd. Batav. CIↃ. IↃC. LXXXI. in 4to. Hypotheſes Ch. Severini, Longomontani, Fromondi, Scaligeri, Tychonis, Carteſii, Galilæi, Gaſſendi, Kircherii, Le Grand, Oiſelii, Staniſlai de Lubienieiz Lubieniecii Rolitſii, Petiti, Puteani, Hevelii, Grandamici, Auzuti, legantur apud illos ipſos. Legatur & Collatio inſtituta præſente Principe de Conty, & aliis magnis apud Patres Jeſuitas in Collegio Pariſino annô M. DC. LXV. Dignus qvoqve lectione Diſcurſus eſt Germanicus de Prognoſticis & ſignification. Cometarum J. Burggravii, Francof. 1681. in 4to. Thomas Hobbes in Phænomenis naturæ, diſqviſitionem de Cauſſa Cometarum intactam poſteris relinqvit. Cùm, qvod de illis, præter Hiſtorias nudas, hactenus ſcriptum extat, conſideratione dignum non ſit. Rectò ſanôqve judiciô Scaliger. Exercitat. LXXIX. Sect. 2. p. m. 296. edit. Francof. M. DC. VII. in 8r. „ Exiſtimare à Cometa regem interfici, „ ridiculæ dementiæ eſt. Tanto minus everti „ provinciam. Juvat hic addere Optimi noſtri Berneggeri re de hac ſententiam, qvam in Commentario ſuo in Svetonii Julii c. LXXXVIII. 2. p. m. 232. his aperit verbis: „ Ut mittam, Platonem & Ariſtotelem, Philoſophorum Princi- „ pes, nihil, qvod ſciam, de cometarum pernicie „ diſputâſſe; patrum qvoqve memoriâ Thomas „ Eraſtus & Marcellus Sqvarcialupus, viri do- „ ctiſſimi omnem cometis infamiam detraxe- „ runt, eoſqve nullius vel privatæ vel publicæ „ calamitatis, ac ne felicitatis qvidem ſigna, „ nedum cauſſas eſſe contra cometarios, ſeu co- „ metomantes, ſeu mavis κομητομαντεῖς, „ ſolidiſſimè demonſtrârunt: me qvidem ante „ hac aliter ſentientem in ſua caſtra pene re- „ luctantem abduxerunt, docueruntqve forti- „ ter philoſophari, hoc eſt, vulgaribus & ſine „ ratione perſvaſiunculis meticuloſorum homi- „ num, non nimium commoveri. Eorum diſ- „ ſertationes de cometis, excuſæ ſunt Baſileæ, „ anno 1580, Vide ſis.

reſiſtentes frangere ac peſſundare ſolent. 30 Fulmina montes & res excelſas petunt: ita Principum ira & ſuſpicio Viros eminentes. 31 Undè Tacitus XIV. Annal. LX. 5.: *Ex mediocritate fortunæ pauciora pericula ſunt.* Contrà autem ‡ *Siniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, qvàm ex mala.* Ità III. Annal. LV. 3. idem dicit: *Magnitudo famæ exitio erat.* Ità Calpurnius Piſo periit, *nihil auſus*, inqvit Hiſtoricus IV. Hiſt. XI. 4. *ſed nomen inſigne, & decora ipſi juventa rumore vulgi celebrabantur.* Idem Autor Annal. XVI. VII. 2. C. Caſſium & Silanum à Nerone ſubverſos, *nullô crimine, niſi qvòd Caſſius opibus vetuſtis, & gravitate morum, Silanus claritudine generis & modeſtâ juventâ, præcellebant.* 32 Fulgur plerumqve priùs emicat, qvàm comes ejus ſonus audiatur: ſic principes ſæpè famam ſui anteeunt, & feriunt priusqvàm parare ictum audiantur, priùs damnant, qvàm faciant reos. 33 Neqve minùs ex *Elementorum* etiam Doctrina elici poſſunt bona ad vitam documenta. 34 Sunt *Ignes*, qvi aqvis accenduntur, ut apud Plinium videre eſt lib. II. c. CVI. ità qvædam mala ſi exſtingvere coneris, exaſperantur. 35 Sic ſub Vitellio apud Tacitum cùm vagarentur per urbem milites, qvi ſermones populi coërcerent, *id præcipuum*, inqvit Tacitus II. Hiſt. XCVI. 4. *alimentum famæ erat.* Et alibi I. Hiſt. XVII. 3. *malè coërcitam famam ſupprimentes augebant.* Ità & Blæſus, *cùm qvosdam militum tumultuantium, terrendis cæteris, affici flagris, claudi carceribus juſſiſſet, flagrantiorem inde vim fecit, & plures ſeditioni Duces dedit*, ut eſt apud Tacitum Annal. I. XXI. 2. XXII. 1.

Curando fieri qvædam pejora videmus — Ovid. III. ex Ponto Ep.
Vulnera, qvæ melius non tetigiſſe fuit. — VII. v. 25.

36 Ignis qvò clarior fulſit, citiùs exſtingvitur: ſic ingenia, qvò illuſtriora, eò breviora: ſic & in Aulis ſæpè, qvò qvis altiùs attollitur, eò paulò poſt lapſu graviore ruit. 37 Ignes in terris abſconditi nonnunqvam ſaluberrimas corporibus humanis aqvas effundunt: ſic ingenia obſcura & latentia optimos ſæpè doctrinarum frontes. *Vide infrà ſub Viola.* 38 Ex ſcintilla parva ſæpè maximus ignis: ſic ex tenuiſſimo principio maximi nonnunqvam motûs. 39 Hûc pertinet illud ex Panegyrico Pacati: *O qvàm parvis veniunt ſæpè mala principiis: ſic in ultimum propè Italici generis excidium, effractô C. Lentuli ludô, myrmillonum agmen emicuit. Sic bella Conſulibus ancipiti Marte pugnata Cilix Pirata conflavit: ſic, tenentibus arma fugitivis, Romana diù pila ceſſère ferro ergaſtulorum.* 40 *Aëri* ſpiritualem doctrinam, fidem, & religionem non malè contuleris. 41 Sine aëre vita conſtare non poteſt, qvæ ex reſpiratione præcipuè dependet: ſic nec ſine religione ulla Reſp. 42 Aër refrigerat, reficitqve ſpiritum hominis alioqvin torpidum futurum: ſic religio hominem veris & perennibus ſolatiis erigit. 43 Ut aërem qvisqve ſanitatis amans purum qværit.

‡ Eôdem in Agricola Tacitô auctore c. V. 6.

qværit: ita religionem puram, qvisqvis ſaluti animæ ſtudet. 44 Ut aër infectus citò corpora: ſic hæreſis animas interimit. 45 Aërem terreæ evaporationes & fuligines impurum reddunt: ſic religionem curæ corporeæ, & voluptatum ſagina. 46 Aër corrumpitur, niſi ventis perfletur: ſic religio, niſi vehementior & gravior aliqva calamitatum procella eam ventilet exerceatqve.* 47 Venti naſcuntur impetu, qvem poſtea remittunt: ſic ſæpè in negotiis *initia acria* ſunt, *incurioſus finis*. 48 *Aqvæ* valles & loca humilia præcipuè rigant ità beneficia Principum modeſtis potiſſimùm, & ſupercilium minimè contra ſuperiorem poteſtatem attollentibus contingunt. 49 Aqvæ niſi pronò in inferiora delapſu propagentur, inutiles redduntur, & corrumpuntur: ſic niſi ii, qvi beneficia Principum hauriunt, eadem ad alios inferiores porrò derivent, habentem corrumpunt, & ipſa verum ſuum uſum amittunt. Qva de re vide Savedram ſymbolò XL. 50 Fluvii qvò profundiores, eò minore ſtrepitu feruntur: ità Ingenia qvò eruditiora, hôc modeſtiora. 51 Fluvii, qvi jacentes in fundo lapides & ſabulum oſtendunt, nemini facile ſunt periculoſi aut formidabiles: ita & Imperia, qvorum † intima conſilia patent. 52 Aqva fluviorum ab exiguo plerumqve fonte initium ducit: ità Reſpublicæ ab exilibus primordiis. Hùc pertinet illud Senecæ lib. III. de benef. c. XXIX. *Principia ſua ſemper ſeqvens magnitudo obruit*, & qvod Ovidius canit II. Art. Am. v. 341. ſ.

Naſcitur exiguus, ſed opes acqvirit eundò,
Qvaqve venit, multas accipit amnis aqvas

* Venit hìc in mentem Apophthegma Ariſtotelis, qvod in V. tradit Laërtius, c. XVII. „ Aſpectus qvidem à circumfuſo aëre lumen accipit, animus autem à diſciplinis liberalibus.

† *Intima conſilia*] Anima omnis conſilii ſilentium eſt. Lapidem, cui ventos comprimendi poteſtas eſt, lingvæ figuram referre, non in terra natum, ſed cœli delapſum, Plinius recenſet lib. XXXVII. c. X. Hinc is, qvi lingvâ coërcere populi alicujus adfectus poteſt, ad inſtar venti volubiles, præcipitatoſqve, Princeps ſummô inter mortales dignus imperiò pronunciatur. Salvâ tamen Rhetorum auctoritate, magis principis regnantis uſibus convenire ſilentii, qvàm ſermonis beneficium exiſtimavit elegans in Schola Veritatis Principibus aperta Ludovicus Giuglaris Veritate XX p. 393. ſ. apud Jacob. le Bleu Doctorem & Profeſſorem Juris Giſſenſem in eximio ſolis eruditioribus noto Libello ad illuſtrationem Operis, cui Titulus Miniſterium Cardinalis Richelii & Mazarini conſito, p. m. 27. edit. Gieſſenſ. cIɔ. Iɔc. LXIV. in 12. Neqve hoc latuit Ariſtotelem difficillimum jam olim ſuò ſeculo in homine judicantem, tacere qvæ dicenda non ſunt. Sic apud Caſſiodorum Theodoricus ad Senatum: Arcana noſtra pro morum probitate claudebas; multorum conſcius, nec tamen cùm plura noſſes, elatus. Magnam rem ſuſtineri ab eo non poſſe, cui tacere grave ſit, Perſarum fuit judicium, Curt. IV. VI. 6. Hinc Romani nunqvam taciturnitatem, optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari voluerant, Valer. Max. lib. II c. II. exempl: I. Felices, de qvibus prædicari hoc poteſt: Ineſt illis, & magiſtra taciturnitas, & eruditi forma ſilentii. Plura & elegantia in hujus rei commendationem videas apud Freinsh. ad Curt. lib. IV. c. VI. §. 6. & Dn. Chriſt. Forſtner. in Tacit. p. 165 & 166. De Villa Regio Regum Chriſtianiſſimorum primario Miniſtro, hæc Petr. Matth. interprete Joach. Paſtorio, in Miniſtro Status p. 81. edit. Jenenſ. M. DC LXIV. in 8. Fama integritatis tantam ei exiſtimationem conciliaverat, ut non verba tantum ipſius, ſed ſilentium etiam cum cura expenderetur. Unde Rex aliqvando, multum, dixit, dum tacet, loqvitur Villa Regius. Qvantum ecce vel ſilens poteſt vir bonus.

Qvem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas,
Sub qvâ nunc recubas arbore, virga ſuit.

53 Sunt qvædam aqvæ in qvibus nihil innatat, omnia merguntur, ut de Side ſtagno Indorum Plin. lib. XXXI. c. II. memorat: Ita qvidam homines arcana intimè recondere ac tegere norunt. 54 Sunt verò etiam Aqvæ qvædam, in qvibus nihil animam habens mergitur, ut Aſphaltites lacus Judææ: ſic ſunt Aulæ, in qvibus, modò prudentia adſit, tutò & benè vivi poteſt. 55 Oceano qvoqve Aulam non immeritò comparaveris. 56 Plurima, imò immenſa vis aqvarum in Oceano, ſed eæ ſalſæ: ità in Aula beneficiorum atqve opum conqvirendarum modi plurimi, ſed multum plerumqve habent Invidiæ, multum adverſitatis. 57 In Oceano magnæ ſæpè tempeſtates & magnæ vices: ac ſæpè eôdem mari, qvô luſerunt navigia, merguntur: ſic in Aula magnæ viciſſitudines. 58 Fluxus & refluxus Oceani eodem referri poteſt: item qvod Plinius Junior epiſtolâ ultima lib. IV. narrat de Agro Comenſi, *ubi fons eſt ſtatis auctionibus, diminutionibusqve creſcens & decreſcens: in qvo ſicco ſi annulum ponas, alluitur ſenſim, ac noviſſimè operitur, detegiturqve rursùs, paulatimqve deſeritur.* Talis fons eſt gratia Principum, qvæ modò attollit, modò deſerit clientes ſuos: adeoqve *potentiam* iſtorum, ut *non ſuâ vi nixam*, valdè inſtabilem reddit. 59 In ſummis Rhætorum alpibus lacus eſt, in qvem ſi lapidem injicias, ſtatim nebula exoritur, & indè grando, narrante Cecilio Frey in Admirandis Galliæ. Lacum ejusmodi referunt divina myſteria, in qvæ ſi ingenium humanum (verè ad talia lapis, niſi ſingulariter illuſtretur) ſe immmergat, ſolent multæ litium, nonnunqvàm & bellorum tempeſtates oriri. 60 Ad *Terram* cùm accedet Phyſices Magiſter hanc qvoqve in expromendis Vitæ præceptis, non ſterilem reperit. 61 Terra comparata cum cetera univerſa machina puncti inſtar eſt. Cur ergò de illa adeò contendunt mortales, majorum ac meliorum incurioſi & qvaſi obliti? Rectè Seneca præfat. lib. I. Natural. Qvæſtion. de Terra: *Hoc eſt illud punctum, qvod inter tot gentes ferrô & igni dividitur.* & poſtea: *Punctum eſt iſtud, in qvo navigatis, in qvo bellatis, in qvo Regna diſponitis, Mortales.* 62 Terra in medio univerſi conſiſtit, ſeu potiùs pendet, verum ſcilicet Mundi centrum. Pendet autem nullô nixa fulcrô, ſed ſuô ſe pondere librat, partibus nempè ejus omnibus ad medium undiqve tendentibus, hincqve adeò mirâ qvâdam ἰσοῤῥοπίᾳ ſeu æqvilibriô ſuſtinentibus totum. Refert hac in parte terra liberam Rempubl. qvæ à nullo merè dependet, niſi à communi qvadam civium omnium in medium, hoc eſt, publicum bonum, propenſione, mutuoqve omnium, etſi ex diverſis partibus, ad idem centrum raptu impulſuqve. 63 Talem reniſum, ſed ad conſervationem tamen Totius utilem, imò neceſſarium etiam, in Polona Republ. ſentiunt illi, qvi, qvomodò in mixto iſto ex tribus Imperii formis ac generibus ſtatu ſeſe illa conſervet, animum advertunt. 64 Terra emiſſis è ſinu ſuo vaporibus, nimborum ac tempeſtatum ſibi procreatrix eſt: ſic ſubditi ſæpè ingeniis contumacibus, verbis factisqve

qve

qve inſolentibus iras ſuperiorum ac multa deniqve mala ſibi accerſunt. 65 Terræ vapores tàm tenues ſubtilesqve ſunt, ut in oculos non ante incurrant, qvàm ubi in nubes condenſati ſunt, & in imbres, procellas, grandines abeunt: ita pravorum conſiliorum malorumqve publicorum cauſſæ atqve initia vix conſpicua ſunt, ſed tempore ſenſim aucta, magno tandèm cum motu ſæpè & periculo publicæ rei erumpunt. 66 Montes terræ qvidam qvaſi vertices ſunt, ſed ex iis nobiliſſimi fluvii naſcuntur, qvi reliqvas terras irrigant: ità Principes ſummi ſunt mortalium, & ab illorum benignitate fontes & rivi manant, qvibus ſubditæ gentes recreantur & efflorefcunt. 67 Jam Terræmotum ſi conſideres, is potiſſimùm à concluſis ſub terra atqve exitum non invenientibus ventis oritur: pariter Regnorum concuſſiones perturbationesqve fiunt, ſi externa aliqva nec imbellis multitudo in viſcera Regni aut Reipubl. admiſſa arctè nimis ſtrictéqve habeatur. 68 Si enim illa vires ſuas circumſpicere cœperit, aut etiam nimiâ ſervitute ad deſperationem adigatur, dare turbas ſolet, & mutationes ingentes afferre Publico. Id qvod vel ex Populi Iſraëlitici in Ægypto duram ſervitutem ſervientis hiſtoria ſatis liqvidò apparet. 69 Poſſis qvoqve hæc, qvæ de terræmotu, eumqve cauſantibus ventis dixi, ad homines turbulentos referre, qui ad arcana Conſiliorum admiſſi, ſi fortè alicubi ſuo arbitriô agere prohibeantur, vim non raro cient, & totius Reipubl. aut Regni cardines, ſi potentes ſint, convellunt. 70 Cùm ſub terram ire placet Phyſico, illinc qvoqve utilia vitæ monita hauriet. 71 *Aurum* non minuitur igne, ſed fit purius & ſplendidius: ſic virtus per calamitates eniteſcit. Seneca de Provid. c. IV. *Calamitas virtutis occaſio eſt. Illos meritò dixeris miſeros eſſe, qvi nimiâ felicitate torpeſcunt, qvos velut in mari lento iners tranqvillitas detinet.* Sic Florus, *Romanæ*, inqvit II. II. 22. *virtutis magnitudo calamitatibus approbatur.* 72 Aurum inter metalla minimè omnium riget: ſic animi Principum generoſorum ad Clementiam faciliùs aliis permoveri ſolent. *Magni animi proprium eſt*, ait Seneca lib. I. de Clement. c. V. *placidum eſſe tranqvillumqve, & injurias atqve offenſiones ſupernè deſpicere. Muliebre eſt furere in ira: ferarum verò, nec generoſarum qvidèm, præmordere & urgere projectos.* 73 *Adamas* (ut ad gemmas veniamus) ſi frangi contingat, qvod haut facile fieri poteſt, in minutiſſimas partes diſſilit, ità ut illæ oculis cerni vix qveant. Ita arctiſſima neceſſitudo, ſi diſſiliat, in graviſſimas inimicitias degenerat. 74 Hùc pertinet illud ex Tacit. I. lib. I. Ann. c. LV. v. 5. *Gener inviſus, inimici ſoceri, qvæqve apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum apud infenſos erant.* 75 Et lib. IV. Hiſt. c. LXX. v. 4. *Julius Briganticus ſorore Civilis genitus, ut fermè acerrima proximorum odia ſunt, inviſus avunculo infenſusqve.* 76 *Chryſopraſium* gemmam lux celat, prodit obſcuritas: ità multos egregios viros felicitatis ſerenum occulit, rerum adverſarum oborta caligo in lucem producit, & illuſtres reddet.

Hectora qvis nôſſet, ſi felix Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt. Ovid. IV. Triſt. Eleg. III. 80.

77 *Hyacinthus* cœlum ſeqvitur, ſentit auras, ac cum cœlo facit mutationes, ut ait Solinus c. XXXIII. al. XXX. ſic à fortuna Principum ſubditorum gaudium & mœror, ſalus & pernicies dependet. 78 *Succinum* (nam & hoc qvidam inter foſſilia referunt) pulchrè nitens, ſed fragilis res eſt) vim trahendi habens; attamen non niſi paleas trahit: ità Aulæ, ità & omnes ferè res mundanæ ſplendorem ſuum habent, trahuntqve corda mortalium; ſed inprimis vana leviaqve. 79 Sed datis jam aliqvot ex foſſilium Promtuario ſpeciminibus, ad *Plantas* qvoqve accedamus. Nam & hæ, ſi rectè adhibeantur multa non corpori tantùm, ſed & animo ſalubria & civili vitæ utilia ſuppeditant. 80 Primò qvidem ſi universè genus arborum conſideres ac aliqvid indè ad rem politicam conducibile haurire velis, inter alia vel illud occurret: qvod, qvemadmodùm duæ arbores cùm nimiùm ſibi vicinæ ſunt, altera alteri officit, ſuccumqve alimentarium intercipit: ſic Imperia vicina pleraqve inter ſe æmula ſunt, & ſibi mutuò moleſta, donec alterum eorum prævaleſcat, alterum ſubmittat faſces. 81 Ad omne qvoqve genus Arborum proceriorum denſiorumqve referri poteſt, qvod Themiſtocles ad unum genus referebat, cùm ſe *Qvercui* comparabat, cujus tegumen aut umbram appeterent homines: ſi cœlum nimboſum, vel fervidum ſit: cùm eandem deindè, ubi ſuffugiô ejusmodi opus non eſt ſecuribus inpetere ſoleant. Ita nempè viri Magni in pretio ſunt, * dùm ſunt neceſſarii, non item, ubi operâ eorum minùs ſeu privatim ſeu publicè indigemus. 82 Arbores, qvæ ad primum veris teporem flores emittunt, facilè eundem amittunt, ubi aſperior aura illum afflaverit: ita conſilia feſtinata & præcalida raro bonum habent exitum. 83 *Ficus* nunqvàm floret, nec arbores alias ſpecioſâ foliorum luxurie æqvat, ſed fructus tamen ſvaviſſimos profert: ſic ingenia qvædam ‡ plus in receſſu habent, qvàm primâ fronte promittunt. Id qvod Eraſmus ex occaſione Adagii: *Silenus Alcibiadis*, plurimis exemplis demonſtrat. 84 *Moly* herbam adverſum fraudes & illecebras Circes Ulyſſi à Mercurio datam Homerus ait: ita adverſus Aulæ illecebras verſutiasqve munire ſe debent qvi eò deſtinantur. 85 *Coralium* marinus frutex, dùm in aqva manet, mollis eſt, ubi emerſit, indureſcit. De qvo Ovid. lib. XV. Metam. v. 416.

Sic eſt Coralium, qvô primùm contigit auras
Tempore, dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.

Sic

* *Dum ſunt neceſſarii*] Corn. Nepos XV. V. 3. „ Meneclides qvòd in re militari florere Epaminondam videbat, hortari ſolebat Thebanos, „ ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera deſideraretur. Tacit. Agricol. XLI. 3. „ Cùm damna damnis continuarentur, atqve omnis annus funeribus & cladibus „ inſigniretur, poſcebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, conſtantiam, & expertum bellis animum cum „ inertia & formidine eorum.

‡ *Plus in receſſu habent*) Externa de rerum ſpecie ſummam bonitatis minimè æſtimandam eſſe, plurimis jam dudum docuit exemplis doctiſſ. noſter Joach Camerarius in Æſopi vita p. m. 3. edit. optimæ Lipſienſis cIɔ. Iɔ. LXXXIX. in 8. Ad rem Phædrus IV. Fab. I. 5. 6. 7

„ Non ſemper ea ſunt, qvæ videntur. decipit
„ Frons prima multos. rara mens intelligit.
„ Qvod interiore condidit cura angulo!

Sic ingenia etiam optima in blando matrum ſinu langvent, indè abſtracta, & ſub alium Solem delata ſolidius robur acqvirunt. Qva de re facundè & eleganter diſſerit Savedra in ſymbolo III. & in ſymb. LXVI. 86 *Arundo* ventorum violentiæ non reſiſtit, ſed inflectendo ſe obſeqvitur, hocqve modò illæſa atqve integra manet: ita homo politicus, ut ſe conſervet, tempori & fortunæ cedit. 87 *Ocymum*: ſi molliter attrectes, ſvaviſſimi eſt odoris, ſi vehementiùs teratur, ingratum ſpirat: ſic è ſubditis, ſi moderatè tractentur, plurimum emolumenti elicere Principes poſſunt, ſi nimis tributis atterantur, ſolent turbas dare. Pulchra eſt hiſtoria, qvam tali de re ex Juſtiniano Genuenſi hiſtorico refert Camerarius in Emblem. LXXXIII. & ex hoc Cauſſinus. 89 Franciſcus Marcio, inqvit, Juriſconſultus egregius, miſſus à Republica Genuenſi Orator ad Ducem Mediolanenſem, cùm is eum nollet dimittere, nec pactis conventis Genuenſibus ſtare, captatâ occaſione obtulit eidem Duci manipulum herbæ ocymi. Qvi admirabundus, qvid ſibi hoc donum vellet, qvæſivit, qvid rei eſſet? 90 Cui ille reſpondit, ejusmodi proprietatem huic plantæ ineſſe, ut leviter & ſvaviter contrectata præberet gratum ordorem, nimis autem duriter compreſſa & attrita non ſolùm omnem ſvavitatem perderet, ſed etiam tandem Scorpios produceret. 91 Habere ſe autem ingenia Genuenſium eòdem planè modò. 92 Dux hòc ingenioſò admodum reſponſò plurimum delectatus, & ſententiam priorem mutavit, & Legatum honorificè dimiſit. 93 Hùc pertinet illud Salomonis Prov. XXX. 33. *Qvi nimis emungit, elicit ſangvinem.* Item alterum Tiberii apud Sveton. c. XXXII. ult. *Boni Paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.* 94 *Cupreſſus* funeſta, ac pompis mortualibus deſtinata arbor, blattas & tineas non fert, ſed necat potiùs: ſic invidiam mors extingvit, & ut Poëta Ovid. I. Amor. Eleg. XV. 39. ait:

— — *Livor poſt fata qvieſcit.*

Vivos interdùm fortuna, ſæpè invidia fatigat, ubi anima naturæ ceſſit demptis obtrectatoribus ipſa ſe magis magisqvè extollit. Salluſt. orat. II. ad C. Cæſar. de Republ. ordinanda circa fin. * 95 *Tulipa* florum omnium pulcherrimus, uti & Lotus & Heliotropia qvædam ad radios ſolares ſeſe expandunt, iis ſeu noctе

* Simile Thucydidis dictum libr. II. φθόνος τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον· τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν, ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται.
„ Invidia tantùm in vivos eſt. Mortuus verò,
„ ut qvi nemini obſtat, conſtanti & liberâ be-
„ nevolentiâ colitur. Juſtin. præf. extr. Suf-
„ ficit mihi in hoc tempore judicium tuum,
„ apud poſteros, cùm obtrectationis invidia
„ deceſſerit, induſtriæ teſtimonium habituro.
Adde Martial. lib. V Epigr. X.
„ Eſſe qvid hoc dicam, vivis qvod fama negatur,
„ Et ſua qvod rarus tempora lector amat?
„ Hi ſunt invidiæ nimirum Regule, mores,
„ Præferat antiqvos ſemper ut illa novis.
„ Sic veterem ingrati Pompeji qværimus umbram;
„ Sic laudant Catuli vilia templa ſenes.
„ Ennius eſt lectus ſalvo tibi, Roma, Marone,
„ Et ſua riſerunt ſecula Mæonidem.
„ Rara coronato plauſêre theatra *Menandro*:
„ Norat Naſonem ſola Corinna ſuum.
„ Vos tamen ò noſtri ne feſtinate libelli:
„ Si poſt fata venit gloria, non propero.

nocte ſeu tempeſtate ingruente ſubductis, claudunt comam: ſic Regna, prout Dei favor vel adeſt, vel deficit, ita vigent langventqve. 96 *Viola* humi repit, fragrantiſſimum tamen ſimul & ſaluberrimum florem gignit: ſic modeſtiſſima qvæqve ingenia utiliſsima. 97 Sic & qvæ latent, præſtantiora ſæpè ſunt aliis in ore famæ aut in luce honorum verſantibus. 98 Benè Plinius Junior lib. VII. Ep. XXV. *O qvantum eruditorum aut modeſtia ipſorum, aut qvies operit & ſubtrahit famæ!* Qvod in * Aula & Republ. qvoqve ſæpè fieri, inter alios qveritur Savedra ſub ſymb. LVIII. mihi p. 486. 99 *Roſarum* ſvavi odore ſcarabæi & cantharides offenduntur ac pereunt, uti & ſues Amaracô: ſic virtutem improbi ferre non poſſunt. Qvadrat hùc ſententia Sulpitii Severi: *vitia virtutibus ſemper inimica fuerunt, & optimi qviqve ab improbis, tanqvam exprobantes adſpiciuntur.* 100 *Urtica* molliter tacta urit, non item fortiter apprehenſa: ſic mali qvidam fortioribus remediis opus habent lenibus inſoleſcunt magis. 101 *Aconita* hieme florent, ſic in bello & turbatis rebus mali homines plerumqve vigeſcunt. De talibus Tacitus XI. Annal. XVIII. 2.: *privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſcordias habent.* Et I. Hiſtor. XXI. 1. *Othoni compoſitis rebus nulla ſpes. omne in turbido conſilium.* 102 *Lolium* tum demum prehendit ſegetem, cùm hæc jam altior eſt: ſic nonniſi eminentem virtutem aut fortunam inſectatur Invidia. 103 Talia multa colligere poterit Phyſices Magiſter, qvi libros de herbis ſpeciatim ſcriptos volet inſpicere. 104 Ubi eqvidem minimè contentus eſſe debet præcepta generalia dediſſe diſcipulis. Nam per ipſas iſtas ſingularum, aut certè præcipuarum herbarum proprietates inſigniores deducere mentes curioſas plus utilitatis & jucunditatis habet. 105 Jam varia *Animantium* genera qvantam qvoqve pulcherrimorum monitorum farraginem ſuppeditare poſſunt? Copia ipſa me inopem hìc fecerit, ſi velim hunc campum ingredi; ſed aliqva pariter delibâſſe ſufficiet. Nam ad finem properare & ſcriptionis deſtinatæ, & temporis jam malignius ſuppetentis modus poſtulat. 106 *Leo* apertis oculis naſcitur, & qvia parum dormit, tanqvàm vigilantiæ ſymbolum domuum valvis affigi ſolet: ſic Principes vigiles eſſe debent,

* *Aula & Republ.*] Nimirum incidunt non rarò Reipubl. tempora, qvæ arceant inde ſapientes ac bonos. Hinc ille πολιτικώτατος Atticus, cujus vitam nobis admodum eleganter Nepos Cornelius reliqvit, „ honores non petiit, cùm ei paterent, propter vel gratiam vel „ dignitatem. At qvam ob cauſſam? *quòd* inqvit idem Nepos XXV. VI. 2. „ neqve peti „ more majorum, neqve capi poſſent, conſervatis „ legibus, in tam effuſis ambitus largitionibus, „ neqve geri è republ. ſine periculo, corruptis ci- „ vitatis moribus. Atqve hoc eſt, qvod XXV. XV. 3. ille ipſe elegantiſſimus ſcriptor „ non inertiâ ſed judiciô fugiſſe Reipubl. procurationem „ eundem ſcribit. Nimirum corruptior aliqvando Reſp. eſt qvàm adjuvari ut poſſit, itaqve occupata à malis, ut locus bonis non ſit; aut ſi qvi ſint, vel non audiantur, vel cum periculo atqve diſcrimine dicant; tum ſanè accedere Remp. inconſultum æqvè eſt, qvam de litore ſolvere, cùm omne mare tempeſtatibus fervet. Subſiſtet igitur in tuto ſapiens, & ita locabit otium, ut ſuæ cùm Reipub. prodeſſe conſilio operâqve non poſſit, humano generi tamen ſtudiis proſit. Neqve enim docere egregia minus eſt, qvàm agere præclara ac facere.

bent, & oculos in bonum publicum perſpicaces gerere: *Omnium domos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio*, ait Seneca ad Polybium c. XXVI. 107 Leo ſaginam fugit, & ſi modum in vorando exceſſerit, vel inſertis in guttur ungvibus ingeſta retrahit, vel tantò diutiùs poſteà abſtinet, ut tradit de eo Ariſtoteles & ex eo Jonſtonus in admirandis: ſic Principem nihil magis decet Temperantiâ. 108 Leones & Elephanets tranſeunt qvæ impulerunt; de qvo Statius Thebaid. libr. VIII. v. 124. ſ.

Ut Leo Maſſyli cùm lux ſtetit obvia ferri:
Tunc iras, tunc arma citat; ſi decidat hoſtis
Ire ſuper ſatis eſt, vitamqve relinqvere victo.

Sic Principes non inſultant crudeliter, ſed ignoſcunt victis & ſupplicibus.

— Ignoſcere pulchrum
Jam miſero, pœnæqve genus vidiſſe jacentem. Claudian. de Bello Getico v. 91.

109 Leones & Elephantes rariùs tardiúsqve naſcuntur aliis animantibus: ſic Viri & Principes magni. *Ex intervallo*, inqvit Seneca, *magna generantur. Mediocria & in turbam naſcentia ſæpè fortuna producit: eximia verò ipsâ raritate commendat.* Epiſt. XLII. 110 Leones feræ terribiles & magni animi, circumagentes ſe rotarum orbes metuunt: ſic Principes meritò rotam fortunæ pertimeſcunt. *Cuncta mortalium incerta, & qvò plus adeptus ſis, tantò magis in lubricô te eſſe cenſeas.* Tacitus. I. Annal. LXXII. 2. *Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit ab invalido.* Et *Leo* ipſe *aliqvando minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo conſumit.* Curt. VII. VIII. 15. 111 *Elephantus* ferarum omnium maxima, & prudentiâ ad hominem proximè accedens lingvam habet perexilem, ut teſtatur Ariſtoteles, & ex eo Cauſſinus in Hiſtoria parabili: ſic qvò fortior qvisqve, eò minùs verboſus. Contra *ignaviſſimus qvisqve, & in periculo non auſurus; nimii Verbis, lingvæ feroces.* Tacitus I. Hiſtor. c. XXXV. 2. 112 Elephantes amnibus impensè delectantur, haud temerè tamen eos ingrediuntur, cum inſcii ſint natandi: idem, in rebus divinis faciunt prudentes. Tingunt earum ſalubribus aqvis animum, non mergunt Lipſ. 113 Elephantes nunqvàm humi decumbunt, qvi propter magnitudinem corporis ægrè ſe erigerent: ſic Principes faſtigio ſuo affixi ſunt, nec tutum eſt illis deſcendere. Benè Seneca lib. I. de Clem. c. VIII. *Summa hæc magnitudinis ſervitus eſt, non poſſe fieri minorem.* 114 Qvædam animalia, ut Elephantes & Cameli, qvidam etiam Eqvi non bibunt niſi turbidam aqvam: ſic nonnullis hominibus maxima ex rixis turbisqve delectatio eſt. De qvibus paulò ante ex occaſione Acontorum aliqvid dictum. 115 *Urſi* à venatore infeſtati vel læſi adeò efferantur, ut qvaſi furibundi in arbores incurrant, ſicqve ſe ipſos interimant: ſic ira nonnunqvàm & vindictæ cupiditas in exitium homines præcipitat. *Ira*, inqvit Seneca, *ut aliqvando perculit ſtra-*

vitqve obvia, ita ſæpiùs ſibi exitio eſt. Id qvoqve ibid. lib. I. de Ira c. XI. exemplô Cimbrorum, Germanorum demonſtratur. 116 *Eqvus* qvò acrior, eò altiùs in bibendo nares mergit Plin. lib. VIII c. XLII. ſic ingenia qvò meliora, eò minùs ſuperficiariâ doctrinâ ſolent eſſe contenta, ſed in profunda ſapientiæ altius ſe immittunt. 117 *Boves* inſtante lupô coëunt, capita & cornua jungunt; illo abeunte qvisqve ſibi paſcit *Lipſ:* ita periculum Reipubl. ab externo hoſte vincit ligatqve civium aliàs in diverſa euntium animos & conſilia. 118 *Lynci*, qvamvis in fame mandenti, ſi reſpexerit, oblivionem cibi obrepere, idem Plinius affirmat, digreſſamqve qværere alium: ita homines qvidam præſentibus non contenti alia & incerta captant. *Cupiditati nihil ſatis eſt.* † *Avaro tàm deeſt qvod habet, qvàm qvod non habet.* 119 *Panthera* ſvavitate odoris alia animalia allicit, undè & caput, qvô alioqvìn terrentur, occultare ſolet: ita vitium ineſcat homines, turpitudine ejus ſub initium non apparente; ſed poſteà tantò terribilior ejus facies occurſat animis malè conſciis. 120 Sic de matris interfectore Nerone Tacitus Ann. XIV. c. X. 1. *A Cæſare perfectô demùm ſcelere magnitudo ejus intellecta eſt.* Similiter etiam ſagax Principum, aliorumqve Politicorum calliditas alios ſpecioſis prætextibus in caſſes ſuos pellicere ſolet, *capite* conſiliorum, ſeu ipsâ interiore intentione graphicè occultatâ. Hæc enim ſi in aperto eſſet, in irritum irent omnes artium doloſarum & conſiliorum fabricæ. 121 Utilia præcepta etiam *Avium* natura ſuggeret. 122 *Cygnos* canere non liqvidô prorsùs Autorum conſenſu certum eſt. Qvi affirmant, Zephyris ſpirantibus eos teſtantur canere. Cygni erudita repræſentant ingenia, qvæ facunda & fœcunda facit favor Mæcenatum. 123 Pulcherrima hac de re Politiani epiſtola extat lib. VII. Ep. XXV. p. 206. edit. Lugdun. Gryphianæ 1546. in 8t. qvam, qvia paucorum verborum eſt, lubet hîc ſubjicere: *Cygno Poëta ſimilis; uterqve candidus, uterqve canorus, uterqve fluvios amans, uterqve Phœbo gratus. Sed negatur canere Cygnus, niſi cùm Zephyrus ſpirat. Qvid igitur mirum ſi tam diù taceo tuus Poëta, cùm tu tam diù non ſpires meus Zephyrus? Vale.* 124 *Aqvila* pullos ſuos ad ſolis ignem explorat: qvem qvi inconnivis oculis aſpicere poſſunt, pro genuinis agnoſcuntur. Sic indolem filiorum Principes explorent, anteqvam magnis rebus adhibeant. 125 De Aqvila lumen ſolare perferente elegantes ſunt apud Cauſſinum in hiſt. parab. verſus:

Exploratores oculis qvi pertulit ignes,
Suſtinuitqve acie nobiliore diem;
Nutritur volucrumqve potens & fulminis hæres;

Geſta-

† Nota ſunt hæc Horatii lib. I. Ep. II. 56.

,, Semper avarus eget ---

Et lib. III. Od. XVI. 17.

,, Creſcentem ſeqvitur cura pecuniam,
,, Majorumqve fames ---

Inopiæ deſunt pauca, avaritiæ omnia.

Geſturus ſummo tela triſulca Jovi.

126 Aqvila cornicum infeſtantium ſtrepitum contemnit: ſic vir magnanimus obtrectatorum aut adverſariorum imbellium voculas ac conatus. 127 Pulchrè in hanc rem Lipſius in Ep. XVI. Cent. II. ad Belgas: *Aranearum telæ ſunt omnes iſti calumniarum contextus, minuta animalia inhærent, fortiora ſpernunt, & perrumpunt.* Et Clariſſ. Heinſius in præfat. ad Silium: *Herculem placidè dormientem à Pygmæis circumventum ferunt, rursusqve ſomnô excuſſum nullá cum doloris ſignificatione ſecum tuliſſe omnes, & pro pulice habuiſſe. Idem nobis accidit. Larvæ umbratiles ſumus, Scaligeros, Turnebos ſtringimus: rident illi, & ut ſtrepitum hunc & tinnitum ulciſcantur, tacent.* 128 *Struthio-Cameli* ferrum deglutire & concoqvére poſſunt: tales Struthio-Camelos ſæpè Aulicos & omnes eos, qvi ſub iniqvis Dominatoribus ſunt, eſſe neceſſe eſt. Multa qvippe illis duriſſima devoranda ſunt. 129 *Grues* cautiſſimæ volucres ſunt, nunqvam dormiunt, qvin excubet una: qvæ, ceteris capita ſub alas recondentibus, erectô providet collô, & ſi opus eſt, excitat reliqvas. Sic in Civitatibus & Caſtris opus eſt viglantiâ. 130 Duces ipſi & Magiſtratus Epaminondam imitari debent, qvi comeſſantibus Civibus excubias & mœnia Civitatis circumibat: etiam Veſpaſianum, *qvi* ut Tacitus II. Hiſt. V. 1. ait, *acer Militiæ, anteire agmen, locum caſtris capere, noctu diuqve conſiliô, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti ſolebat.* 131 In bello qvidem qvàm noxia ſecuritas ſit, multis exemplis doceri poſſet. Marſos ſanè, Teotonicum populum, Cæſar Germanicus cædit, qvia, ut Tacitus I. Annal. L. 6. ait, *cuncta incuriâ disjecta erant, neqve belli timor, ac nè pax qvidem, niſi langvida & ſoluta inter temulentos.* 132 Jam *Apis*, inſectorum volatilium princeps, qvot & qvàm inſignia nobis vitæ civilis documenta ſuppeditat? 133 Apum Regi ampliſſimum cubile eſt. *Plinius lib. & cap. XI.* Regias Imperatoribus futuris in ima parte alvei extruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculô eminentes. Sic natura iſtis dictavit, Regem omni honore, atqve etiam domiciliô, ceterum gregem ſuperare debere. Mediô autem & tutiſſimô locô collocant Regem ſuum: ſic Principum commodiſſima ſedes in meditullio ditionis ſuæ; & ibi ſitas eſſe decet Urbes principes, undè in cetera regimen. 134 Regi apum forma ſemper egregia, & duplô qvàm ceteris major, in fronte macula qvôdam diademate candicans. *Plinius lib. XI. c. XVI. extr.* ſic in Principibus forma etiam corporis non negligenda. 135 Rex apum caret aculeô: *natura telum ei detraxit, & iram ejus inermem reliqvit*, ait Seneca lib. I. de Clement. c. XIX. ita Principem nihil minùs qvàm ira decet, nihil magis qvàm clementia. 136 Pulchra hìnc alluſio Romæ ad Urbanum VIII. Pontif. Maxim. facta eſt, cujus Inſigne tres Apes erant. Cùm enim illius Pontificis in annulos Reges affectum variè Pasqvinus Romanus exagitâſſet, noviſſimè tandem ſubjecit hoc Diſtichon:

Cunctis mella dabit, ſed nulli ſpicula figet,

Figere nam Princeps ſpicula neſcit apum.

137 Apes dùm caput ſuum Regem habent, concordes, ubi illud amiſſum eſt, diſſipantur,

— *Rege incolumi mens omnibus una,*
Amiſſô rupêre fidem. --- Ità à Principum ſalute ſalus plerumqve Regnorum & felicitas dependet: concordia certè ſine illis haberi vix poteſt. 138 Benè de Romano Imperio apud Tacitum lib. I. Hiſt. c. XVI. 1. Galba: *Immenſum Imperii corpus ſtare ac librari ſine Rectore non poteſt.* & lib. I. Ann. c. IX. 4. idem Hiſtoricus: *Diſcordantis Reipublicæ non aliud remedium, qvàm ut ab uno regatur.* 139 Api liceat ſubjicere diſſimillimum inſectum *Tineam.* Hanc parit & nutrit *Purpura*, & ab ea etiam conſumitur: ſic potentia Principum parit alitqve adulatores, ſed in perniciem ſuam. 140 Qvod ſi *Aqvatilium* qvoqve claſſes recenſere luberet, ingens iterùm copia bonorum monitorum nobis afflueret. Pauca aliqva delibabimus. 141 *Balæna*, ingens monſtrum, oculis caligat, & vadis allideretur, niſi ſubindè Ducem parvum piſciculum ſeqveretur: ſic multitudo ſeu populus grandis bellua eſt, niſi à prudente aliqvo Duce regatur. *Vis Conſili expers mole ruit ſuâ.* Camerarius diſtichô hoc expreſſit, qvod leviter correctum lubet adjicere:

Exiguô Balæna meat Ductore per undas:
Principe ſic felix plebs vigilante ſuô eſt.

142 *Lucius* mordaciſſimus piſcis à Rana aliqvando vincitur, qvia hæc oculis illius inſilit, & pedibus divaricatis viſum ei eripit: qva de re Dubravius in libello de piſcibus, allegante Camerariô: ſic parva potentia magnam perdomare poteſt, qvando oculum conſilii auferre iſti poteſt. 143 Qvod autem de *Rana* hìc, idem de Aqvila qvoqve memoratur, qvòd ſcilicet cervum aggreſſura in pulvere ſe volutat, ſicqve fronti ejus inſidens oculis pulverem inſpergit: ut ita cervus parum proſpiciens, qvò feratur, & ubiqve offendens, præda tandem fiat victoris. 144 *Vitulus marinus* ſomnieuloſum animal eſt, adeò ut dormiens fluctus marinos non ſentiat, interìm eas inter res numeratur, qvæ à fulminum jactu ſunt immunes, undè & ex pelle hujus Vituli cingulum geſtabat Auguſtus Cæſar. Poſſit hoc non incommodè applicari ad homines ſegnis indolis, & nihil magni ſpirantes, aut etiam ſegnitiem ejusmodi ſub Tyrannis ſimulantes. 145 Sub talibus enim ex virtute ſummum periculum eſt: qvippe *qvibus* ut ait Salluſtius Bell. Catil. c. VII. 2. *boni qvàm mali ſuſpectiores, ſemperqve aliena virtus formidoloſa eſt:* ſic ut ab illis *multi hac maximè de causâ premantur, qvòd meliores viri ſint, qvàm eſſe Tyrannis expediat*, ut ferè de Julio Græcino Seneca lib. II. de Benef. c XXI. loqvitur. 146 Sub his itaqve *inertia pro ſapientia* habetur, & diſſimulare ‡ vigorem Indolis tutiſſimum

‡ *Vigorem indolis*] Alcibiadi elegantiſſimus noſter Nepos VII. VII. 3. „ maximè putat malo

tiſſimum eſt : ſic enim fulmen vitatur, qvod alios excitatos, & magnis rebus pares viſos percutere ſolet, qvia in ejuſmodi regimine *nobilitas*, *opes*, *omiſſi geſtiqve honores pro crimine* ; *& non minus periculum ex magna fama eſt, qvàm ex mala*, ut eſt apud Tacitum in Agric. c. V. 6. 147 Svavitas argumenti qvadantenùs novi, certè hôc fine, ordine, modô, vix â qvoqvam, qvod ſciam, tractati detinuit me in hac Politica naturali diutiùs, qvàm initiô propoſueram. 148 Verùm cura hæc noſtra tantum fortaſsè voluptatis legenti dabit, qvantum mihi ſcribenti dedit: nec ingratum erit, datum hîc majoris opuſculi velut ſubtemen accuratiori tractatione, ſi Deus voluerit, pertexere atqve excolere. 149 Et poteſt illud ſtudium ad rem qvoqve medicam extendi, ità ut qvæ iſtic tùm ad ſanitatem corporum tùm ad morbos eorundem pertinentia traduntur, ad εὐεξίαν & morbos ſimul Rerumpubl. accommodentur. 150 Poſtremò illud qvoqve (anteqvam à Phyſica abeam) monendum mihi eſt, ſi ulla in diſciplina, in hac ſanè naturali locum maximè habere illam, qvam hodie multi inſignes viri in omnibus ſcientiis & Artibus magnoperè urgent reqviruntqve, *Ocularem* demonſtrationem. 151 Et cùm ad eam plerumqve nonniſi per multa impendia & impedimenta perveniatur, omnia hæc nemo faciliùs ſuperare qvam nobilis aut illuſtris poteſt : qvippe cujus argento & fortunæ multa patent, qvæ aliis egentioribus ſunt impervia. 152 Nobilis itaqve cùm plantarum, metallorum, animalium, aliarumve ſubſtantiarum genera & naturas diſcere aggredietur, non difficulter reperiet ejuſmodi commoditates, ubi, qvæ diſcit, præſens oculis luſtrare, magnâ & utilitate, & voluptate ſuâ, qveat.

XXVII. 1 Sed pergo tandem ad *Ethicam*, cujus ſtudium qvis ambigat digniſſimum Nobili eſſe? cùm de virtute agat, in qva una illa, non titulis inanibus nixa, ſed vera & ſola nobilitas præcipuè conſiſtit. 2 Ethicam inter antiqvos nemo accuratiùs excoluit Ariſtotele. Adeoqve ex illo fundamenta iſtius diſciplinæ haurienda erunt, prout illa Bartholinus, Golius, Keckermannus *, indè hauſerunt, & aut contraxerunt tantùm, aut veſte paulò alia circum-

„ malo fuiſſe nimiam opinionem ingenii atqve „ virtutis. Nihil enim eum non efficere poſſe „ ducebant. Ex qvo fiebat, ut omnia minùs „ proſperè geſta ejus culpæ tribuerent, cùm eum „ aut negligenter, aut malitioſè feciſſe loqve- „ rentur.

* Adde Conr. Horneji Brunſvicenſis eruditas Diſputationes Ethicas X. depromtas ex Ethic. Ariſtol. ad Nicomachum, Francof. editas M. DC. XXVIII. in 8t. (Ubi & ejuſdem Philoſophiæ Moralis ſive Civilis doctrinæ de moribus libri IV. prodierunt M. DC. LIII. in 8t.) Item Oberti Gifanii Philoſophi & JCti Clariſſimi eruditiſſimos Commentarios in X. libros Ethicor. Ariſtotelis, opus enarrationis ſubtili perſpicuitate, perſpicuâqve ſubtilitate, ſtili elegantiâ, puritate; Hiſtoriarum adlegatione, variarumqve magni momenti qvæſtionum παρέργως inſertarum ſolidâ diſcuſſione qvàm commendatiſſimum; eoqve omnibus cùm Philoſophiæ, tùm Juris prudentiæ Studioſis longè utiliſſimum. Francof. M DC. VIII in 8t. Habeo & Ariſtotelis Ethicorum ad Nicomachum libros cum verſione Latina & commentariis non ſpernendis Antonii Riccoboni. Hanov. CIↃ IↃC. X. in 8t. Præ ceteris verò omnibus commendo M Anton. Mureti Presbyteri Commentarios in Ariſtotelis X. dictos Ethicor. libros Ingolſtadii editos anno M. DC. II. in 8t. Edidit & Latinè reddidit Dan. Heinſius Lugduni Batav. M. DC. VII. in 4to. Paraphraſten qvemdam Græcum in Ethica Ariſto-

eamdederunt. 3 De omni autem genere virtutum non ex lege qvidem methodi (neqve enim artem ex profeſſo tradidit) magnô tamen ſpiritu, ſtyliqve genere & ſplendidô admodùm & penetrante nervoſôqve Seneca diſſeruit, indè adeò nobiliſſimô qvôqve ingeniô digniſſimus Autor eſt. 4 Noſtrâ memoriâ elegans virtutum Enchiridion, Lipſii Politicam imitatus, Cl. Jonſtonus dedit. 5 Imaginem earundem virtutum nervoſam, & aliqvid ſubinde cogitationi Lectoris relicturam dare ego in *Charactere Virtutum* (Jenæ an. M.DC.LXIV. in 8t. edito) volui, etſi forſan conatui patum reſpondit effectus. 6 Si tamen Nobilium Magiſtro explicare eum libuerit, (uti eqvidem momenta iſtic rerum alia ex variis Autoribus deprompta, aliqva & domi nata dilatari facile poſſunt,) Auctorum ſententias & teſtimonia, aliqva etiam exempla ex Hiſtoriis adjiciat. 7 Cùm eò pervenerit Nobilis, ut exoticas etiam lingvas intelligat, ſvaſerim ut Michaëlis Montani, Viri Ampliſſimi & doctiſſimi opera legat, optimi ſanè ſucci plena. 8 Maximè autem omnium id det operam Nobilis, ut virtutum præcepta non tantùm animo imprimat, ſed moribus etiam ac vitâ exprimat, ad affectuum ſcilicet moderationem, tùm ad opera generosô homine digna magis magisqve ſeſe indies exercendo. 9 Ethicam ſeqvatur *OEconomica*, non eô, † qvod meruerat, pretiô æſtimata diſciplina: cùm nec civiles virtutes ſine

Ariſtotelis Nicomachea è Bibliotheca Lugduno-Batava publica. Illi ipſi verò Ariſtotelis de Moribus X. libri, Ethica nominati, Joachimo Perionio interprete, correcti & emendati per Nicol. Grouchium exierunt in 4to. Pariſiis 1557. Hi ſunt, qvos habere in conſilio poterimus, cùm qvid conſulere volemus. Uſus ſum & in juventute mea non ſine fructu Adami Spengleri Ethicâ. Vide qvæ dixi parte 1. Methodor. noſtrar. p. 519.

† *Qvod meruerat*] Magni facienda ſunt præcepta Politices: (repeto verba diſertiſſimi Mureti ex Adnotationib. in Oeconomica Ariſtotelis non ubivis obviis p. 553. ſ. edit. Ingolſtadienſ. M.DC. II. in 8t.) ſed ne ea qvidem qvæ ad rei familiaris rectionem pertinent, negligenda: fortaſſis etiam eo cognoſcenda ſtudioſius; qvod, ut veteres dicebant, non cujuslibet hominis eſſe Corinthum ire: ita non omnium eſt ad rempub. accedere, at omnium eſt regere familiam ſuam neqve ejus rei ratio ſine certo ac præſenti damno ignorari poteſt. Atqve id in privatis qvidem hominibus dubitationem non habet: de regibus, ac potentibus viris aliud fortaſſe ſenſerit aliqvis, illi enim domeſticam curam, tanqvam magnitudine ſuâ inferiorem, & humiliorem ſolent aliis delegare ac committere: ipſi gravioribus curis, ac cogitationibus occupantur; ſed tamen ut reges ipſi ſolent interdum depoſito auro ac purpurâ ingredi privatorum domos, & curioſè inſpicere qvid à qvoqve agatur: ita non eſt alienum majeſtatis ipſorum, ſcire ac cognoſcere, qvemadmodum tenuiores familiæ adminiſtrentur, & rectè dictum eſt à veteribus, regum qvoqve ac ſatrapatum propriam qvandam œconomiam eſſe. Ac qvanqvam Ariſtoteles alicubi negat, reges ac tyrannos prodigos eſſe poſſe, qvod immenſam illam, & infinitam opum copiam largiendo, & faciendis ſumptibus, ſuperare non qveant: notum tamen eſt, qvoſdam ex eis, immoderatis largitionibus & temerè profundendâ pecuniâ, eò redactos eſſe, ut & fraudare creditores, & adverſus dignitatem ſuam multa facere cogerentur. His certe uſus aliqvis præceptorum œconomiæ profuiſſet. neqve alienam eſſe hanc facultatem à regibus, judicabat Cicero, qvi Dejotarum, non tantùm ut tetrarcham nobilem, ſed & ut optimum patremfamilias, & diligentiſſimum agricolam, ac pecuarium laudat. Qvod ſi Agricultura rectè in œconomices parte numeratur; non eſſe eam indignam regibus, declarat Xenophon, qvi ſub Cyri minoris perſona, oſtendit nihil ſibi videri tam regale qvam ſtudium agri colendi. Sed & Priſcorum regum Hieronis, Attali Philometoris, Archelai, Jubæ geoponicôn libri, qvi ſæpe citantur à veteribus, non mediocriter eos hac œconomices parte delectatos eſſe declarant. Ac certè ut qvi duorum ſcalmorum navim gubernare neſciat, ridiculus ſit, ſi ſe ad qvinqve remos,

ſine illa rectè conſiſtere poſſint. 10 Nam primordia ſocietatis civilis domus ſunt, ac nemo facilè in publico ſe rectè geſſerit, qvi privatum Larem, ita ut par eſt, non nôrit moderari. 11 Et ſanè non tot familiæ ad incitas redigerentur, aut certè non tantô ære alienô obruerentur, neqve ad res utiles magnasqve gerendas nervum & inſtrumenta amitterent, ſi rei domeſticæ cautiùs proſpicere maturè Nobiles diſcerent. 12 Non neſcio eqvidem ſpecioſa nomina jam pridèm indita eſſe luxuriæ & prodigentiæ juvenili: contra frugalitatem turpibus avaritiæ titulis traduci. Et mori vetuſtate inolito, inqve genio qvodammodò liberæ & ad Magnificentiam propenſiſſimæ Nationis fundamentum habenti, contraire perdifficile eſt, & contra nitendô nihil aſſeqvêre, qvàm *ut pateat, qvibus malis impares ſimus.* 13 Sed hoc tamen cuilibet nobili Juveni meritò inculcandum eſt, ſi aliqvid dandum ſit conſvetudini, & inprimis auræ populari, qvam in iſta Republ. primi aularum negotiorumqve publicorum Candidati non debent prorsùs negligere, ut id tamen fiat conſideratè, & cum aliqvo ſemper ad rem familiarem reſpectu. 14 Neqve enim onera ſemel contracta facile poſteà diſſolvuntur; ſed qvod intra prima juventutis ſpatia peccatur, totâ plerumqve vitâ luendum eſt. 15 Omninò igitur eò dirigendi Juvenum animi ſunt, ut, dùm virtutum moralium, dum civilium ſemina hauriunt, Oeconomicarum minimè omittant fundamenta. 16 Nam etſi ad eas uſu ut plurimum adſveſcant homines, expedit tamen, ut ceterorum habituum, ita hujus qvoqve lineamenta animo, dùm mollis eſt, imprimi. 17 Qvam ad rem utilia erunt Axiomata Oeconomica * Richteri, præcepta item, qvæ Timplerus, Keckermannus, Alſtedius Encyclopædiis ſuis inſeruêre. 18 Laudatur qvoqve in hac materia Ludovici Septalii Medici Mediolanenſis de re familiari libellus.

XXIIX. 1 Præcipuô autem ſtudiô Nobilibus in *Politicam* incumbendum eſt. Hîc Rhodus, hîc ſaltus ipſis erit. Hùc tanqvam ad ſcopum in hac terrena Civitate omnia potiſſimùm dirigenda, maximè Nobilibus Polonis. Qvorum nemo tàm tenuis vel tàm obſcurus eſt, qvin in conventibus publicis (qvi iſtic freqventes) ſuffragium habeat liberum; qvin, ſi in Politicis ſapiat aliqvid, ad honores, & ad qvævis munia poſſit emergere. 2 Ad Politicam itaqve uti inprimis à tenero etiam ungve aſſvefaciendum Nobilem dicimus, ita ad eam, qvicqvid hactenùs præſcripſimus, collimat: ut jam non multa nobis

remos, aut alia majora navigia gubernanda idoneum profiteatur: ita qvi gubernandæ domus peritus non eſt, multo minus ad regendam civitatem, aut provinciam idoneus ſit, neceſſe eſt. Fatendum igitur eſt, œconomices præcepta digna eſſe, inqvibus cognoſcendis aliqvid operæ ac ſtudii collocetur. De Principe b. r. Gothano, Erneſto pio, mihi relatum eſt, eum aliqvando dixiſſe. Amandamus nos juvenes noſtros in peregrina loca, recipimuſqve eos ſi non omnium reliqvarum artium, ſaltem Oeconomiæ profectò rudes oppido atqve expertes.

* Exierunt hæc Gorlicii ann. 1604. in 4to. Ejuſdem Gregorii Richteri Axiomata Eccleſiaſtica, qvæ ſunt pars tertia Axiomatum Hiſtoricor. prodierunt Goſlariæ anno 1614. in 4to. cum Appendice ad Regulas Hiſtoricas continente novorum Axiomatum centurias tres. Addenda & ejuſdem Axiomata Politica Gorlicii edita anno 1604. in 4to. Qvibus in libris non contemnendus eruditionis theſaurus continetur. *Laudat* & Naudæus in part. I. noſtrar. Methodor. p. 570.

nobis reſtent addenda. 3 Nominavimus autem anteà, nec ſemel, † Lipſii Politicam, eamqve omninò familiarem juventuti nobili reddendam ſvaſimus. Sunt enim iſtic nervi Prudentiæ Politicæ, & nihil illô Catone vel doctius vel compoſitius eſt. 4 Cui addi aut ſaltem ſubjungi Savedræ ſymbola ante allegata ſvadeo, qvibus vir ille nobiliſſimus dignam qvôvis ſoliô ideam Principis nuper dedit orbi. 5 Cui non ſine opimo fructu addetur Theſaurus Politicorum Aphoriſmorum Joannis ‡ Chokieri. 6 Sed porrò qvia Diſciplina hæc non caret controverſiis, opus eſt omninò addere pleniorem aliqvem Autorem, qvi iſtud Civilis Doctrinæ corpus integrè ſit complexus. 7 Cujus farinæ ſunt præter ipſum Ariſtotelem, omnium aliorum Ducem, adeoqve omnibus præferendum, Tholoſanus, Caſus, Althuſius, Keckermannus, Alſtedius, Arniſæus, Contzen, Vernulæus, Schönbornerus, aliiqve. 8 Sed qvia unus omninò eligendus eſt, maximè omnium juventuti commendandus videtur * Bodinus, cui uni, ut Vir Cl. Gabriel Naudæus in Bibliogr. politica judicat, tantum ceteri concedunt, qvicunqve unqvam de Republ. libros ediderint,

Qvantum lenta ſalix pallenti cedit Olivæ;

Et Politicæ viri iſtius idem dat tale teſtimonium: *Qvantum*, inqvit, *ad ejus Rempubl. ſpectat, fatendum eſt, opus eſſe elaboratum ingeniô, expolitum induſtriâ, perfectum judiciô, & ita numeris omnibus abſolutum, ut qvi ab illo diſceſſerit, haud abſimilis videatur illis antiqvioribus, qvi neglectâ vel ignoratâ Cynoſuræ præſtantiâ, navigationis curſum ad avicularum qvarundam placitum dirigebant, ſæpiusqve per cautes & ſaxa præcipites ferebantur.* Hæc ille. 9 Sed cum iſtis, qvos commendo, Autoribus, conſilia particularia, qvæ uſpiam à magnis viris de Republ. data ſunt, conjungenda cenſeo. 10 Et ex antiqvis qvidem Salluſtii inprimis Conſilium, qvod Cæſari dat ** de ordinanda Republ.

† *Lipſii Politicam*] De hac qvid Scaliger (hunc enim ibi indigitari puto) ſenſerit, his exponit Dominic. Baudius Joanni à Wower, Epiſtolar. Cent. III. n. XXXVI. p. m. 349 edit. optimæ Amſtelodamenſ Elzevirianæ 1654. in 12. In Criticis Deus eſto, in Politicis vix abſolvi poteſt ob (non audeo dicere imperitiam, ſed ſupplebis per ἀποσιώπησιν.) Malignitas etiam non videtur cadere in candidum pectus. Sed ὅσον περὶ ἡμῶν ἀλήθειαν πάνυ μοι δοκεῖ εὐτυχεῖν καὶ σφάλλεσθαι ὡς (ὡς ἔπος εἰπεῖν) παραπαίειν ἐν παιγνίοις. Specimen pravi judicii vides in eo, qvod C. V. Lipſii politica faſtidioſe traducit, & ludibrii cauſa, ne forte honorem putes, vocare ſolet, Poca nimeſtra. At meo puncto, & opinor omnium recte ſentientium judicio, palmam obtinent inter omnia viri ſummæ de literis meriti monumenta. Sed hujuſmodi myſteria non ſunt enuntianda profanis. Linqvamus illis ſuam hæreſim, & intelligamus noſtra bona, qvibus ſi taciti paſcamur habebimus, ex conſilio vafri vatis Venuſini, plus dapis, & rixæ multo minus, invidiæqve.

‡ Optima editio prodiit Leodii in fol. annô M. DC. XLIII.

* *Bodinus*) De hoc multa attulimus parte I. Methodor. noſtrar. p. 513. ſ.

** *De ordinanda republ.*] Legendæ ſunt hæ duæ Salluſtii (ſi ipſius ſunt, de qvo vide Voſſ. I. de Latin. Hiſtoric. c. XV. p. m. 75. edit. Lugdun. Batav. 1651.) ad Cæſarem Orationes, ut vocant, vel potiùs Epiſtolæ cum doctiſſimo Commentario Joh. Loccenii, qvi habetur in p. 235. ſ. Syntagmatis Diſſertationum ejus Politicarum. Amſtelodam. 1644. in 12.

publ. & Mæcenatis, nec non Agrippæ, qvorum alterum Auguſtus arctiſſimâ amicitiâ, alterum proximâ affinitate ſibi innexum de rebus Imperii conſtituendis conſuluerat. 11 Addi his meretur elegans, & ut verbis facunda, ſic fæcunda rebus Epiſtola Ciceronis, qvæ inter epiſtolas (*a*) ad Q. Fratrem ſcriptas prima eſt. 12 Artes Politicas in callidis Principibus Aulicisqve, qvos vetus & nova hiſtoria celebrat, unusqvisqve artem civilem docentium & diſcentium ſuô rimatur venaturqve ingeniô. 13 Et extant libri iſta machinamenta, qvibus orbis Imperia & cardines circumaguntur, magnâ ſolertiâ evolventes promentesqve. 14 Inter qvos principatum tenere videntur, qvæ Machiavellus prodidit, vir acutus qvidem, ſed cujus ut ingenium majore pietate & integritate dignum erat, ità jam non aliud meruit, qvàm ut cautiſſimè fides ei adhibeatur. 15 Minùs acuta, ſed magis proba ſunt aliorum in iſto argumento ſcripta, uti (*b*) Arcana Clapmarl, Amirati (*c*) in Tacitum Diſſertationes, Savedræ Politica Emblematica, & alia ejusmodi. 16 Aulicæ vitæ colores ſi qvis extra aulam noſſe cupit, ei opinor utilis fuerit libellus, qvem olim Juvenis ex Gallico traductum ſub *Aulici inculpati* nomine (nam alterum ſub Inſtitutionum politicarum titulo protruſum pro meo labore non agnoſco) publicari, poſtqvam alterum compereram editum, paſſus ſum. 17 Ceterùm cùm ſingularum Rerumpubl. inſtituta ſcire plurimum

Vv conducat

(*a*) *Ad Q. Fratrem*] Proconſulem Aſiæ ſcripſit hanc epiſtolam ea de Provincia rectè & prudenter adminiſtranda, continentem παραγγέλματα πολιτικὰ, Rempubl. gerentibus valde neceſſaria. Conſcripſit eruditam ad Rhetorum morem ecphraſin Chriſtoph. Cornerus ex Buchen Baſileæ M. D. LIII. in 8r.

(*b*) Habeo Arnoldi Clapmarii de Arcanis Rerumpubl libros ſex illuſtratos à Joan. Arnoldo Corvino JCto ex editione Amſterodamenſi Elzeviriana 1641. in 12 Hanc enim puto optimam, qvippe cui acceſſerunt Chriſtoph. Beſoldi de eodem argumento Diſſertatio; nec non ejuſdem Clapmarii: Franciſci Roſelli & Wolfgangi Heinrici Ruprechti Concluſiones de Jure publico.

(*c*) Scipionis Amirati celeberrimi inter Neotericos ſcriptoris Diſſertationes politicæ ſive Diſcurſus in Corn Tacitum Politicam doctrinam apprimè inluſtrantes ex Italico in Latinum verſi cum Digreſſionib. Politicis à Chriſtophoro Pflugio Eqvite Miſnico, Viro imaginibus & doctrinâ præclaro indicatis prodierunt Francofurti M. DC. XVIII. in 8r. Acceſſerunt ob argumenti ſimilitudinem, ſummamqve operis elegantiam de Regis ac Regni inſtitutione libri tres. Adjicio hic non ſpernendum dicti Pflugii iſtiuſmodi de Scriptoribus Italicis judicium qvod Julius Bellus nobis in ad Lectorem præfatione his verbis aperit: Colloqvebamur aliqvando nonnihil de re literaria, varioſqve præſertim de Italicis qvibuſdam ingeniis, rei politicæ plus juſtô deditis, ſermones ferebamus: abſurdam rem qvibuſdam videri, ajebat, civilis facultatis præcepta ab iis viris tradi, qvi libertatem ne ſummis qvidem labris deguſtant, coguntùrqve ad placitum potentiorum, non ad ſuæ normam rationis diſſerere, & de tota republica eas plerumqve ſententias proferre, qvæ dominantium rei conducunt magis, qvam naturæ conſentiunt. Qvædam excuſanti mihi, qvibuſdam apertè refraganti, ſapienter ſubjungebat, plurimis ſaltem Italorum non eximi, qvin verboſis diſſertationum mæandris, & phaleratis nimium circuitionibus, adeo diſcurrant, ut haud raò in orationis flumine mentis gutta deſideretur, nihilqve diſcurſibus iis eſſe videatur hominibus ad ſolidam doctrinam aſpirantibus movendo faſtidio, ſtomachoqve aptius: eccur veterum autorum diſcurſus poſthaberi, qvos hiſtoriis ſuis paſſim pulcherrimô rerum dilectu, qvà politicè, qvà geographicè, interſerere conſveverunt? profectò ſatius eſſe, horum digreſſiones unà cum rebus graviſſimis, ex qvibus eliciuntur, admirari, qvàm eorum, qvi ſententiolam caſu excerptam, qvatuor exemplis, totidemqve ſimilitudinibus circumveſtitam, tanqvam folium Sibyllæ credulis ingerunt:

conducat Politico, hanc qvoqve ad rem libri eqvidem jam non deſunt. 18 Nam antiqvas nonnullas, uti Athenienſium, Lacedæmoniorum, & aliarum ſexaginta, uti & Monarchiam Perſarum utiliſſimô, atqve ad genium Polonici Regni accommodatiſſimô ſcriptô Keckermannus proſecutus eſt. 19 Nec novis deſcribendis Ingenia decora defuêre. 20 Unô tamen Volumine qvicqvid in ſingulis maximè memorabile, & ſcitu neceſſarium eſt, Boterus comprehendit, cui ſolerte operâ lumen deinde addidit Gothofredus, & adjectis Tabellis atqve Imaginibus Librum ipſum, nomine veteri mutatô, Archontologiam appellavit. 21 Rempublicam Venetam cum Romana olìm comparavit Qvirinus Piſo: qvem librum Nobili Polono utilem lectu cenſeo, qvia Polona Reſpubl. cum illis duabus, Romana & Veneta, multa habet communia. 22 De ingeniis qvoqve ſingularum gentium obſervanda ſunt judicia à viris inſignibus profecta, qvales ſunt Barclajus in icone animorum, Neuhuſius, *Theat. ingen. hum. lib. I. c. XIII.* Savedra ſub Symb. LXXXI.

XXIX. 1 Cum Politico ſtudio ut Hiſtoria pari paſſu ambulet, neceſſe eſt: neqve enim aliundè faciliùs aut meliùs civilis Prudentia hauriri poteſt. 2 Sed qvæ Hiſtoriæ, & qvô ordine legendæ ſint, ſatis jam ante videor mihi explicuiſſe: ut adeò nihil ferè qvod adjiciam, ſuperſit. 3 Hoc tamen monendum, in Hiſtoriis qvibusvis ſed præcipuè recentioribus, unicuiqve ea annotanda maximè, qvæ in ſuæ Patriæ publicis Negotiis aliqvandò ſuſcipiendis habere uſum qveant. 4 Uti ſunt inprimis Origines & Incrementa Regnorum & familiarum, tùm jura ac modi, qvibus qvodqve ſeu regnum ſeu Provincia in poteſtatem ſeu Principis ſeu Reipubl. devenerit. 5 Hinc enim de controverſiis atqve etiam bellorum, qvæ eâ occaſione inter populos hodiè geruntur, juſtitia aut iniqvitate judicium ferri poteſt. 6 Ità multum ſcire intereſt, qvibus titulis & modis Luſitaniæ ſeu Portugalliæ Regnum olìm ſub Hiſpanorum ditionem redactum ſit, qvibus Neapoleos, qvibus Siciliæ, & alia ejusmodi Regna ab eodem Rege teneantur. 7 Qvomodò Irlandia Anglis ſubjecta, Scotia verò innexa fuerit. 8 Qvô pactô Sereniſſ. Domus Auſtriaca Regnum Ungariæ obtinuerit, qvô Bohemiæ*. Qvalia haud pauca olìm collecta mecum adhùc ſervo. 9 Sed ne Nobilis Polonus in ſua Republ. hoſpes ſit, in Patria hiſtoria diligenter ſibi annotandum cenſeat, qvomodò & qvando Regnum Poloniæ cœperit, qvando & qvomodò ab eo Moravia avulſa, qvando Sileſia, qvomodò Lithvania innexa, qvomodò Pomerania, Ruſſia, Pruſſia, Maſovia, Scepuſium: qvem ortum in Polonia habuerit Nunciorum terreſtrium Autoritas, qvando Germani, qvi Poloniam incolunt, eò venerint, & undè Juris Magdeburgici in Civitatibus uſus, & alia ejusmodi. 10 Ego ut minùs verſatis præeam, de qvibusdam talibus in gratiam

* Huc faciunt D. Petri Stockmanni olìm in Academia Lovanienſi Legum Profeſſoris, poſteà verò in ſupremo Brabantiæ Concilio, tandem in ſanctiore, Conſiliarii regii & Libellorum ſupplicum Magiſtri; Archivorum Brabanticorum Cuſtodis, Juſtitiæ Militaris Supremi Præfecti, nec non ad Comitia Imperialia titulô Circuli Burgundici Ablegati. Partes duæ elegantis tractatus de Jure devolutionis. Amſtelod. M. DC. LXVIII. in 12.

tiam Nobilitatis Polonæ curſim aliqvid dicam. Inde in exemplo qvisqve diſcet, qvomodò ex aliis qvoqve qvibusvis Hiſtoricis ſimilia colligi, & ad uſum reponi poſſint & debeant. 11 Poloni gens Slavonica ſeu Sarmatica, Duce Lechô, tempore Mauritii & Phocæ Imperatorum id eſt circa Annum Sal. qvingenteſimum qvinqvageſimum, è Sclavonia, vel ut alii & forsàn rectiùs, exiſtimant, è Ruſſiæ regionibus in eam, qvam nunc habitant, terram venêre. 12 Religionem Chriſtianam annô 965. Poloni ſuſcepêre, rerum apud eos potiunte Miecislaô, cui, cùm cœcus natus eſſet, ſeptimô ætatis annô dies ſubitò reluxit, illuſtri lucis melioris, qvæ illi & Regno poſt affulſit, auguriô. 13 Ejus Filius Boleſlaus, Chrobri dictus, ab Ottone III. Imperatore, qvi ob Adoalberti Martyris miracula poſthuma in Poloniam venerat, regia Inſignia, qvæ Pater ejus à Pontifice impetrare non potuerat, accepit. 14 Moraviam antiqvitùs Polonis ſubjectam, ſed malè defenſam à Mieciſlao Boleſlai Chrobræi filio, Patri minimè ſimili, Bohemorum Dux Prædiſlaus terræ ſuæ adjecit circa annum 1030. 15 Sileſia à Poloniæ Regno ad hunc modum avulſa eſt. 16 Boleſlaus ab ore diſtorto Crivouſtus appellatus, moriens Regnum in filios, qvos habebat complures, diviſerat. 17 Eorum maximus natu Uladiſlaus, poſt patrem Regiô diademate potitus, inſtinctu Uxoris Chriſtinæ, Fratribus auferre, qvæ Pater ſingulis deſtinârat, ſatagens, bellum conflavit, in qvo victus ipſe & pulſus Regnum amiſit. 18 Illi in Germaniam ad Uxoris ſuæ cognatos profugo primò Conradus Imperator opem, ſed irritam, tulit; poſt eidem exuli Fridericus Barbaroſſa, bis appetitâ armis, ſed ſine magno ſucceſſu Poloniâ, Sileſiam pactione impetravit. 19 Uladiſlaus ergo Dux Sileſiæ factus eam ad filios transmiſit, à qvibus poſteà in multiplices partes divulſa eſt. 20 Polonia autem à Uladiſlai fratribus ordine ſibi ſuccedentibus poſſeſſa, apud minimi natu Caſimiri poſteros multis annis manſit. 21 Ex qvibus ultimus Caſimirus fuit ob virtutem Magnus appellatus, qvô ſine maſcula prole extinctô Proceres Poloniæ Ludovicum Ungarum ad ſceptrum vocârunt, agnatis Principibus Sileſiæ excluſis. 22 Ea res cauſam dedit, ut Principes Sileſiæ, orti à Uladiſlao, repulſæ & contemtus ſui dolore, à Polonis diſcederent. *Vide Peucer. lib. V. Hiſtor. Carion.* 23 Erant autem illi ut numerô plures, ſic opibus diſpares; moribus porrò ità comparati, ut nec ferre qvietem, nec jura neceſſitudinis inter ſe colere ſcirent, & invidentiâ eò uſqve provehebantur, ut ne ab inſidiis qvidem mutuis ac cædibus abſtinerent. 24 Invitati his domeſticorum inter illos diſſidiorum occaſionibus ad concupitam jam dudùm & tentatam ſæpè Sileſiam, Bohemici Reges, Johannes Lucelburgicus allutus princeps ejusqve filius Carolus, auctis inter diſcordes odiis, non magnô negotiô perfecerunt, ut aliqvi ſponte, alii expugnati minis vel pretiô, plurimi blandis capti pollicitationibus liberas cervices obviis Bohemorum caſſibus implicarent. 25 Lithvania poſt multorum ſeculorum bella cum Regno Poloniæ circa ann. Chr. 1386. hâc occaſione coaluit. 26 Ludovicus Ungarus, de qvo ſuprà mentio facta eſt, cùm in Polonia annis duodecim regnâſſet, moriens filiam unicam Hedwigin innuptam reliqvit. 27 Qvam cùm Poloni ſce-

ſceptro deſtinâſſent, ob formam & dotem varii eam proci ambiêre. 28 Inprimis duo ambiguâ inter ſe ſpe diù certârunt, Wilhelmus Auſtricus Princeps, & Jagello, Gedimini, qvi primus occupatæ Lithvaniæ Magnum Ducem acceptô â Ruſſis nomine ſe appellavit, Nepos. 29 Wilhelmus Hedwigin, Jagello gentem Polonam magis propenſam habuit, obtinuitqve qvod voluit, ſed hâc lege, ut Chriſtiana ſacra amplexus eôdem, qvô ſibi Hedwigin, conjugiô Lithvaniam (ad qvam Samogitia, & pars Ruſſiæ tùm pertinebat) Poloniæ Regno ſociaret. 30 Pomerania ſecundum littus maris Baltici longè procurrens Regio, indè & à ſitu illo in Lingva Sclavonica Ziemia Pomorſka qvaſi maritima dicta, olìm à Vandalis, Herulis, Obotritis, &c. poſteà à Sarmaticis populis inhabitata Duces ſuos habuit, Poloniæ qvidem ſtirpe & clientelâ innexos, ſed ſubindè refractarios. 31 Inter eos, regente Polonos Boleslaô Crivouſtô Svantoborus bellis adverſum Danos & hunc ipſum Boleslaum geſtis præcipuè enituit. 32 Cujus Liberi paternas poſſeſſiones partiti, diſtinctionem citerioris & ulterioris Pomeraniæ primi fecêre. 33 Citeriorem, in qva eſt Stetinum, Bertislaus & Ratiborius ſortiti ſunt. 34 Ex Bertislao nati Boguslaus & Caſimirus libertatem, Leges & Lingvam vicinæ Germaniæ amplexi, relictis Polonis, Imperio Romano ſe ſubdiderunt, & ab Imperatore Friderico Barbaroſsa in numerum Principum Imperii in Caſtris ad Lubecam, ob auxilium contra Danos præſtitum, adoptati ſunt, ann. 1140. 35 Ulteriores Pomerani Poloniæ magis vicini, eorum Societatem, qvanqvàm bellis aliqvando interpellatam, retinuêre tamen ad Sventopolcum usqve, qvi iſti tractui à Leſco Albo Rege Poloniæ præfectus, hôc, dùm forte lavaret, per inſidias interemtô, pro Duce Pomeraniæ ſe geſſit. 36 Ejus verò filius Meſtvinus, cùm prole careret, terræ ejusdem hæredem ſcripſit Premislum Majoris Poloniæ primò Ducem, & mox univerſæ Regem, agnatis ſuis ob neſcio qvas ſimultates excluſis. 37 Ita ergò iterum in Polonorum poteſtatem redacta ulterior Pomerania eſt. 38 Sed eandem paulò poſt ſub Uladislao Loctio Marchiones Brandeburgenſes, qvi Premislum ob Pomeranicam, ut creditur, hæreditatem occiderant, Palatini Gedanenſis ejusdemqve filii proditione adjuti, occupârunt. 39 Contra qvos cùm Crucigeri in Boruſſia tùm potentes, à Polonis invocati, inqve arcem Gedanenſem admiſſi eſſent, præmium navatæ operæ immenſum poſtulantes, cedere Arce, qvam inſederant, noluêre: qvìn inſuper Derſaviam, Choniciam, aliaqve vicina oppida ceperunt. 40 Ita ergò hæc Pomeraniæ pars eidem, cui Boruſſia, Cruciferorum Dominationi ſubjecta eosdem poſteà cum Boruſſia casus diu habuit, cumqve ea ſimul in gratiam tandem cum Polonis rediit, repudiatis ſcilicet Crucigeris, ut mox dicetur. 41 Ruſſia meridionalis (nam alia ſeptentrionalis eſt; qvæ Moſcovia dicitur) ſæpè qvidem armis Polonicis, Boleslaorum inprimis virtute ſubacta, Duces tamen ſuos ſemper retinuit. Qvi nec fide in Reges, nec concordiâ inter ſe æqvâ egêre. 42 Caſimiri Magni tempore Lubartus Gedemini Lithvanorum Ducis Filius, ductâ Vlodimirienſium Ducis filiâ, omni eô Ruſſiæ Tractu, qvi Lithvanos

ſpe-

ſpectat, potitus eſt, reliqvorum Ducum, qvi plures, eoqve minores erant, viribus attritis. 43 Reliqvum Terræ ejusdem, qvod ab Halicia, & Leopoli in Poloniam vergit, Boleslaus Maſovius, hæredem ſe matris Ruſſæ ferens, ſubegit, paulò poſt venenô à Ruſſis novum jugum malè ferentibus necatus. 44 Eâ occaſione Caſimirus, qvem ante nominavimus, antiqvam ditionem Poloniæ vindicaturus, ſubitaneis copiis Leopolin diripuit, & poſt alterâ expeditione oppidis captis pluribus, tantum terrorem Ducibus injecit, ut paucis ſibi reſervatis urbibus, reliqvam Ruſſiam ipſi concederent. 45 Qvi illam adeò in Provinciam tum redegit, Palatinis, Caſtellanis, aliisqve Magiſtratibus ad Polonicum morem ibi conſtitutis, religione tamen propriâ eidem relictâ. 46 Ex eo tempore turbidi nonnunqvam Ruſſi, nec malarum molitionum expertes prorsùs, tamen nunqvam conſenſu aliqvô Imperium Polonicum excutere ſunt aggreſſi. 47 Noſtrô hôc ſeculô illa gens, ducibus Coſacis, auxiliantibus Tartaris, æqvè ſibi qvàm Regno Polonico moleſtiam facesſit. 48 Inter Sarmatiæ Gentes, qvas Ptolemæus enumerat, nominari Boruſcos videmus, poniqve in ea ora, qvam nunc Livones & Moſchi inhabitant. 49 Qvi ſi cum Prusſis ſeu Borusſis hodiè ita vocatis iidem ſunt, ſedem illos ſuam nonnihil verſus Occidentem poſt Ptolemæi tempora promoviſſe oportuit. 50 Qvicqvid ſit Pruſſorum gens olim â Boleslao Chrobræo primo Polonorum Rege incurſionibus vehementer infeſtata, ſeqventibus temporibus multum negotii proximè adſitis Maſoviis, poſteà & univerſæ Polonorum nationi facesſivit. 51 Dux Maſoviorum eqvidem viribus barbari tùm, & ferocis populi impar, neceſſe habuit Fratres Teutonicos, tùm è Syria ejectos à Saracenis, in auxilium vocare, traditô illis tractu Culmenſi, & qvæ inter Viſtulam, Mocram ac Dervanciam interjacent, terris, hâc tamen lege, inqvit Cromerus, ut ubi Pruſſos domuiſſent, Culmenſem Tractum redderent, qvæ verò de Barbaris cepiſſent, arbitriô bonorum virorum ſecùm partirentur. 52 Subacta ergò à Religioſis iſtis militibus (vulgò Cruciferis vocatis) brevi tempore Prusſia eſt, debellatis partìm atqve ab Idololatria abductis, partìm deletis incolis, novisqve è Germania Coloniis, Principum Urbiumqve Teutonicarum ope, ſensìm introductis, Regioneqve ipsâ ſic cultâ & exornatâ ædificiis freqventibus more & ritu Germanicô: ſic ut tandem etiam Imperatores aliqvid juris ſibi in hanc provinciam vendicarent: debiliore iſtis temporibus potentiâ Polonorum, eò qvòd poſt Crivouſtum in multos principes & principatus diviſi, minus in commune conſultabant, & aſſiduis Tartarorum Ruſſorum Lithvanorumqve incurſionibus mirè aliqvandiu fuerant exagitati. 53 Sub Uladislao Loctico cùm, ut paulò ante dictum, Pomerania â Marchionibus Brandeburgicis, juvante Palatini Gedanenſis filiô, magnam partem Polonis erepta eſſet, vocati contra illos in auxilium ſunt Cruciferi, certis tamen pactis, & de præmio laborum ſtipulationibus. 54 Qvas cum minùs Cruciferi ſervarent, ſed Arce Gedanenſi, qvam defendendam ſuſceperant, cedere poſteà abnuerent, pluraqve alia Pomeraniæ oppida ſibi raperent, tùm demùm exarſit bellum, qvod à Uladislai Loctici temporibus ad Sigismundum I. us-

qve, hoc eſt, ducentis & amplius annis duravit, brevi aliqvando pace, ſæpiùs induciis tantùm interruptum. 55 Regnante verò apud Polonos Caſimirô III. an. 1454. tædere Pruſſos ſervitutis, qvam ſub impotente Crucigerorum dominio patiebantur, cœpit, initaqve conſpiratione ab illis ad Caſimirum defecêre. 57 Qvi cùm oppreſſos in Clientelam recepiſſet, defendiſſetqve contrà Cruciferos magnis belli laboribus feſſi tandem Hoſtes pacem petiêre, qvæ & coiit hâc Lege, an. 1466. ut ditiones Culmênſis & Michaloviensis, & Pomerania omnis, Mariæburgum, Elbinga, Stuma, Chriſtiburgum, Toſchemita, cum aliis nonnullis locis cederent Polonis, reliqva retinerent Cruciferi, ſed ità, ſi in fide & clientela Polonorum manerent, vid. Crom. l. 26. ſub finem. 58 Multis poſt annis Cruciferorum Magiſter renunciatus eſt Albertus Brandenburgicus, qvi cùm ſacramentum ex pacto dicere Regi Poloniæ renueret, bellum reſuſcitatum eſt. 59 Sed Albertus, cùm fruſtra opem Imperii contra tam potentem hoſtem implorâſſet, Regi ſe, & qvicqvid Cruciferorum nomine teneret, ſubjecit, eumqve in modum primus ex Magiſtro Teutonico Dux Pruſſiæ, Poloniæqve Vaſallus factus eſt: conventionem illam neqvicqvam reſcindere conante Cæſare, & ipsô Albertô fruſtrà à Camerâ Imperiali proſcriptô. Vid. Sleid. l. 7. & 8. 60 *Maſovia* ad hunc modum Poloniæ innexa eſt. 61 Cum regnante apud Polonos Caſimirô III. Januſſius Maſoviorum Plocenſium Dux, cælebs mortuus eſſet, Ducatum Plocenſem Rex jure feudi, ut vocant, ad ſe devolutum Regno adjunxit. 62 Januſſio frater erat Conradus, cui reliqva Maſovia, Varſavienſi, Viſſegrodenſi, Zacrocimenſi, Ciechanovienſi, Lomzenſi, & Novodworenſi territoriis diſtincta ad vitæ dies, Cirnenſis Terra ſempiternô jure conceſſa. 63 Sed ejus poſteritate extinctâ, omnes hæ terræ Regno Poloniæ ſub Sigismundo I. acceſſêre, privilegiis tamen qvibuſdam veteribus uſqve fruentes. 64 Circa annum Chriſti 1413. Sigismundus Ungariæ Rex, & poſt etiam Germaniæ Imperator, à Uladislao Jagellone Rege Poloniæ octoginta millia ſexagenarum Pragenſium mutuò petiit, obtinuitqve, oppigneratô Jagelloni Scepuſienſi Tractu cum tredecim oppidis, arce tamen Scepuſiâ exceptâ. Ex eo tempore Scepuſium in ditione Polonorum eſt ad hanc uſqve diem. Crom. l. 18. ſub fin.

65 *Nunciorum Terreſtrium ortus & autoritas.*

66 Cùm annô 1469. Caſimirus III. Conventum Polonorum Minorum (ita appellantur Cracovienſes, Sendomirienſes, & Lublinenſes) Viſliciæ ageret, ſubſidium ad exolvenda ſtipendia poſtulans, non abnuit id qvidem Nobilitas, verùm ſine Majoribus Polonis nihil ſciſcendum ſibi putavit. 67 Qvare placuit binos è Satrapiis ſive Palatinatibus Legatos ad Comitia Petricovienſia mitti, qvi decernendi in commune cum ceteris moderati tributi poteſtatem haberent. 68 Atqve hoc tùnc fieri cœptum ſic inolevit poſterioribus temporibus, ut ſine iis Legatis, ſeu Nunciis Terrarum (ſic enim vocantur) nulla Comitia legitima habeantur, neqve tributum decerni, ac nè Lex qvidem ulla ferri poſſit.

Qvô

69 *Qvó tempore Caſtellanus Cracovienſis potiorem locum Palatinó habere cœperit?*

70 Boleſlaô Crivouſtô regnante, circa annum 1117. Palatinus Cracovienſis Scarbimirus qvidam erat, Vir manu animôqve promtus, & rebus benè geſtis inclytus. 71 Sed is ſuperbior poſteà factus, à Boleſlao, cui obtrectare, & opum factionumqve fiduciâ rebellionem minari cœperat, excœcatus & Senatu motus eſt. 72 Ac ut dignitati ejus major nota inureretur, conſtitutum tùm fuit, ut Cracovienſis Caſtellanus Palatinum præcederet. Qvod hodieqve obſervatur, cum in ceteris Palatinatibus primus locô & dignitate Palatinus habeatur. 73 Sed ex longiore excurſu, cui veniam dari peto, tandem ad rem reverſi telam noſtram texere pergimus.

XXX. 1 Hiſtoria, ut magnus Vir Gerardus Voſſius dicere ſolebat, duobus nititur, Chronographiâ & * Geographiâ. 2 Nam illa temporum lucem infert narrationibus, hæc ſitum adſcribit locorum, qvorum notitiâ ſanè opus eſt, niſi in orbe, & qvæ orbis, Provinciarumqve ſingularum res perſeqvitur, hiſtoriâ, tanqvam in ignota ſylva errare velimus. 3 In utraqve non deſunt hodiè nobis Autores, qvi facem præluceant. 4 In Chronologia Bucholzerus, Funccius, Emmius, Scaliger, Calviſius, Petavius, Helvicus præſtant. 5 Ego (qvia omnes legi non poſſunt à nobili) ſi brevem qvis velit, Bucholzerum, ſi prolixum, Calviſium prætulerim aliis: qvia etſi ceteris non videntur eruditione majores, imò aliqvibus vix pares, tamen uſui magis accommodati ſunt. 6 In Geographicis primi manuductores ſunto † Cluverus & Bertius: poſteà ad Ortelios, Mercatores, Theatra Urbium, & Atlantes progreſſus fiet. Qvi libri cari eqvidem ſunt, ſed pretium ſui multiplici utilitate & ſvavitate largè refundunt. 7 Sed inprimis, ut rectè monet Magnus Savedra, conclavia illuſtrium Diſcipulorum ejusmodi aulæis & periſtromatis veſtiantur, qvæ tectoriô opere variè elaborata generalem qvandam Orbis delineationem, hoc eſt qvatuor mundi partes unà cum celebrioribus fluviis, montibus, Urbibus aliisqve inſignioribus locis ſpectanda exhibeant. 8 Geographiæ mentio revocat me in memoriam ceterarum artium Mathematicarum: qvas ſi omnes diſci à Nobilibus vellem, nimis prodigè eorum tempora viderer

* *Geographia*] Hujus cumprimis in Hiſtoricis eſt habenda ratio, eaqve accuratis luculenter ante oculos ponenda tabulis, qvòd eam præcipuam rem eſſe novimus, qvæ ſcientiâ ſui Hiſtoriam reddat planiſſimam & facillimam intellectu, ignoratione autem omnia confundat, perturbet, & obſcuritate vix tandem diſcutiendâ obducat. Qvare laudi ducitur Cl. Cellario, Curtium, Nepotem, Plinium & Silium accuratis Tabulis Chronologicis ac Geographicis in Studioſorum non exiguam utilitatem illuſtraviſſe.

† *Cluverus*] Hujus Introductio in Univerſam Geographiam tàm veterem qvàm novam, multis locis egregiè emendata, memorabilibus locorum inluſtrata, & XL. Tabulis Geographicis aucta eſt à Joh. Bunone Hiſtoriarum qvondam Profeſſore Luneburgenſi. Gvelpherbytana, qvâ utor, editio ſecunda, anni M. DC LXVII. in 4to vitioſiſſima eſt. Tu omnino addas velim doctiſſimi Chriſtophori Cellarii Smalcaldienſis eruditiſſimam Geographiam Antiqvam, Jénæ CIƆ. IƆC. XCI. in 12. & Novam ibidem M. DC. XCII. in 12 editas; qvæ poſterior veluti ad noſtrorum temporum Hiſtorias adcommodata, hodiernam Terrarum Orbis faciem clariſſimè illuſtrat: ita prior ad veterum Hiſtoriarum, ſive à principio rerum ad Conſtantini M. tempora deductarum faciliorem explicationem adparata eſt.

derer erogare. 9 Interim Arithmeticam & poſt hanc Geometriæ elementa omninò illorum digna ſtudiò arbitror, neqve qvisqvàm opinor contradixerit. 10 Habet ea diſciplina uſum in re familiari, habet in finium dirimendis controverſiis, habet deniqve in munitionibus, & in omni re militari. Qvæ hodiè à Geometria, atqve inprimis Mechanica plurima petit ſubſidia. *Vide Savedram ſub Symb. V. edit. min. p.* 27. 11 Nolim itaqve ejus expertes eſſe Generoſos juvenes, cùm horum uti è Martiis operibus cœpit, ità iisdem tueri decus ſuum ſoleat *P*olona Nobilitas: ipſò ſcilicet ſoli patrii geniò ac poſitu ad arma invitante, cùm â vicina Tartarorum Turcarumqve (ut alios jam omittam) potentia ſæpe vis inferatur his terris, ſemper certè metuenda ſit. 12 Unde etiam temporibus anterioribus non æſtimabantur, imò nec his, etſi in deterius fluentibus, multum adeò æſtimantur Nobiles, qvi partem juventutis & fortunarum non dederint militiæ, adeoqve vel ipſimet bellicâ fortitudine, vel ſaltem miſſis copiis ſuis (uti inter Magnates hîc uſitatum) bonos ſe patriæ filios probârint. 13 Si qvi verò â bello abſtinent, (uti ſanè aliis delicatæ peregrinationes, aliis valetudo, aliis alia obſtant,) eos hunc velut defectum aliis inſignibus ac conſpicuis dotibus, niſi contemni velint, penſare oportet. 14 Tantum igitur cùm pretium ſit gloriæ militaris in *P*olonia, non ſunt Nobilibus negligenda qvæ ad eam rem faciunt: legendiqve adeò etiam rerum bellicarum ſcriptores, qvales ſunt ‡ Vegetius, † Onoſander, * Frontinus, Lipſius de Militiâ Rom. Hermannus Hugo ** Starovolſcius, de la Noue aliiqve ſimiles.

XXXI. 1 Iſtis hactenùs enumeratis exercitationibus ex ſuperiorum deniqve facultatum ſacrariis addere debent coronidem Nobiles. 2 In *Theologia* eò usqve minimùm progredi nitantur, ut religionem ſuam penitùs intelligant, & ubi neceſſitas poſtulaverit, defendere, telaqve adeò impetentium retundere poſſint. 3 Sed inprimis Theologiæ practicæ navam impendant operam, atqve ex ea Deum diligere & venerari, pie, juſtè, ſobriè vivere, ſeipſos & conſcientiam ſuam revereri, opera deniqve Charitatis exercere diſcant. 4 Magna enim jam licentia & diſſolutio ubiqve dominatur, adeò ut qvæ vitia erant, abierint in mores. 5 Et inter Nobiles reperiuntur qvidem, qvi laudatis Majorum ſuorum veſtigiis decorâ æmulatione inſiſtunt, ſunt tamen qvoqve nimis multi, qvi vitiis omnes alios anteeunt, genus ſuum & nobilitatem ex virtutis actionibus præclaris natam, mirè defœdantes, nec non o-

pibus

‡ Vegetius cum notis Godeſcalci Stewechii & Petri Scriverii plenè, ſed non admodùm emendatè prodiit Veſaliæ M. DC. LXX. in 8t.

† Onoſandri Strategicum, ſive de Imperatoris Inſtitutione cum Exemplis & documentis lego cum notis ſive diſqviſitionibus Militaribus Johannis à Chokier de Surlet, Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis Canonici, ac Vicarii Generalis, habenturqve parte ſecundâ Theſauri Politicorum Aphoriſmorum. Leodii 1643. in fol.

* Sexti Julii Frontini Viri Conſularis Strategematicῶn, ſive de ſolertibus Ducum factis & dictis libros IV. Samuel Tennulius variis MSSis contulit, emendavit, notis inluſtravit, & copioſiſſimo indice rerum ac verborum ornavit. Lugd. Batav. & Amſtelæd. M. DC. LXXV. in 12.

** Simonis Starovolſcii Inſtitutorum rei militaris libros VIII. habeo in 12. ex edit. Florentina, M. DC. XLVI. Cl. Salmaſii de re militari Romanorum liber, opus poſthumum & imperfectum eſt; exiit Lugdun. Batav. M. DC. LVII. in 4to.

pibus avitis abutentes intemperantiſſimè. 6 *Juris ſcientiam* meritò magni faciunt Nobiles, cùm jus ſubditis ſuis dicere ſubindè teneantur, cùm & identidem res ferat, ut judiciis partim terreſtribus, (ut vocant,) partim tribunalitiis aut interſint, aut præſint, patente illhâc Judiciorum Præturâ cuilibet Nobili, & inter tot inqvietos, & ex libertate ſæpè licentioſos naſcente facilè litium materiâ, ob qvam vel vocent alios in jus, vel ab aliis vocentur. 7 Sed qvia proprium legum ac ſtatutorum Regni codicem Nobilitas Polona habet, eum ut ſibi cognitum & familiarem Nobiles reddant, oportet. 8 Ut tamen etiam fundamenta legum patriarum tantò meliùs percipiat judiciumqve adeò ſuum ex ipſis juris principiis, veriſſimis divinitatis radiis, informet, duos minimùm libros velim legere, & diligenter legere nè gravetur: primùm Inſtitutiones Juſtiniani brevibus notis à doctiſſimis viris, Corvino inprimis & Joanne Pomereſchio illuſtratos, & poſteà librum Hug. Grotii de jure Pacis & Belli: qvi liber omnigenæ eruditionis, qvalis Politicum decet, pleniſſimus eſt. 9 *Medicinam* cuiqve Nobili vel propria valetudo ſatis commendaverit, & culta illa etiam à Regibus eſt, nedùm Nobilibus, ſed eò uſqve in hac arte proficere, ut morborum ſuorum, vel alienorum curationem, rem ancipitem, & vitam hominis facilè in periculum adducentem ſuſcipere auſint, non eſt, niſi eorum, qvi omnes cogitationes ſuas & vitam omnem huic arti impendêre. 10 Aliqvantum verò delibâſſe ex hac arte eò prodeſt, ut tantò faciliùs doctum Medicum noſſe atqve adeò adſciſcere, & deinde ipſius etiam Medici, qvem vocaverit, curam ac diligentiam acuere qvisqve poſſit. 11 Præcipuè verò, ut corporis humani fabricam perſpiciat, ſectiones anatomicas, ubi occaſio datur, diligenter à Nobili freqventari velim: & ſimul brevem Autorem, qvalis eſt Dreſſerus de partibus humani corporis, vel Anatomia Bartholini aut Blancardi, percurri. 12 Cavendum tamen, nè pauxillum illud, qvod Nobilis ex Medicina didicerit, typhum aliqvem atqve opinionem ſcientiæ creet: adeoqve is, ſi Medicus turgidæ ejus ſcrupuloſitati non illicò ſemper ſatisfacere videatur, diffidentiam indè concipiat, qvæ maxima bonarum medicationum remora eſt. 13 Oportet enim ægrum fidere Medico, & arti ejus, ut cuidam qvaſi Dei manui, credere, ſi velit convaleſcere. 14 Inprimis autem *Diæteticam Medicinam* qvisqve ſanè Nobilis jure ſibi habet commendatam: qvò tantò meliùs regere ſuam domi valetudinem qveat. Neqve enim cujusvis eſt alere, atqve aſſiduum ſibi habere Medicum. 15 Qvanqvàm & hic nolim ſvadere, ut certæ & ſcrupuloſæ diætæ Nobilis, præſertìm Polonus, aſſveſcat, niſi qvis ſingulari aliqvâ corporis imbecillitate eò adigatur. 16 Qvæ ipſum à multis qvoqve exorbitandi occaſionibus, & ut ſeculum eſt, neceſſitatibus, qvas validi in vita iſtic civili vix effugere poſſunt, excuſaverit. 17 Ad Diæteticam iſtam *corporis exercitia* pertinent, res à juventute Nobili magni plerumqve habita, & apud exteros magnô nummorum & temporis impendiô qværi ſolita. 18 Ac forsàn aliqva ad corporis robur & agilitatem utcunqve utilia eſſe concedi poſſint, ſed multa profectò vaniora ſunt, qvàm ut tantô pretiô emi debeant. 19 Neqve ad motum cor-

 poris

poris neceſſaria nobili eſſe puto, cui in patria rarò qvieſcendi ſpatium, potiùs verò nimii motus freqventiſſima & prorſus qvotidiana occaſio eſt. 20 Sed de hac Exercitiorum peregrinorum vanitate, vide & conſidera qvæ doctè veréqve diſſerit Vir natalibus, ingeniô, doctrinâ & dignitate Magnus in Polonia ſua contra Barclajum defenſâ à pag. 57. uſqve ad 65.

XXXII. 1 Hæc mea de Educatione nobilis atqve Illuſtris juventutis ſententia eſt, ita nova ut regiam uſitatæ hactenùs methodi viam non tam deſerat, qvàm emendet. 2 Si qvid etiam minùs tritum occurrat, id nolim ideò tardiùs fidem inveniat. Nihil enim ſcripſi, niſi certiſſimis documentis comprobatum. 3 Sed qvia in nonnullis lectorem ad alia ſcripta remiſi, in ceteris verò vel ordinem minus, vel nimis copiam videri poſſum ſectatus, ideò ſumma potiſſimorum Monitorum capita in opere ipſo latè diducta compendiô hîc tradam: etſi vereor, nè, ſi ex compendio iſto de toto libello judicium qvis facere velit, nihil hîc ſingulare traditum credat: ſegniorqve adeò ad lectionem totius reddatur. Sed qvi ſapiunt, ſcient, qvale ſit judicium, qvod ex arido & informi ſceleto de corpore fieri ſolet. 4 Latinitatis vocabula, & rerum vocabulis ſignificatarum prima lineamenta ex Veſtibulo, & poſtea Janua Cl. Comenii, tùm Nomenclatoribus indè confectis hauriant diſcentes. 5 Latinitatis analogiam & anomaliam, hoc eſt, vocabulorum flexionem, connexionem, uſum, tàm illum, qvi ſub certa generalium regularum qvaſi ſigna revocabilis eſt, qvàm alterum à regulis generalibus abeuntem ex Grammaticis dextrâ interpretatione intellectui, crebrâ lectione & repetitione memoriæ impreſſis, percipient. 6 Grammaticam omnibus eandem præſcribere non eſt meum, qvia Scholæ aliæ aliam habent. 7 Breviſſima tamen omnium eſt, qvæ Regia vocatur nuper Lugduni Batavorum impreſſa. 8 Plenior Rheniana, & perſpicuitate aliis omnibus par, exemplorum verò copiâ etiam ſuperior eſt †: novitate, ſed ſimul ad naturam apprimè accommodatâ methodô Comeniana excellit. 9 Latinitatis puritatem ex Cicerone potiſſimum bibent diſcentes: cui addetur Corn. Nepos, & ex Terentio phraſes & elegantiæ pro adultioribus etiam ex Plauto ſelectæ. 10 Ad familiarium ſermocinationum facilitatem aſſeqvendam Progymnaſmata Pontani, Colloqvia ‡ Ludovici Vivis, Eraſmi, Corderii, vel Helvici, qvi ex pluribus ejusmodi unum libellum contexuit, conducent. 11 Stylus qvàm creberrimè movendus: proponendæ imitationes, nonnunqvàm in arena, aliqvando

† Inter Grammaticos, ut Comitem illum Clarævallæ, Gaſp. Scioppium, præcipuum Sanctii diſcipulum, Sanctium ipſum, Thomam Bangium, alioſqve taceam, familiam ſuô jure ducit clariſſimum illud conſummatæ in hoc genere eruditionis, & ſtupendæ induſtriæ exemplum Gerard. Joh. Voſſius, neqve ut tempore, ſic ordine aut loco poſtremus haberi debet, qvi fortè etiam dum viget ac floret, Gallicanô ſermone Scriptor *Novæ Methodi* Græcæ Latinæqve Lingvæ faciliùs feliciuſqve addiſcendæ, Anonymus qvidem, ſed qvem vel ſic ſcimus eſſe Benedictini Ordinis, ſecundum Mabillonium, maximum decus atqve ornamentum.

‡ *Ludov. Vivis*] Hæc Philologicis notis argumentis & monitis moralibus illuſtravit Matth. Martinius, Bremæ M. DC. XVIII. in 8°. qvam editionem juventus ſibi commendatam habeat.

qvando etiam curâ domeſticâ elaborandæ. 12 Fiant verſiones ex Latino & reverſiones: verſionibus ex vernaculo ſermone factis verſio Præceptoris, vel ipſius Autoris, è qvo depromta eſt pericope, textus addatur, & ſimul elegantiæ inde excerptæ ſubjiciantur. Materia verò ſit ſeu Ethica, ſeu politica, ſeu hiſtorica. 13 Atqve ut moralium vel civilium virtutum prima ſemina primò ex Cicerone, deindè ex aliis à Ciceroniano ſtylo non diſſonis ſcriptoribus, maturè animis nobilibus inſerantur, ſententias ejusmodi ethicas vel politicas, & qvomodò eæ ad uſum transferendæ aliqvandò ſint, ſimul diſcant. 14 Ubi nonnihil firmati in ſtylo fuerint, Rhetorica præcepta, tùm & variandi dilatandiqve modos diſcant: mox ad Chrias accedant, ſimul & ex Cicerone, Mureto, Manutio, Eraſmo, Plinio juniore, Politiano, tùm & aliqvas ex illis clariſſimorum virorum, qvæ ſeparatim hôc titulô excuſæ & pleræqve politicæ ſunt, Epiſtolas ſelectas primò vertant in vernaculum, poſteà in Latinum, ſed cum qvadam Paraphraſi, & mutatis propriis locutionibus in figuratas, & figuratis in proprias, reducant. 15 Logicæ deinceps elementa proponantur, ejuſqve uſûs demonſtretur in Autoribus, qvos eloqventiæ vel civilis doctrinæ cauſa legunt, audiuntve. 16 Inprimis argumenta in materiis hortandi, dehortatoriis, commendatoriis, nuptialibus, conſolatoriis, funebribus, Panegyricis, gratulatoriis, expoſtulatoriis, purgatoriis, & aliis ejuſmodi invenire primò, deindè diſponere ex arte Rhetorum, atqve exornare tandem, & memoriter declamare diſcant. 17 Qvam ad rem ut res & verba largiùs ſuppetant, Orationes Mureti, Baudii, Heinſii, Siberi, Junii, Virdungi, Buchneri, Berneggeri, Vernulæi aliorumqve talium; Hiſtoriæ Curtii, Cæſaris, Paterculi, Juſtini, Salluſtii, Livii, Svetonii, & poſtremò Taciti, inter recentiores Turſellini, Buchanani, Maffæi, Stradæ, Puteani, Cromeri, Reidani, * Thuani, &c. evolvendæ ſunt. 18 Subindè & Poëta aliqvis, Virgilius inprimis, Seneca Tragœdus, Claudianus, Lucanus, & qvi Poëtas inventione & ſtylô effingit, † Barclajus Hiſtoricis interponendus eſt.

* *Thuani*] Multùm hûc facit Cl. viri Do. M. Abrahami Vechneri Gymnaſii ad Niſſum Pro-Rectoris optimè meriti Svada Gallicana, hoc eſt, Conciones & Orationes Thuanææ, unà cum Argumentis præfixis ac mantiſſa elegantiſſimarum ex ejuſdem illuſtris viri Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum continuatione excerptarum Orationum; uti & Teutonicarum qvarundam adpendice; Prudentiæ civilis qvoddam veluti ταμεῖον exhibentes. Francof. & Lipſiæ CIↃ IↃC LXXIX. in 12.

† *Barclajus*] Charites in Barclaji operibus non manus tantùm, ſed ſe totas abluêre, & veluti Euphrati Edenio ſe prorſus immerſerunt. Gratiarum Mater, Venus ipſa ibidem, ut cum originante D. Auguſtino loqvar, mariambula eſt. Sorores illic Aoniæ tanqvam per Tempe Paradiſiaca, aut Parnaſſica, non tam ſpatia florilegiis faciunt ambarvalia, qvàm ſeſſitando melliſiciis ſuis perennatura metantur alvearia. Muſæ qvippe, vel ipſô Barclajô auctore, nuſqvam ſe delicatiùs habent, qvàm qvum in Scotos incidêre, qvalis Barclajus erat. Ceterùm id omne, hôc qvod de Scriptore tradi poteſt, unicô auctoris ad ſimulacrum diſtichô verè adpoſitô expreſſum eſt ab Hugone Grotio:

„ Gente Caledonius, Gallus natalibus hic eſt,
„ Romam Romanô qvi docet ore loqvi.

In hoc enim verſu, familia, ortus, & ſcripta ejus, qvæ Latina vel potius Romana fuêre, depicta ſunt ſingula; ut pluribus enarrat in Introductione

19 Ex omnibus verò, qvos legerint, Autoribus, optima & elegantiſſima qvæqve, uti acutè dicta, adagia, ſimilitudines, Elogia, judicia, Comparationes, Epigrammata, & alia hujus generis, modò ſuprà diffusè monſtratô, excerpent, & ad futurum olim in ſeriis negotiis, in Orationibus publicè habendis, in congreſſu & convictu qvovis civili, uſum reponant. 20 Autorum ejuſmodi lectioni Philoſophiæ tàm theoreticæ qvàm Practicæ addantur Præcepta: Sed ex Theoretica ii potiſſimum floſculi conſectandi ſunt, qvi ad vitam civilem aliqvid adjumenti afferre poſſint. Qva in re cum cura, ſed majori operi proludentes, hîc præivimus. 21 Ut Hiſtorias meliùs intelligant, in Chronographia & Geographia nobiles exercendi ſunt. Addenda etiam Geometria, ars in militia & alibi nobilibus perneceſſaria. 22 Faſtigium deniqve huic univerſæ eruditionis ſtructuræ Jurisprudentia & Theologia, qvantùm neceſſè eſt, delibatæ imponent. 23 Qvod ſupereſt, DEUM precor, ut vobis, qvi Illuſtri genere nati ad magna deſtinamini, animum det ad ejusmodi monita ſeqvacem, tùm & ſeqvi volentibus gratiam ſuam, & ingenii corporiſqve vires idoneas largiatur: eò deniqve provehat, ut, qvi nunc præſcriptum, & exemplum alienum ſeqvimini, exempla olim fulgeatis, qvæ imitari alii velint, non niſi rari & optimi poſſint!

ductione Generali ad Barclaji ſcripta Ariadnes Buccinator, ſeu Auguſtus Buchnerus. Ad Characterem ſcriptionis qvod attinet, ipſe qvidem Barclajus ſemet novi planè ſcribendi generis Alchimiſtam & Architectonem ad Ludovicum Franciæ Regem profitetur, neqve temerè ſi *Argenidem* reſpicias, librum, ubi integra Politica tam jucundè ſimul & utiliter tractetur: cujus qvidem ſimile in Latinitate vix unqvam deprehenderis. Nam qvum Scriptor Gallicus ad Regem Galliæ de rebus Gallicanis ſcriberet, Gallicos qvoqve Scriptores, & potiſſimùm Gorræi *Amadiſum* vel *Theophilum* ſuſpensâ rerum expectatione imitatus, vel veriùs meliore materia triumphavit. Licet enim ipſe autor fabuloſa qvoqve tractet, vera tamen ſub illis latitare jamdudum eſt animadverſum. Et profectò qvantoperè Mythicum ejusmodi dicendi genus omnes oblectet homines, id non tam Rhetores, ſerietati etiam maximæ apologum aliqvem, faſtidii levandi gratiâ interſpergentes docent; ſed antiqvitatis gentilitiæ receſſus, & ſapientiæ vetuſtæ penetralia tantum non omnia, illis parabolarum, hieroglyphicorum, emblematum, aliorumve involucrorum ſupparis recondita ſatis ſuperqve confirmant. „ Ecqvis verò eſt, qvi ignoret qvod incredibili qvodam modo partem animæ imaginantem titillet illud & pertentet? Qvæ ut Philoſophi dicunt in ſimilibus ſemper occupatur; præcipuè cum aliis cogitationibus & curis vacat. Ideoqve & pueri apologis, præſertim qvi à brutis ſumuntur, impensè gaudent, ὅτι κατὰ φαντασίαν ζῶσι, ajunt Platonici. In viris autem excitatur pars illa & cum ſumma voluptate ad ætatis primæ oblectationem revocatur. Qvare jure alicubi Horatius ejusmodi fabellas imagines vocavit, utpote objectum illius partis, qvæ imaginatur. Eoqve ſpectant inprimis Satyræ, Comœdiæ, Tragœdiæ, Pantomini &c. è qvibus totus hic noſter conflatus eſt. Qvandoqvidem verò primarius Argenidis Barclaji, ſcopus eſt, informare regem & regnum, præſertim, qvomodo illud Rebellionibus lapſum reſtaurandum ſit, non nullum operæ pretium fecit doctiſſ. Dn. Joh. Schmidius in perantiqva Electorali Univerſitate Erffurtenſi Profeſſor, ſiſtendo nobis Joh. Barclaji Principem, præceptis & exemplis in Argenide nobiliter informatum, ſive Aphoriſmos Politicos, ipſis Barclaji verbis nervosè conceptos & exemplis ipſi nativis explicatos. Oldenburgi annò M. DC. LXXIV. in 12. Illius verò ipſius Schmidii Argenidem Barclaji diſcurſibus perpetuis auctam & politicè ad modernum rerum ſtatum ubivis adcommodatam, ab ipſo in præfatione nobis receptam hactenus videre non datum fuit. Qvæ verò ſæpe dictus librô II. Barclajus de optima regiminis forma & conlata ejuſdem differentia fuſiùs diſſerit, peculiari idem Schmidius Diſſertatione explicavit doctiſſimâ Jenæ.

FINIS.

Explicans non ita pridem atqve excutiens ſcrinia mea, deprehendi cæteras inter, ſeqventem hujus auctoris noſtri Dn. Paſtorii Manuſcriptam epiſtolam; qvam non indignabitur lector, ſi hîc legendam obtulero.

S. P. Abit Amſterodamum Neranus noſter; ſed conſiliô tam præcipiti, ut qvi per illum ad literas tuas, Eruditiſſime Cönerdingi, plenum aliqvod moliebar reſponſum, tempore deſtitutus, nonniſi pauca aliqvot verba chartæ illinere poſſim. Itaqve alia circumſpicienda occaſio erit, qvæ animo meo oſtendere, qvàm gratæ mihi tuæ acciderint, cupienti paulò plus ſpatii indulgeat. Interim memoro tibi, nos deſertô Amſterodamô migrâſſe Ultrajectum: adeoqve tuas non eô, qvô tu forſan credideras, locô me offendiſſe. Inde factum eſt, ut & Ethicam meam ne adhuc qvidem habeam, vel qvis eam habeat, noverim, & literas etiam tuas acceperim tardiuſculè, & per qvasdam qvaſi ambages. Hagæ non ita pridem fuimus, & memor qvidem eram ego promiſſi, qvod tibi feceram. Sed cùm promiſſum feci, flumine me iturum credideram Ultrajectum: qvod genus itineris poſtea moleſtius fore deprehendi, qvàm ut terreſtri putarem anteferendum. Interim cùm tam exiguô intervallô disjuncti ſimus, fieri adhuc ſemper poteſt, qvòd jam neglectum eſt. A Dno Aruro noſtro, binas paucis abhinc ſeptimanis accepi, in qvarum prioribus de obitu fratris ſui me certiorem fecit, viri eximii & Principi Brandenburg: cujus Medicus erat, apprimè chari. Libros nobis brevi, ſpero, miſſurus eſt, in qvos ne tuum tibi jus pereat, diligenter curabo. Plura volebam, ſed avocor. Tu, qvæſo, virorum optime, ignoſce feſtinationi, & vale in Domino plurimùm. Dedi Ultrajecti 24. Maji Annô M. DC. XXXVI. Tui ſtudioſiſſimus Joach. Hirthenius.

Inſcriptio. Reverendo & præſtantiſſimo viro Dno Joh. Könerdingio. Dno & amico unicè honorando.

FINIS.

VII.

JO. ANDREÆ BOSII

DE

PRUDENTIA

JUXTA ET

ELOQVENTIA CIVILI,

Deqve libris & ſcriptoribus ad eam rem maximè aptis, Diſſertationes Iſagogicæ.

VITA BOSII.

è

Programmate, in Sepultura ejus, Jenæ à Rectore Univerſitatis, Erneſto Frider. Schrödtero Icto & Anteceſſore, publicè adfixo, petita, & à Paulo Frehero in p. 1557. Theatri Viror. Eruditione clarorum repetita.

JOhannes Andreas Boſius Lipſiæ natus die 17. Junii A. C. 1626. Patrem habuit *Paulum Boſium*, Gemmarium, Matrem *Catharinam*, D. *Zachariæ Schilteri*, Doct. & Profeſſoris S. Theol. ex fratre *Andrea* neptem. Vix dum expletô annô ætatis ſuæ 15tô in patria Academia Decanô Dn. *Andreâ Rivinô*, primam Philoſ. lauream obtinuit. Abindè Lectiones publicas freqventavit trium Virorum eruditione præſtantium, Dn. *Mülleri*, *Rivini*, & *Conradi Bavari*, qvibus multa ſe debere ſæpè faſſus eſt: qvorum ille Geometriam Philoſophiæ *Vogelianæ* ſuffixam, iſte Epigrammata qvædam vetera, hic *Homerum*

Homerum publicè prælegebant. Tunc etiam Theſes nonnullas de Sono conſcripſit, & publicè, ut *Lipſiæ* mos eſt, præſidendo defendit. Commorabatur *Lipſiæ* per id tempus M. *Johannes Klingerus*, vir à varia eruditione informandiqve dexteritate nominatus, cujus fideli informationi novellum hunc ſtudioſum oblato minervali Pater concredidit. A. 1643. in Academiam *Wittenbergenſem* veniens, mox à Dn. *Balthaſare Cellario* obtinuit, ut ſe ſibi ſocium Muſæi adſciſceret, deindè cum idem *Cellarius Wittenbergâ* migraret, Dn. M. *Joh. Chriſtoph. Seldii*, Adjuncti Facultatis Philoſophicæ contubernium inivit. Ibi privatim in ſuccum & ſangvinem convertit, qvæ ex publicis prælectionibus celeberr. Virorum, *Auguſti Buchneri*, *Joh. Sperlingii*, & *Nicolai Pompeji* ſibi annotaverat. Cum enim ex *Klingeriana* inſtitutione ad ſtudium Eloqventiæ incenſus eſſet, & ab illo qvidem dicendi præcepta, ab ipſo verò rerum naturalium notitiam qvotidiè hauriret, gnarus à Matheſi, cui jam in patria vacârat, haud leviter perfici Oratoriam poſſe, neqve hujus doctrinam negligebat percipere, qvæ Geometrica tunc erat. An. 1645. reverſus in patriam, ſupra memoratos Viros Dn. *Müllerum*, & Dn. *Rivinum* iterum publicè docentes audivit, (tertius enim *Conradus Bavarus* è vivis exceſſerat) illum Matheſeos univerſa capita, hunc *Horatii Librum de Arte Poëtica* explicantem. Ibidem 29. Jan. an. 1646. poſtqvàm ſub Præſidio D. *Rivini* Diſputationem de æſtu marino, ejuſqve nominibus tam antiqvis qvàm recentioribus exqviſitè conſcriptam è publica cathedra defendiſſet, unà cum reliqvis competitoribus bonarum artium Magiſter publicè renuntiatus eſt. An. 1647. *Argentinam* ſe contulit, ut & iſthinc doctrinam ſuam augeret. Ibi *Dannhawerum*, *Schmidium*, & *Dorſchæum* in Theologiæ & Eccleſiaſticar. Antiqvitatum ſtudio, *Boeclerum* verò in profanâ Hiſtoriâ & civili prudentiâ per qvadriennium ſecutus eſt. Ibidem diutius hæſurus erat, ob commodam occaſionem in *Italica*, *Hiſpanica*, *Gallica*, & *Anglica* lingvâ, qvarum ſingularum fundamenta jecerat, multùm proficiendi, indéqve in ipſas Terras, qvarum ſunt illæ lingvæ, excurſurus, niſi citiùs opinione revocâſſet Pater. *Lipſiam* itaqve reverſus, præter alias, qvas crebras habuit, Diſputationes, duas Diatribas eruditas de Maculis Solaribus compoſuit, qvibus Adſeſſuram, qvam *Lipſiæ* vocant, in Facultate Philoſophica ritè An. 1655. obtinuit, integro poſt biennio, qvam in Collegio *Golliano*, qvod ibidem eſt, locum nactus eſſet. An. 1656. In Academiam *Jenenſem* ad Hiſtoriarum Profeſſionem evocatus, Studioſis ſuam operam in tradenda omnis generis, imprimis Eccleſiaſtica Hiſtoria, ſic probavit, ut gliſcens ejus fama indies novis laudibus amplificaretur. Reliqvam diligentiam cùm ad propria Scripta, tum ad aliorum edenda, maximè verò ad Autores qvoſdam veteres illuſtrandos utiliter contulit. Sic notum eſt, eum *Georgii Syncelli*, *Nicephori Conſtantinopolitani*, & *Theophanis* Chronographias, *Geneſii* Hiſtoriam rerum ab initio *Leonis Armenii* uſqve ad exceſſum *Baſilii Macedonici* geſtarum, juſſu *Conſtantini Porphyrogeniti* ante annos qvaſi 700. conſcriptam, qvam An. 1652. è M. S. membranaceo *Lipſienſis* Bibliothecæ Collegii *Paulini* ſuâ manu deſcripſerat, & *Anonymi* Chronicon

nicon ab edito *Urſpergenſis* non multùm differens ſimiliter è M. S. membranaceo adhuc deſcribendum ſuis animadverſionibus augere adornaréqve inſtituiſſe. In *Joſephi* autem antiqvitatum *Judaicarum* Scriptoris opera ad fidem veterum Manuſcriptorum Codicum emendanda & notis illuſtranda non minus incubuit. Tot Codicibus obruto mox alius M. S. ex Bibliotheca *Schleuſingenſi*, iſqve *Græcus* & chartaceus unà cum literis tranſmiſſus eſt à Generoſo Dom. *Vito Ludovico Seckendorfio*, ſummâ dignitate in Aula *Saxonico-Citzenſi* eminente. Intereà Decanatum cum laude geſſit qvinqvies, & ſemel Rectoratum An. 1661. qvi ob Penaliſmum tum profligandum ſummè laborioſus ac moleſtus fuit. An. 1672. Auſpiciis ejus in Academiâ *Jenenſi* Disqvirentium Societas laudabiliter coaluit. An. 1664. 31. Oct. Matrimonio ſibi junxit matronam virtutibus ornatam *Annam Barbaram Cummeriam*, Dn. D. *Eraſmi Ungepaur*, J. C. privignam, & Dn. M. *Joh. Hofmanni*, Theol. Candidati & Eccleſiaſtæ *Qvedlinburg*. primarii viduam, ex qva tamen nullam ſobolem procreavit. Doloribus tandem arthriticis ab annis aliqvot exhauſtus, calidô innatô ſenſim conſumptô, placidè in Salvatore ſuo obdormivit 29. April. A. C. 1674. ætatis 48.

Magni-

Magnifico atqve nobiliſſimo viro,

JOANNI SCHILTERO,

J. C. & in aula Saxo Jenenſi conſiliario excellentiſſimo,

PERPETUAM FELICITATEM.

INter reliqvias beati mariti hæ qvoqve fuerunt diſſertationes, qvas ab inclyto nomine Tuo liceat ordiri, non qvod ſplendorem ejus ac dignationem augere poſſint, ſed præſidium inde tutelamve adverſus publicum cenſuræ ſupercilium ſibi comparent. Satis qvidem tutæ omniqve liberæ malignorum inſultu fuiſſent, nec forte ſeculi barbarie nomen earum alteri ademtum, ſi parentis ſui conſiliô aut arbitriô ita factæ, ut in publico ſtatuerentur; ſed qvæ humanæ ratio ſortis, ut carisſima ſæpe pignora prius deſtituantur ſuis, qvàm ad perfectam adoleverint ætatem, eandem heic qvoqve deprehendes. Facilius igitur exorari Te patieris, ut qvam in ſolitudine qvaſi conſtitutis noſtræqve opis indigis haut abjudicandam cenſes tutelam, eam his pariter chartis, qvâ es ſingulari æqvitate & candore, libentius impertias. Neqve ſperare aliud jubet ſive arctioris memoria necesſitudinis, qvæ Tibi cum beato marito olim intercedebat, ſive ſumma in hæc ſtudia voluntas, qvæ feciſti adeo Tua, ut eorum in publico negotiorum tractatu ſpecimina cotidie des exqviſitisſima, & ad hæc non tam conſiliô qvàm felici ſucceſſu, aliis glorioſum exemplum præbeas. Poſſem fortasſis inter cauſſas hujus dicationis ſimul commemorare beneficia, qvæ, ex qvo rerum mearum ſuſcepiſti curam, à Te tuli; ſed qvod impenſâ thuris tam exiguâ penſari neqveant, nec ambitus iſte & inanis color Tibi placeat, immortali ea mente conſervabo

Excellentiſſimo nomini Tuo

Jenæ,
Ipſis Kl. Octobris
M. DC. LXXVII.

Pietate & obſervantiâ
dicatiſſima

VIDUA BOSIANA.

Yy

LECTORI.

QVi ſtudiis hiſtoriarum temporis aliqvanto plus ac pretii ponunt, non unâ hûc fini impetuqve feruntur. 2 Multi puritate dictionis, profluenti facundiâ, jucunditate vocum ſimul & elegantiâ capti mera pene rhetorum artificia ſterili vanôve labore ſectantur. 3 Pleriqve ingentia pervadunt volumina, ſine cura, ſine ordine, arbitrati ſatis præclarè ſecum agi, ubi ſic nauſeam demant otio, aut graviores curas hiſtoriarum lectione diſtingvant, habeantve, qvod puerorum more in foro, in circulis, in conviviis recitent. 4 Pauci contra, qvod primum omnium, ac jure ſuô maximum, in hiſtoria habetur, interiora civilis actus intuentur, nec ut eruditiores hinc evadant ſolùm, & animum variâ rerum cognitione exornent, ſed ſalubri deſtinent imitationi, qvod ex uſu vel ſuo vel reipublicæ, aut vitent, qvod fœdum inceptu, fœdum exitu ſit. 5 Nempe, qvorum animus hûc intenditur, vitæ magiſtram ſibi ſtatuunt hiſtoriam, ac qvoad ſingula prudentiæ munia, memoriam, intelligentiam, veriqve perſpicientiam, non indiligenti operâ juvant & inſtruunt. 6 Memoriam qvidem exemplorum ubertate, ſimilitudine, ordine, comparatione; ne in ipſo rerum actu, ſi aut præcepta frigeant, uſus & experientia propria vel imperfecta, vel non ſatis tuta, aut ſollertia vacillet, rationes cautionesve ad eventum efficaces unqvam deſint, qvæ ad præſens inſtitutum trahantur & accommodentur. 7 Intelligentiam ex eodem firmant magiſterio augentqve, dum evidenti ac planâ rerum expoſitione, non fallacibus ducti circumſtantiis, qvid verbis implicatum, fictum, ſuſpenſum, qvid interpretatione mitigatum, qvid ſimulatum vultu, conſiliis tectum, geſtu flexum aut adjutum, qvæ inter principes ejusqve amicos animorum ſimilitudo, diſſimilitudo, qvæ inclinatio, illecebræ, artes, qvi decretorum ſcopus, nexus, eventus, & his paria, non aliter ac ſi ipſi interfuerint, obſervant, indeqve ſibi ſuæqve reipublicæ, qvod imitentur aut vitent, capiunt. 8 Perſpicientiam deniqve veri ac * de futuris divinandi vim, ubi ſollerti fuerint ingeniô præditi, ex diligenti conſiliorum, eventuum & cauſſarum meditatione parant unicè ac eliciunt, qvà veriora præcipiant cogitatione, qvæqve in utramvis partem accidere poſſint, aliqvando ante conſtituant, qvidve agendum ſit, cùm forte evenerint. 9 Hæc & ſimilia cùm in hiſtoriarum ſtudiis potiſſimæ ſint obſer-

* *De futuris divinandi vim*] De Themiſtocle Nepos Cornel. II. l. 4. „Neqve minus in „rebus gerendis promptus, qvàm excogitan„dis erat: qvod & de inſtantibus, ut ait Thu„cydides, veriſſimè judicabat, & de futuris „callidiſſimè conjiciebat. Idem XXV. XVI. „4. Ut facile exiſtimari poſſit, prudentiam „qvodammodo eſſe divinationem. Non enim „Cicero ea ſolùm, qvæ vivô ſe acciderunt, „futura prædixit; ſed etiam, qvæ nunc uſu „veniunt, cecinit ut vates. Nimirum prudentia divinatio eſt, dum ratio antecedentia cum conſeqventibus conferendo, è præteritis futura prævidet, & è ſimilibus cauſſis, ſi non impediantur, ſimiles eventus colligit. Vide prudentiſſ. Loccenium in poſteriorem Nepotis locum.

obſervationis, & ingeniis ad civilem actum non tàm natis, qvàm factis, in tempore proponi inſtillariqve debeant, acerrimi vir judicii ac ſummæ eruditionis, JO. ANDREAS BOSIUS, dum viveret, id cum primis egit, ut ad hæc ſacra non ineptis, qvâcunqve re poſſet, privatis & publicis recitationibus viam muniret. 10 *Ne jam de plurimis beatiſſimi viri laboribus verba cumulemus, vel duæ, qvas ad publicum uſum heîc edimus, Iſagogicæ diſſertationes erunt teſtes, qvô fuerit animô adverſum eos, qvi accuratô civilis prudentiæ juxta & eloqventiæ ſtudiô flagraverint.* 11 *Neqve enim exiſtimabat, unam harum ab altera divelli aut poſſe aut debere, ſed conjungendas potiùs eſſe exemplô politicarum qvondam in Græcia urbeqve Roma Scholarum, ac de ſententia ſapientiſſimorum hominum, qvi in hac doctrinæ parte primas hodie tenent, ac non capienda magis conſilia, qvàm pragmaticô ſermonis charactere deſcribenda, ornanda, ſvadenda, diſſvadenda didicerunt.* 12 *Eqvidem in his literis cùm haut paucos & vulgares eruditorum jam exſtare labores optimè nôſſet, tamen iis omnibus uti velle, ſicut longum nimis & inexpeditum, ita pretium eorum non ignorare ſtudentium intereſſe cenſebat.* 13 *Hâc igitur fini ſunt nati, qvos ante laudavimus, Boſiani libelli; ad privatæ ſcholæ uſum, non eô conceptu, ut in lucem mitterentur; ſatis felices, cùm votis deſtinatisqve parentis ſatisfeciſſent.* 14 *Nuper autem infeliciſſimi nominis Criticus exſtitit, qvi neſcio qvam gratiam importunâ ſedulitate à ſtudioſa juventute inire geſtiens, priorem de comparanda prudentia civili diſſertationem non ignarâ modò viduâ herede invitâqve evulgavit, ſed ita corruptam ac mendis informem, ut nulla pænè periodus integra ſibi conſtaret, verbaqve ac ſenſu auctoris bonâ fide referret.* 15 *Multa negligenter omiſſa, multa otiosè & intempeſtivè inſperſa, nomina ſcriptorum detorta, depravata: prout nimirum fieri conſvevit in his, qvæ feſtinante calamô ab auditoribus vel indoctis vel oſcitantibus, & aliis ſæpe intentis, excipiuntur.* 16 *Neqve ſufficiebat impudentiſſimô homini laborem Boſianum in publico ſic deturpâſſe, ignavum etiam ingenium advocavit, cenſoris partes invaſit & notâ marginali ſtuporem ſuum ac barbariem ſatis detexit..* 17 *Qvis celeberrimum Arniſæi nomen inter Julei Doctores fuiſſe ignorat? Solus videlicet criticus iſte eſt, qvi Jenæ Arniſæum docuiſſe & bibliothecam Academiæ legâſſe poſteritati narrat.* 18 *Sed edenda erant hæc monſtra ex propria cenſoris doctrina, qvâ doctiſſimum virum rerum in patria non ſatis fuiſſe peritum publicô mendaciô oſtenderet.* 19 *Non vocamus ad partes alia, qvæ paſſim obveniunt, ſed Tuo, humane Lector, judicio permittimus, Teqve valere jubemus.*

LECTORI.

QVi ſtudiis hiſtoriarum temporis aliqvanto plus ac pretii ponunt, non unâ huc fini impetuqve feruntur. 2 *Multi puritate dictionis, profluenti facundiâ, jucunditate vocum ſimul & elegantiâ capti mera pene rhetorum artificia ſterili vanôve labore ſectantur.* 3 *Pleriqve ingentia pervadunt volumina, ſine cura, ſine ordine, arbitrati ſatis præclarè ſecum agi, ubi ſic nauſeam demant otio, aut graviores curas hiſtoriarum lectione diſtingvant, habeantve, qvod puerorum more in foro, in circulis, in conviviis recitent.* 4 *Pauci contra, qvod primum omnium, ac jure ſuô maximum, in hiſtoria habetur, interiora civilis actus intuentur, nec ut eruditiores hinc evadant ſolùm, & animum variâ rerum cognitione exornent, ſed ſalubri deſtinent imitationi, qvod ex uſu vel ſuo vel reipublicæ, aut vitent, qvod fœdum inceptu, fœdum exitu ſit.* 5 *Nempe, qvorum animus huc intenditur, vitæ magiſtram ſibi ſtatuunt hiſtoriam, ac qvoad ſingula prudentiæ munia, memoriam, intelligentiam, veriqve perſpicientiam, non indiligenti operâ juvant & inſtruunt.* 6 *Memoriam qvidem exemplorum ubertate, ſimilitudine, ordine, comparatione; ne in ipſo rerum actu, ſi aut præcepta frigeant, uſus & experientia propria vel imperfecta, vel non ſatis tuta, aut ſollertia vacillet, rationes cautionesve ad eventum efficaces unqvam deſint, qvæ ad præſens inſtitutum trahantur & accommodentur.* 7 *Intelligentiam ex eodem firmant magiſterio augentqve, dum evidenti ac planâ rerum expoſitione, non fallacibus ducti circumſtantiis, qvid verbis implicatum, fictum, ſuſpenſum, qvid interpretatione mitigatum, qvid ſimulatum vultu, conſiliô tectum, geſtu flexum aut adjutum, qvæ inter principes ejusqve amicos animorum ſimilitudo, diſſimilitudo, qvæ inclinatio, illecebræ, artes, qvi decretorum ſcopus, nexus, eventus, & his paria, non aliter ac ſi ipſi interfuerint, obſervant, indeqve ſibi ſuæqve reipublicæ, qvod imitentur aut vitent, capiunt.* 8 *Perſpicientiam deniqve veri ac * de futuris divinandi vim, ubi ſollerti fuerint ingeniô præditi, ex diligenti conſiliorum, eventuum & cauſſarum meditatione parant unicè ac eliciunt, qvâ veriora præcipiant cogitatione, qvæqve in utramvis partem accidere poſſint, aliqvando ante conſtituant, qvidve agendum ſit, cùm ſorte evenerint.* 9 *Hæc & ſimilia cùm in hiſtoriarum ſtudiis potiſſimæ ſint obſer-*

* *De futuris divinandi vim*] De Themiſtocle Nepos Cornel. II. l. 4. „ Neqve minus in „ rebus gerendis promptus, qvàm excogitandis erat: qvod & de inſtantibus, ut ait Thucydides, veriſſimè judicabat, & de futuris „ callidiſſimè conjiciebat. Idem XXV. XVI. „ 4. Ut facile exiſtimari poſſit, prudentiam „ qvodammodo eſſe divinationem. Non enim „ Cicero ea ſolùm, qvæ vivô ſe acciderunt, „ futura prædixit; ſed etiam, qvæ nunc uſu „ veniunt, cecinit ut vates. Nimirum prudentia divinatio eſt, dum ratio antecedentia cum conſeqventibus conferendo, è præteritis futura prævidet, & è ſimilibus cauſſis, ſi non impediantur, ſimiles eventus colligit. Vide prudentiſſ. Loccenium. in poſteriorem Nepotis locum.

obſervationis, & ingeniis ad civilem actum non tàm natis, qvàm factis, in tempore proponi inſtillariqve debeant, acerrimi vir judicii ac ſummæ eruditionis, JO. ANDREAS BOSIUS, dum viveret, id cum primis egit, ut ad hæc ſacra non ineptis, qvâcunqve re poſſet, privatis & publicis recitationibus viam muniret. 10 *Ne jam de plurimis beatiſſimi viri laboribus verba cumulemus, vel duæ, qvas ad publicum uſum heîc edimus, Iſagogicæ diſſertationes erunt teſtes, qvô fuerit animô adverſum eos, qvi accuratô civilis prudentiæ juxta & eloqventiæ ſtudiô flagraverint.* 11 *Neqve enim exiſtimabat, unam harum ab altera divelli aut poſſe aut debere, ſed conjungendas potiùs eſſe exemplô politicarum qvondam in Græcia urbeqve Roma Scholarum, ac de ſententia ſapientiſſimorum hominum, qvi in hac doctrinæ parte primas hodie tenent, ac non capienda magis conſilia, qvàm pragmaticô ſermonis charactere deſcribenda, ornanda, ſvadenda, diſſvadenda didicerunt.* 12 *Eqvidem in his literis cùm haut paucos & vulgares eruditorum jam exſtare labores optimè nôſſet, tamen iis omnibus uti velle, ſicut longum nimis & inexpeditum, ita pretium eorum non ignorare ſtudentium intereſſe cenſebat.* 13 *Hâc igitur fini ſunt nati, qvos ante laudavimus, Boſiani libelli; ad privatæ ſcholæ uſum, non eô conceptu, ut in lucem mitterentur; ſatis felices, cùm votis deſtinatisqve parentis ſatisfeciſſent.* 14 *Nuper autem infeliciſſimi nominis Criticus exſtitit, qvi neſcio qvam gratiam importunâ ſedulitate à ſtudioſa juventute inire geſtiens, priorem de comparanda prudentia civili diſſertationem non ignarâ modò viduâ herede invitâqve evulgavit, ſed ita corruptam ac mendis informem, ut nulla pœnè periodus integra ſibi conſtaret, verbaqve ac ſenſa auctoris bonâ fide referret.* 15 *Multa negligenter omiſſa, multa otioſè & intempeſtivè inſperſa, nomina ſcriptorum detorta, depravata: prout nimirum fieri conſvevit in his, qvæ feſtinante calamô ab auditoribus vel indoctis vel oſcitantibus, & aliis ſæpe intentis, excipiuntur.* 16 *Neqve ſufficiebat impudentiſſimô homini laborem Boſianum in publico ſic deturpâſſe, ignavum etiam ingenium advocavit, cenſoris partes invaſit & notâ marginali ſtuporem ſuum ac barbariem ſatis detexit.* 17 *Qvis celeberrimum Arniſæi nomen inter Julei Doctores fuiſſe ignorat? Solus videlicet criticus iſte eſt, qvi Jenæ Arniſæum docuiſſe & bibliothecam Academiæ legâſſe poſteritati narrat.* 18 *Sed edenda erant hæc monſtra ex propria cenſoris doctrinâ, qvâ doctiſſimum virum rerum in patria non ſatis fuiſſe peritum publicô mendaciô oſtenderet.* 19 *Non vocamus ad partes alia, qvæ paſſim obveniunt, ſed Tuo, humane Lector, judicio permittimus, Teqve valere jubemus.*

RELIQVIAE BOSIANAE

* * *

Et heic Dii ſunt Lector
Majusqve aliqvid Epicteti lucernâ.
Qvidqvid vides, magni ingenii monumenta ſunt
Qvæ nata in publicum uſum
Publicam lucem merebantur
Ut pari cum auctore gloriâ viverent.
Non admiraremur Aeneida
Si Maroni Auguſtus paruiſſet
Nec venerandis BOSII ſcriptis frueremur
Ni ſubita mors patriâ liberâſſet poteſtate.
O varia librorum fata
Qvæ damnaverat auctor tenebris
Poſteritatis judicium in ſolem protrahit,
Sic ſublatam ex oculis virtutem
Sic reliqvias Sanctorum veneramur.

Honori meritiſſimi Præceptoris

L. M. P.

J. PHILIPPUS SLEVOGTIUS, D.

C. B. D.

C. B. D.

De
COMPARANDA PRUDENTIA CIVILI,
Deqve
Libris & ſcriptoribus ad eam rem maximè aptis,
DISSERTATIO ISAGOGICA.

I. PRudentia civilis, ſive peritia tractandi Rempubl. ejuſqve negotia dextrè adminiſtrandi, tribus modis adqviritur: DOCTRINA, CONVERSATIONE & USU. ² Qvæ ſingula qvidem, non ineptos ad civilia munia obeunda poſſunt reddere; ſed tamen tum demum perfectum Politicum efficiunt, cùm univerſa adſunt.

II. *Uſu* enim *ſolô* qvi pollent, in illis qvidem rebus, qvas jam ante experti ſunt, facile conſilia inveniunt juxta & exſeqvuntur; ſed ubi novum ac inſolitum qvid ſupervenerit, plerumqve anguntur & hærent; neqve facile extricare ſe poſſunt, niſi planè inſigni atqve extraordinariâ naturæ ingeniiqve bonitate ſint præditi.

III. Deinde hôc incommodô laborat *Experientia*, qvod, ut Poëta *Ovid. VI Metam. v.* 29. ait; *ſeris demum ab annis venit*, nec præceptis aut regulis traditur.

IV. ¹ Similiter *Converſatio* qvamqvàm multùm juvare poteſt Experientiam propriam; tamen ſi literarum adjumentô deſtituta eſt, imperfectam notitiam gignit. ² Fieri enim non poteſt, qvin his ſolis præſidiis innixi ſubinde ceſpitent, transſiliantqve fines honeſti & inhoneſti, utilis & inutilis, qvos niſi per doctrinam, ſatis perſpectos habere non poſſunt.

V. Deniqve *Eruditio* uſu propriô & conſvetudine prudentum deſtituta, plerumqve tàm ad invenienda conſilia, qvàm ad actiones obeundas, & exſeqvenda, qvæ bene conſulta ſunt, inepta eſt.

VI. Qvare is demum *verè prudens*, idoneusqve ad tractanda Reip. negotia futurus eſt, cujus animum primò doctrina probè imbuerit, deinde firmaverit converſatio; uſus deniqve perfecerit.

VII. Initium itaqve faciendum à *Doctrina*; qvippe qvæ generalior, & ſingularibus, qvæ Experientia & Converſatio ſuppeditant, dignoſcendis veluti normam & modum præſcribit.

IIX. 1 Hæc vel è *Præceptoribus vivis* hauritur, vel è *Libris*. 2 Illis omnino heic opus, non minùs qvàm in ſcientiis & artibus aliis; qvæ vix unqvam ſolidè addiſcuntur, ſi ductor abſit. 3 Deligendi autem tales, ſi fieri poteſt, qvi 1. ingeniô ſint non nimis theoreticô vel moroſô: 2. qvi rerum, qvæ inter homines, ac in orbe terrarum olim geſtæ ſunt, hodieqve geruntur, cognitionem aliqvam, nec nullam omnino experientiam habeant: 3. deniqve qvibus aliqva conſvetudo cum viris prudentibus & politicis intercedat.

IX. 1 *LIBRI*, civilis prudentiæ ſtudioſo utiles, non unius ſunt generis. 2 Alii enim per præcepta & obſervationes generales, alii per exempla, alii per ſententias, aut etiam parabolas, nunc docendo & inſtruendo, nunc hortando aut ſvadendo, nunc laudando vituperandoqve, aliisqve modis prudentiam animo inſtillant. 3 Nos in unoqvoqve genere ſelectiores & optimos indicabimus.

X. Agmen ducant SCRIPTORES SYSTEMATICI, hoc eſt, qvi ſcientiam politicam juſtô ordine & methodô digeſſerunt, idqve alii breviter & compendioſè, alii tractatione aliqvando diffuſiori.

XI. 1 *Compendia* ex antiqvitate vix ulla ſuperſunt; niſi qvis ita vocare velit *Plutarchi Præcepta gerendæ Reipub.* & (a) *Iſocratis ad Demonicum & Nicoclem* libellos, qvi tamen totam doctrinam politicam non pervadunt. 2 *Agapeti* verò (b) *Scheda regia*, & *Imperatoris* (c) *Antonini libri de vita ſua*, propriè huc non ſpectant, ſed potiùs ad Ethicam, cùm mores potiſſimùm & privatam Principis vitam inſtruant.

XII. 1 Hôc autem & ſuperiori ſeculô magnô conatu & certamine Compendia Politica ſcribi cœpta ſunt, iisqve orbis ad nauſeam usqve impletus: adeò ut delectu heic valde opus ſit. Præcipuè commendari merentur poſt aliqvot minora Compendia, *Politica* (d) *Henningi Arniſæi*, & *Syſtema Politicum Barthol. Keckermanni*: 3 itemqve *Lipſii Politicorum libri* (e), opus utinam tam comple-

(a) Iſocratis duas ad Demonicum & Nicoclem Orationes cum egregiis ſcholiis, metaphraſi & periphraſi, Græcitatis ac inprimis Atticiſmis obſervatis, ſententiis &c. qvinctùm Londini in 12. edidit Georg Sylvani Panon Med.

(b) Hæc cum notis M. Jacobi Brunonis Prof. b. m edita recognita & ſcholiis pluribus adaucta ab hujus filio Jacobo Pancratio Brunone Philoſ. & Medicinæ D. & hujus in Univerſitate Norimbergenſium Altorfina Profeſſore, exiit Lipſiæ M. DC LXIX. in 8r.

(c) *Antonini*] Habeo hujus XII. libros de ſe ipſo & ad ſeipſum cum Gvil. Xylandri adnotationibus acnotis & emendationibus *Merici* Caſauboni Iſaaci filii; ex editione Londinenſi M. DC. XLIII. in 8r.

(d) Prodiit apud Ludov. Elzevirium Amſterod. 1651. in 12. Hic ſanè, *Arniſæus* primus eſt inter Politicos qvi nugari deſiit.

(e) Optima editio Freinshemiana, Argent. 1641. Ego utor Francofurtanâ M DC. LVIII. in 12. in defectu prioris, qvamqvam an hæc illâ deterior ſit, dicere non habeam. Præfationem autem à *Lipſio* notis ad libros Politicorum Antverpiæ CIↃ. IↃC. IV. in 4to. emiſſis præfixam optimis iſtis in editionibus recentibus, Argentoratenſi puta ac Francofurtenſi, prætermiſſam eſſe, miror.

completum & omnibus (g) Rerumpub. formis adcommodatum, qvàm eſt accuratum, & planè è genuinis fontibus deductum: 4 deniqve *Boxhornii* (h) *Inſtitutiones politicæ*, tùm illæ, qvæ Goslariæ primùm, & deinde correctiores Lugduni Batavorum annô ſuperiore prodierunt; tùm qvæ prolixis cum explanationibus ipſius Auctoris, doctiqve hominis additionibus Lipſiæ nunc excuduntur.

XIII. 1 Ex his duo qvidem priores magis ad civitatis rerumqve civilium hiſtoriam & theoriam pertinent; poſteriores magis ad civitatis gubernationem, civilisqve actus prudentiam ſpectant. 2 Qvæ duo, qvomodo diſtingvenda ſint, accuratè exponit Bœclerus, Diſſertatione *de Politicis Lipſianis*, c. II. qvâ de nævis pariter & prærogativis operis Lipſiani, veroqvè ipſius uſu egregiè diſſerit.

XIV. 1 Fuſiùs & integros commentarios doctrinæ politicæ ſcripſêre ex antiqvis, qvi qvidem ſuperſunt, *Plato* & *Ariſtoteles*. 2 Ac *illius* qvidem *libri XII de Legibus*, & *X de Republica*, ſvaves pleniqve reconditæ eruditionis ac ſapientiæ ſunt; ſed res politicas genere diſputandi non admodùm politicô, adeóqve τὰ πρακτικὰ ſpeculativè magis, qvàm uſus vitæ reqvirit, aut patitur, tractat. 3 Plura tamen ad uſum Reip. habentur in libris de Legibus; qvamqvàm ibi non agitur de omnibus Rebuspubl. earùmqve ſpeciebus, differentiis, morbis & conſervatione, adeoqve non integrè prudentia civilis, ſed pars ejus traditur. 4 Scripſit & *de regno* libellum exiguum, non qvidem magni momenti, ſed lectu non indignum: itemqve *Politicum*, in qvo naturam hominis prudentis deſcripſit. 5 Nemini vero legendus Plato, niſi qvi inſtructus initiatusqve prudentiæ myſteriis, cenſorem non minùs, qvàm lectorem agere poſſit. *De Commentariis in Platonem Naudæus Bibliogr. polit. p. 45. edit. Buchn.*

XV. At

(g) *Et omnibus Rerumpubl. formis*] Ipſe ſuo qvid de opere hoc cenſeat Lipſius, non alienum videtur hic oſtendere ex illius ipſius ad Theodorum Leewium Lipſii hactenus, qvod qvidem nos ſciverimus, inedita epiſtola, qvam nos, prout eamdem accepimus, ſubjungimus: „ Cape „ inter primos, mi Leewi, Politicorum meo„ rum munus, qvod dedimus neſcio an tem„ pore ſatis opportunô. Noſti in diſſidiis ci„ vilibus varia judicia, qvàm tenellæ aures atqve „ animi ſint, & omnia duci velint ad ſuum „ ſenſum. Atqvi nos ita ſcripſimus tanqvam in „ libero aliqvo & alio loco, nullô ad homi„ nes aut tempora reſpectu. Communia præ„ cepta noſtra eſſe volumus, & apta (ſi tamen „ ævum feret) hominibus omnis ævi. Breves „ ſententiæ ſunt, non longi illi & ſubtiles diſ„ curſus, qvibus capitur vulgus: ideoqve mi„ nus gratiæ, ſcio, invenient apud vulgus. „ Qvid ſi & hoc aliqvem offendat, qvòd „ Principatum extollimus, & ad illum præce„ pta pleraqve retulimus? Sed nos ita ſentimus, „ nec tamen alios ſtatus damnamus, multò „ minùs hunc noſtrum. Cui utinam tamen „ bonus, legitimus, & qvalem ego deſcribo, „ Princeps! Omnes boni & prudentes fortaſſe „ hoc vovent mecum. Sed aliàs plura. Cui „ enim mens ſcribendi ſit per hunc æſtum? „ Ego vix reſpiro. Vale vir amiciſſime unà „ cum uxore tua. Exemplaria hæc adjuncta „ valde velim ad Secretarium Comitis Maurici i „ deferri per famulum tuum cures. id mihi „ gratum. Adjunxi exemplar Dn. Præſidi My„ lio tradendum. Intellexi Comitem abiiſſe, „ ideo omiſi. Ejus loco velim hoc tradi cum „ litteris Dn. Foreſto, Collegæ tuo.

(h) Utor illis ex edit. Amſtelod. cIↃ. IↃC. XXXIII. in 12.

XV. 1 At *Ariſtoteles* in aula natus, magnorumqve Principum Philippi, Alexandri, Antipatri & Antiochi conſiliarius & comes, plenum perfectumqve opus molitus, partem generalem civilis doctrinæ in Ethicis, præſertim Nicomachicis, facili profluentiqve ſtylô tractavit; Politica verò propriè dicta, incomparabili gravitate, brevitate & arte conſcripſit: ac non tantùm nihil eorum omiſit, qvæ ad integrum imperii corpus faciunt; ſed etiam illa docuit, qvæ ad ſingulas partes Imperii reqviruntur. 2 Qvi & arcana ſive ſophiſmata, propter qvæ Machiavellus potiſſimùm ſuſpici ſolet, pleraqve in IVto, Vto, & VIto Politicorum libris indicavit. 3 Hujus operis reliqviæ (aliqvot enim libros hodie deeſſe, qvin & ordinem eorum, qvi ſuperſunt, immutatum docuit Conringius in Introductione ad Ariſtotelis politica) ſæpe volvendæ, ſed junctâ *Introductione Conringii* modò laudatâ, *Paraphraſi* Danielis Heinſii [a], *Analyſi* Joannis Feldeni [b], & *Commentario* Michaëlis Piccarti [c]. Qvi ſufficere poſſunt ad probè intelligendum opus Ariſtotelicum.

a *edit. Lugd. Bat. cum textu* GL. 1621. b *edit Helmſt.* 1654. c *edit. Lipſiæ* 1615.

XVI. 1 Non inutiliter tamen addideris *Commentarios* Joach. *Camerarii*, * *Oberti Giſanii*, *Petri Victorii*, ac ſi haberi poſſunt, *Notas Joannis Geneſii Sepulvedæ*, & *Commentarios Donati Acciajoli.* 2 *Antonii Montecatini Commentarius* doctus magis, qvàm utilis eſt. 3 Deperditos Ariſtotelici operis ſupplere conatus eſt *Cyriacus Strozza*, ſed non admodum feliciter: proinde legendus qvidem, ſed non eâ ſpe, ac ſi Ariſtotelem æqvaturus ſit.

XVII. 1 Ceterùm optandum eſſet, ſupereſſe *Ciceronis libros ſex de Repub.* qvos ſe compoſuiſſe ait libro II de Divinatione: ejusdemqve πολιτικὰ, qvæ ſpiſſum & operoſum opus vocat lib. II ad Q. Fratrem, epiſtolâ XIII. 2 Horum tamen jacturam qvodammodo ſupplent *libri de Legibus*; etſi non tractant integram politicam, ſed tantum de legibus optimæ Reipub. de vitiis & virtutibus Rerumpublicarum, & qvibusdam aliis.

XVIII. 1 E recentioribus ſcriptoribus Syſtematicis nominari præ ceteris meretur J*oannes Bodinus* in opere *de Republica*: qvi tamen & ipſe non minùs cenſorem, qvàm lectorem reqvirit. 2 Plurima contulit ex veteri novaqve hiſtoria, ac fermè de omnibus Rebuspubl. egit; ſed multos habet nævos, ut qvòd non obſervat juſtum Politicæqve debitum ordinem, qvòd plurima aliena miſcet, ab unoqve ad alterum cadit; qvòd hiſtorias nimis prolixè inſerit; qvòd non habet omnia, qvæ ad civilem prudentiam ſpectant, neqve de omnibus Rerumpubl. ſpeciebus ſeorſum agit, &c.

XIX. 1 Deinde *Petrus Gregorius Toloſanus*; qvi pro theſauro politico, ſi qvid amplius inqvirendum, ſi auctoritate Doctorum aut apparatu & inſtructu argumentorum opus eſt, præcipuè commendari, nec unô nomine *politicæ* (i)

Adami

(*) Ob. Giſanii Commentarii exierunt Francof. M. DC. VIII. in 8. Ubi & Philippi Scherbii Politices in Academia Altorfina Profeſſoris celeberrimi Diſcurſus Politici in Ariſtotelis de Republ. libros in 8. ann 1610. publicati ſunt.

(i) Habeo illam Coloniæ editam in fol. M. DC. XIX.

Adami Contzenii Jeſuitæ præferri debet. 2 Plurima tamen juridicè magis qvàm politicè tractat.

XX. 1 Ad eundem finem non inutiliter adhibebitur *Wolfgangi Heideri Syſtema philoſophiæ politicæ*, variâ eruditione refertum, & ſubinde Lectorem ad fontes materiarum deducens, 2 itemqve *Relectiones politicæ Arniſæi*, opus præclarum, ſed imperfectum.

XXI. 1 Deniqve & *Andreas Fricius Modrevius* in libris *de Repub. emendanda* gravioribus politicis haud dubiè annumerandus eſt. 2 Egregiè enim diſputat, magnâqve libertate in vulgares errores politicos invehitur.

XXII. 1 Lipſii inſtitutum prolixiori tractatione imitari conatus eſt *Joannes à Chokier*, *in Theſauro*(k) *Aphoriſmorum politicorum*; ſed qvod optimum in Lipſio habendum, omiſit. 2 Nihil enim aliud Opus ejus habet, qvàm congeſtionem ſententiarum & exemplorum, abſqve altiore conſilio ac judicio profundiore.

XXIII. 1 His & ſimilibus ſcriptoribus Syſtematicis hodie pleriqve ambitum ſtudii politici metiuntur; ſatisqve ſe aptos idoneosqve ad tractandam Rempub. vitamqve civilem ingrediendam arbitrantur, ſi unum & item alterum Syſtema Politicum utcunqve evolverint. (*Bœcler. Hiſt. Schol. Princip. c.* 1. §. 7.) 2 Unde fit, ut præceptis & regulis qvibusdam, locisqve communibus exemplorum inſtructi, ſolidis artibus animum non accommodant. 3 Qvô nullum majus certiusqve profectus politici impedimentum eſt. 4 Impoſſibile enim eſt, ut ſolidè, aut feliciter, aut ad regimen Imperiorum vitamqve civilem ſatis accommodatè hinc potiſſimum civilis prudentia hauriatur. 5 Nam hæc in iis potiſſimum occupatur, qvæ arte carent, neqve tàm regulis, qvàm accuratiori obſervatione expenſioneqve ſingularium comparatur.

XXIV. 1 Aliter longè (*Idem Proœm in diſſ. Pol.*) veteres Græci Romaniqve (qvos è junioribus cordatiſſimus qvisqve ſeqvitur) qvi tractationibus politicis ad certa argumenta traductis, reiqve præſenti accommodatis, itemqve hiſtoriæ præcipuè dabant operam; præceptis generalibus tantum uſum ὑπομνηματικὸν, officiumqve locorum communium tribuentes.

XXV. 1 Scilicet veram ſolidamqve prudentiæ inſtitutionem liberaliùs hiſtoria profitetur, qvodqve præceptis deeſt, ſuggerunt efficaciùs exempla. 2 Qvam in rem videte, qvæ planè egregiè diſſeruêre è veteribus Polybius in *proœmio hiſtoriæ ſuæ*; è recentioribus Iſaacus Caſaubonus, in aurea *præfatione ad Polybium*, & *commentario poſtumo ad librum I ejusdem ſcriptoris*, itemqve Bœclerus librô, cui titulus, *Hiſtoria* (l) *Schola Principum.*

XXVI. Præceptis itaqve ſubjungenda lectio *Hiſtoricorum meliorum*, hoc eſt, eorum qvi veritate, explanatione & judiciô pollent (qvæ tria reqvirebat Lipſius *Notis ad lib. I. Politic. c. IX. §. XII.*) qviqve obſervant non ſolùm qvid fa-

Zz ctum

(k) Exiit hic Theſaurus Leodii in fol. M. DC. XLIII.

(l) Præfixa eſt ejuſdem Boecleri Hiſtoriæ Univerſali à mundo condito uſqve ad Chriſti Nativitatem. Argentorati 1680. in 8.

ctum ſit, ſed etiam qvâ occaſione, qvô conſiliô, qvô prætextu, & qvô eventu; ſimul & judicia de cujusqve conſiliis & geſtis ex ſententia prudentium virorum ſubinde adnectunt.

XXVII. Tales ſunt primò, *qvi deſcribunt unius aut plurium Rerumpub. res geſtas*; iiqve tùm *veteres*, tum paulò *recentiores*.

XXIIX. 1 *Veteres*, Græci partim Latini. 2 Nam ex *Hebræis* barbaricisqve ſcriptoribus nil fermè ſupereſt, qvod valde faciat ad prudentiam civilem adqvirendam, ſi excipias libros Regum & Chronicorum, Joſuæ & Judicum, è qvibus nonnullæ pacis militiæqve artes non tam hauriri, qvàm erui poſſunt. 3 Inter *Græcos* præcipui ſunt *Thucydides* & *Polybius*, uterqve legum hiſtoriæ conſcribendæ obſervantiſſimus, ac in ipſo rerum actu verſatus; alter etiam eâ civilis prudentiæ famâ celebris, ut tota Achaja civitatum ſuarum auctorem & legislatorem habuerit. 4 Sed Thucydides alicubi obſcurior & brevior; Polybius clarus ubiqve & exqviſitus, nec tam narrans, qvàm ex profeſſo docens & inſtruens.

XXIX. 1 Hos ſeqvuntur *Xenophon*, prudentiâ eximius & circumſpectus, diuqve Imperatoris officiô functus: 2 *Plutarchus*, cujus *vitæ* præſertim Periclis, Catonis, Gracchorum, Demoſthenis, Ciceronis, & qvorundam aliorum, Politices ſtudioſo accuratè legendæ: 3 *Dio Caſſius*, prudentiſſimus profectò graviſſimusqve ſcriptor, nemineqve utilitate & diſciplinâ hiſtoricâ inferior; adeoqve immerito à Lipſio *Notis ad Politic.* 1, 9. præteritur; 4 ſicut & *Herodianus* abſolutisſimi ſtyli & judicii hiſtoricus, & ſine cauſſa ab Interpretibus inter vitarum ſcriptores repoſitus. 5 Qvibus è poſteriori ævo addi debent, Lipſio laudati, *Nicetas Choniates*, & *Nicephorus Gregoras*; itemqve *Joannes Cantacuzenus*, & *Theophylactus Simocatta*, uterqve expoſitione & argumentô eximiè utilis prudentiæ ſtudioſo.

XXX. 1 E *Romanis* præcipuè commendari debent, primò *Salluſtius* & *Nepos* uterqve nervoſâ brevitate & prudentiâ Thucydidem exprimens; 2 deinde *Livius* & *Curtius*. qvorum ille veluti Latinorum Polybius habendus eſt, hic omnium optimè ingenium Principum, aularumqve artes expreſſit. 3 Poſteà *Svetonius* & *Ammianus Marcellinus*, qviqve omnes prudentiâ & judiciô ſuperat, *Tacitus*, pænè ediſcendus Politices ſtudioſo. 4 Hujus laudes certatim viri docti decantârunt, è qvibus inprimis videndi Lipſius *in præfatione ad editionem ſuam*, & Boeclerus in oratione *de hiſtoria Taciti*, diſſertationi de Politicis Lipſianis ſubnexa. Argentor. CIↃ IↃC XLII in 12.

XXXI. Neqve omittendi *Dionyſius Halycarnaſſæus*, *Arrianus*, *Appianus*, *Joſephus*, & *Procopius* è Græcis: è Latinis *Jul. Cæſar*, & *Vellejus Paterculus*; itemqve *Juſtinus* & *Florus*, breves illi qvidem, ſed paſſim ſententiis judiciisqve politicis referti.

XXXII. 1 Ex his omnibus alii ſententiis & philoſophando, inſtitutionem lectoris profitentur; alii digreſſionibus & dictis; alii, præſertim Polybius & Livius, grandi illô prudentiæ apparatu, qvem paſſim interpoſitis judiciis, obſervationibus, monitis, egreſſionibus inſtruxerunt. 2 Atqve hoc poſtremum

genus

genus ad civilem prudentiam comparandam maximè aptum eſt.

XXXIII. 1 Ceterùm legendi ſunt primò *ex optimis & emendatiſſimis editionibus.* Itaqve potiſſimum, ſi haberi poſſunt, adhibendi ſunt Polybius *Caſauboni* a, Thucydides *Henr. Stephani* b, & *Baronis Enenkelii* c, Plutarchus *Joann. Rualdi* d, aut *Guil. Xylandri* e, Xenophon f *Jo. Leunclauii*, Dio Caſſius g *ejusdem Leunclauii*, Herodianus h *Bœcleri*, Nicetas ex edit. Genev. i *Hieron. Wolfii*; aut, cum prodierit, *Car. Annib. Fabrotti*; Nicephorus Gregoras, *Hier. Wolfii* k, aut, ubi publicatus fuerit, *Fabrotti*; Cantacuzenus *Jac. Pontani*, è noviſſima editione l Pariſienſi; Simocatta, ex edit. ejuſd. *Pontani* m, Salluſtius *Parei* n aut *Thyſii* o; Nepos, ex recenſione noviſſima p *Bœcleri*, aut *noſtra* q, Livius *Gronovii* r, aut ex editione tertia s *Gruteri*; Curtius *Freinshemii* t, Svetonius u *Bœcleri*, aut x *Schildii*, Ammianus y *Valeſii*, aut z *Lindenbrogii*, Tacitus a *Berneggeri*, Dionyſius Halycarnaſſeus *ex edit. Francofurtenſi* b; Arrianus ex edit. Baſil. c *Nicolai Gerbelii* aut *Vulcanii*, Appianus d *Henr. Stephani*, Joſephus e *ex edit. Genevenſi*, Procopius f *Nicol. Alemanni*, aut ſi haberi neqvit, *Jo. Eichelii* g, Julius Cæſar *Jungermanni* h aut *Thyſii* i; Vellejus Paterculus k *Bœcleri*, Juſtinus l *Berneggeri* (*m*), Florus deniqve è poſtrema recenſione m *Jo. Freinshemii.*

a) *Francof. Gr. Lat.* 1509. *fol. & Lat. in* 8. b) *Gr. Lat.* 1588. *fol.* c) *Tubingæ* 1596. *in* 8. d) *Pariſ.* 1624. *fol. II. volum. Græc. Latin.* e) *Francof. Latinè in* 8. 1592. f) *Francof.* 1596. *fol.* g) *Hanov.* 1606. *fol.* h) *Argent.* 1644. *in* 8. *& denuo* 1662. i) *An.* 1593. *in* 4. k) *Baſil.* 1562. *fol. GL.* l) *Pariſ.* 1646. *III. tomis, antea Ingolſtad.* 1603. m) *Ingolſt.* 1605. 4. n) *Francof.* 1649. 12. o) *Lugd. Bat.* 8. p) *Argent.* 1656. 8. q) *Jenæ* 1657. 8. r) *Lugd. Bat.* 1645. *denuo* 1654. & 1668. s) *Francof.* 1642. *in fol.* t) *Argent.* 1640. 4. u) *ibid.* 1647. 4. x) *Lugd. Bat.* 1647. *& denuo* 1654. 4. y) *Pariſ.* 1638. 4. z) *Hamburgi* 1609. 4. a) *Argent.* 1638. 8. b) *An.* 1586. *GL. fol.* c) 1537. & 57. 8. *à Vulcanio ap. H. Steph. fol.* 1575. d) *Genev.* 1592. *fol.* e) 1611. *& denuo* 1632. *fol.* f) *Lugduni* 1623. *fol.* g) *Helmſtad.* 1653. 4. h) *Francof.* 1606. 4. i) *Lugd. Bat.* 1662. 8. k) *Argent.* 1642. 8. l) *ibid.* 1631. *& denuo* 1653. 8. m) *ibid.* 1636. *& denuo auctior An.* 1655. 8.

XXXIV. 1 Legendi *ſecundò* cum *commentariis*, *obſervationibus*, *notis*, *diſcurſibus & diſſertationibus* eorum, qvi hiſtoricopoliticâ annotatione eos illuſtrare adgreſſi ſunt. 2 Qvales ſunt in Thucydidem notæ a *Baronis Enenkelii*; in Polybii librum primum commentarius b *Caſauboni*; in Dionis Caſſii partem Libri LII. diſſertatio c *Bœcleri*, qvam *Mæcenatem* inſcripſit; in Herodianum notæ d *Bœcleri*; 3 In Nepotem notæ politicæ e *Bœcleri*, *Gebhardi* f, *Loccenii* g; 4 In Livium diſcurſus *Machiavelli* h & i *Ant. Ciccarellæ*; notæqve politi-

(*m*) Vel potiùs Grævii Lugduni Batav. M.DC.LXXIII. in 8v.

politicæ [k] *Gruteri*; 5 in Curtium Commentarius [l] *Freinſhemii*, & Notæ politicæ [m] *Loccenii*; 6 in Svetonium commentarius [n] *Caſauboni*, & diſſertationes *Bœcleri*; in Julium ejuſdem obſervationes [o] *Zevecotii*, ac in eundem Julium, Auguſtumqve & Titum, diſputationes [p] *Berneggeri* (*n*); 7 in Ammianum animadverſiones *Valeſii* (*o*) [q]; 8 in Tacitum diſſertationes [r] *Scipionis Ammirati*, Pet. *Canonherii* [s], *Caurianæ* [t], & *Malvezzi* [u], diſcurſus [x] *Jani Gruteri*, notæ politicæ [y] *Förſtneri*; & ad partem primi Annalium commentarius [z] *Bœcleri*; Conſiderationes [a] Pii *Mutii*, & Arcana Regnorum [b] *Cyriaci Lentuli*; ad vitam Agricolæ commentarii [c] *Matth. Berneggeri*, *Mich. Virdungi* [d], *Marc. Zuerii Boxhornii* (*p*) [e]; 9 In Procopium notæ [f] *Alemanni* & [g] *Eichelii*; 10 In Cæſarem notæ *Jo. Brantii* [h]; 11 In Vellejum notæ & characteres politici [i] *Bœcleri* (*q*). 12 In Juſtinum notæ [k] *Berneggeri* (*r*); 13 In Florum deniqve [l] notæ *Freinſhemii*, obſervationes *Zevecotii* [m] & diſſertationes [n] *Bœcleri*, qvas *Scholas Florianas* vocat, ad librum IV. 14 Addenda qvoqve in Curtium [o] & Livium [p] erudita *Supplementa Freinſhemii*; qvæ ſicut ex optimis ſcriptoribus antiqvis congeſta ſunt; ita multum civilis prudentiæ continent.

a) *Tubing.* 1596. 8. b) *Pariſ.* 1615. & *Argent.* 1652. 8. c) *Argent.* 1643. 4. d & e) *ed. cum textu.* f) *Lugduni* 1653. g) *Holmiæ* 1654. h) *ſæpius in Germania & Belgio editi.* i) *Venet.* 1592. k) *ed. cum Livio in fol.* 1632. l) *Argent.* 1659. *in* 8. m) *ed. in Belgio*, *Lubecæ*, *noviſſimè Jenæ*, 1658. n) *poſtremo editus à Bœclero cum textu*, *Argent.* 1648. *in* 4. o) *Amſterod.* 1633. *in* 12. *qvæ editio ſecunda & auctior.* p) *nuper junctim editæ Argent.* 1655. 4. q) *ed. cum textu.* r) *Italice Venet.* 1607. *in* 4. *Latinè Francof.* 1609. 4. s) *Francof.* 1610. 4. t) *Diſcorſi del Sig. Phil. Cauriano ſopra i primi cinqve libri de C. Tacito*, *Fiorenzæ*, 1600. *in* 4. u) *Diſcorſi ſopra C. Tacito di Virg. Maluezzi*, *Ven.* 1622. *in* 4. x) *Heidelb.* 1604. & 1605. *in* 4. *poſtea auctiores ſub fin. Livii in fol.* y) *Argent.* 1628. & *continuatio* 1652. *in* 8. z) *Argent.* 1643. *in* 4. a) *Breſciæ* 1623. b) *Herbornæ* 1655. *in* 8. c) *Argent* 1617. 8. d) *poſtremò ed. Noriberg.* 1637. 8. e) *Lugd. Bat.* 1642. *in* 12. &

(*n*) Adde Hiſtorias Auguſti, Tiberii, Caligulæ, Claudii & Neronis, qvas B. Joh. Cunrad. Dieterichius Profeſſor qvondam Giſſenus celeberr. in 4to Giſſæ edidit: anni mentione omiſſâ. Habeo Juſti Lipſii non adeo in vulgus notos ad Svetonii tres poſteriores libros Commentarios in 8t. Offenbaci M. DC. X.

(*o*) Potiùs Valeſiorum, Henrici ſcilicet & Hadriani, qvibus adde Frider. Lindenbrogii & Jacobi Gronovii, qvi ſuas qvoqve notas paſſim inſeruit, & neceſſariis ad Ammiani illuſtrationem antiqvis nummis ac figuris exornari curavit.

(*p*) Et cumprimis Auguſti Buchneri, cujus eruditiſſimæ notæ exierunt Lipſiæ M. DC. LXXIII. in 8t.

(*q*) Prodiit & Vellejus cum Scholiis Aldi Manutii, Juſti Lipſii Animadverſionibus, Jacobi Schegkii notis, & variis Vincentii Acidalii lectionibus Lugduni M. D. XCIV. in 8t.

(*r*) Nec omittas Victorini Strigelii commentarium, qvi præcipuas qvaſqve Hiſtorias è variis auctorum veterum tam Græcorum, qvàm Latinorum monumentis fuſiùs prolixiuſqve perſeqvitur. Argentorati M. DC. XXVII. in 8t. Utor & qvandoqve Commentariolo Simonis Grynæi edito Antverp. M. D. LII. in 8t. qvi prætergvàm qvod Hiſtoriæ brevitatem paſſim illuſtrat, multa inſuper ſcitu non indigna addit.

12. f & g) *cum textu editæ.* h) *habentur ſub. fin. edit. Jungermanni.* i) *ed. cum textu* 1662. & 1663. k & l) *ed. cum textu.* m) *Amſtelod.* 1638. *in* 12. *cum textu* n) *Argent.* 1643. *in* 4. o) *ed. cum textu.* p) *Holmiæ* 1649. *denuo* 1652. *Argentorati.*

XXXV. [1] E *mediæ ætatis Hiſtoricis* vix aliqvis inſtituto noſtro aptus eſt, niſi fortè (*s*) *Saxo Grammaticus* [a] in Hiſtoria Danica, præſertim in rebus ſui temporis (in remotioribus enim (*t*) valde fabuloſus eſt) & *Lambertus Schafna-*

(*s*) *Saxo Grammaticus*] Exſtat luculentiſſimum hujus de Saxonis elegantia teſtimonium Eraſmi in p. 175. ſ. Ciceroniani ejus his verbis:
,, In Daniam malo, qvæ nobis dedit Saxo-
,, nem Grammaticum, qvi ſuæ gentis Hiſto-
,, riam ſplendidè magnificéqve contexuit. Pro-
,, bo vividum & ardens ingenium; Orationem
,, nuſqvam remiſſam aut dormitantem; tùm
,, miram verborum copiam, ſententias crebras,
,, & figurarum admirabilem varietatem: ut ſa-
,, tis admirari non qveam, unde illâ ætate ho-
,, mini Dano tanta vis eloqvendi ſuppetierit.
Huic jam & alii ſuccedant, non minus, qvàm ille, de Saxonis dictione, rectè judicantes. Gerardus Johannes Voſſius Lib. II. de Hiſtor.
,, Latinis, Cap. LV. Qvod ad Saxonis dictio-
,, nem, tanta hujus eſt elegantia, ut ætatis il-
,, lius captum planè excedat: imò cum anti-
,, qviorum, & noſtri ſeculi plurimis certet. Johannes Iſaacius Pontanus Hiſtor. Dan. Lib.
,, VI. pag. 293. Saxo Grammaticus, Præpoſi-
,, tus Roſchildenſis, in gratiam ac decus ſuæ
,, gentis, Hiſtoriam, qvæ hodieqve eſt in ma-
,, nibus, Latinè contexuit, ſtilô ac dicendi
,, genere, ſuprà qvàm illud ferebat ſeculum,
,, florenti ac terſo: adeò ut Eraſmus exinde haud
,, ſatis mirari potuerit tantam eo ævo eloqvii vim
,, atqve elegantiam. Caſpar Barthius Lib X⟨IV.
,, Adverſar. Cap. VIII. Conditore Annalium
,, apud Danos ſuos Saxone, cui Grammatico,
,, ab eruditione recondità, receptum eſt nomen,
,, ſuo ævo nihil ſperari majus potuit. In ſumma
,, barbarie, in terra à cultu literarum tùm aver-
,, ſiſſima, Latinè, eleganter, eruditè ſcribit,
,, citra parem qvidem omnia. M. Johannes Svaningius Fionenſis, Regis Daniæ Hiſtoriographus celeberrimus Lib. I. Commentar.
,, Hiſtoriam de rebus geſtis Danorum, qvam
,, Saxo Grammaticus, natione Sialandus, de-
,, ſcripſit, in XVI. libros digeſſit, atqve à pri-
,, mo Danorum Rege Dan auſpicatus, ad Wal
,, demarum I, ejusqve filium Canutum, puro
,, elegantiqve ſtilo accuratiſſimè eam perſeqvutus
,, eſt. Joannes Oporinus in Epiſtola Dedicatoria ad Dominum Philippum, Epiſcopum Baſileenſem, præfixâ editioni Saxonis Baſileenſi:
,, Qvâ qvidem re, inter medii temporis Hiſtori-
,, cos, haud ſcio an qvisqvam alius, qvantum
,, ego judicare poſſum, hoc Saxone Grammati-
,, co, Danicarum rerum ſcriptore, excellat
,, magis: qvive cum veterum etiam qvolibet,
,, ſivè dictionis elegantiam ſpectes, ſivè rerum,
,, conſiliorumqve, ac eventuum varietatem re-
,, qviras, conferri melius poſſit. Philippus Lonicerus editioni Saxonis Wechelianæ hunc
,, præfixit titulum: Danica Hiſtoria Libris
,, XVI. ſummâ verborum elegantia, magnâ ſen-
,, tentiarum gravitate, rerum deniqve admiran-
,, dâ varietate, conſcripta autore Saxone Gram-
,, matico, Sialandico Dano, Hiſtorico laudatiſ-
,, ſimo, & qvod eâ ætate mirandum, tàm ver-
,, bis qvàm rebus politiſſimo. De illo ita Douza pater præfatione altera Annalium Batavicorum,
,, qvos carmine contexuit. Sed neqve Saxonem
,, cognomento Grammaticum, ſeculi ſui vel
,, barbaries, vel impolitia deterruit, qvò mi-
,, nus multifaria metrorum genera oblatâ an
,, qvæſitâ Excurſuum occaſione feſtiviſſimus
,, Chronicorum ſuorum ornamentis decenter
,, intermiſceret, qvibus in fortium virorum lau-
,, des, ceu pleno qvodam redundans alveo il-
,, lam fœcundi pectoris luxuriem, illud exube-
,, rantis ingenii flumen paſſim per totum hiſto-
,, riæ ſuæ corpus, longè latéqve diffunderet.

(*t*) *Valde fabuloſus*] Culpatur & hôc nomine à Scaligero in Opere de Emendatione Temporum p. 456. edit. Rapheleng. M D. XCVIII. ,, Im-
,, punè, *inqvit*, fuerit imperito ſeculo Hunibaldo
,, cuidam, & Saxoni Grammatico, renaſcenti-
,, bus autem literis Annio Monacho Viterbienſi
,, fabulas ſuas Marrucinis illorum temporum
,, probare. Nec tamen tantus eſt fabulator, ac
,, nonnullis videtur; qvi eum nullo habent loco.
,, Inter hos eſt Goropius Becanus: de qvo minùs
,, eſt mirandum, cùm argumentum tractet,
,, non παράδοξον modò, ſed etiam ἄδοξον.
,, Rejicit

burgenſis b, ſed nonniſi in hiſtoria Henrici IV. Imperatoris. Cetera enim cum hac parte comparari non debent. 2 In rebus tamen ad controverſiam inter Henricum IV. & Gregorium VII. Papam, fidem ejus claudicare, multi cenſent. 3 Alioqvin dictio ejus tam elegans, ut judiciô Barthii *Lib. XLIX. Adverſ. c. IV.* nemo politius inter veteres, res Germaniæ ſcripſerit. 4 *Saxonem* c cum eruditis adnotationibus edidit *Stephanius*; 5 *Lambertus* d inter ſcriptores rerum Germanicarum habetur.

a) *Vixit circa A. Ch.* 1177. b) *Floruit. circa an.* 1200. c) *Soræ Danorum* 1644. *in fol.* d) *à Jo. Piſtorio Francofurti an.* 1583. *editos.*

XXXVI. *Rodericus* qvoqve *Ximenius*, archiepiſcopus *Toletanus* a in hiſtoria Hiſpanica ſatis bonus, ut in tali ævo, habetur b. Ejus opera inſerta ſunt Tomo II. Hiſpaniæ illuſtratæ *Andr. Schotti.*

a) *Obiit an.* 1245. b) *Lipſ. not. ad* Polit. *l. I. c IX & Voſſ. de Hiſt. Lat.*

XXXVII. 1 Qvamqvam autem ex ipſa ætate media pauci ſuperſunt, qvi prudenter hiſtoriam ſcripſerint; res tamen illorum temporum non male, ſtatim poſt inſtaurata in Occidente literarum ſtudia, expoſuêre (*u*) P*olydorus Virgilius* a in hiſtoria b Anglicana; P*andulphus Collenutius* c in Neapolitana d; *Jo. Jovianus* P*ontanus* e in deſcriptione belli, qvod Ferdinandus Rex Neapolitanus adverſus Joannem ducem Andegavenſem geſſit; P*aulus Æmilius* f in opere de rebus geſtis Francorum g; *Leonardus Aretinus* h in hiſtoria * Florentina, & ſui temporis Italica; *Albertus Crantzius* i in Metropoli, Saxonia, hiſtoria Vandalica, & compendio rerum Septentrionalium; deniqve *Jo.* (*x*) *Aven-*

„ Rejicit igitur, non qvidqvid debet, ſed qvid„ qvid obeſt cauſſæ ſemel ſuſceptæ.

(*u*) *Polyd. Virgil.*) Fidem ejus in Hiſtoria, qvam Henrico VIII. dedicavit ann. M.D.XXXIII. in dubium vocat Paullus Jovius. Objectat enim, qvòd Scotis, & Gallis, ſæpe reclamantibus, alieno potiùs arbitrio, qvàm ſuo, intexuiſſe multa in gratiam gentis exiſtimetur: qvodqve in recenſendis minorum ducum nominibus, tanqvam gloriæ avidis, nimium indulſerit. Sed neqve Anglorum doctioribus ſuam ſatis operam comprobavit. Verba adferam Viri Cl. Henrici Savilii præfat. in rerum Anglicarum ſcriptores ad Eliſabetham, Angliæ reginam: Polydorus, ut homo Italus, & in rebus noſtris hoſpes, &, qvod caput, neqve in Rep. verſatus, nec magni alioqvi, vel judicii, vel ingenii; pauca ex multis delibans, & falſa plerumqve pro veris amplexus, hiſtoriam nobis reliqvit, cùm cætera mendoſam, tum exiliter ſanè, & jejunè conſcriptam. Poſtea hiſtoriam Anglicanam ex Anglis potiùs ſcriptoribus petere jubet: imprimis Guilielmo Malmeshurienſi: item Huntindonienſi, Hovedeno, & aliis. Fuit Polydorus Romani pontificis in Anglia qvæſtor, & Wellenſis archidiaconus: ut ipſe lib. V. hiſtoriæ ſuæ teſtatur. Corollarium ſeqventium regum adjecit Polydoro Georgius Lilius. Plurimos Polydori hujus errores detegit. Jo. Lelandus in declaratione antiqvarum dictionum, qvæ occurrerent in genetliliaco illuſtriſſimi principis Eadverdi: Vide Gerard. Joh. Voſſ. III. de Hiſtoric. Latin. c. XII. p. 678. ſ.

(*x*) *Aventinus*] Annalium *Aventini* lectionem, nemo qvi rerum Germanicarum peritus eſſe vult, prætermittere debet. Magnos habuit ad ſcribendum adparatus, & laudatur in eo præter experientiam & cordatum judicium ac libertatem, qva etiam de Clericis eorumqve vitiis, qvamvis ipſe Clericus, apertè ſcripſit; cumprimis id, qvod Auctores, è qvibus ea, qvæ dicuntur, ſumſit, præponat. Qvod inſtitutum Thuanus qvoqve imitatus eſt. Plurimos tamen ex

Aventinus k in annalibus Boicis l, inſignis prudentiæ atqve eloqventiæ ſcriptor.

a) *Vixit circa an.* 1500. b) *poſtremo edita ab Ant. Thyſio Lugd. Batav. in* 8. 1651. *& anteà Baſileæ* 1557. *fol. ſunt libri* 27. c) *vixit circa an.* 1500. *Piſaurenſis JCtus & Eqves. v. d. Voſſ. Hiſt. Lat. lib. III. c. XII. p.* 673. d) *Lat. edita Baſil.* 1572. *à* Jo. *Nic. Stupano.* e) *flor. ab an.* 1460. *ad* 1505. *uſqve.* f) *Canonicus Veron. Sed vixit in Gallia. Obiit. an.* 1529. g) *ed. Baſil.* 1569. *fol.* h) *deceſſit an.* 1543. *diu Secretarius urbis Florentiæ.* * *Eam edidit è MSS. Sixtus Brunus, Argent.* 1610. *fol.* i) *obiit an.* 1570. k) *obiit an.* 1534. l) *emendatiores & auctiores edidit Nic. Ciſnerus, Baſil.* 1580. *fol.*

1 *Noſtrô* & *ſuperiori ſeculô* multi ad veterum accurationem proximè acceſſêre, qvidam & optimos qvoqve Romanorum & Græcorum hiſtoricorum æqvârunt. 2 Inter hos principe locô ponendus *Thuanus* eſt, ſcriptor eloqventiâ, doctrinâ, libertate, prudentiâ ac fide nemine inferior; præſertim in rebus Gallicis, quibus ipſe interfuit. 3 In reliqvarum enim gentium non parem ubiqve fidem meretur, qvia alios ſeqvi neceſſe habuit. 4 Unde factum, ut etiam ſtylus ejus alicubi diverſus deprehendatur: verba namqve auctorum, qvibus uſus eſt, plerumqve retinuit. 5 Perſecutus eſt res ab anno CIↃ IↃ XLVI. ad CIↃ IↃC VII. in univerſa Europa geſtas; adeoqve veluti bibliotheca hiſtorica illorum temporum haberi debet. 6 Qvæ ad religionis hiſtoriam pertinent, ſummâ æqvitate & moderatione, qvamqvàm religioni Pontificiæ addictus, tractavit; eâqve re multorum è Papiſtis odium in ſe concitavit; adeo, ut à (*vide Bœcl. Annot. Polit. ad II. libr. Hiſt. Tac. c. II. p.* 650. *ſeqq.*) nonnullis a idcirco *Politico-Catholicus* appelletur: à qvibusdam etiam ut atheus & profanus traducatur. 7 Ceterùm præferendæ ſunt editiones (y) Pariſinæ ab ipſo *Thuano*

ex illis, qvos Auctores adducit, non ampliùs habemus. Rarum eſt illud opus nec promercale facile. Prima Ingolſtadienſis editio optima eſt. Germanica ejuſdem libri verſio eſt ab ipſo auctore concinnata & probata.

(y) *Editiones*] Thuani Hiſtoriæ primùm qvidem prodiêre Pariſiis forma octava: pars prima, ejusqve tomus alter, anno CIↃ IↃ CIV. tomi II. pars I. & II. anno CIↃ IↃ CVI. pars III. an.-VIII. Mox alia editio Pariſiis evulgata tomis III. in folio: qvorum I. & II an.-VI. ac partim an.-V.I. tertius an. *IX.* exierunt; ut illa Pariſienſis minor, hæc major appellari poſſit. Sed item alia Pariſiis anno M. D. CIX. excuſa, formæ XII. qvæ reliqvis duabus ob dotes varias longe præferenda. Majorem hanc Pariſienſem excepit Francofurtenſis I. item in folio, cujus tomus I. an. circiter-VIII. alter-XVII. Appendix an.-XVIII. lucem viderunt. Secutæ ſunt editiones duæ, qvæ & Aurelianenſes & Genevenſes inſcriptæ, item in folio; prior an.-XX. poſterior an.-XXVI. & partim.-XXX. Utraqve in tomos V. diſtributa. Tomos tres prætulit Francofurtenſis II. qvorum duo priores exiêre an.-XXV. tertius eâdem methodô jam præceſſerat an.-XXI. Qvomodo autem hæ editiones mirificè interdum inter ſeſe differant, ſingulari, ac ſummè diligenti tractatione commonſtravit Johannes Petrus Titius, Gymnaſii Dantiſcani Profeſſor optimè meritus; qvæ annô M. D. CLXXXV. Gedani excuſa, ut in multorum eſſet manibus, optarem. Jam ea qvæ in Pariſienſi altera, nec non in Francofurtana, vel exſtant addita, vel deſiderantur addenda, peculiari ſtudiô collegit Auctor anonymus, libellô ſingulari, qvem Thuanum reſtitutum inſcripſit, Amſtelodami an. M.

Thuano procuratæ, & *Genevenſis* qvæve ex ea expreſſa eſt, poſtrema *Francofurtenſis*, in qva nonnulla juſſu Auctoris ab editore, Geor. Michaële Lingelshemio, expuncta; ſingulisqve libris præmiſſus Indiculus ſcriptorum, qvibus in concinnanda unaqvaqve parte hiſtoriæ uſus eſt. 8 Francofurtenſis prior editio, vivô auctore, & de injuria fruſtra conqveſto, multa, in his etiam librorum numerum & ordinem, immutavit. 9 Præcipuè diligenter legendus eſt liber primus, qvô ſtatum univerſæ Europæ, cauſſasqve bellorum ſuperiori ſeculô geſtorum complexus eſt.

a) *ut ab Erbermanno Jeſuita, in ſcriptis contra Calixtum.*

XXXIX. 1 Thuano rerum experientiâ, fide, prudentiâ, & ingeniô par aut certè non multò minor, exiſtimandus eſt *Franciſcus Gvicciardinus*, nobili familiâ Florentinâ ortus, & maximis Reipubl. negotiis admotus; qvi XX libris hiſtoriæ Italicæ res ab anno CIↃ CCCC XCIV ad CIↃ IↃ XXXII usqve geſtas expoſuit. 2 Eam ex Italico tranſtulit Cælius Secundus Curio, ediditqve Baſileæ An. CIↃ IↃ XLVI. 3 Sed longè majori cum fructu legentur editiones Italicæ, qvibus judicium de hiſtoria Gvicciardini ſuum, collectionemqve ſententiarum è toto opere, præfixit, atqve ex aliis eorum temporum hiſtoricis egregias notas marginales adpoſuit *Thomas Porcachus*; 4 Nec inutiliter addentur conſiderationes civiles ad Hiſtoriam Gvicciardini ſcriptæ à *Remigio Florentino*, editæqve Venetiis Annô CIↃ IↃC III. 5 Nævos qvosdam Gvicciardini notavit Lipſius, *Not. ad I. Pol cap. IX.* ſed minores, qvàm ut eum numerô præſtantisſimorum hiſtoricorum poſſint eximere.

XL. 1 Circa idem tempus hiſtoriam a ſui temporis ſcripſit *Paullus Jovius*, magnâ eloqventiâ, prudentiâqve, ſed fluxâ fide; (ut etiam Lipſio *l. c.* obſervatum: Jovium multa à vulgo potius, qvàm rerum gnaros conſulere ſolere, ait Voſſius *de Hiſt. Lat. lib. III. c. VIII.*) & calamô ad laudes Medicæorum ſuæqve gentis, & qvorumvis aliorum (z) promtô ac venali. 2 Scripſit &

M. D. CLXIII. excuſo. Et peti qvædam etiam poſſunt è libello Gallico, qvi anno M. D. CLXIX. editus, præfixo titulo Latino; Thuana, ſive Excerpta ex ore Jacobi Aug. Thuani per F. F. P. P. qvibus literis fratres Puteanos indigitari credit B. Caſpar Sagittarius in Introduct. in Hiſtoriam Eccleſ. c. XII. p. m. 154. ſ.

(z) *Promto ac venali*] Non ſolùm Scaligero, ſi Scioppio, vel Oporino Grubinio in Amphotid. p. 11. credimus, Paullus Jovius „ maledicus „ impudens & vænalis Hiſtoricus eſt, ſed & Thuano lib. XI. Bodino in Methodo Hiſtorica c. IV. p. m. 53. ſ. edit. Baſileen. M. D. LXXVI. in St. Tilemanno in Diſcurſu Philologico de Hiſtoricorum delectu, Conringio de Civili Prudentia c. XIV. Imò & ipſi Gerardo Jo. Voſſio, cujus è c. IX p. m. 48. Artis Hiſtoricæ, hæc verba do. „ Qvàm fluxæ fidei patrum ævò fuit Paullus „ Jovius? qvem conſtat in aula Henrici ſecundi „ qvibuſqve terræ filiis bene de ſe merentibus, „ generis claritatem, ac perpetuum nomen pollicitum: contràqve maledicè eos traduxiſſe, „ qvi venali hiſtorico morem non gererent. „ Nempe iſtiuſmodi hiſtoricis, ut ridens ait „ Auguſtinus, inſervias opus eſt, ſi te immortalem eſſe cupis. Hæc Voſſius. At auctore Cl. Caſparô Sagittariô in p. 135. Introductionis in Hiſtoriam Eccleſiaſtic. c. I. ita comparatus non eſt Jovius, ut omnia ejus damnes. Cùm certum ſit, qvod tam multa obſervaverit, ac rectè ſcripſerit in hiſtoria; ut ea etiam, in qvibus vel deditâ peccârit operâ, nedum in qvibus ceſpitârit

& Elogia virorum bellô, doctrinâ aut dignitate illuſtrium; qvod opus à viris doctis magno in pretio habetur.

a) *ab an.* 1494 *ad* 1540. *prodiit Baſileæ*, 1578. *opera ejus omnia ſimul excuſa. fol.* 1578.

XLI. 1 P*etrus* qvoqve *Bembus Cardinalis* iisdem temporibus non malè ſcripſit hiſtoriam Venetam; niſi qvod multa Venetorum gratiæ dediſſe dicitur, ſtylumqve & elegantiam Ciceronianam nimis ubiqve adfectat. 2 Qvô factum eſt, ut ſæpe obſcurus, interdum & frigidus deprehendatur, de qvo videndus Lipſius in *notis ad politicam lib. IX. extr.* & *centur. II epiſtol. miſcell. XXVII.* Optima editio eſt Argentinenſis anni CIↃ IↃC XI.

XLII. 1 Neqve multo poſt * *Nic. Machiavellus*, civis & Secretarius Florentinus, ac poſtea Conſiliarius Cæſaris Borgiæ, impuri nebulonis, Alexandri VI Papæ nepotis, octo libris Hiſtoriæ Florentinæ, migrationes populorum ſeptentrionalium, † ruinam Imperii Romani, incrementaqve Romanorum Pontificum & Florentinæ urbis origines ac progreſſus, totiusqve Italiæ ſtatum, ab anno Chr. CIↃ CC XV usqve ad CIↃ CCCC XCIV, perſecutus eſt: 2 qvod opuſculum etſi parvum, ſatis tamen ingenioſum & auctore ſuô dignum, prudentium virorum judiciô cenſetur. *Latinè* prodiit Argentinæ A. CIↃ IↃC X. in 8r.

XLIII. 1 At in Gallia paullò ante P*hilippus Cominæus obiit* 1509. *ætatis* 63. eqves Flander, ſolâ naturæ ingeniiqve bonitate uſuqve rerum civilium, ſine literarum ſtudiis, ad ingentem prudentiam enixus, tantâ fide & prudentiâ res geſtas Ludovici XI & Caroli IIX, Galliæ regum, literis conſignavit, ut plerorumqve judiciis cum qvovis antiqvorum componi mereatur. 2 Id opus ſæpius lingvâ Gallicâ, qvâ ab Auctore ſcriptum fuit, editum eſt in Galliis; Latinè autem primùm à Joanne Sleidano, ſed fideliùs poſtea à Caſp. Barthio converſum, excuſumqve Francofurti Anno CIↃ IↃC XXIX, qvæ editio reliqvis præferenda, præterqvàm Gallicis, qvæ longè utiliùs legentur. 3 In Belgicis rebus qvædam minus candidè ab eo narrari, obſervat Aub. Miræus, in notis ad res Brabanticas Pet. Divæi *ad lib. VIII.* ideoqve ſæpiùs vapulat Jac. Meiero, in Annalibus Flandricis. 4 Elogia ejus paſſim reperias apud ſcriptores hiſtoricos & politicos, qvorum aliqvos laudavit Zeillerus in *de hiſtoricis, part. I. p.* 29.

XLIV. 1 Atqve hi qvodammodo remotiores à noſtra ætate ſunt: qvippe

ceſpitârit improvidus, qvadamtenus eidem ignoſcenda cenſere debeamus. Ceterùm non pauca pro defenſione Jovii verſioni Germanicæ ejus „ de Vitis illuſtrium virorum operis inſcripſit Georg. Wilhelm Neumeier à Ramſla.

* *Nic. Machiavell.*] Acutus Hetruriæ doctor Juſto Lipſio, ſeculi litterati Soli, audit.

† *Ruinam Imperii Rom.*] Hanc admodùm eleganter oſtendit in illis libris & ſuccinctè per annos mille è Ruffino, Socrate, Evagrio, Caſſiodoro, Procopio, Marcellino, Jornande, Platina, Sabellico, Blondo, Volaterrano ac probatis auctoribus aliis.

qvorum nemo, Thuanô excepto, intra proximos annos centum floruit. 2 Nunc ex iis, qvi intra id tempus hiſtoriam ſcripſerunt, optimos aliqvot indicabimus, idqve, ut cœpimus, ſecundum diverſas gentes, inter qvas unusqvisqve vixit. 3 Ex Italis igitur, qvorum magnus eſt numerus, iſti qvinqve præ reliqvis laudari merentur. 4 Primò *Henricus Caterinus Davila*, qvi lingvâ Italicâ bellorum civilium, in Gallia à Franciſco I ad Henricum IV usqve, ſive ad annum CIↃ IↃ XCIIX geſtorum, hiſtoriam libris XV petractavit. 5 Hunc Balthaſar Bonifacius, in tractatu *de hiſtoria*, non dubitavit Xenophonti, Cæſari, & Gvicciardino comparare, aut etiam præferre; qvod pariter, ut iſti, rebus qvas deſcripſit, interfuerit.

XLV. 1 Deinde *Franciſcus Sanſovinus* in hiſtoria univerſali de origine, bellis, & imperio Turcarum, pariter Italicô ſermone compoſita: qvam ante qvadriennium *An.* 1654 *in* 4. additionibus & vitis Imperatorum Ottomannicorum ad hoc usqve tempus auctam, Veneti recuderunt. 2 Qvantâ prudentiâ fuerit, docent ejus liber *de gubernatione regnorum*, & *Aphoriſmi politici* infrà memorandi.

XLVI. 1 Tertiò *Paullus Paruta* in præclara hiſtoria Veneta, qvæ ſimiliter abhinc annis XII *An.* 1645. *in* 4. Venetiis recuſa, & argumentis rerum in margine aucta eſt. 2 Hujus etiam egregii *diſcurſus Politici*, & liber *de Vita politica* ſatis laudari non poſſunt.

XLVII. 1 Qvartò *Famianus Strada* Romanus & Jeſuita; qvi tantâ elegantiâ, prudentiâ & diligentiâ hiſtoriam tumultuum Belgicorum ab exceſſu Caroli V, ad annum uſqve CIↃ IↃ XC, compoſuit, ut cuiqve veterum comparari, multis etiam præferri mereatur. 2 Ejus duæ decades (tot enim hactenus prodiêre) ſæpius excuſæ ſunt Romæ, Antverpiæ, & in Batavia; poſtremò à Jeſuitis Moguntinis unô volumine correctiores publicatæ: qvæ editio reliqvis anteferri debet

XLIIX. 1 Qvintò deniqve *Victorius Sirus*, qvi tribus juſtis voluminibus res univerſæ Europæ, ab anno CIↃ IↃC XXXV ad CIↃIↃC XLII, magnâ induſtriâ perſecutus eſt. 2 Duo priores tomi editi ſunt Caſale, anno CIↃ IↃC XLIV, recuſiqve Genevæ, annô CIↃ IↃC XLIX, tertius Lugduni in Galliis prodiit, annô CIↃ IↃCLIII. Reliqvi adhuc deſiderantur.

XLIX. 1 E Gallis duo potiſſimùm commendari debent, *Petrus Matthæus* Hiſtoriographus regius, & *Gabr. Bartholomæus Gramondus*, Præſes Parlamenti Toloſani, & in ſacro Regis Conſiſtorio Senator, qvi * res ſuorum Regum non malè tradidêre. 2 Matthæus qvidem res Henrici IV; itemqve bella à Franciſco II, Carolo IX, Henrico III & IV cum Hiſpanis usqve ad exceſſum

* *Res ſuorum regum*) Intra Gallicarum rerum ſeſe continere fines, principiô libri I. his ipſe fatetur verbis: „ Hiſtoriam ætatis noſtræ Gallicam „ poſteritati tradam. Rhetoris more loqvitur ad Lectorem; „ ſcribere ſe res ſuorum temporum Gallicas, eôqve nomine Europæas & in Dedicatione: „ Ætate, qvâ vivimus, res „ Gallicæ, Europæ hiſtoriam faciunt. Qvæ figurâ non carent,

ſum Philippi II Regis: 3 Gramondus autem geſta Ludovici XIII, ab exceſſu Henrici IV usqve ad annum CIↃ IↃCXXIX. Reliqvorum enim ejusdem Regis auſpiciis usqve ad mortem illius peractorum hiſtoriam hactenus ſupprimere dicitur.

L. 1 Horum uterqve magnâ qvidem diligentiâ & prudentiâ hiſtoriam, ſed non pari ubiqve fide tractavit. 2 Nam Matthæus etiam popularium ſuorum, Renati de Luſinga, in tractatu *de ratione legendi hiſtoriam*, & Gramondi extremô librô XI hiſtoriarum, judiciô, elegans magis qvàm bonus habetur. multaqve tacuiſſe, qvæ referenda erant, qvin etiam affectibus ubiqve deditus eſſe, atqve apertè Hugenottis favere dicitur. 3 Gramondus verò præterqvam qvòd ſtylô affectatô ſæpe obſcurus eſt, etiam idipſum vitium, cujus Matthæus arguitur, paſſim incurtit. 4 Nunqvam enim ſatis æqvè de Proteſtantium rebus judicat.

LI. 1 Inter Britannicos ſcriptores, duo Angli * *Gvil. Camdenus*, & *Franciſcus Verulamius*, Scotusqve unus *Geor. Buchananus* præ reliqvis celebrantur. 2 E qvibus *Camdenus*, præter deſcriptionem Britanniæ, exqviſitiſſimum opus, ſcripſit Annales rerum Anglicarum & Hibernicarum, regnante Eliſabethâ, ad annum CIↃ IↃ LXXXIX, primum in Anglia, deinde Francofurti annô CIↃ IↃC XVI excuſos: 3 *Verulamius*, ut erat non ſolùm ingeniô, ſed etiam dignitate & rerum experientiâ ſummus (qvippe Vicecomes S. Albani, & Angliæ Cancellarius) Hiſtoriam regni Henrici VII, cujus tempora, ut in præfatione ipſe ait, mutationum & eventuum rariorum plena fuère, exiguô, ſed verè politicô libellô complexus eſt; qvi primùm Anglicô ſermone conſcriptus, pòſt ab ipſo auctore in Latinum converſus in Anglia Belgioqve *Lugd. Bat.* 1647. *in* 12. prodiit.

LII. 1 *Georgius* autem *Buchananus* pòſt annorum viginti qvatuor peregrinationem in patriam redux factus, rerum Scoticarum hiſtoriam ab origine gentis ad annum ſuperioris ſeculi ſecundum & ſeptuageſimum produxit: 2 qvod opus Edinburgi primùm, annô CIↃ IↃ LXXXIII; mox annô ſeqventi Francofurti prodiit *in fol.* ubi & decenniô pòſt *an.* 1594. *in* 8*t.* minori formâ recuſum eſt. 3 Fuit vir ſummâ eloqventiâ & ſcribendi facultate incomparabilis, diligentiâ qvoqve & prudentiâ, tum & exqviſitô judiciô multis ſuperior; ſed, qvorundam ſententiâ, fide promercali, partiumqve ſtudiô ſic interdum abreptus, ut ejus libri ab ordinibus Scotiæ falſitatis damnarentur: 4 Mariæ qvoqve Scotorum reginæ, ut ipſe poſteà confeſſus eſt nimis infeſtus. 5 Qvàm autem regiæ poteſtati in univerſum parum æqvus fuerit, docet dialogus ejus *de jure regni* apud Scotos; in qvem fortiter calamum ſtrinxit Guil. Barclajus in tribus prioribus libris egregii operis *de regno & regali poteſtate* adverſus monarchomachos ſcripti.

 LIII. Mul-

* *Guil. Camden*] Vir hic celeberrimus maximè neceſſariam Hiſtoriarum Profesſionem inſtituit in Univerſitate Oxonienſi, ut memoriæ prodidit in ad *Lectorem* præfatione Relectionibus Hiſtoricis Degorei Wheari Prælectoris Camdeniani præmiſſa Cl. Chriſtoph. Arnoldus.

LIII. 1 Multò fertilius bonorum hiſtoricorum fuit Belgium: eoqve orti non ſuas tantùm, ſed aliarum qvoqve gentium res tradiderunt. 2 Suas qvidem *Dominicus Baudius* in elegantiſſimo opere *de Induciis belli Belgici*, iteratò edito Lugd. Batavorum, annô CIↃ IↃC XVII: & in ejusdem argumenti opuſculo *Johannes Meurſius*, Baudio aut par prudentiâ, aut ſuperior.. 3 Idem qvi & *Belgicarum rerum* libris IV ſexennium Albani ducis perſeqvutus eſt tantâ diligentiâ & curâ, ut idcirco Balthaſari Bonifacio luculentiſſimus rerum Belgicarum ſcriptor audiat, ac cum Xenophonte & Cæſare componendus videatur. 4 Utrumqve opus junctim prodiit Lugduni Batavorum, annô CIↃ IↃC XIV. †

LIV. 1 Deinde duo ſcriptores Annalium Belgicorum *Joannes Rheidanus*, à Dionyſio Voſſio in Latinum ſermonem tranſlatus; & *Hugo Grotius*, cujus opus diu magnâ eruditorum exſpectatione deſideratum ſuperiore annô prodiit in lucem.

LV. 1 Deniqve *Ubbo Emmius*, vir eruditiſſimus; cujus præter opus Genealogicum, veterem Græciam, & deſcriptionem Friſiæ, exſtat Hiſtoria rerum Friſicarum ab anno Chr. CCCCXLIX usqve ad CIↃ IↃ LXIV, tantâ prudentiâ ac elegantiâ ſcripta, ut palmam cunctis prioribus præripiat, eoqve digna, qvæ freqventiùs ſtudioſorum hominum manibus teratur. 2 Variè primùm & particulatim, ſed poſtea unô volumine junctim excuſa eſt in Batavia Lugduni, an. CIC IↃC XVI.

LVI. 1 Exterorum res tradidêre jam laudatus *Meurſius* in Hiſtoria Danica, Amſtelodami excuſa; & *Jo. Iſaacius Pontanus*, cujus præter * hiſtoriam urbis Amſtelodami, & libros VI originum Francicarum, exſtant decem libri Hiſtoriæ rerum Danicarum ad domum usqve Oldenburgicam, qvæ hodie regnat, ſive

† Habeo Joannis Meurſii Hiſtorica, Danica pariter & Belgica uno Tomo comprehenſa Amſtelodami apud Blaeuios optimè curata *M. DC* XXXVIII. in fol.

* *Hiſtoriam Urbis*] In Decreto ſacræ Congregationis Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium, condito ſub Paullo V annô M. DC. XVI. Romæqve edito „ Rerum & Urbis Amſtelodamenſium „ Hiſtoria, Authore Johanne Iſacio Pontanô, „ tanqvàm pernicioſiſſima, & innumeris erroribus, hæreſibus, blaſphemiis atqve calumniis „ ſcatens damnatur. At iſtiusmodi judicia nihil morantur nunc eruditi ipſiqve cordatiores Pontificii, non ignari, Cenſores Romanos ſæpe adeo negligentes pariter ac rudes eſſe, ut titulos librorum cum ſcriptoribus confundant, & contra. Luſit in Deccetum hoc Cardinalium ita Jacob. Zevecotius.

„ Amſtelodamenſis qvem ſcripſit Iſacius Urbis
„ Damnavit verò Roma inimica Librum.
„ Non ſatis Urbanum te tunc, Urbane, probâſti,
„ Ad Barbarinum, Barbare Papa, redi.

Scripſit & hic Pontanus Hiſtoriam Gelricam, qva de ita Marc. Zuerius Boxhornius in p. 102. Epiſtolar. „ Qvod tardiùs ad tuas reſpondeam, tu „ ipſe in cauſſa es, Vir Clariſſime. Qvippe Gelrica tua ita me affecerunt, ut finem legendi „ facere non potuerim, niſi ubi tu ſcribendi feciſti. „ Itaqve gratias ampliſſimas tibi debeo, &, ſi „ judicium meum deſideras, teſtor te exemplum „ ſæculi ſupergreſſum, & ita illuſtriſſimi facinoris „ omnem gloriam occupâſſe, ut nullam ejus „ partem reliqvam feceris poſt auſuris. Et jam „ ad laudem nihil tibi ſupereſſe ſcito; & votis „ pro longævitate tua non tam tibi, qvam nobis, „ & Reipub. litterariæ eſt opus. Scriverio noſtro „ exemplar tradidi, qvo nihil exſpectatum magis, nibil gratius ſibi unqvam fuiſſe teſtatus „ eſt,

ſive annum Chr. CIↃ CCCC XLIIX productæ, excuſi pariter Amſtelodami, an. CIↃ IↃC XXXI. 2 Uterqve præclarus ſcriptor & Hiſtoriographus regis Daniæ Chriſtiani IV: ſed Meurſius pauca tantùm, & fermè illa, qvæ tempore Chriſtierni regis contigerunt; Pontanus autem vetera juxta ac recentiora perſecutus eſt.

LVII. 1 In Polonia qvoqve non inerudité hiſtoriam tractârunt *Paullus Piaſecius* Epiſcopus Præmislienſis in Chronico Polonico *ed.Cracoviæ* 1645. *in fol.* ante paucos annos in Batavia recuſo, & *Joachimus Paſtorius*, Medicus ac Hiſtoriographus Regis Poloniæ, hodieqve Profeſſor honorarius Gymnaſii Dantiſcani, in Epitome nova Hiſtoriæ Polonicæ, ſive Floro Polonico, cujus ſecunda editio prodiit Lugduni Batavorum, anno CIↃ IↃCXLII. Deſiit in Sigismundo rege.

LVIII. 1 In Germania noſtra vix qvisqvam ſatis pro dignitate tractavit hiſtoriam præter ‡ *Joannem Sleidanum*, qvi tamen ipſe non Germanus ,. ſed

‡ *Joh. Sleidanum*] Adſcribô hic judicium Jac. Crucii è lib. I. Epiſtol. II. p. 6. ,, Diu eſt,
,, qvod principem hiſtoricorum noſtri ſeculi *Sleidanum*, & videre, & legere geſtio, commen-
,, dabilem præ aliis omnibus recentioribus, cum
,, ab argumento, tum à ſtilo. Argumentum in
,, eo grave, multa & præclara comprehendens,
,, magni Imperii ſub magno Imperatore res ge-
,, ſtas calida ſuper Religione diſſidia, contentio-
,, nes, turbas; bella cruenta, prælia, clades
,, inopinatas in Germania, & alibi rerum viciſſi-
,, tudines, maximorum principum exilia, proſcri-
,, ptiones, ſupplicia; victrices ubiqve Aqvilas,
,, nec in extremo Imperii ſolum, ſed & in Afri-
,, cam ipſam & Barbaros, ditionis ſuæ alas,
,, potentius explicantes. Stilus qvid? elocutione
,, totâ facilis, terſus, Latinus, Tullianam puri-
,, tatem ſpirans, & elegantiam; ſententioſus
,, tamen, ſangviniſqve plenus, & nervorum, ſi
,, alius illo ævo. Et qvod rarum in pleriſque facta
,, dictis exæqvans, ut lector in rem qvaſi præſen-
,, tem deduci videatur. Veterum exemplô,
,, qvi ita curioſè, & anxiè, in veritatem *Animam Hiſtoriæ*, & rerum divinarum, atqve humana-
,, rum reginam, inqvirebant, ut eos omnes qvi
,, rebus geſtis non interfuiſſent, nec ſcribenda ipſi
,, vidiſſent, ab hiſtoriæ ſacris; tanqvam profanos,
,, indignoſqve arcendos, putaverint. Vir multipli-
,, ci rerum uſu, & prudentia inſignis, Imperiiqve
,, arcanorum ſcientiſſimus. In narrationibus
,, ſuis ſepoſito partium affectu, liber, gravis,
,, operoſus, diſtinctus, ſine vanitate tamen, &
,, verborum ambitu; ubiqve Lectorem inſtruens,
,, & actiones omnium, vitamqve dirigens.
,, Verbo, Scriptor ad hiſtoriam à natura factus,
,, & ſiqvis alius Principe dignus, qvi judicium
,, egregiè format, & ad civilem prudentiam du-
,, cit. Timantem pictorem celebrant, qvod in
,, ejus tabulis, plus ſemper aliqvid intelligere-
,, tur, qvàm pingeretur: Idem de Hiſtorici
,, hujus ſcriptione meritò dixeris. Qvem (ſi de
,, tanto viro judicare mihi fas) nunqvam legeris
,, ſine fructu, & qvo ſæpius legas, plus auferas.
,, Continua fertilitas! eſt: qvantum demis na-
,, ſcitur, & cùm omnia collegiſſe te putes plura
,, relinqvis. Hic animum ſeverioribus Muſis
,, aliqvamdiu diſtractum revoco, & reficio; ut
,, qvidam ad ſpeculi virorem, aberrantes oculos;
,, & per lætos latoſqve hujus hiſtoriæ campos ex-
,, ſpatiari juvat, inter ſeria curarum, horulis
,, aliqvot ſubſecivis: dum alii prodigi temporis
,, & famæ, aut nihil agendo, aut malè, non mi-
,, nimam ætatis ſuæ, & vitæ partem deterunt.
Hæc ibi Crucius. ,, Præclarus Hiſtoriarum
,, concinnator audit Sleidanus Schulzio in Com-
,, pend. Theatri Europæi p. 151. *Sleidanum*, in-
qvit Optimus noſter Berneggerus in c. VIII. p.
m. 77. Hypobolimææ Divæ Mariæ Deiparæ Cameræ, ,, qvi procul irâ, procul odiô ex archi-
,, vis cùm ampliſſimæ Reipub. noſtræ, tum aliis
,, actis publicis, ſtatum religionis & Reipub.
,, candidè vereqve deſcripſit, & de qvo certis
,, autoribus mihi conſtat Imp. Carolum V. hoc
,, tuliſſe judicium: aut Sleidanus fuit meus Can-
,, cellarius, aut mei Cancellarii fuerunt mei
,, proditores: ejuſqve lectione delectatum, ob-
,, ſtupuiſſe ſecretiſſimarum rerum narratione, &
,, commendâſſe veritatem; tu tamen, ipſe men-
,, daciſſimus, accuſare mendacii non erubeſcis.
,, Ecqva verò te Thuanus, Hiſtoricus immorta-
,, lis, tenellas tuas tuorumqve Sociorum aures
,, offendit, ut etiam huic, qvi veſtræ tamen
religio-

† Belga fuit. [2] Hic enim Argentorati ſedecim annorum labore, ſummâqve indu-

„ religionis eſt, fidem detrahas: niſi qvod veſtras illas artes & ſangvinolenta conſilia, communi cum omnibus bonis viris Romano-Catholicis judicio damnavit? Hæc Bernegger. Non rarò, ut è litteris Sleidani ipſius patet in Tomo I. Hortlederi, ſcripſit ad Principes qvoſdam & Imperii ſtatus, ſibi ut ſubvenirent monumentis publicis ad Hiſtoriam ſcribendam idoneis. Cui tamen reſponderunt, ſemper minùs ea, qvæ peteret, accuratè in Archivis exſtare. Et profectò, niſi adjutus ope Sturmii fuiſſet, nunqvam edere potuiſſet illam Hiſtoriam.

† *Belga fuit*] Natus eſt Sleidæ, oppido ad Eiſlam in Weſtphalis, Comitum olim Manderſcheidianorum ſede, natus anno CIƆ IƆ VI. patrem Philippum, matrem Eliſabetham Wanhelterianam, avum Sigebertum, qvi Tura Sleidam conceſſit, fratres muneribus ac matrimoniis nobiles. ſorores itidem honeſtis conjugiis florentes habuit. Cum Johanne Sturmio, cive ſuo, patriam freqventans ſcholam, Præceptore Johanne Neuburgio uſus eſt. Anno ætatis XIII. Leodium continuandorum ſtudiorum ergo profectus, qvadriennio poſt vocatus domum, ac inde Coloniam miſſus, Jacobum Sobium, Johannem Cæſarium, Johannem Phryſſemium, Bartholomæum Latomum, ſcriptores veteres Latinos & Græcos interpretantes, audivit. Ipſe ibidem Epigrammatum lectiſſimorum auctor, primum a patria *Sleidanum* ſe vocavit, cum ante à patre *Philipſonius* diceretur. Coloniæ ægrotum, ſed morbum ſuos celantem offendit, ac Lovanium abduxit Sturmius, ubi brevi, opera Medici, convaluit. Hinc à Dieterico Comite Manderſcheidio, Sleidæ Domino, ad erudiendum Franciſcum filium excitus, poſt annos aliqvot pertæſus aulæ, Lutetiam Pariſiorum profectus, ibidem cum Sturmio, Latomo, & Winthero Andernacenſi, Medico, vixit concorditer. Poſtea Aureliis per triennium ſe totum dedit juri, Licentiati etiam honoribus auctus: à foro tamen abhorrens, multum in Latina eloqventia, lingvaqve Gallicana elaboravit. Lutetiam dein reverſus, & qvartanâ diu vexatus, ibidem morabatur in annum M. D. XXXV. qvo Sturmius ad novum Argentoratenſe Gymnaſium accedens, Sleidanum Johanni Bellajo Cardinali commendavit, qvi eum in delitiis habens, ac de annuo ſtipendio providens, multorum arcanorum facit participem. Deinceps cum legato Gallicano ad Comitia Imperii Hagenoam abiit, ſed à Franciſco I Rege Galliæ revocatus, ſalutato Argentorati Sturmio, in Galliam rediit, manſitqve ad Ratisbonenſia anni M. D. XLI. comitia. Et manſiſſet diutius, niſi perſecutione orthodoxorum ortâ, vitæ ac fortunis diſcrimen impendiſſet. Inde Argentorati anno CIƆXLII. excepto, Profeſſorium munus commiſſum, qvod cum fructu publico, ſuiqve laude ſuſtinuit, multis ſubinde magnisqve viris innoteſcens familiariùs, præcipuè Jacobo Sturmio a Sturmeck, viro de Republ. Argentoratenſi infinitis modis merito. Ac hujus præcipuè ductu, præſidioqve, hiſtoriam ſui temporis conſcribere cœpit, exordium à repurgata religione, ac Caroli V. Imperio ſumens. Qvi labor, ſupra ceteras viri dotes, inſignem prudentiam arguens, perfecit, ut unà cum aliis in Galliam, ac poſt in Angliam, ad componendos diſſidentium Regum animos mitteretur. Hoc iter faciens, Johanni Braunio à Niedbruck, viro antiqvâ nobilitate innotuit, qvi filiam Jolam ei non negavit ſponſam: cum qva, nuptiis anno M. D. XLVI. celebratis, per novennium ſine lite vivens, tres fœmellas genuit, qvarum una virgo demortua, ceteræ ſplendidis matrimoniis effulſere. Interim à Smalkaldici federis proceribus Hiſtorici Ordinarii elogio, ac luculento ſtipendio auctus, multa hiſtoriæ ſcribendæ, expoliendæqvæ, antiqva novaqve documenta accepit. Ceterùm federe, poſt Johannis Friderici Saxonis Electoris, ac Philippi Haſſi cuſtodiam, exſpirante, per Sturmium à Senatu Argentoratenſi annuam penſionem impetrans, *Commentarios illos* de ſtatu *religionis & Reip* confecit. An. M. D. LI. Legatus Argentoratenſium fuit In Tridentina Synodo, qvâ per armorum Mauritii Saxonis ſtrepitum turbatâ, cum aliis re infectâ diſceſſit. Ad Henricum II. Regem Galliæ per Lotharingiam ad Tabernas Alſaticas & Argentoratenſes fines moventem, Sleidanus cum Petro Sturmio, & Friderico Gotteshemio miſſus, compoſitionem impetravit. Ab uxoris obitu ultra annum viduus, in morbum incidit, memoriæ adeo inimicum, ut & filiarum nomina eriperet. Cauſſa in venenum relata ob edenda qvædam Hiſtorica, qvæ tum ab ipſo adhuc premebantur; ſed potior mihi viſa, coalitum pedis vulnus, ex qvo ſanies antea profluens, cùm non haberet exitum, cerebrum deniqve opplevit: unde illius calamitatis origo. Demum an. M. D. LVI. morbo epidemio placidè in JESU CHRISTO obdormivit Argentorati, ejusdemqve funus Proceres Urbis & Academiæ magnâ freqventiâ comitati ſunt. Hæc ſummatim de vita Sleidani ſufficiant: qvibus cum conferre licet Henricum Pantaleonem,

induſtriâ (cujus indicium eſt, qvod ſic attrivit eâ operâ ingenii memoriæqve vires, ut ſub finem vitæ ne qvidem trium filiarum, etiam admonitus, reminiſci poſſet) perfectiſſimum opus Commentariorum de ſtatu religionis & Reipub. ſub Carolo V Cæſare confecit. 3 Qvô res Eccleſiæ juxta & Reip. non vulgari eloqventiâ & judiciô perſecutus eſt, etiam qvorundam Pontificiorum ſententiâ; qvamqvàm pleriqve ſectæ illi addicti fidem ejus in dubium vocare ſoleant. 4 Adverſus qvos eum, magni nominis ſcriptores tuentur, qvorum nomina habes apud Zeillerum *Part. II. Epiſtol. pag.* 141. 5 Inſtar ‡ omnium erit teſtimonium Aubignæi *lib. I. Hiſt. cap.* 1. ſcriptoris Galli, cujus verba Latinè adponemus: Auctor, inqvit, qvi hôc ſeculô neqve ſatis æſtimatus eſt; cujus labores ſapiunt ſpiritum qvendam generalem, cujus affectus non impelluntur niſi adverſus vitia; cujus diligentia non attingit rem ullam indignam, cujusqve magnitudo neutiqvam ſpernit, qvidqvid hiſtoriæ conveniens eſt, &c. 6 Eum continuavit *Mich. Caſp. Lundorpius*, non malè qvidem, ſed neqvaqvàm pari induſtriâ ac eloqventiâ. 7 Editus * Francofurti tribus voluminibus.

LIX. Nec

nem, parte III. Illuſtrium Germaniæ Virorum, Michaëlem Beuterum in Præfatione editionis Germanicæ Sleidani, Johannem Jacobum Boiſſardum, in parte II. Iconum illuſtrium *Vi*rorum. Thuanum, Hiſtoriarum l. XVII. Melchiorem Adamum, in Vitis Philoſophorum & Philologorum, Valerium Andream Deſſelium in Bibliotheca Belgica.

‡ *Omnium*] Vide & Thuan. in fine libri XVII. Item Tilemannum in Diſcurſu Philolog. de Hiſtoricorum delectu p. 245

* *Editus*] De editionibus nos poſt Seckendorfium ita informat B. D. Caſpar Sagittarius in Introductione ad Hiſtoriam Eccleſiaſtic. c. XI. p. m. 115. §. XII. „ Prima editio operis, vivo „ Sleidano Argentorati prodiit, à Wendelino „ Rihelio typographo cœpta, & ab heredibus „ ejus abſoluta, formâ majori, ſive in folio, „ anno M. D. LV. Atqve hæc una eſt editio, „ qvam ipſe procuravit Sleidanus. Hanc mox „ excepit alia, formæ octavæ ex officina *Simonis* „ *a Boſco*, (Antverpiæ fortaſſis) inſcio qvidem, „ & invito Sleidano, qvi Rihelio ſoli (ut verſâ „ poſt titulum prioris editionis paginâ publicè „ profeſſus eſt) poteſtatem editionis fecerat. In„ dignatus itaqve eſt Sleidanus, qvod alii lucri illi„ citi cupidine, Rihelio nocerent, & librum ſuum „ ejusqve verſionem Germanicam procudere auſi „ ſint: qvapropter nulla genuina exempla agno„ ſcere ſe teſtatur, qvam qvæ ex Rihelii offici„ na exierint. Hanc Sleidani denuntiationem, „ Riheliani heredes editioni in folio annô M. D. „ LIX. triennio ab obitu Sleidani præfixerunt, „ addito ſimul, qvi in prioribus deeſt, libro „ XXVI. itemqve *Apologia* Sleidani, obtre„ ctatoribus, & nominatim Cochlæo oppoſi„ ta. Interea tamen jam anno LVII. aliena „ prodierat editio, pſeudonymorum typographo„ rum (ſic cenſeo) P. Jacobi Polani, & A. „ Rebuli nomina referens. Et Rihelianas il„ las tot aliæ ſecutæ ſunt editiones, ut ſi qvis „ in iis recenſendis, diſtingvendis, ac no„ tandis, eam, qvam Thuano, (uti ſupra vidi„ mus) celeberimus vir, Johannes Petrus Ti„ tius impendit, inſumeret operam, non pa„ rum de Rep. literaria mereretur. Qvod autem „ ad continuatores Latinos attinet Sleidani, ut „ anonymos qvosdam taceam, inter illos Go„ blerum, Pantaleonem, Typotium, Lauter„ bachium, & Lundorpium reperio. Juſtinus „ Goblerus, Goslarienſis, JCtus & Poëta inſi„ gnis, ac Francofurtenſi ad Moenum Reip. à „ conſiliis, Sleidanum ab anno M. D. LVI. ad „ annum M. D. LXVII. continuavit: cujus opera „ una cum ipſo Sleidano Francofurti primùm „ impreſſa anno M. D. LXVIII. De Henrico „ Pantaleone paulo poſt dicemus. Qvousqve Ja„ cobus Typotius, & Conradus Lauterbachius, „ Thuringus, pervenerint, non habeo dicere: „ qvippe qvi horum notitiam nonniſi ex Bol„ duani Hiſtorica p. 45. & Draudii Claſſica p. „ 1136. Bibliothecis hauſerim. Sed forte Hiſtoria

„ rerum

LIX. Nec omnino ineptè res Germanicas narravit *David Chytræus* * in Chronico Saxoniæ & vicinarum aliqvot gentium, ab anno Chr. CIↃ IↃ ad CIↃ IↃ XCIII: qvod poſtea bis continuavit usqve ad annum CIↃ IↃ XCIX, qvô denuò id opus eſt editum.

LX. [1] Hiſtoricis Germanicis adcenſeri etiam qvodammodò poſſunt *Lundorpius* in Actis publicis, & *Fridericus Hortlederus* in opere de cauſſis belli Germanici: [2] qvi ſcriptores unà cum operibus aliqvot *Melch. Goldaſti* & Chronico Spirenſi *Chriſtoph. Lehmanni*, Germanicarum rerum ſtudioſis aſſiduè volvendi

„ rerum Svecicarum Typotii ipſum illud Sleidani ſupplementum eſt. Michaëlis „ Caſparis Lundorpii, Philo-Hiſtorici (uti ſe „ vocat) continuatio tomis tribus diſtincta, „ prior incipit ab anno LVI. finit anno LXIX. „ alter tomus abit ad annum XCV. tertius pergit ad annum CIↃ.IↃ.CIX. Primus anno CIↃ. „ IↃ. CXIV. ſecundus ſeqventi, ultimus anno „ XIX. Francofurti ſunt excuſi, formâ octavâ. „ Novam etiam editionem Sleidani, cum Notis „ & additionibus ſuis molitum eſſe Fredericum „ Hortlederum, ex variis ad eum epiſtolis in „ bibliotheca Zollmanniana didici. Huc etiam „ qvodammodo revocare poſſes Gothardi Arthuſii Dantiſcani Mercurium Gallobelgicum, „ utpote Sleidano ſuccenturiatum, ſive rerum „ in Gallia & Belgio aliisqve regionibus ab anno M. D. LV. uſqve ad annum M. D. LXX. „ geſtarum, inqve multos tomos diſtinctarum: „ ut & Caſparis Ens Annales, ſive Commentaria Mercurio Gallo-Belgico ſuccenturiata: „ qvi libri etſi non ſemper exacto cum judicio, „ ſed potiſſimum ex Novellis & Relationibus „ ſunt conſarcinati; ſuo tamen fructu, non „ plane carent, & ad Hiſtoriam qvoqve Eccleſiaſticam recentiorem aliqvid conferunt „ utilitatis. Vix autem ediderat Hiſtoriam ſuam „ Sleidanus, cum eadem ipſo; ac Rihelianis „ hæredibus neſciis, in Germanicum, nec ſatis bene verteretur: nec multo poſt in Italicam ac Gallicam lingvas converſa eſt: Inter „ illos qvi Germanicè verterunt, primus fortè „ eſt Henricus Pantaleon, qvi verſionem ſuam „ anno M. D. LVI. publicavit, eandemqve „ poſtea tribus libris Latinè & Germanicè ſcriptis continuavit. Hunc ſecutus eſt Michaël „ Beutherus, qvi porro continuâ annorum ſerie „ uſqve ad annum M. D. LXXXIII. perduxit, „ ac Senatui Gryphiswaldenſi inſcripſit. Poſtea „ Sleidanum ad annum CIↃ. IↃ. CXX. continuatum, Germanico idiomate nobis dedit, Oſias Schadæus, ad D. Nicolai V. D. Miniſter, „ & ad D. Thomam Canonicus Argentoratenſis: qvod opus Argentorati impreſſum anno „ CIↃ. IↃ. CXXV. Præmiſſa eſt vita Sleidani „ ex Pantaleone, Beuthero, Boiſſardo, Thuano, Reuſnero, Melchiore Adami & Ms. anonymo: addita ſunt etiam judicia, & elogia „ varia, ut & effigies affabre æri inciſa, cum „ invidenda hac epigraphe:

„ QVIS HIC?

„ Candidus, intrepidus, verax, ſtudioſus honeſti,
„ Nil metuens Papæ fulmina bruta; pius.
„ Coſmographus prudens, vigilans, teres ore Latino,
„ Delicium celſis Principibusqve viris.
„ Chronologus, Rhetor, Polyhiſtor, Livius alter,
„ Sepoſito affectu fortia facta notans.
„ Qvalibet arte gravis, conſultus, nobilis uſqve,
„ Dignus amore hominum, dignus amore Dei.
„ Uno ore SLEIDANUS.

* *In Chronico Saxoniæ*] Luculentum illud Annalium integri ſuperioris ſeculi opus libris XXXI. conſtans, qvod Albertum Krantzium ſecutus Saxoniam voluit inſcribere, per partes primùm prodiit minores annis CIↃ. IↃ. XCII. & ſeqventibus: donec illæ in juſtum corpus coaleſcerent. Hoc ipſum aliqvoties recognitum, ac deniqve ad annum hujus ævi XI. à nonnemine continuatum, Lipſiæ excuſum eſt dicto anno M. D. CXI. Conringius „ de antiqvo Helmſta-

vendi ſunt. 3 Seculi noni & decimi res geſtas eruditè expoſuit *Bœclerus* in Commentario ante biennium *An.* 1656. *in* 4. Argentorati edito. A qvo etiam † reliqva ſecula exſpectamus.

LXI. 1 *Altera claſſis Hiſtoricorum* illos ſcriptores complectitur, *qvi Romanæ Eccleſiæ Romanorumqve Pontificum res enarrant*; à qvibus conſilia resqve Rerumpublicarum magnam partem pendent. 2 Poſtqvam enim Romanæ urbis Epiſcopi non ſolùm inter Principes recenſeri, ſed etiam in Chriſtianos Monarchas populosqve omnes imperium ſibi adrogare cœperunt, factum eſt, ut pænè totius Europæ fata Catholicorum Principum auxiliô, Clericorumqve operâ diſpenſarent, aut certè diſpenſare conarentur. 3 Qvare illorum conſilia & expeditiones accuratiùs nôſſe, multum ad civilem prudentiam conducet, præſertim in iis rebus, qvæ negotiis Rerumpub. arctiſſimè innexæ ſunt.

LXII. 1 Ex hoc genere ſcriptorum potiſſimùm legi debent, qvi prudenter & candidè in ſcribendo verſati ſunt. 2 Qvales ſunt primò ‡ *Baptiſta*, vel ut alii, * *Bartholomæus Platina*, Cremonenſis, & ſub Paullo II Abbreviator Apoſtolicus, ſub Sixto IV, etiam bibliothecæ Vaticanæ præfectus, vir, Trithemii judiciô, undecunqve doctiſſimus, Philoſophus & Rhetor celeberrimus, ingeniô ſubtilis & vehemens, eloqviô diſertus, & mulcens, animô conſtans & validus. qvi ſummâ libertate ac fide Romanorum Pontificum vitas usqve ad Paullum II (à qvo in carcerem conjectus, menſesqve qvattuor ipſos detentus eſt, donec à ſucceſſore Sixto IV liberaretur) compoſuit, nullius neqve virtutes neqve vitia reticens. 3 Incorruptâ veritate Pontificii principatus rationes eum nunciâſſe, virumqve gravem & procul à mendacio fuiſſe, etiam multi Pontificiorum fatentur, in his Paullus Jovius in elogiis virorum docto-

„ ſtadii ſtatu, Chytræum vocat Polyhiſtora „ maximum: & c. XV. de Finibus Imperii, re- „ rum Septentrionalium peritiâ nihilô Krantziô „ inferiorem. Adſcribemus etiam Meibomianum elogium, ex elegantiſſima in „ Hiſtoriam „ Saxonicam Introductione: Qvæ præterea in „ Saxonia etiam latiſſimè accepta integro ſeculo „ ſexto decimo contigerunt maximè memora- „ bilia, illa egregiè expoſuit jam ante nobis „ laudatus Theologus & polyhiſtor clarisſimus, „ David Chytræus in Saxonia ſua. Nolim qvi- „ dem ab erroribus præſtare eum immu[illegible] „ Qvi enim potuerit vir unus, isqve à M[illegible] „ tibus non adeo multum adjutus, tot [illegible] „ rum, in qvibus Saxonicus ſermo viget, [illegible]i- „ ſtoriam, & qvidem integri ſeculi, accura- „ tiſſimè, ut non alicubi impingeret, tradere? Et poſt pauca: „ Talis certè eſt Hiſtoria Chy- „ træi, qvâ carere nemo, qvi Saxoniæ & ſe- „ ptentrionalium regnorum notitiam, qvæqve „ in eo integrô ſeculô acta, acqvirere ſibi velit, „ poteſt. Ceterùm magni meritò hujus Chytræi Chonicon habendum eſt, tanqvam viri magnô judiciô & eruditione præditi.

† *Reliqva ſecula*] Ejuſdem Jo. Henr. Boecleri de rebus ſeculi poſt Chriſtum natum decimi ſexti liber memorialis cum Commentario prodiit Argentorati M. DC. LXXXV. in 8t.

‡ *Baptiſta*] Hoc prænomen prolixè defendit Lambecius in Adnotationib. ad Hiſtoriem *ejus* Mantuanam, M. DC. LXXV. Viennæ editam p. 443. ſ.

* *Bartholomæus*] Sic multi vocant eum, pugnantqve hoc pro prænomine Gerh. Jo. Voſſius tertiô de Hiſtoric. Latin. c. VII. p. m. 588. ſ. & Whartonus in Supplemento ad Cave Hiſtoriam Liter. p. 103. ubi inprimis provocat ad Richardi Fleymingi Cremonenſis Lucubrationum Tiburtinarum libr. I.

rum, & Raph. Volaterranus, lib. XXI Anthropologiæ. † 4 Obiit Romæ an. CIↃ CCCC LXXXI. Doctiſſimis adnotationibus eum illuſtravit ‡ *Onuphrius Panvinius:* qvi & reliqvorum Pontificum vitas à Sixto IV, usqve ad Pium V, pari diligentiâ & fide, qvamqvàm & ipſe Romæ viveret, adjecit. Simul editi ſunt Coloniæ & alibi.

LXIII. 1 Deinde *Papyrius Maſſonus* Gallus, qvi ſimiliter tantâ libertate vitas Pontificum ſcripſit, ut malè idcirco audiat apud Pontificios. 2 Marqvardi Freheri *Orig. Palatin. part.* I. *c.* X. judiciô ſcriptor eruditione, & accuratione omnibus noſtri ſeculi ſcriptoribus ſuperior. 3 Prodiit in Galliis, ubi

† Adde Spigelium, qvi in ſcholiis ad Guntheri Ligurinum lib. X. ita ſcribit: „ Platinæ „ Hiſtoria de vita & moribus Pontificum ali- „ qvanto verior eſt exiſtimanda, qvod eam ex „ publicis tabulis & diplomatibus aliiſqve legi- „ timis documentis, depromſerit. Contra Robertus Creyghton in „ Notis ad Sylveſtri „ Sguropuli Hiſtoriam Concilii Florentini: „ ſect. V. c. XII. Platinam, auctorem ſiccum „ & ſtrigoſum, ſæpe verba, ſæpe ſenſus, mul- „ toties rerum experientia, nonnunqvam inte- „ gritas deſtituunt. Et qvod magis miremur, „ nunqvam lapſus eſt gravius, qvàm in Eugenii „ vita, ſub cujus temporibus floruit.

‡ *Onuphrius*] Platinæ operis ſupplementum à Sixto IV. incipiens, ſcripſit Onuphrius Panvinius. Sed qvorſum pervenerit, non ſatis liqvet. Qvo de non pigrabor adſcribere integram Martini Hankii obſervationem ex „ libri „ II. de Romanarum rerum ſcriptoribus parte „ II. c. LIX. p. 360. Ubi deſierit, diu non „ habuimus exploratum ſatis, eorum culpâ, per „ qvos hoc ſupplementum, alterius curâ non- „ nihil adauctum, ſub Onuphrii Panvinii no- „ mine totum eſt editum, nullo inter ipſum „ Panvinii laborem, & acceſſionem alienam „ relictô diſcrimine. Qvod cùm petendum fue- „ rit ex editione, ſeu prima, ſeu primæ omnino „ reſpondente, qvalis conſpectum noſtrum ſub- „ terfugerat, ultima, in qvibus acqvievit Panvi- „ nius annô 1568. mortuus, invenire non po- „ tuimus. Qvippe ſupplementum iſtud, cum „ additamento ſuo, in Pii V. Pontificis exceſ- „ ſu, annô 1572. deſinit: ſicut autem ab Onu- „ phrio relictum nobis eſt, terminatur in e- „ jusdem Pontificis coronatione, qvam die „ Januarii XVII. annô 1566. peractam narrat. „ Nempe cùm Pii V. res omnes conſignare non „ potuerit, qvicqvid de Pio V. ſcripſit Panvinius, „ hoc in editionibus recentioribus miſſum, ſive „ potius ſubſtitutâ, neſcio qvô auctore, vitâ „ Pii V. univerſâ, permutatum deprehenditur. De Editionibus ita Hankius ibidem: „ Prodiit „ integrum, ſicut ab Onuphrio confectum eſt, „ Platinæ ſubjectum, Lovanii 1572. in fol. „ Coloniæ Agrippinæ 1574. in fol. Usqve ad „ Pium IV. cum vita Pii V. ſed alio, qvàm O- „ nuphrio auctore, ſcripta, Platinæ ſubditum, „ Coloniæ Agrippinæ 1626. in 4. Lingva Itali- „ ca Onuphrium continuavit Hieronymus Be- „ roaldus, Italus, Ord. Prædic. à Gregorio XIII. usqve ad Paulum V. Venet. 1612. Poſtea Platinam continuavit Johannes Antonius Petramellarius, Bononienſis, nempe à Paulo IV. usqve ad Clementem VIII. Prodiit Bonon. 1599. Etiam in Epitomen redactus eſt Platina, cumqve iconibus Johannis à Glano Leodii impreſſus. An. CIↃIↃXCVII. Ipſe prætereà Panvinius Epitomen Romanorum Pontificum elaboravit: in qva non modo Pontificum vitas, ſed etiam Cardinalium, & qvi crearunt qvemqve Pontificem, & qvos creavit qvisqve Pontifex, nomina, dignitatum titulos, inſignia, legationes, deniqve fatales annos exponit. Eam incipit à S. Petro, terminat in Carolo Caraſa, qvem Paulus IV. annô M. D. LV. die VII. Junii Cardinalem Diaconum fecit. Prodiit Jacobi Stradæ curâ, Venet. 1557. & multis in locis immutata in [illegible]ronico Chronicorum Eccleſiaſtico Jani [illegible], Tomo I. Idem inſuper „ Pontifi- [illegible] Romanorum Chronicon compoſuit: in qvo Pontificum natales, electionis, coronationis & fatales annos, cum pauciſſimis aliis rebus, tradit. Exorditur à S. Petro, deſinit in Pii V. coronatione, qvam anno M D. LXVI. XVII. Januarii peractam refert. Prodiit Platinæ conjunctum Lovanii 1572. Colon. 1562. 1574. & 1626.

ubi vixit, atqve etiam *Annales Gallicos*, *Elogia Ducum Sabaudiæ*, ‡ aliaqve egregia opera concinnavit.

LXIV. 1 Scripſère & duo alii Itali non qvidem pari prudentiâ & fide, ſed tamen magnâ diligentiâ vitas Pontificum; *Antonius* ſcilicet *Ciccarella*, & *Alphonſus* * *Ciacconius*. 2 Qvorum prior inde incepit, ubi deſiit Panvinius, hoc eſt, à Pio V, produxitqve reliqvorum res usqve ad Clementem IIX; 3 poſterior à Petro orſus, usqve ad eundem Clementem progreſſus eſt. 4 Ciccarella unà cum Panvinio habetur excuſus; Ciacconius Romæ, annò CIƆ IC II prodiit, ac nuper cum additionibus recuſus eſt. 5 Ciccarellam unà cum Panvinio in Italicum ſermonem transtulit & auxit *Laurentius Teſta*.

LXV 1 Neqve omnino malè Pontificum vitas ſcripſerunt (*a*) *Anaſtaſius Biblio-*

** *Vitas Pontificum*] Proſtant ſex hujus libri Pariſ. M. D.LXXXVI. editi de Epiſcopis Urbis, qvi Romanam Eccleſiam rexerunt, eorumqve rebus geſtis. „ Scriptorum admodùm accura- „ tum & eruditum vocat Gvil. Cave in Prolegom: ad Hiſtor. Litterar. Script. Eccleſ. ſect. VI. §. 4.

‡ *Aliaqve egregia*] Habeo & Papirii Maſſoni deſcriptionem eruditam Fluminum Galliæ, qvà Francia eſt, Pariſiis evulgatam in 12. annò M. DC. LXXVIII.

* *Ciacconius*) Biacenſis Hiſpanus Ordin. Prædic. Pœnitentiarius Apoſtolicus. Vitas ac res geſtas Pontificum Romanorum, & Rom. Eccl. Cardinalium, cum eorundem inſignibus edidit: Lugduni 1663. cui mox acceſſit continuatio Franciſci Cabreræ Moralis, Hiſpani, à Pio III. usqve ad Clementem VIII. Ibid. 1602. Sed auctiores prodierunt ſtudiò Andreæ Victorelli, Baſſanenſis Itali, Presbyteri & Theologi, & Ferdinandi Ughelli, Florentini, Ord. Ciſtercienſis, & Abbatis Trium Fontium extra muros Romæ. Romæ 1630. typis Vaticanis. Annotationes marginales in Ciaconium, & collationes ejus hiſtoriæ cum Baroniana, ſuppreſſô tamen nomine, ſcripſit Cæſar Becillus, Urbinas Italus, Presb. Congregat. Orator. de Urbe. apud Ludovic. Jacob. in Bibl. Pont. p. 285. Deniqve Ciacconii & aliorum Vitæ & Res geſtæ Pontificum Romanorum, & R. E. Cardinalium, ab initio naſcentis ſeculi usqve ad Clementem IX. ab Auguſtino Oldoino, Soc. Jeſu recognitæ, & ad qvatuor tomos ingenti ubiqve rerum acceſſione productæ ſunt. Romæ 1677. Ejusdem Oldoini habemus Athenæum Romanum, in qvo Summorum Pontificum, & Pſeudo Pontificum nec non R. Eccl. Cardinalium et Pſeudo-Cardinalium ſcripta publicè exponuntur.

(*a*) *Anaſtaſius*] Seculô IX. non vulgare inter doctos ejus ævi nomen habuit Anaſtaſius, Abbas Romanus, Eccleſiæ Romanæ Presbyter & Bibliothecarius, qvi anno DCCC. LXIX. cum Suppone & Eberhardo Comitibus à Ludovico II. Imp. Conſtantinopolin miſſus eſt. Si vera eſt Baronii Chronologia, ad annum IƆ. CCC. LXXXVI. vitam perduxit. De ætate Anaſtaſii vide qvæ fuſè diſſerit Spanhemius „ in „ Papa Fœmina §. 54. p. 271. ſeqq. Huic Anaſtaſio tribuitur „ Hiſtoria de Vitis Romanorum „ Pontificum: qvarum ultima eſt Nicolai I. Sed Baronius Cardinalis Hadriani II & Stephani VI. vitas, qvas alii Gvilielmo, Romanæ itidem Eccleſiæ Bibliothecario tribuunt, ipſi qvoqve adſcribit Anaſtaſio. Qvod autem pars libri prior, qvæ à S. Petro ad Liberium protenditur, Anaſtaſium non habeat auctorem, inde probat Labbeus, Tomo I. ad Bellarm. p. 252. in Damaſo, qvod viderit ms. codicem optimæ notæ, tempore Caroli M. exaratum, in qvo vitæ illæ jam jam Damaſo adſcriptæ, antè qvàm aut natus eſſet Anaſtaſius, aut ſaltem ex primis infantiæ crepundiis emerſiſſet. Codicem haut diſſimilem in Bibliotheca Cæſarea haberi, Petrus Lambecius teſtatur: libr. II. Comment. p. 917. Neqve tamen deſunt, qvi Anaſtaſium hujus fœtus auctorem nolunt admittere, eo qvod is Græcè & Latinè impensè fuerit doctus, hæc autem ſcriptio multum ſæpe rudis & agreſtis, ac indigna Bibliothecario Romano ſit. Exſtat qvaliscunqve Hiſtoria iſta Pontificia in Conciliorum editio-

bliothecarius, & (*b*) Joannes *Stella*. 2 Ille primùm à Velſero Moguntiæ editus eſt annô CIↃ IↃC II. & nuper Pariſiis: 3 Hic in Belgio formâ minori prodiit.

LXVI. 1 Sed potiori jure (*c*) hûc pertinent duo mediæ ætatis ſcriptores *Theodoricus* (*d*) *à Niem*, & (*e*) *Matthæus Pariſienſis*. 2 Qvorum prior inde à temporibus

ditionibus, ac annô M. D. CII. Moguntiæ prodiit curâ Johannis Buſæi, è Societ. Jeſ. item Pariſiis annô M. D. CXX. ſtudiô Jacobi Sirmondi ſenioris, Soc. Jeſ. Theologi, & Confeſſarii Regii: nec non ibidem M. DC. XLIX. ad calcem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cum Notis Caroli Annibalis Fabrotti; ac iterum ibidem an. M. DC. LXXX. cum Notis & Obſervationibus Antonii Dadini Alteſerræ, U. J. D. Prof. & Decani Toloſani. Dignus autem lectû liber eſt Johannis Ciampini, Romani, Magiſtri Brevium Gratiæ, nec non Majoris Præſidentiæ Abbreviatoris, ac in utraqve Signatura Referendarii, qvem inſcripſit „ Examen libri Pontificalis, ſeu Vitarum Romanorum Pontificum, „ qvæ ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur: Romæ editum an. M. DC. LXXXVIII. cujus ſummam nobis repræſentârunt celeberrimi Lipſienſes. Suppl. Tom. I. ſect. IV. p. 167.

(*b*) *Joh. Stella*) Superiori ſeculô ineunte, Venetiis ſcilicet annô CIↃ IↃ IV. Baſil. CIↃIↃVII. & alibi, prodiit hujus Stellæ Sacerdotis Veneti liber de Vitis ac moribus Pontificum Romanor. uſqve ad Julium II. ſive annum M. III.

(*c*) *Huc pertinent*) Fr. Longi à Coriolano Breviarium Chronologicum Pontificium. Antonii Caraccioli Neapolitani Clerici Regularis Collectanea Hiſtorica de vita Paulli IV. Qvibus adde Paullum Bernrietenſem: Stephanum Herrandum: Lambertum Gerochum, Reichersbergenſem: Gebhardum, Archiepiſcopum Salisburgenſem: Anſelmum Mantuanum, Lucenſem Epiſcopum, & Rom. Eccl. Presbyterum Cardinalem: qvos partim Melchior Goldaſtus in Apolog. pro Henrico IV. partim Jacobus Gretſerus, Goldaſti adverſarius, in Defenſione Goldaſto oppoſita; Sebaſtianus Tegnagelius, „ in Monumentis hactenus ineditis „ pro Gregorio VII. aliiſqve Pontificibus: Ingolſt. 1612. & Henricus Caniſius „ in Antiqva Lectione Tomo. 6. ediderunt. Pontificum porrò Romanorum non vulgarem qvoqve nobis pandit notitiam Ludovicus Jacob. à S. Carolo, Cabilonenſis Burgundus, Ordinis Carmelitarum alumnus, in Bibliotheca Pontificia, duobus libris diſtincta: qvorum primo „ agitur ex „ profeſſo de omnibus Romanis Pontificibus à „ S. Petro uſqve ad Urbanum VIII. ac de Pſeu„ dopontificibus, qvi ſcriptis claruerunt: in ſecundo verò, „ de omnibus Auctoribus, qvi „ cum in generali, tum in particulari eorum „ vitas, & laudes, nec non præcellentiam „ auctoritatemve poſteritati conſecrârunt. Cui adjungitur „ Catalogus Hæreticorum, qvi ad„ verſus Romanos Pontifices aliqvid ediderunt. Lego hunc librum ex editione Lugdunenſi Gallica M. DC. XLIII. E Lutheranis Breviarium Pontificum Romanorum breviter & ſuccinctè exhibet è teſtimoniis avitis & domeſticis à Lino uſqve ad Alexandrum VII. B. Joh. Conr. Dieterichius Hiſtoriarum qvondam in Academia Giſſenſi citra ambitionem doctus Profeſſor. Giſſæ M. DC. LXIII. in 8t. Habemus & Lucæ Holſtenii Hamburgenſis Apoſtatæ, primùm Cardinali Barberino à Bibliotheca, poſt Cuſtodis Bibliothecæ Vaticanæ & Canonici S. Petri Collectionem Romanam in II. partes diſtinctam. Plures dabit Cl. Caſp. Sagittarius in Introductione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam c. XXV. & XXVI. p. 650. ſ. Adpendix Speculi Jeſuitici Pontificum Romanorum à Joach. *Urſino* confecta vitas qvidem Papales, ſed exigua eorum cum laude continet.

(*d*) *à Niem*) Dictus eſt Niemius, de Nihem, ſive Niem à patria Nihemio, agri Paderbornenſis oppido, ut adeo ceſpiter Georgius Fabricius libr. I. Originum Saxonicarum Niemium Magdeburgium vocans. Septem et triginta annis, ac ultra, curiam *Romanam* ſub V. Pontificibus, Gregorio IX. Urbano VI. Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. ſecutus, clericum Lucenſis dioeceſeos egit: itemqve literarum Apoſtolicarum abbreviatorem: qvâ appellatione aliqvi Secretarium venire autumant. Nicolaus Ciſnerus, in praefat. Operum Cyni Jcti:

Aliqvot

poribus Gregorii XI. Papæ ſcriba variorum Pontificum, poſteà Epiſcopus Verdenſis & deinde Cameracenſis, hiſtoriam ſui temporis usqve ad Alexandrum V, ſive an. Chr. CIↃ CCCC X. ingenti candore perſecutus eſt. 3 Seorſum autem compoſùit hiſtoriam de ſchiſmate, qvod in Eccleſia Rom. inter Urbanum Papam & Clementem Antipapam, eorumqve ſucceſſores, per XXXIX. annos fuit. 3 Alter, Albanenſis cœnobii in Anglia Abbas, à conqviſitione Angliæ per Guilielmum Normanniæ Ducem usqve ad ſua tempora (obiit autem annô CIↃ CC LIX) hiſtoriam è monumentis publicis, etiam Baronii Cardinalis judiciô (qvi tamen ut infeſtiſſimum Apoſtolicæ ſedi notat) egregiè contexuit. 4 Nuperrimè prodiit in Anglia & Pariſiis, è MSS optimis emendatus. 5 Theodoricum autem primus in lucem produxit Simon Schardius, Baſileæ annô CIↃ IↃ LX. poſteà recuderunt Argentinenſes annô CIↃ IↃC IX.

LXVII. 1 Deniqve & *Petri Svavis Polani* (id eſt Paulli Sarpii Veneti) numqvam ſatis laudata hiſtoria Concilii Tridentini huc pertinet: in qva vel-

Aliqvot inqvit, Pontificibus à ſecretis fuit, & poſtea Antiſtes Verdonenſis factus eſt: „ Goldaſtus in „ Replicatione contra Greiſerum: Fuit Niemius aliqvot Paparum intimus Secretarius, & arcanorum conſiliorum particeps. Ex Italia in Græciam ſemel trajiciens, Græcorum ſacerdotum vitia coràm vidit. Poſt à Bonifacio IX. ad Epiſcopatum Verdenſem promotus, cùm parum contra adverſarium Ottonem, Magni Ducis Brunsvicenſis filium, ad Eccleſiam Bremenſem poſtulatum, repetendo Rodenburgum, Verdenſis Epiſcopatus caſtrum & præfecturam, proficeret, Romam rediit, paulo ante ab dicto Papa Epiſcopatum Cameracenſem indeptus Vide Krantzium Metropol. libr. X. c. XLII. Qvia tamen Sammarthani Frates in Gallia Chriſtiana, Niemium inter Epiſcopos Cameracenſes non numerant non immerito dubites, an revera ſedem illam Epiſcopalem tenuerit. Henricus Meibomius ſenior ad ipſum Niemium trahit, qvæ de Verdenſi electo „ lib. III. de Schiſmate cap. XXXIX. tradidit: verùm Henricus Meibomius Junior exiſtimat in Narratione de Niemio, vitæ Johannis XXIII. præmiſſa, per Verdenſem electum potius intelligi Conradum de Vechta, qvem in locum Theodorici, Verdenſi Eccleſiæ à Bonifacio Epiſcopum datum; narrat Krantzius. Plura ſcripſit Theodoricus, ex qvibus ad noſtrum propoſitum inprimis ſpectant libri tres „ de „ ſchiſmate univerſali, qvod inter Urbanum VI. Papam & Clementem VII. fuit. Hoc opus complevit anno CIↃ CCCCX. in feſto S. Urbani, in qvo Johannes XXIII. Papa, Alexandri V. ſucceſſor, Bononiæ coronatus fuit. Poſtea addidit librum qvartum, qvi inſcribitur Nemus Unionis. Triga illa librorum de Schiſmate, primum publicata Norimbergæ an. M. D. XXXII. ſed una cum qvarto illo ex Ms. Baſileæ poſtea imprimi fecit Simon Schardius: qvæ editio repetita Argentorati annô M. DC. VIII. Sunt autem penes laudatiſſimum Henricum Meibomium libri illi duo priores de Schiſmate, in pluribus variantes ab editis. Melchior Goldaſtus, hujus Niemii „ Exhortationem ad Dominum „ Rupertum Regem Romanorum, ut ſurgat „ à diuturno ſomno, qvodqve ut exſtirpetur „ ſchiſma Pontificium ab Eccleſia, & jura „ Imperii reformentur, intendat, publicavit annô CIↃ IↃCXIV. „ Tomo III. Monarchiæ S. „ Rom. Imperii Tanta autem veritate rerum Hi„ ſtoriam deſcripſit (verba Schardii repeto) ut in „ eo genere pauciſſimi ſcriptores inveniantur, qvi „ ad incorruptam Hiſtoriam ſcribendam parem „ poteſtati voluntatem attulerint. Ut autem „ hic vellet, effecêre pietas, probitas, & inte„ gritas, in toto qvidem opere eluceſcentia, „ tum verò in præfatione, ubi diſertè dicit, niſi „ veritas, qvæ in Hiſtoria qvam diligentiſſimè „ conſervari debeat, hoc exegiſſet, ſe libenter „ in gratiam Pontificum taciturum fuiſſe.

(e) *Matth. Paris*:] Monachus multæ eruditionis fuit ac propterea etiam magna ei debetur auctoritas ob candorem planè niveum multarumqve aliarum virtutum ornamenta. Si major, & interior rerum Politicarum acceſſiſſet notitia, perfectiſſimum ſcripſiſſet opus. Baronii Gloſſariis accedentibus voces Latino-barbaræ explicantur.

ut in ſpecimine * artes Curiæ Romanæ, & conſilia variis in locis Europæ agitari ſolita, intueri licet. 2 Ejus fidem olim Tarqvinius Gallutius Jeſuita, poſteà Scipio Henrici, Theologus Meſſanenſis; nuper admodum viginti annorum labore Romæ editò Jeſuita Pallavicinus incuſare auſi ſunt; ſed nullo cum effectu apud prudentes & candidos Lectores. 3 De ejus fide & accuratione videndus Interpres Latinus in præfatione ad Lectorem. 4 Edita eſt primùm Italicè operâ Marci Antonii † de Dominis in Anglia *Londini* CIↃ IↃC XIX.

* *Artes in ſa*] "Inſidias inqvit B. noſter Dannhawerus, D. & Theologiæ Profeſſor Argentoratenſis in p. 71. ſ. Polemoſophiæ Tridentinorum decretorum, arcanas conſuſurrationes, velitationes contradictorias (qvarum manipulos collegêre D. Dorſcheus in Pentadecade Diſp. I. §. 45. p. 66. ſ. D. D. Hülſemannus in Man. A. C. Diſp XI. Q. III. n. VIII. p. 479 Diſp. XIX. §. LX. p. 1317. ſ. --- 1335.) coactas deciſiones, non abſqve benigna in nos Dei providentia detexit Petrus Svavis, h. e. Paulus Servita in Hiſtoria Concil. Trident. qvam interpretis ad lectorem præfatio ſatis tutam reddit, ac ἀξιόπιστον: ubi inter alia hæc habentur, ſi etiamnum fucum tibi factum metuis, dic, ſodes, qvis ille inventionum tam felix, qvi veri adeò ſimilia nobis ab ingenio confingat? aut qvis tam imprudens, qvi pro veris ea obtrudat, qvæ ſi ficta eſſent, ipſæ regum, Principumqve literæ, qvarum in medio eſt memoria, facilè arguant vanitatis? Qvod ſanè argumentandi genus minimè eſt ineptum hoc in loco, qvum aliàs Canonicis Scriptoribus ipſis per id fidem conciliari vel à Romanenſibus demonſtret ibidem Polemoſophia, & Hyæna B. Dannhaweri Friburgica Sect. III. n. 19. p. 10. Ex eadem ad lectorem præfatione interpretis Latini, qvi eſt Adam Newtonus Scotus, (de qvo Cl. Dauberus JCtus orat. Funebri in Exceſſum Andreæ Riveti, p. 15 Hic ille Neutonus eſt (nam eo Sammaxentinæ Scholæ moderatore, ſeqve Pontificium tum ſimulante, Rivetus Græcas Litteras addidicerat) verſionis Latinæ Hiſtoriæ Concilii Tridentini auctor, qvi in Scotiam reverſus Principis Scotiæ, filii primogeniti Regis Henrici Ephorus, tandem Saliſburienſis Eccleſiæ Decanus obiit) his ſimilia affert Degoreus Whear in Prælectionibus Hyemal. ut & ex præliminari epiſtola Interpretis Anglici, Nath. Brent. illum vide p. 276. & ſeq. qvibus meritò accedit judicium viri inprimis omnium Doctiſſ. Dn. D. Conringii, cui c. XIV. de civili Prudentia p. 331. Hæc Svavis hiſtoria planè eſt incomparabilis. Nuper demum poſt tot annos prodiit Pallavicinus Jeſuita, eamqve hiſtoriam refutare multò ſtudiò adlaboravit; cujus ſtudii tanta fuit apud Eccleſiam Romanam commendatio, ut eminentiſſimum Cardinalium ἀξίωμα referret ex eo Pallavicinus: ſed utut ſint hæc, tamen ne ſuis qvidem ſatisfecit omninò, qvia Siculas, ut ſic dicam, gerras agnoſcerent. Certè Cæſar Aqvilinius de tribus Hiſtoricis Concilii *Tridentini* rotundè fatetur, Petri Svavis Hiſtoriam illâ, qvam ſcripſit Pallavicinus, præſtantiorem eſſe. vide p. 12. & ſeqq. Philippus Qvorlius, Cleri Romani Decanus, qvi unicè hoc ſibi propoſitum habuit, ut Svavem ex Svave refutaret, dum in Conſilio ad lectorem libris ſuis præfixo merces exponit, Pallavicini hiſtoriam & ipſe qvorundam notat tacitè. Inprimis hujus loci eſt Comes Julius Clemens Scotus, qvi ſub nomine Stanislai Felicis, Colonienſis, typis invulgavit Colonienſibus, ſi frontiſpicio libri credamus, verius autem Venetis annò 1664. Notas ſexaginta qvatuor Morales, Cenſorias, Hiſtoricas, qvibus ſe Svavis Refutatori Palavicino oppoſuit, itidem homo Pontificius. Adde eundem Dannhawer. in Comparatione Concilii Nicæni I. atqve Trindentini ultimi p. m. 116. n. 25. in Adpendice Argentor. M. DC. LXVI. in 4to. & in Hyæna Friburgica Sect. III. n. 1. p. 30. De illo libro verè Grotius, in epiſt. ad Jo. Cordeſium (eſt inter ejus ad Gallos epiſtolas CXXII) "Maximum omnes, qvibus vera ſapientia cordi eſt, lucrum fecerunt, repertô librô viri incomparabilis Pauli Servitæ, præſertim de argumento tam nobili &c.

† *De Dominis in Anglia*] Hic eam in Latinum verſam edidit (Auguſtæ Trinobantum h. e. Londini primum) uti ex noſtris agnoſcunt, "Hopfnerus Diſp. VI. de Juſtif. cont. Maverum c. 3. aph. 7. θ. 36. p. 421. Johan. Schmidt diſp. de Hiſt. A. C θ. 12 14. Dorſcheus in docum. provid. circa Aug. Conf. p. 15 Joh. Tob. Major in Diſp. de filiat. Chriſti θ. 22.

XIX. in fol. & Genevæ; poſteà Latinè & Germanicè, Argentinæ & Francofurti M. DC. XXI. in 4. & nuperrimè Dordraci unà cum vita Auctoris ‡.

LXIIX. 1 *Tertia claſſis* Hiſtoricorum eorum eſt, *qvi (a) vitas illuſtrium virorum literis conſignârunt.* 2 Qvod genus ſcriptorum, ſi diligentiam & judicium adhibeat, præſtare ceteris hiſtoriis, & pœnè ſolum facere exemplis, qvod Ethica & politica philoſophia ſyllogiſmis & præceptis efficit, benè obſervavit Jo. Rualdus in vita Plutarchi. c. XXV. 3 Nam cùm minuta qvæqve, nec eximia tantùm, ſed omnem interiorem ac familiarem vitam exſeqvi virosqve maximos veluti totos inſpiciendos exhibeant, dubitari non debet, qvin ad inſtruendum prudentiâ & dexteritate agendi animum plurimùm conferre poſſint. 4 Sanè prudentiſſimus ac ingenioſiſſimus Heros, Franciſcus Verulamius, cùm in libro II. c. VII. *de Augmentis ſcientiarum* comparat invicem diverſarum Hiſtoriæ juſtæ ſpecierum utilitates (puta chronicorum, vitarum & relationum ſpecialium) chronica qvidem celebritate & nomine, relationes ſinceritate & veritate, vitas autem fructu & exemplis excellere ait. 5 Qvandoqvidem enim perſonam ſingularem pro ſubjecto ſibi proponant, in qva neceſſe eſt actiones non minùs leves qvàm graves, parvas qvàm grandes, privatas qvàm publicas, componi & commiſceri, ſanè magis vivas & fidas rerum narrationes, & qvas ad exemplum tutiùs & feliciùs transferre poſſis, eas exhibere. (a) *Vide hîc noticulla apud Gaſſendum in præfat. ad vitam Peireſcii.*

LXIX. 1 In hoc genere longè freqventiùs * veteres, qvàm noſtri temporis homines verſati ſunt. 2 Plurimos enim vitarum ſcriptores inter illos deprehendere licet. 3 E qvibus maximè excellunt jam ſupra laudati *Svetonius, Corn. Nepos*, præſertim in vita Attici, & *Plutarchus*. 4 *Adde Tacitum in vita Agricolæ*. 5 Qvorum priores duos eleganter invicem comparat Bœclerus in Commentario Nepotis *p.* 10. *edit. noſtræ*. 6 Qvi & in eodem Commentario, *p.* 5. qvomodo hoc genus ſcripta ad prudentiæ uberioris indagationem & uſum transferri poſſint ac debeant, docet, ſeu potiùs indicat. 7 Noſtrô tempore pauciores ingenium & doctrinam ſuam commemorationi vitarum eorum, qvi proximis ſeculis claruêre, accommodârunt; cùm tamen, ut idem Verulamius indignabundus obſervavit, non defuerint plurimi viri egregii, qvi meliora mererentur, qvàm incertam & vanam memoriæ ſuæ famam, aut elogia arida & jejuna. 8 Niſi qvòd aliqvot Itali & Galli in hanc curam,

„ ex ἀπορφύλοις Hugo Grotius & Mareſius „ in Antich. revel. l. II. c. XIV. n. 21. 22 „ Hoornbeck in Exam. Bullæ Pap. p. 256. Erbermannus Jeſuita in Iren. Cathol. Helmſtad. „ oppoſ. c. IV. p. 65. Vid. & Dannhawerus Sect. I. „ n. 10. in Myſter. Syncret. p. 15.

‡ Exiit & Gorinchemi anno M. DC. LVIII. Plurimi tamen Elzeverianam, ut emendatiſſimam editionem præferunt, etſi illa plenior.

* *Veteres*] Succurrit hîc locus è principio Vitæ Agricolæ Taciti: „ Clarorum virorum facta „ moresqve poſteris tradere antiqvitus uſitatum, „ ne noſtris qvidem temporibus, qvamqvam „ incurioſa ſuorum ætas omiſit, qvoties magna „ aliqva ac nobilis virtus vicit ac ſupergreſſa eſt „ vitium parvis magnisqve civitatibus commune, „ ignorantiam recti & invidiam. Sed apud priores ut agere memoratu digna pronum, magisqve in aperto erat: ita celeberrimus qvisqve „ ingenio, ad prodendam virtutis memoriam ſine gratia aut ambitione, bonæ tantùm conſcientiæ pretiô ducebatur.

curam, ſed impari ſtudiô, incubuêre. 9 Inter alios laudari merentur *Vita Caſparis Colignii Amiralii Galliæ* ab anonymo ſcriptore edita; *Alphonſus Ulloa*, *in vitis Caroli V.* & *Ferdinandi I. Imperatorum*, *Gualdus in vita Pinelli*, *Gaſſendus in* † *vita Peireſcii*, & qvi ‡ ſuas ipſi vitas ſcripſerunt, *Thuanus* & *Hier. Cardanus:* qvi poſtremus accuratiſſimè res ſuas, etiam minutiſſimas, expoſuit: 10 Ejus liber de vita propria diu poſt mortem ejus, operâ Gabrielis Naudæi, Pariſiis prodiit, annô CIↃ IↃC XLIII. & poſtea qvadriennio * abhinc Amſtelodami recuſus eſt.

LXX. 1 *Univerſalis Hiſtoriæ* aliqvis qvidem in adqvirenda civili prudentia, non tamen tantus, qvantus reliqvarum ſpecierum, qvas enumeravimus, uſus eſt. 2 Nam cùm infinita rerum multitudo in eo breviter comprehendi debeat, fieri non poteſt, qvin de multis plurima relatu digna conſultò prætermittenda, ſæpiusqve ad epitomarum rationes delabendum ſit. 3 Adde qvòd in tanta varietate temporum ac regionum, qvarum res enarrandæ ſunt, ſubinde ſufficienti indagatione, religioſâqve informatione deſtitui ejus auctores neceſſe

† *Vita Peireſcii*] Editio Hagenſis anni M. DC. LV. in 4to, tertia, ut auctior & diſtinctior præſtat Hagienſi primæ in 12. de anno 1651. Ibidem eodem annô M. DC. LV. eôdemqve auctore exierunt & vitæ Tychonis Brahei Eqvitis Dani, Aſtronomorum Coryphæi; uti & Nicolai Copernici Varmienſis Canonici, Aſtronomi illuſtris, & Georgii Peurbachii, Johanniſqve Mülleri Regiomantani, Aſtronomorum celebrium. Ut de Epicuri vita & moribus, qvam dictus ipſe nobis dedit Gaſſendus, nihil in præſentia dicam. Facit & huc Ubbonis Emmii Gvilhelmus Ludovicus Comes Naſſovius, id eſt, funebris Oratio prolixa integram ejuſdem Comitis vitam & res geſtas eleganter & in exemplum exponens. Groningæ CIↃ IↃC XXI. in 4to. In Narratione Apologetica de Curriculo vitæ Abrah. Sculteti Profeſſoris Theologi Heidelbergenſis olim, Emdæ edita anno 1625. invenies aliqva, qvæ alibi non temerè.

‡ *Suas ipſi vitas*] Qvi compoſuerint ipſi de vita ſua rebusqve geſtis à ſe, non pauci fuerunt ex Romanis, non modò durante republicâ ac libertate, ſed poſtea qvoqve cùm principatus eſſet inductus. Nam Imperatores ipſi qvandoqve in componendis] rebus ſuis operam navârunt: qvin ſuam & feminæ aliqvando hanc voluerunt curam. Nam Agrippinæ commentarios, qvibus vitam ſuam, & caſus ſuorum prodiderat, Tacitus lib. IV. Annal. c. LIII. memorat. Sed ejus generis ſcriptorum nihil hodie ſuperſtes eſt, præterqvàm Cæſaris commentarii de bellis, qvæ geſſit; & qvædam laceræ tabulæ magis, qvàm integri libri de Antonini commentariis, qvos de vita ſua condidit. Noſtrâ ætate hæc antiqvorum exempla æmulati ſunt Hieronymus Cardanus *, qvi de vita propria Commentarium ſcripſit; & Jac. Auguſtus Thuanus, qvi libros VI. de vita ſua reliqvit nobis, non minore voluptate, qvàm fructu legendos. Galliarum Regem, Henricum IV. magni Cæſaris exemplo, rerum ſuarum commentarios inchoâſſe, ſummæ eruditionis viro, Iſaaco Caſaubono alibi adnotatum eſt. Qvamqvam autem hoc inſtitutum grandam animi magnitudinem præ ſe fert, incidunt tamen nonnulla in eo genere, qvæ difficile ſcribentibus, ſuſpectum legentibus reddant: de qvibus videri Cicero poteſt libro V. Fam. ep. XII. ſub finem. Extat Plutarchi liber egregius, qvô docet, qvomodo qvis de ſe ipſo & rebus ſuis citra invidiam ac reprehenſionem verba facere poſſit. Inter alia tum qvoqve id fieri oſtendit, cùm commemoratio ejusmodi ad aliorum utilitatem, qvatenus ſcilicet inſtruere poteſt, tota refertur. Ex eo igitur hoc inſtitutum judicandum maximè eſt. Nunqvam loqvi de ſe & rebus ſuis, humilitatis pudoriſqve inepti eſt: ſemper & ſine modo, atqve inflatius id facere, arrogantiæ & vanitatis. At qvando id opus & expedit aliis, magni ac liberi animi laudem habet, qvi & tueri exiſtimationem ſuam ſtudet, & hunc laborum ſuorum fructum maximum ſtatuit, aliis prodeſſe. Qvibus notis & Ariſtoteles magnanimos deſcribit, lib. IV. Ethic. c. III. ad Nicomachum.

* Ego utor editione Amſtelædamenſi Raveſteinii ſecundâ M. DC. LIV. omnium optima, cui adjectus Cardani de Præceptis ad filios non contemnendus libellus, in 12.

ceſſe eſt, èqve relationibus non admodùm authenticis narrationes ſuas concinnare. 4 De qvo incommodo pariter aliqvid Verulamius monuit *cap. IIX. loc. cit.*

LXXI. 1 Juvabit tamen ad Imperiorum origines, progreſſus & mutationes, ſingulareſqve divinæ providentiæ effectus cognoſcendos ejusmodi Compendia evolvere, qvæ ſaltem aliqvâ ratione conſiliorum eventuumqve cauſſas tangant. 2 Qvalia ſunt *Epitome Hiſtoriarum Cluverii*, *Boxhornii Hiſtoria univerſalis*, & pauca aliorum. 3 Ex iis enim intelligere erit, (*auctore Bœclerô Hiſt. Schol. Princip. cap. II*, §. 3. *p.* 98) qvàm potenter ac ſapienter à DEO, omnium regnatore, regna nunc inſtituantur, nunc deſtituantur; nunc amplificentur, & extollantur, nunc extenuentur ac deprimantur; modò opponantur, & veluti collidantur, modò componantur. 4 Ptætereà, ſolâ pietate firmari ſceptra, virtutibus ornari coronas; impietate confringi & deturpari; 4 plurimum in ſtabiliendis aut labefactandis imperiis regnantium mores poſſe; 5 calliditatem exitiô tandem, juſtitiam prudentiamqve ſaluti eſſe; 6 avaritiâ & ambitione efferri potiùs regna, qvàm proferri; 7 felicitatem, qvæ interdum malas artes comitatur, non ultrà durare, qvàm ubi puniti ſunt, qvibus puniendis Deus eam ipſis conceſſerat; 8 proinde neqve perpetuam aut diuturnam, neqve propriam illis eſſe, 9 admiratione ſplendoris & inanium ſpectaculorum ſuſpectione rationi tenebras offundi; mox ſtudio vanitatis accedente, ipſam adimi, homineſqve in ridiculas aut feras beſtias converti. 10 Inde eſſe, qvòd orbis hic officina flagitiorum, machinarumqve fabrica ſit, qvibus miſeri mortales perdant ſe invicem pereantqve; rebus proſperis elati & luxuriantes; attritis qveruli, meticuloſi & ſæpe ſtupidi. 11 Niſi qvòd inter media ſcelera, furoreſqve inſanientium hominum, exigua portio, DEO amica & familiaris, veluti roſa inter ſpinas floret ſplendetqve, & pereuntibus ceteris, ſola ſuperſtes æternitati ſervatur. 12 Hæc & ejusmodi alia, qvæ niſi ex univerſalis Hiſtoriæ contextu ac ſerie non ſatis percipiuntur, qvemadmodum ignorata ethnicis, multorum errorum occaſionem præbuêre; ſic nobis accuratè cognita magnum momentum conſiliis judiciiſqve politicis adferunt.

LXXII. 1 Hiſtoricis qvodammodo adfines ſunt (ut * alibi prolixè oſtendimus) *qvi Reſpublicas integras, earumqve ſtatum, origines, progreſſus, ex profeſſo deſcribunt.* 2 In qvo genere, qvi ad civilem prudentiam aptus ſit, ex antiqvitate vix qvisqvam ſupereſt, præter *Xenophontem*, cujus duo egregii libelli, unus *de Repub. Athenienſium*, alter *de Lacedæmonica*, inter reliqva ejus opera † habentur, 3 Nam *Fragmenta Rerumpubl. ab Ariſtotele deſcriptarum à Patricio*, *Caſaubono*, *Heinſio* collecta, qvoniam è Grammaticorum ſcriptis petita ſunt, fermè nihil politicæ obſervationis continent. 4 Neqve valde meliora ſunt, qvæ ex *Heraclide Pontico de Politiis*, & *Nicolai Damaſceni hiſtoria catholica*, *Nic. Cragius*, *Heinſius*, & alii exhibent.

* *Alibi*] In Introductione ſcilicet Generali In Notitiam Rerumpublicar. Orbis univerſi. Jenæ M. DC. LXXVI. in 4to.

† *P.* m. 393. ſ. edit. opt. ſecundæ, qvam an. M. D. LXXXI. nobis dedit Henr. Stephanus in fol.

LXXIII. 1 Hûc tamen qvodammodo ſpectant *Pauſaniæ de veteris Græciæ regionibus Commentarii* qvibus non ſolùm locorum ſitus & intervalla, ſplendida ſumtuoſaqve civitatum ædificia, ceteraqve ornamenta præcipua; ſed etiam (verba ſunt Abrahami Loeſcheri in præfatione *ad Pauſaniam*) rerumpubl. ſtatus, imperiorum ſucceſſus, regum familias & res præclarè geſtas, bellorum dehinc cauſſas & ambiguos exitus, ducum conſilia, militum fortitudinem; pacis item artes, & alia complura, qvæ ad inſtituendas & conſervandas respub. multum adjumenti habent, ſtudioſè complexus eſt. 2 Hunc poſt Romulum Amaſæum emendatiſſimè edidit & notis illuſtravit Fridericus Sylburgius. Græcè & Latinè prodiit Hanoviæ, CIↃ IↃC XIII, Latinè Francofurti, annô CIↃ IↃC XXIV.

LXXIV. 1 Proximi temporis ſcriptores majori ſtudiô in hoc argumento occupati, veteres partim, partim hodiernas Respub. deſcripſerunt. 2 Ex illis politices ſtudioſo potiſſimum legenda *Ubbonis Emmii Græcia vetus*, opus elegantiſſimum; *Caroli Sigonii Reſpublicæ* aliqvot *Græcæ*, *Nicolaus Cragius de Repub. Lacedæmoniorum*, *Gvil.* (a) *Poſtellus de Athenienſi*, *Herm. Conringii diſſertatio* (b) *de Politia Ebræorum*, & *Antonii Thyſii Monumenta Rerumpub. veterum* &c. 3 Inter ſcriptores Romanæ Reipub. veteris vix qvisqvam eſt, qvi prudentiæ inſerviat, cùm pleriqve nudam enumerationem magiſtratuum & rituum absqve altiori perveſtigatione cauſſarum perſeqvuti ſint. 4 Niſi qvòd Boxhornii diſſertationes (c) *de Romanorum Imperio*; & Jo. Schefferi, in (d) Livii Reges Romanos, huc faciunt.

LXXV. 1 Hodiernas Respub. alii ſingulas, alii omnes aut pleraſqve junctim deſcripſerunt. 2 Inter eos, qvi plures ſimul deſcripſère, noſtro inſtituto cumprimis apti fuerint (I) *Theſaurus Politicus* Lottini, Legati Veneti in aula Cæſarea, Italicè ſæpius, Francofurti etiam cum interpretatione Latina *Philippi Honorii* ſive *Julii Belli*, Juſtino-politani, Cardinalis Dietrichſteinii in Moravia Secretarii, editus annô CIↃ IↃC X, & denuò CIↃ IↃC XVII, qvæ editio optima. 3 (II) *Relationes Univerſales* (e) *Joannis Boteri*, qvas à Guiliemo du Bræcqs

(a) *Poſtellus*) Hujus Poſtelli Barentonii Mathematum qvondam in Academia Pariſienſi Profeſſoris regii de Magiſtratibus Athenienſium librum, ſuis cum notulis atqve Commentariolo illuſtratum Lipſiæ de novo publicavit Cl. Joh. Frider. Hekelius Pro-Rector Rudolſtadianus M. DC. XCI. in 8t. Egit & cum cura de Republ. Athenienſi & Spartana Barthol. Keckermann. Tomo. II. Operum. col. 1069. ſ. edit. Genev. M. DC. XIV in fol.

(b) *De Politia Hebraeor.*) Habes hanc in Faſcic II. Diſſertation. Critico-Philologic. n. VIII. p. 235. ſ.

(c) *De Romanor. Imperio*) Habentur hæ in p. 409. ſ. Variorum Boxhornii Tractatuum Politicorum, qvi prodierunt Amſtelodami annô M. DC. LXIII. in 12.

(d) *Livii Reges Roman.*) Optimè Joh. Schefferi Regnum Romanum, ſive Exercitationes VII. Politicæ in Livii librum I. prodierunt Upſaliæ ſecundò, auctiùs & emendatiùs annô 1665. in 4to.

(e) *Joannis Boteri*) Habeo ejus *Mundum Imperiorum*, ſive Relationes de præcipuis Mundi Imperiis, omnium optimè ex editione Lipſienſi M. DC. LXVII. in 4to. Cui non ſolùm Boteri de Origine Urbium tractatus egregius acceſſit, verùm etiam de Incrementis Urbium liber eruditus Hippolyti à Collibus, qvi tamen & cum notis Martini Naurathi JCti exiit Francof. M. DC. LXXI. in 8t. cui Petri Ponceti de Civibus, Municipibus, Incolis, Jureqve Municipali Tractatus additus eſt.

Bræcqs Latinè converſas *ed. Colon.* 1596. *in fol.* 1610. *in* 4. alteriusqve Itali relationibus auctas, denuò polivit auxitqve & ſub titulo *Politiæ Regiæ* Marpurgi, anno CIↃ IↃC XX, edidit *Juſtus Reiffenbergius*. 4 (III) *Theſaurus Politicus* operâ *Caſparis Ens*, ex Italico translatus, editusqve Coloniæ an. CIↃ IↃC X. 5 (IV) *Franc. Sanſovini* a) *Libri XXII de gubernatione diverſorum regnorum & Rerumpub.* Italicè publicati Venetiis CIↃ IↃ LXXII, LXXXIII, & poſtea ſæpiùs. 6 (V) *Archontologia Coſmica* olim à *Jo. Ludovico Gothofredo*, ſed poſteà auctior correctiorqve edita *à Ge. Chriſtophoro Heinio*, Francofurti, anno CIↃ IↃC XLIX. 7 Qvâ editione qvi uſus fuerit, facilè carebit etiam recentiſſimis editionibus operis Gallici, b) qvod *Status*, *Imperia & Principatus Mundi*, & in qvibusdam editionibus *Novum Theatrum Mundi* inſcribitur. Nam qvæ in eo habentur, omnia in Archontologiam translata ſunt. 8 (VI) *Lucæ de Linda deſcriptio Orbis & omnium ejus Rerumpublicarum*, anno CIↃ IↃC LV. Lugduni Batavorum excuſa, & poſtea in Germanicum ſermonem traducta (variisqve locis aucta) Francofurti annô ſeqventi, cum inſcriptione; *Orbis Lumen & Atlantis Juga tecta retecta.*

a) *Del governo de' diverſi Regni & Reipubliche di M. Franc. Sanſovino. Vinegia* 1583. *in* 4. b) *Les Eſtats*, *Empires*, *& Principautez du Monde &c. par le Sieur D. T. V. Y. Gentilhomme ordinaire de la Chambre du Roy &c. Rouen* 1633. *in* 4. *Genevæ* 1650. *in* 4. *&c.* ſub titulo: *Nouveau theatre du monde*; prodiit *Pariſiis* 1651. *in fol.* Laudatur & *Le monde ou la deſcription generale de ſes qvattres parties*, *avec tous les Empires*, *Royaumes*, *Eſtats & Republiqs*, *par Pierre d' Avity*, ſecundò editus, correctus, & in rebus Francicis auctus *à Franciſco Ranchino*, Advocato Monſpelienſi, *Pariſiis*, *annô* 1643. *in fol. V. tomis*, Item *Theatre de l' univers*, *ou l' Abbregé du Monde*, *contenant les deſcriptions particulieres de touts les Eſtats*, *Monarchies Repybliqves & Principautez du Monde &c. Pariſiis* 1644. *in fol.*

LXXVI. 1 Singulas Reſpublicas plurimi dederunt. qvorum pleroſqve aut integros aut excerptos *Elzevirii* in Batavia excuderunt. 2 Sed horum pauci ſatis aptè ad civilis prudentiæ ſcopum, qvod ſuſceperant, exſeqvuti ſunt; fide qvoqve induſtriâ & judiciô valde diſcrepant. 3 Præ reliqvis tamen ad hoc inſtitutum idonei ſunt I: *Hiſpania*, *ſive de Regis Hiſpaniæ regnis & opibus Commentarius*, *à* Joanne *Laet Lugd. Bat.* 1629. *conſcriptus.* II. *Ejuſdem Gallia*, *ſive de Francorum regis dominiis & opibus Commentarius.* III: * *Claudii Seſellii*, Epiſcopi Maſſilienſis & ſæpiùs ad Pontificem Regis Galliæ Ludovici XII legati, *libri duo de Repub. Galliæ & Regum officiis*; (*vid. Jo. Laetii judicium*, *præfixum his libris.*) 4 in qvos congeſſit vir multis variisqve negotiis publicis defun-

* *Cl. Seſellii*] Non tamen ſemel à doctis audivi Seſellium magis Rempubl. Platonicam, qvàm Gallicam deſcripſiſſe; & de Hottomanno, viro aliàs undiqvaqve doctiſſimo, magnam cum famæ ſuæ jacturam feciſſe ſcriptô illô, qvod vocavit Franco-Galliam, cùm nemini dubium fuerit, qvin rem intellexerit melius.

ctus, aulæqve morem omnem atqve ſtatum exploratiſſimum habens, qvidqvid optimorum præceptorum aut ipſe obſervâſſet, aut ſuperioris ſuæqve ætatis viri prudentes ac docti tradidiſſent: ſingulari qvâdam ratione id omne præſenti rerum conditioni atqve tempori accommodans. [5] Eos Latinè converſos Argentorati publicavit Sleidanus; poſteà Elzevirii Reipublicæ Galliæ, annô ∞ IↃC XXVI à ſe editæ, inſeruerunt. [6] IV: *Caſp. Contareni* & *Donati Jannotii* libelli *de Repub. Veneta*, & in utrumqve *Notæ Nicolai Craſſi*. [7] V: *Thomæ Smithii Respubl. Anglicana.* [8] VI: *Joſiæ Simleri de Repub. Helvetiorum libri duo*, Tiguri ſeparatim excuſi, Latinè & Germanicè. [9] VII: *Tractatus* anonymi ſcriptoris *de principatibus Italiæ*, à *Tho. Segeto* translatus & notis illuſtratus, eiqve ab Elzeviriis ſubnexus *commentarius Joannis de Laet, de Territoriis, potentia, familiis, ſederibus Principum, Rerumpub. & eorum, qvi hodie in Italia rerum potiuntur.*

LXXVII. [1] His addi poſſunt ſeparatim editi, nec, qvod ſciam, Elzevirorium voluminibus inſerti, *Ubertus Folieta de Republ. Genuenſi*; *Guilielmus Poſtellus de monarchia Gallica*; *Ubbo Emmius* [a] *de Friſia & Friſiorum Republica*; *Commentariolus Boxhornii* [b] *de Statu Federati Belgii*; ‡ *Sim: Starovolſcii Polonia* nuper à *Conringio* [c] denuo edita & præfatione aucta; eôdemqve annô [d] publicata *Polonia Novantiqva Jo. Theod. Sprengeri.* [2] Jungendi ſunt varii tractatus MSS *de ſtatu Italiæ*, qvi paſſim à peregrinantibus circumferuntur; & de eodem *Epiſtola Jo. Hieronymi im Hof* [e] Diſcurſibus ejus politicis, ſive parti tertiæ ſingularium politicorum, ſubnexa: [3] itemqve *Ratio conſtitutæ nuper Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ &c.* ex Anglico in Latinum converſa, editaqve Hagæ, annô CIↃ IↃC LIV; ſuperiore autem annô etiam Germanicè excuſa Scaphuſii in Helvetia ſub titulo, **grundliche Beſchreibung der neuen Regiments⸗Verfaſſung in dem gemeinen Weſen Engelland/ Schott⸗und Irrland.** Adde *Jo. Limnæi Notitiam Franciæ* & Galli *L' Eſtat de France.*

a) *ed. Lugduni Bat.* 1616. *in fol.* b) *optima editio Hagæ* 1654 *in* 12. c) *Wolferbyti* 1656. *in* 4. d) *Francof.* 1656. *in* 8. e) *Ed. Norimb.* 1655.

LXXIIX. [1] Ad cauſſas rationemqve originum ac progreſſuum Imperiorum in Europa meliùs intelligendas facient [a] *Compendia Hiſtorica Alphonſi Loſchi*, qvæ Italicè prodierunt Venetiis, annô CIↃ IↃC LII, [2] itemqve ex *Diſſertationibus Hiſtoricis & politicis Georgii Hornii* abhinc triennio [b] junctim Lugduni Batavorum excuſis primæ octo, cum decima, XII, XIII, & XIV, qvibus de aliqvot Belgii Rebuspub. & urbibus egit; itemqve XVI, de Repub. Belgica; XX, de regnis Daniæ & Norwegiæ, XXI, de Imperio Hunnorum, XXII, de Comitatu Naſſoviæ, XXIII, de Ducatu Cliviæ, XXIV, de Imperio Mexicano,

‡ Joh. Iſacius Pontanus documentis publicis inſtructiſſimus reliqvit qvoqve nobis, præter Danicam & Amſtelodamenſem, Hiſtoriam Geldricam præ ceteris omnibus magni faciendam.

xicano, XXVII, de rebus Americanis ante adventum Hiſpanorum, qvibus ſubinde qvædam de ſtatu & arcanis eorum Imperiorum immiſcet.

a) *Compendi Hiſtorici del Comte Alphonſo Loſchi Vicentino Academico inſerſato, Olimpico è Riſiorito, il Riaceſo: conſecrati alla Maeſtà Chriſtianiſſima di Luigi XIV, Re di Francia è di Nauarra. Venetia* 1652. *appreſſo Gio.* Petro *Pinelli in fol.* b) 1655. *in* 12.

LXXIX. Ad ſtatum religionis in univerſo occidente, artesqve qvibus illa ſuſtinetur, propagatur & Imperiorum ſtatui accommodatur, cognoſcendas commendanda eſt *Edoini Sandis*, Eqvitis Angli, *Relatio de Statu Religionis per univerſam Europam*, variis in lingvis edita, liber prudentiſſimus, &, qvod rariſſimè fieri ſolet, de cunctis religionibus æqvè candidè peritéqve judicans.

LXXX. 1 Plurimum qvoqve profectum civilis prudentiæ juvabit, qvi veteres & hodiernas Reſpublicas invicem comparabit. 2 Qvo pertinet liber Italicus *Pompeji Caimi*, qvi inſcribitur *Parallelo politico delle Republiche antichè è moderne*, h. e. Comparatio Rerumpub. veterum & modernarum. Prodiit Patavii, anno CIↃ IↃC XXVII.

LXXXI. 1 Licebit & Reſpublicas fictitias jungere, qvales ſunt I: * *Utopia*

* *Utopia*] Lego libros Utopiæ Mori duos cum ceteris ejus Lucubrationibus, non ita pridem in fol. qvoqve Francofurti, ſi rectè memini, editos; prout illos nobis Baſileæ Epiſcopius dedit in 8t. annô 1563. qvibus non ſolùm Eraſmi Roterodami; ſed & Gvilielmi Budæi ad Thomam Lupſetum epiſtola præfixa eſt, è qva Budæi, cùm non ſit in omnium Manibus, excerpo ſeqventia. „Tu mihi velut prioris beneficii vel appendicem vel auctarium UTOPIAM illam MORI donâſti, hominis inprimis acris, ingenioſóqve amœnô, & in rerum humanarum æſtimatione veteratoris. Eum librum cùm ruri in manibus curſitando, ſatagendo, operis imperitando haberem (partim enim nôſti, partim audiſti, villaticis me negociis alterum jam hunc annum multum operæ impendiſſe) uſqve adeò ejus lectione affectus ſum, cognitis & perpenſis Utopianorum moribus & inſtitutis, ut pene rei familiaris procurationem intermiſerim, atqve etiam abjecerim, cùm nugas eſſe viderem artem omnem induſtriamqve œconomicam, omnino curam cenſus ampliatricem: qvâ tamen ipſâ omne genus mortalium velut œſtrô quôdam inteſtino & congenito exagitari, nemo eſt qvi non videat & intelligat, ut legitimarum, prope dixerim, & civilium artium ac diſciplinarum eum eſſe ſcopum, fateri neceſſe ſit, ut tam livida qvàm accurata ſolertia alter ab altero, qvi cum civilitatis jus ei & interdum gentilitatis intercedit, qvippiam ſemper abducat, abſtrahat, abradat, abjuret, exprimat, extundat, exculpat, extorqveat, excutiat, excudat, ſubducat, ſuffuretur, ſuppilet, involet, legibusqve partim conniventibus, partim autoribus, auferat & intervertat. Id adeò magis in iis gentibus, apud qvas jura qvæ civilia & pontificia vocantur, ampliùs in utroqve foro valent: qvorum moribus & inſtitutis eam invaluiſſe opinionem nemo non videt, ut homines cautionum prudentes, vel captionum potius, & inconſultorum civium aucupes, & formularum, id eſt, excipulatum opifices, ac pactilis juris callentiſſimi, & litium concinnatores, juriſqve controverſi, perverſi, conſulti, antiſtites eſſe juſtitiæ æqvitatisqve exiſtimentur, ſoliqve digni qvi de æqvo bonoqve reſponſitent, atqve etiam (qvod majus eſt multò) qvi cum imperio ac poteſtate ſtatuant, qvid unumqvemqve habere, qvid non habere, qvatenus qvamdiuqve liceat. Hallucinantis id utiqve ſenſus communis judicio. Qvippe cùm pleriqve hominum craſſis ignorantiæ lemis cæcutientes, tam æqviſſimam ferè cauſſam unumqvemqve putemus

ſapientiſſimi viri *Thomæ Mori*, qvondam Angliæ Cancellarii, optimi Reipubl.

,, mus habere, qvàm maximè jus poſtulat, aut
,, jure ſub _ :us eſt: cùm ſi ad veritatis normam,
,, & ad ſimplicitatis Euangelicæ præſcriptum exi-
,, gere jura velimus, nemo ſit tam ſtupidus, qvin
,, intelligat: nemo tam væcors, qvin fateatur ſi
,, urgeas, tam jus & fas hodie ac jam diu in ſan-
,, ctionibus pontificiis, & jus atqve æqvum in
,, legibus civilibus & principum placitis diſſidere,
,, qvàm Chriſti rerum humanarum conditoris in-
,, ſtituta, ejuſqve diſcipulorum ritus ab eorum
,, decretis & placitis, qvi Crœſi & Midæ acer-
,, vos bonorum finem eſſe putant, & felicitatis
,, cumulum: adeò ſi juſtitiam finire nunc velis,
,, qvomodo priſcis autoribus placuit, qvæ jus
,, ſuum unicuiqve tribuat, vel nullibi eam in
,, publico invenias, vel (ſi dicere id mihi permit-
,, tam) culinariam qvandam diſpenſatricem eſſe,
,, ut fateamur neceſſe ſit, ſive nunc imperitan-
,, tium mores ſpectes, ſive civium inter ſe &
,, popularium affectus. Niſi verò à germana
,, mundiqve æqvali juſtitia (qvod jus naturale
,, vocant) manâſſe jus id contenderint, ut qvo
,, qvisqve plus polleat, eô etiam plus habeat:
,, qvô autem plus habeat, eò plus eminere inter
,, cives debeat: qvô fit, ut jam jure gentium re-
,, ceptum eſſe videamus, ut qvi nec arte, nec in-
,, duſtriâ memorabili juvare cives ſuos & popu-
,, lares poſſunt, ſi modò pactiles illos nexus &
,, contractiles nodos teneant, qveis hominum
,, patrimonia obſtringuntur qvosqve vulgus igna-
,, rum, hominesqve literis humanioribus dediti,
,, ac procul foro, animi cauſâ aut veritatis in-
,, dagandæ ergò agentes, partim Gordii vincula
,, eſſe ducunt, partim circulatoria, nec magno-
,, perè miranda, ii millenorum civium cenſum,
,, & ſæpe ſingularum civitatum, aut etiam am-
,, pliorem habeant, iidemqve rum locupletes,
,, tum frugi homines, tum magnifici conqviſitores
,, honorificè vocitentur. Qvippe iis ſeculis, iis
,, inſtitutis, iis moribus, in iis gentibus, qvæ
,, id jus eſſe ſtatuerunt, ut iam ſumma fide at-
,, qve autoritate qviſqve ſit, qvàm maximis opi-
,, bus penates ſuos architectatus eſt ipſe hæredes-
,, qve ejus. idqve eo magis atqve magis, qvò eo-
,, rum adnepotes, horumqve rurſus abnepotes
,, patrimonia à majoribus parta, luculentis cer-
,, tatim acceſſionibus cumulaverint: id eſt, qvo
,, longiùs latiuſqve confines, affines, cognatos,
,, conſangvineoſqve ſummoverint. At verò
,, CHRISTUS poſſeſſionum conditor & mode-
,, rator, Pythagoricam communionem & chari-
,, tatem inter aſſeclas ſuos relictam, luculentò
,, ſanxit exemplò, damnato capitis Ananiâ ob
,, temeratam communionis legem. Qvo cer-
,, tè inſtituto CHRISTUS omne juris iſtius civi-
,, lis pontificiiqve adeò recentioris argumentoſa
,, volumina, inter ſuos qvidem abrogâſſe mihi
,, videtur. Qvod ipſum jus hodie arcem tenere
,, prudentiæ videmus, ac fata noſtra regere.
,, UTOPIA verò inſula, qvam etiam UDEPO-
,, TIAM appellari audio, mirificâ uiqve ſorte
,, (ſi credimus) Chriſtianos ritus ac germanam
,, ipſam ſapientiam publicè privatimqve hauſiſſe
,, perhibetur, intemeratamqve ad hunc uſqve
,, diem ſervâſſe: utpote qvæ tria divina inſtitu-
,, ta, hoc eſt, bonorum malorumqve inter cives
,, æqvalitatem, ſeu, malis, civilitatem, nume-
,, ris omnibus ſuis abſolutam, & pacis ac tran-
,, qvillitatis amorem conſtantem ac pertinacem,
,, & auri argentiqve contemptum conſertis (ut
,, ajunt) manibus retinet, tria (ut ita loqvar)
,, everticula omnium fraudum, impoſturarum,
,, circumſcriptionum, verſutiarum, & planica-
,, rum improbitatum. Superi ſuo nomine face-
,, rent, ut hæc tria UTOPIANÆ legis capita
,, trabalibus clavis fixa ac ſtatæ perſvaſionis
,, in ſenſibus omnium mortalium figerentur,
,, protinus ſuperbiam, cupiditatem, contentio-
,, nem væſanam, atqve alia penè omnia vulnifica
,, Stygii adverſarii tela concidere langvereqve vi-
,, deres. juriſqve illam voluminum vim immen-
,, ſam, tot eximia ſolidaqve ingenia ad libitinam
,, uſqve detinentia, ut caſſa & vacantia, tere-
,, dinibus, permitti, aut involucris officinarum
,, dicari. Proh divi immortales, qvænam Uto-
,, pianorum ſanctitas eam divinitùs beatitudi-
,, nem emereri potuit, ut avaritia & cupiditas
,, in eam unam inſulam irrumpere, aut irrepere
,, tot ſeculis non potuerint? nec inde juſtitiam
,, cum pudore protervitate ſua impudentiaqve
,, explodere & exigere? Deus nunc optimus
,, maximus tam benignè cum iis provinciis egiſ-
,, ſet, qvæ ab ejus ſacratiſſimo nomine cognomen-
,, tum retinent & amplectuntur: certè avaritia
,, tot mentes alioqvin egregias arduaſqve de-
,, pravans & peſſundans, ſemel hinc faceſſeret,
,, & aureum ſeculum Saturniumqve rediret. Hic
,, enimverò periculum eſſe qviſpiam autumârit,
,, ne fortè Aratus & poëtæ priſci opinione falſi
,, fuerint, qvi juſtitiam è terris decedentem in
,, ſignifero circulo collocaverunt, reſtitiſſe enim
,, eam in Utopia inſula neceſſe eſt, ſi Hythlodæo
,, credi-

bl. ſtatus idea: liber maximorum virorum judiciô incomparabilis, & tamdiu victurus futurusqve in pretio apud homines, qvamdiu juſtitia ipſa & modeſtia ac pietas, non omnino in ipſorum animis & adfectibus exulabunt. 2 II: *Mundus * alter & Idem* ab Anglo qvodam ante paucos annos conſcriptus in depravatos hujus ſeculi mores, ac veluti Poneropolim qvandam, ſive civitatem vitiis omnibus infectam, exhibens. 3 III: *Thomæ Campanellæ Civitas Solis*, qvam vir ignei planéqve ſtupendi ingenii inter medios carceris ſqvalores & tenebras ea cogitationum novitate & ſublimitate ſenſuum delineavit, ut, Naudæô judice, præter Philoſophicas ſpeculationes, multa etiam contineat, qveîs Reſpublicæ tutiùs adminiſtrari, hominesqve ipſi meliores evadere poſſunt. 4 IV: *Utopia Didaci Bernardini*, ſive Jacobi Bidermanni Jeſuitæ, prout ex ipſius auctoris MSto Dilingæ, annô CIↃ IↃC XLIV prodiit; commixtis invicem ſeriis jocisqve varios vitæ humanæ errores depingens. 5 V: *Eudemia*, Itali eloqventiſſimi, qvi ſub nomine *Jani Nicii Erythræi* diu latuit; hôc autem opuſculô, ‡ præſertim magnatum vitia, falsè deſcripſit ac traduxit. 6 VI: *Novæ Solymæ* ante decennium Londini publicatæ; in qvibus auctor, qvicunqve ſit, vir certè bonus & eruditus, benè inſtitutæ Reipublicæ inſtar exhibere conatus eſt, dignus ſanè qvi non deſultoriâ operâ legatur. †

XXXII. Per-

,, credimus, necdum in cœlum perveniſſe. verùm ego Utopiam extra mundi cogniti fines ſitam eſſe percunctando comperi, inſulam nimirum fortunatam, Elyſiis fortaſſe campis proximam (nam Hythlodæus nondum ſitum ejus finibus certis tradidit, ut Morus ipſe teſtatur) multas qvidem ipſam in urbes diſtractam, ſed unam in civitatem euntes aut conſpirantes nomine Hagnopolin, ſuis utiqve ritibus bonisqve acqvieſcentem, innocentia beatam, cœleſtem qvodammodo vitam agentem, ut infra cœlum, ſic ſupra mundi hujus cogniti colluvionem: qvæ in tot mortalium ſtudiis, ut acribus & incitatis, ſic inanibus & irritis turbidè & æſtuoſè in præcipitium rapitur. Ejus igitur inſulæ cognitionem Thomæ Moro debemus, qvi beatæ vitæ exemplar, ac vivendi præſcriptum ætate noſtra promulgavit, ab Hythlodæo, ut ipſe tradit, inventum cui omnia fert accepta: qvi ut Utopianis civitatem architectatus ſit, ritusqve illis & inſtituta condiderit, id eſt, beatæ vitæ argumentum nobis inde mutuatus ſit, & importârit: Morus certè inſulam & ſancta inſtituta ſtilo orationeqve illuſtravit, ac civitatem ipſam Hagnopolitanorum ad normam regulamqve expolivit, omniaqve ea addidit, unde operi magnifico decor venuſtasqve accedit, & autoritas, etiamſi in ea operâ navanda ſibi tantum partes ſtructoris vendicavit: videlicet religio fuit majores ſibi partes in eo opere ſumere, ne Hythlodæus jure qveri poſſet gloriam ſibi à Moro præcerptam, prœfloratamqve relinqvi, ſi qvando ſuos ipſe labores literis mandare conſtituiſſet. Hæc Budæus.

* Conf. Naud. Bibliograph. p. 41. vel potius p. 517. partis noſtræ I. Methodor. Exiit hic MUNDUS ALTER ET IDEM, ſive Terra Auſtralis ante hac ſemper incognita longis itineribus peregrini Academici nuperrimè luſtrata, auctore Mercurio Britannico: cum Thomæ Campanellæ Civitate Solis & nova Atlantide Franciſci Baconis, Baronis de Verulamio Ultrajecti M. DC. XLIII. in 12.

‡ Prodierunt decem Eudemiæ libri Coloniæ, vel potiùs Amſtelod. anno M. DC. XLV. in 8r.

† At auctor libri, qvi primùm Anglicâ, hinc Gallicâ, poſtremùm Belgicâ lingvâ prodiit, de Populis Terræ Auſtralis incognitæ, qvos *ſeverambes* nominat; Cl. Morhofio lib. I. Polyhiſtoris Litterar. c. VIII. p. m. 75. pertinere videtur ad Atheorum tribum ac Neutraliſtarum. Titulus libri in 4to. Belgicus ita habet; „Hiſtorie der Severambes behelzende een Beſchryving van het onbekend Zuidland. Elegantiſſimè confictus eſt liber, eâqve ſpecie, ut primâ fronte incautis imponat. Ingenium Autori illi fuit, qvem κυρίαι qvædam δόξαι facilè produnt. Toto verò hoc libro nihil ille aliud agit, qvàm ut oſtendat, unam eſſe Religionem

LXXXII. 1 Pertinet huc & *Monarchia ſolipſorum* ſub nomine *Lucii Cornelii Europæi* primùm Venetiis, deinde in Belgio edita, Jeſuitarum artes, mores & ſtudia, totiusqve Societatis ſtatum mirâ induſtriâ & elegantiâ depingens. 2 Inter Jeſuitas ſe qvadraginta qvinqve annos vixiſſe, nec vilibus officiis adhibitum, non obſcurè auctor ſignificat, proinde non indignus, cujus narrationibus fides habeatur.

LXXXIII. 1 Tertium Librorum politicorum genus veluti mixtum eſt, ac partim præceptis, partim exemplis conſtat. 2 qvod etſi rerum actuumqve civilium indolem ſegnius & obſcurius attingit, qvàm hiſtorici, tamen in judicio de rebus informando plurimum poteſt.

LXXXIV. 1 Huc primò pertinent, qvi certa argumenta politica ſeorſum tractant, v. g. de officio Principis, Conſiliarii, Legati, Aulici, Secretarii, de Bello & Pace, de Federibus, de Majeſtate, ejusqve juribus, de Legibus, de Judiciis, &c. qvos ſuis locis in tractatione doctrinæ politicæ indicabimus. Interim plerorumqve nomina & ſcripta cognoſci poterunt è * *Bibliographia* Gabr. Naudæi, ex Epiſtola † Chriſtophori Coleri *de ſtudio politico*, aliiſqve ſcriptoribus de ratione ſtudiorum politicorum, qvos ſub finem hujus Diatribes laudabimus. 3 Sed in Naudæo obſervare licet, eum interdum ſtudiô partium, odiôqve nationis aut religionis, qvibusdam iniqviorem eſſe, multos etiam egregios auctores ob easdem cauſſas planè præterire. 4 Exemplô eſſe poſſunt, qvæ de Clapmario p. 53. de Grutero & Förſtnero p. 142. de Scipione Gentili p. 105. & qvibusdam alliis ſatis frigidè, aut etiam malignè ſcripſit.

LXXXV. 1 Deinde *officia* ‡ *Ciceronis*, liber verè politicus, & à maximis viris ſummisqve Principibus inter ſtudia regiarum curarum lectus; 2 ejusdemqve

nem naturæ rerum conformem, qvæ Deum ſupremum, atqve ejus qvaſi vices in orbe hoc inferiori repræſentantem Solem, veneretur: Qvare datâ occaſione adverſus Trinitatem & Chriſtianiſmum diſputat. In adminiſtratione Reipublicæ Ideam qvandam non contemnendam exhibet, qvâ, ſublato pecuniæ uſu, unde omnia in Rempublicam vitia, Cives per magnas qvaſi familias diſtincti, è publico alantur & veſtiantur. Illud verò ingenium hominis in extremâ parte prodit, qvod ſtrategemata ſacerdotum gentis ejus, qvam *Stroukaros* vocat, ad miraculorum, qvæ in Pentateucho habentur, formam confinxerit: Qvo manifeſtè patet, illum hiſtoriæ ſacræ illudere. Cæterum ille liber doctus eſt, & magnâ curâ ſcriptus.

* Hanc inſerui Tomo I. Methodor. noſtrar. n. XIII. p. 496. ſ.

† Hanc fortè, ſi DEUS dederit, Tomô III. habebis.

‡ *Officia Ciceronis*] Adſcribo judicium Magni Eraſmi, his qvod de libris tulit in p. 153. edit. Lipſienſ. M. DC. LXX. in 12. Colloqvior. Conviv. Religioſ. „ Plinius, inqvit, ſcripſit „ (in præfat. ad Veſpaſian. Cæſar. p. m. 8.) Offi-„ cia Ciceronis nunqvam de manibus deponen-„ da: & ſunt ſanè digna, qvæ cùm ab omni-„ bus, tùm præcipuè ab his, qvi deſtinati ſunt „ adminiſtrandæ Reipubl. ad verbum ediſcan-„ tur, meâ qvidem ſententiâ. Et ibid. p. 169. „ Fateor adfectum meum apud amicos: non „ poſſum legere librum Ciceronis de Senectute, „ de Amicitia, de Officiis, de Tuſculanis „ Qvæſtionibus, qvin aliqvoties exoſculer co-„ dicem, ac venerer ſanctum illud pectus, „ adflatum coeleſti numine. Porrò de Methodo, qvam in Officiorum libris Cicero tenet praeclarè egit in egregiis, paucis tamen, co-

demqve argumenti ac tituli opuſculum ab *Ambroſio* ſcriptum : 3 (a) *Plutarchi opuſcula politica*, ut Præcepta gerendæ Reipublicæ, de monarchia, oligarchia & democratia, & qvædam alia: 4 *Senecæ pleraqve*, ſed maximè libri *de Clementia*, *de Ira*, *de beneficiis*, *de vita beata &c.* 5 *Policraticus Joannis Sarisberienſis*; 6 varia *opuſcula Franciſci* Petrarchæ, ac *Joviani* Pontani. & hujusmodi ſcripta alia.

LXXXVI. 1 Tertiò variæ & fermè ſine certo ordine ac delectu materiarum congeſtæ qvæſtiones, obſervationes, digreſſiones, diſſertationes & diſcurſus politici, aut hiſtorico-politici. 2 Hujus generis tanta copia eſt, ut eorum numerus iniri neqveat. 3 Præſertim Itali ac Galli certatim hâc methodô (ſi tamen methodi appellatione dignari decet rationem tractandi, qvæ ordine deſtituta eſt) res politicas perſeqvi inſtituerunt. 4 De qvorum tamen diſcurſibus rectè vir doctus adfirmabat, pleraqve perfunctoriè & oblectamenti ritu geri, & copiæ potiùs, qvàm uſui inſervire. 5 Eminent tamen ex tanta multitudine judicii & prudentiæ laude præter eos, qvi ad Tacitum aliosqve hiſtoricorum aliqvid hujuſcemodi moliti ſunt (de qvibus ſupra §. *XXIV.* egimus) *Paulli Parutæ*, *Hieronymi Frachettæ*, *Laurentii Zuccoli diſcurſus politici*, Italicâ lingvâ conſcripti; 6 *Sermones Fideles Franc. Verulamii*; *Obſervationes Hiſtorico-politicæ Mich.* Piccarti, *Symbola politica Didaci Saavedræ Hiſpani*, *Qvæſtiones politicæ Melch. Junii*, *Qvæſtiones Miſcellaneæ Matth. Berneggeri*, *&* *D.* *Jo. Gerhardi*, utiles omnino, utut rationem earum ac inſtitutum pauci curæ habeant; *Singularia politica & militaria* Jo. *Hieronymi Im Hof*, *patricii Norimbergenſis*, cum paucis aliis.

LXXXVII. 1 Eſt & aliud genus ſcriptorum, qvi Præcepta & obſervationes politicas pariter nullâ certâ juſtâqve methodô, ſed breviter & per modum Aphoriſmorum, Axiomatum, Apophthegmatum collegerunt: idqve alii nudè, alii cum apparatu inſtructuqve exemplorum. 2 Qvo pertinent primò *Aphoriſmi* ex Hiſtoricis veteribus aut recentioribus congeſti. 3 Qvales ſunt *Aphoriſmi* Politici *& Militares* per *Lamb. Danæum* ex Thucydide, Xenophonte, Polybio, Herodoto, Salluſtio, Livio, Tacito, Cominæo aliisqve collecti, variisqve exemplis illuſtrati: 4 *Aphoriſmi ex Tacito* excerpti per [illegible]*num* Politum; 5 *Manuale Magnatum Qvirini*, *Archiepiſcopi Nixienſis*, [illegible] eodem Tacito; 6 *Selecta* Politica *ex Cicerone*, *Dione*, Polybio, *&c.* & *ſententiæ* Politicæ è variis Poëtis à *Deſiderio Creſcentio* ſuperiore annô ſub finem libelli, qvem *artes regendi Reſpublicas & dominandi* inſcripſit, editæ *Trajecti ad Rhenum M. DC. LVII. in* 12. &c.

LXXXIIX. 1 Deinde varia *Axiomata* Politica, ut *Sanſovini*, *Lottini*, *Ant.* *Perezii*;

cognitis & æſtimatis libris de Methodis Nicol. Hemming lib. I. p. m. 17. ſ. edit. Roſtochienſ. M. D. LV. in 8r.

(a) Plutarchi præcepta gerendæ Reipubl. ad Menemachum cum aliis qvibuſdam opuſculis Moralibus ad vitam tam publicam qvàm privatam rectè inſtituendam utiliſſimis, edita ſunt ſtudiô Joachimi Camerarii Medici Norimbergenſis M. D. LXXXIII. in 8r.

Perezii; *Aureæ Admonitiones Franc. Gvicciardini*; 2 tum qvæ multa exempla addita habent, *Axiomata* Politica, *Hiſtorica*, *Eccleſiaſtica & Oeconomica Georgii Richteri*, *Theſaurus Aphoriſmorum* Politicorum *Joannis à Chockier*, *Lipſii Monita & Exempla* Politica &c.

LXXXIX. 1 Tertiò *Apophthegmata* Principum aliorumqve doctrinâ aut rebus geſtis illuſtrium hominum: tum ſingulorum, ut Alphonſi Arragoniæ Regis, Matthiæ Corvini Regis Hungariæ, Alexandri Medicis, ab *Antonio Panormita*, *Ænea Sylvio*, *Galeotto Martio*, & alio qvodam Italo congeſta; 2 tum plurium junctim, qvalia ſunt qvæ Plutarchus, *Eraſmus* a *Roterodamus*, Conr. b *Lycoſthenes*, Joannes c *Emboſius*, *Gerardus* d *Tuningius*, *Julius Zincgrefius* aliiqve collegerunt. 3 Qvibus addi poſſunt *Symbola Imperatorum à Nic. Reuſnero* in tres libros congeſta, & *Symbola Heroica Guilielmi* Paradini, &c.

a) *Deſiderii Eraſmi Apophthegmatum libri VIII*, *Lipſiæ* 1603. *in* 8. b) *Lycoſthenis apophthegmatum, ex optimis utriusqve lingvæ ſcriptoribus collectorum, loci communes*, *Lugduni* 1571. *in* 8. & alibi. c *Emboſii Enchiridion apophthegmatum* Philoſophorum, *Regum*, *Imperatorum*, & *aliorum illuſtrium virorum*, *in locos communes diſtributorum*, *Genevæ* 1587. *in* 16. d) *Tuningii JCti Apophthegmata*, *Græca*, *Latina*, Politica, *Hiſpanica*, *Lugd. Bat.* 1610. *in* 8.

XC. 1 Neqve ſine impietatis nota omitti poſſunt, qvin potiùs primô locô habendæ ſunt *ſententiæ ſacræ*, in Proverbiis & *Eccleſiaſte Salomonis*, *Libro Sapientiæ* & *Syracide* contentæ. qvorum diligens & cotidiana lectio multiplicem uſum homini politico præſtare poteſt. 2 Poſſe qve è ſacris qvoqve libris multa ad civilem prudentiam facientia hauriri, *Danæi* & *Menochii* Politicæ *ſacræ* docent.

XCI. 1 *Duo* adhuc *genera* librorum memoranda ſunt, qvæ mirè inſtruunt animum, & ad interiorem prudentiam ſingulari qvâdam ratione præparant. 2 *Prius* eorum eſt, *qvi arcanas artes Imperantium*, *conſiliaqve cùm ordinariæ tùm extraordinariæ gubernationis exponunt*. 3 Idqve vel *in theſi*, vel *in hypotheſi*, ſeu cum adplicatione ad certa Imperia, eorumqve Principes aut Miniſtros.

XCII. 1 In *priori* claſſe præcellunt *Arnoldi Clapmarii libri VI. de Arcanis Rerumpub. à Jo. Arn. Corvino haud pridem ſcholiis marginalibus & præfixâ Epitome illuſtrati*; iisqve adnexus ejusdem argumenti *diſcurſus Ch. Beſoldi edit. Amſterod.* 1641. *in* 12. 2 Itemqve *Artes reconditæ regendi Reſpublicas & dominandi*, per *Deſiderium Creſcentium*, *Jureconſultum Ultrajectinum*, collectæ, ac ſuperiore annô editæ: 3 Tum Italorum aliqvot tractatus *de ratione ſtatus*, puta *Joannis Boteri* a, *Cyri Spontoni* b, *Hieronymi Frachettæ* c, *Gabr. Zinani* d, *Ludov. Septalii* e, *Friderici Bonaventuræ* f, Joannis *Antonii* Palazzi g & *Scipionis Claramontii* h. 4 E qvibus *Boterus* primus rem anteà confuſam juſtâ methodô diſtinxit; 5 *Frachetta* mox nimiâ diligentiâ pænè obruit; 6 *Zinanus* & *Septalius* medium tenuêre; 7 *Bonaventura* verò maximô ingenii acumine

mine ac ſingulari rerum cognitione inſtructus validiſſimis rationibus oſtendere conatus eſt, rationem ſtatus non aliter definiri poſſe aut debere, qvàm conſilium optimum de rebus ad majorem Reipubl. utilitatem ſpectantibus absqve alterius rationis conſideratione: ex eaqve definitione, ut Naudæus, ait, campum ſibi aperuit ampliſſimum, ut de variis rebus diſſereret, qvæ ad ſecretiorem illam politices pædiam ſpectare videntur. 8 *Claramontius* deniqve in refellenda definitione Bonaventuræ, melioriqve alia inveſtiganda, fermè omnem operam conſumſit.

a) *Della ragion di ſtato di Giouanni Botero libri X*, adjuncti ejusdem relationibus univerſalibus, *Venetiis* CIↃ IↃC XL. *in* 4. b) *Dodici libri del gouerno di ſtato de Cavalier Ciro Spontone*, *in Venetia* CIↃ IↃ IC, & CIↃ IↃC XXVII. *in* 4. c) *Il Seminario de governi di ſtato & di guerra di Girolamo Frachetta*, *Venetia* CIↃ IↃC XLVII. *in* 4. d) *Della ragione degli ſtati libri XII di Gabriele Zinano*, *Signor di Bellai*, *in Venetia* CIↃ IↃC XXVI. *in* 4. e) *Lod Settale della ragion di ſtato libri VII*, *Milano* CIↃ IↃC XXVII. *in* 4. f) *Della ragion di ſtato è della prudenza politica libri IV*, *di Fed. Bonaventura. In Urbino* CIↃ IↃC XXIII. *in* 4. g) *Diſcorſi del gouerno è della ragione di ſtato*, *di Gio. Ant.* Palazzo, *Venetiis* CIↃ IↃCV. *in* 4. h) *Della ragion di ſtato di Scip. Chiaramonti*, *Fiorenza* CIↃ IↃC XXXV. *in* 4.

XCIII. 1 Referri hûc qvoqve *Nicol. Machiavelli Princeps* debet, qvô librô dum vir acutiſſimi ingenii & planè ad civilem prudentiam factus plerasqve tyrannicas artes Principi ſuo commendavit, multorum diverſa judicia expertus eſt, aſtutiqve potiùs & temerarii, immò athei, qvàm prudentis famam, neqve fortaſſis immeritò, ſibi conciliavit. 2 Scripſère adverſus eum multi; è qvibus clariſſimus omnium *Innocentius Gentilettus*, auctor Antimachiavelli, qvi tamen fermè ſolam impietatem ejus agreſſus eſt, omiſſis erroribus politicis, qvorum non paucos in eo reperire eſt: ſæpe etiam Andabatarum more adverſus eum pugnat, verbaqve ejus in alieniſſimum ſenſum torqvet. 3 Pro Machiavello inter alios apologiam ſcripſit *Caſp. Scioppius* libello Pædiæ * politiæ, & diſſertatione adverſus Paganinum Gaudentium.

XCIV. 1 Ad *poſteriorem* claſſem pertinent, qvi ſive apertè ſive ſub fictis nominibus variarum Rerumpublicarum & Principum virtutes & vitia, conſilia & artes, bene aut malè geſta, itemqve Miniſtrorum fraudes & ſcelera exponunt. 2 Excellunt heîc *Trajani Boccalini Relationes ex Parnaſſô*, & *Lapis Lydius* Politicus; 3 *Barclaji Satyricon* ſub nomine Euphorminis omnium Rerumpubl. & Principum Europæ vitia & errores perſtringens; ejuſdemqve *Argenis*, res Gallicanas ſub fictis nominibus tractans; 4 *Hieronymi Briani Appendix relationum Boccalini*; 5 Anonymi ſcriptoris Itali *Secretaria Apollinis*; 6 *Ducis Rohanæi Trutina Statuum Europæ*, ſeu libellus de Intereſſe Principum; 7 *Ephemeris propudioſa Ludovici XI Galliæ Regis*; 8 *Thomæ Campanellæ liber*

* Hanc habes Tomô I. Methodor. noſtrar. n. XI. p. 419. ſ.

de monarchia Hiſpanica; 9 *Motus animorum in Europa*, 10 *Polonia ſuſpirans* cum *continuatione* ſuperiore annô edita, 11 *Breviarium Gallicum Motuum Anglicanorum*, 12 *Collegium Electorale* cum *Appendicibus* nuper editis, & qvæ præterea in iſto genere olim aut nuper prodierunt. 13 In qvibus omnibus etſi multa ex adfectu dicantur, tamen accuratæ rerum cognitioni vel ſic non parum lucis adferunt.

XCV. 1 Ad interiorem negotiorum cognitionem plurimum qvoqve conferent libelli, qvi varias deliberationes tractationesqve rerum civilem aut etiam inſtructiones & mandata continent. 2 Tales ſunt *Disqviſitiones Boxhornii*, *Memoria Philippi Mornæi*, *Villaregii*, & aliorum, 3 Variæ inſtructiones & relationes *Theſaur s Honorii* & *Caſparis Ens* inſertæ, 4 *Opera Cardinalis Bentivoglii*, 5 *Literæ Cardinalis Oſſati ad Principes*, 6 *Miniſteria Cardinalium Richelii & Mazarini*, 7 ‡ *Conclavia* varia Paparum, cum ab aliis, nuper à *Conrin-*

‡ **Conclavia**] Romana puta, in qvibus de forma modoqve, ſed & de variis artibus circa electionem Romanorum Pontificum nimis qvàm apertè agitur. Horum aliqva conjunctim, qvædam ſeparatim prodierunt. Conjunctim ſcilicet annô CIↃ IↃC LXVII. edita ſunt: Con-
,, clave Clementis V. Urbani VI Nicolai V. Cali-
,, xti II. Pii II. Pauli II. Sixti IV. Innocentii VIII.
,, Alexandri VI. Pii III. Julii II. Leonis X. A-
,, driani VI Clementis VII. Pauli III. Julii III.
,, Marcelli II. Pauli IV. Pii IV. Pii V. Grego-
,, rii XIII. Sixti V. Urbani VIII. Gregorii XIV.
,, Innocentii IX. Clementis VIII. Leonis XI.
,, Pauli V. Gregorii XV. *Urbani* VIII. Innocentii
,, X. Alexendri VII. item Urbani VII. Grego-
,, rii XIV. & Clementis VIII. ex Italico in Latinum ſermonem fideliter tranſlata Francof. M. DC. XVII. Sic Urbani VIII. & Innocentii Conclavia, per Franciſcum Henricum Witzendorfium, Patritium Luneburgenſem, ex Italico Latinè verſa, publicavit Conringius Helmſt. M. DC. LI. Addiditqve 1. Bullam Gregorii XV. de Conclavi, Romæ datam annô CIↃIↃCXXI. II. Johannis Franciſci Lottini Diſſertat. de
,, ſacris Cardinalium Comitiis, ſive de Con-
,, clavi, III. Anonymi Diſſertationem de Crea-
,, tione Pontificum. IV. Excerpta ex Onuphrii
,, Panvinii Notis ad Platinæ Gregorium X. V.
,, Pii IV. & Gregorii XV Bullas de Conclavi ejus-
,, qve ceremoniis. Relationem de Conclavi, in
,, qvo electus Gregorius XV. Pontifex, Gallicè
,, contexuit Franciſcus Annibal Dux de Eſtrees.
,, Conferatur Wittius in Diar. Biogr. an. M. DC.
,, LXX. Conclave, in qvo Fabius Chiſius, nunc
,, dictus Alexander VII. ſummus Pontifex creatus
,, eſt, edidit Levinus Nicolaus Moltken, Conſili-
,, arius Ducis Sleswici & Holſatiæ intimus: Sleſ-
,, wici M. DC. LVI. cui præmiſit I. Vitam Inno-
,, centii X. II. de Cardinalium origine, auctorita-
,, te, & factionibus: III. De Pontificum electione
,, potentia, provinciis iis ſubjectis, eorum ſedi-
,, bus, reditibus & regimine: ac ſubjunxit I. Ur-
,, bani VIII. confirmationem Bullæ Gregorii XV.
,, de electione Rom. Pontificis. II. Nomina
,, & Titulos Cardinalium tunc viventium. III.
,, Bullam, qvæ die Cœnæ Dominicæ promul-
,, gari ſolet. IV. Matthæi Palmerii, Florentini,
,, de Captivitate Piſarum Hiſtoriam. Ejusdem
,, Alexandri VII. Pontificis. Conclave Hermannus Conringius edidit, cui Vitus Erbermannus Jeſuita ſe oppoſuit, maſculè tamen ipſi reſpondente Conringio. Videantur dicti Conringii Epiſtola de Electione Alex. VII oppoſita Appendici Examinis Erbermanniani. Helmſt. 1655 & Erbermanni Alex. VII. Papæ Electio & Auctoritas à cavillis Conringii denuo vindicata: Mogunt. 1657. Inprimis autem digna lectu eſt Veneti cujusdam Legati ,, Relatio de notabili
,, Aula Romana, de moderni Pontificis (Alex.
,, VII.) ejusqve Cognatorum & Cardinalium
,, natura, proprietatibus, affectibus, inclina-
,, tionibus animi, & ſtudio erga præcipuas Eu-
,, ropæ nationes, ex Italica lingva in Latinam
,, verſa, opera Agathi Securi An. 1663. Fran-
,, ciſcus à S. Auguſtino Macedus ſcripſit Roſas
,, Alexandrinas, id eſt, Electionem Pontificis Alex.

Conringio & *Lev. Moltkenio* edita; 8 Varia item *acta* negotiorum civilium, tùm edita tùm inedita, qvæ omnia civilis prudentiæ ſtudioſus magnâ ſollicitudine conqviret. 9 Nam in hiſce velut anima negotiorum civilium continetur.

XCVI. 1 *Alterum* genus *de moribus*, *adfectibus & ingeniis hominum* dignoſcendis tractat, docetqve, qvi varii ſint hominum mores adfectusqve pro diverſitate patriæ, familiæ, profeſſionis, ſtatus, ſexus, ætatis, aliarumqve circumſtantiarum; qvibusqve modis unius cujusqve ingenium ac indoles cognoſci qveat. 2 Cujus notitiæ qvantus ſit uſus, qvantaqve neceſſitas, egregiè docet Bœclerus *c. I.* in *Characteribus Vellejanis*, & in diſſertatione *de politicis Lipſianis c. III.* itemqve Naudæus in *Bibliographia Politica. p.* 115.

XCVII. 1 Antecellunt in hoc genere qvoad generalem ingeniorum notitiam *Barclaji Icon animorum*, liber planè aureus, 2 *Jo. Huarti Scrutinium ingeniorum*, eiqve ab *Antonio Poſſevino*, Jeſuita, liber in paucis oppoſitus, *de cultura ingeniorum*, 3 *Edonis Neuhuſii Theatrum ingeniorum:* 4 itemqve *liber II Rhetoricorum Ariſtotelis*, & *Voſſius librô II. Inſtitutionum Oratoriarum cap. XIV.*

XCIIX. 1 In ſpecie *variarum nationum* ingenia & mores deſcripſerunt *Bodinus in Methodo hiſtoriarum cap. V*, & *libro V de Repub. cap. I: Beſoldus in diſcurſu de natura populorum*, & paſſim *ſcriptores Geographici.* 2 *Italorum* ingenia ſeorſum egregiè deſcripſit qvidam, uti ſe vocat, P*hilalethes* P*olytopienſis in qvæſtionibus Forcianis.* Liber editus eſt Lovanii, annô CIↃ IↃ I. & *poſtea Francof.* 1616. in 8t. 3 *Galliorum* autem & *Hiſpanorum*, qvidam *Garcias* Naudæo laudatus: 4 P*olonorum*, neſcio qvis, qvi apologiam pro iis adverſus Barclajum ſcripſit. 5 Alios non una occaſio curioſo indagatori offeret.

XCIX. 1 Varietatem ingeniorum, qvæ ex diverſitate *vitiorum* & *virtutum* provenit, depinxêre *Theophraſtus in aureo libello Characterum Ethicorum*, qvem eruditô commentario illuſtravit *Iſaac Caſaubonus* *; 2 item J*oſephus Hallus*, *Exonienſis* in Anglia epiſcopus, in *Characteribus virtutum & vitiorum*, variis in linguis editis; 3 *Ludov. Molinæus* in *Characteribus Ethicis*, Gallicè & Latinè editis, 4 & J*oach. Paſtorius in Characteribus virtutum* abhinc octennio † Dantiſci excuſis.

C. 1 Diverſos hominum mores ratione *ſtatus* & *profeſſionis* exhibet J*oannes Stephani*, in *duobus libris characterum* Anglicè conſcriptis. 2 Regnantium & Aulico-

„ Alex. VIII. cum Panegyrico, & Poëmatis omnis generis. Romæ 1655. Elegantem Relationem de Aula Romana tempore CLEMENTIS IX Anonymus qvidam emiſit, ex Italico Germanicè verſam.

* Optima editio eſt ultima, qvæ Lugduni in Gallia exiit M. D. C. XXXVIII. in 8t. illa enim non ſolùm infinitis in locis ultra præcedentes aucta eſt & locupletata: ſed & paullò ante auctoris obitum recognita.

† *Dantiſci*] At ego utor editione Jenenſi ſecundâ, qvæ annô M. D. C. LXIV. in 8t prodiit, cum Miniſtro Status, ſeu Conſiderationibus Politicis ſuper vita Nicolai Neovilli Villaregii ſcriptis à Petro Matthæo & in Latinum ſermonem traductis eodem à Paſtorio, cujus acceſſerunt & Theodoſius Magnus, item Meditationes ſuper Hiſtoria Paſſionum Chriſti.

Aulicorum mores optime repræſentant *Seneca Tragicus* & *Q. Curtius*; vulgi *Livius* & *Polybius*. 3 Utriusqve doctrinæ ſpecimen *Lipſius* exhibuit *lib. IV Polit. cap. V & VI.* 4 Parentum & liberorum, dominorum & ſervorum, Amicorum & vicinorum varios characteres paſſim *Comici* exhibent; inprimis *Ariſtophanes* & *Terentius*; cujus lectioni jungendæ ſunt nuperæ notæ † *Bœcleri*, qvibus id potiſſimùm egit, ut mores & conſilia ſingularum perſonarum accuratius illuſtraret. De moribus ætatum exſtat ſingularis *diſſertatio* inter diſputationes Academicas *Jo. Michaëlis Dilherri*.

CI. 1 Ad ſpecialiorem animorum notitiam, qvæ in immenſam ſtudiorum propenſionumqve varietatem, patet, plurimum facient ſpecimina, qvæ in *Characteribus Vellejanis* & *commentario Nepotis* paullo ante laudatus *Bœclerus* dedit. 2 Cujus inſtitutum imitatus eſt *Eraſmus Joannes Brochmannus in ſpecimine Ethices Hiſtoricæ*, nuper in Batavia excuſo. 3 Plura diligens hiſtoricorum lectio, lectorumqve meditatio ſuppeditabit.

CII. 1 Ad ſingulorum hominum ingenia, mores & voluntates cognoſcendas etſi plures modi à nonnullis adhibentur, vix tamen alii, qvàm duo iſti, qvos dicemus, tuti fidiqve ſunt. 2 Unus ſcil. qvô ex conſtitutione corporis, & lineamentis faciei interiora hominum colligimus, alter qvô ex geſtibus & actionibus externis idem conamur. 3 In priore genere laudantur ante alios *Auguſtinus Niphus* & *Camillus Baldus* in *commentariis ad librum Ariſtotelis de Phyſiognomia*, & in tractatibus ejusdem argumenti *Bartholomæus Cocles*, *Petrus Montuus*, & *Jo. Baptiſta Porta*, qvi judiciô Naudæi ultimum conatum ad hanc artem videtur attuliſſe. 4 Scripſêre de hoc argumento & *Clemens Timplerus*, *Joannes Modenarius* & *Rod. Goclenius*, qvorum libelli vulgo etiam noti ſunt: 5 ſed non tam obſervationis amplitudine, rerumqve copiâ, qvàm methodi facilitate Portæ anteferendi.

CIII. 1 Modum inveſtigandi è geſtibus & actionibus docent *Nicol. Cauſſinus*, *in Parallelis Eloqventiae*, 2 *Hier. Cardanus*, *in libris de ſapientia*, & *de utilitate ex adverſis capienda*; 3 ſed longè perfectiùs Auctor magni voluminis Italici (is eſt *Jo. Boniſacius* Academicus Philarmonicus) qvod inſcribitur *Arte de' cenni*, hoc eſt, *Ars geſtuum*: 4 è qvo nonnulla excerpſit *Harsdorferus* parte IV der Geſprechſpiele/ dialogô CLXXV. 5 Addi poteſt egregius liber *Scipionis Claramontii de conjectandis cujusqve moribus & latitantibus animi adfectibus*, ante annos circiter XX. Venetiis editus.

CIV. 1 Præter hos ſcriptores propriè politicos & civilis prudentiæ ſtudiis potiſſimùm deſtinatos, ſunt alii, qvi non qvidem ex profeſſo ad uſum politicum ſcripſerunt, ſed non minori dexteritate, qvamqvàm non æqvè obvia, partem aliqvam doctrinæ politicæ tractant, ſæpeqve ea ingerunt monita, qvæ non

† *Boecleri*] Commendatam igitur ſibi habeat juventus editionem egregiam Argentoratenſem anni M. D. C. LVII. in 8°. non modò laudatas ob Boecleri adnotationes eruditiſſimas, exqviſitæqve doctrinæ commentarios Franciſci Guyeti nunqvam ante hac editos: ſed &, qvod caput eſt, ob nunqvam ſatis laudandam Chreſtomathiam Terentianam Boecleri beati additam

non meliùs ſuppeditaverint, qvi id unum egêre. 2 Tales haberi debent Oratores, nonnulli Poëtarum, ſcriptores Epiſtolarum politicarum, & nonnulli alii, qvorum ſcriptio longiùs à civilis vitæ propoſito recedere videtur.

CV. 1 Ex hujusmodi ſcriptoribus, qvantum ad civilis prudentiæ ſtudium aut roboris & præſidii, aut ſubſidii auxiliiqve, aut deniqve cultus & ornamenti peti poſſit, vel ex unico incomparabili opere * Hugonis Grotii apparet, qvod *de Jure Belli & Pacis* inſcripſit. 2 In qvod mirô artificiô & delectu, qvidqvid uſpiam egregium apud oratores, hiſtoricos, poëtas, philoſophos, J Ctos & Theologos reperitur: congeſſit, ſuoqve inſtituto, cum omnium eruditorum adplauſu, adaptavit. 3 Ut taceam Politica Lipſii, qvorum materies magnam partem ex ejusmodi libris decerpta eſt. 4 De qvo videatis caput IV diſſertationis Bœclerianæ, ſæpius laudatæ.

CVI. 1 Ac *Oratorum* qvidem ſententias, inventiones & artificia paſſim ex intimis adytis verè ſic dictæ civilis prudentiæ promanare, nemini obſcurum eſſe poteſt, qvi vel primis, qvod ajunt, labris divina illorum ſcripta attigerit. 2 Neqve mirum. Erat enim huic hominum generi olim veluti propria negotiorum publicorum tractatio, præſertim in popularibus Rebuspublicis, qvales Græcorum multæ, Romana qvoqve diu fuit. 3 Qvin & in militia utriusqve gentis, plurimus eloqventiæ uſus eluxit. 4 Qvare veteres ſemper Eloqventiæ prudentiæqve ſtudia conjungebant. De qvo illuſtris Ciceronis lo-

cus

* *Hugonis Grotii*] Repetam hic in Studioſorum gratiam utilia nonnulla è præfatione Viri inter eximios hujus ſeculi non ultimô locô ponendi Dn Joh Georg. Kulpiſii primæ Grotiani Collegii editioni præmiſſa, ita habentia: ,, Grotium ,, ipſum ex Grotio Commilitonibus propone- ,, re, non in Grotium Commentarium librum ,, ſcribere, volui, qvod proſtemum, ſicut ,, meæ facultatis non eſſe, libenter agnoſco; ,, ita, ſi etiam foret, eam tamen nunqvam ſu- ,, ſciperem operam, qvam, niſi tali fortè abſol- ,, vatur inſtituto, qvali Bœclerus olim feliciſ- ,, ſimè cœperat, nec neceſſariam puto, nec uti- ,, lem; non qvod aliorum laboribus, qvi huc ,, ſunt impenſi, qvicqvam de ſuo pretio velim ,, ullâ ratione detrahere, ſed qvod credam, poſt ,, tot annotata, animadverſiones, obſervatio- ,, nes, qvales à Doctiſſimis viris jam ſunt edi- ,, tæ, parum ſupereſſe in Grotio, qvod non ,, privato idonei lectoris ſtudio, pervideri poſ- ,, ſit, aut etiam, ubi opus fuerit, corrigi. A- ,, liàs enim, ſi iſthoc ſcribendi genere perrexe- ,, rimus, futurum penitus credo, ut paria ſe- ,, qvantur Grotium fata, ac Jus Romanum ,, & Philoſophia Ariſtotelis multâ infelicitate ,, ſenſerunt, ex qvo infinitæ Interpretum qvo- ,, rumcunqve expoſitiones acceſſerunt traditio- ,, nesqve, ſiqvidem deinceps non tam de rebus ,, ipſis, qvàm verbis Grotii procul dubio eſ- ,, ſemus ſolliciti, ac tandem ſuper ipſis Inter- ,, pretum ſententiis diverſisqve opinationibus ,, philoſopharemur, donec notarum notæ, & ,, in Commentatores Commentarii iterum pro- ,, dirent, qvâ qvidem re nihil eſt ſtolidius, nihil ,, ad impediendam veram eruditionem fortius, ,, nihil ad barbariem propius. Qvanto conſul- ,, tius fuerit, cum ipſo Grotio propiorem qvan- ,, dam contraxiſſe neceſſitudinem; ac diſcipli- ,, nam ejus penitus imbibiſſe, qvæ, niſi in ſa- ,, crarum literarum allegationibus erroribus ſe- ,, impleviſſet, omnino ultra ingenium huma- ,, num aliqvid ſapere fuiſſet viſa. obtineri id ,, omnium optimè poteſt, ſi ex iisdem, unde ,, Grotiana derivata ſunt, ſubſidiis, qvalia & ,, in margine operis, & in annotatis fideliter ,, indicantur, ipſam rerum ſeriem, adhibi- ,, to, uti par eſt, judicio & induſtria, re- ,, petere ſuſtineamus, qvi hinc profecerit, ha- ,, bebit aliqvando, de qvo ſibi non immerito ,, poterit gratulari.

cus exſtat in *de Oratore lib. III. cap. XV.* 5 Hodie qvoqve idem fieri debere, nemo prudens ac ſolidè eruditus dubitat.

CVII. 1 Ceterùm duplex librorum genus ab oratoribus elaborari ſolet: unum, qvô *præcepta Eloqventiæ* tradunt, deqve arte oratoria diſſerunt; 2 alterum, qvod *in ipſa re*, *exercitioqve* præceptorum verſatur. 3 E *priori* genere ſtudioſo politices inprimis legenda *Ariſtotelis* duo opera, alterum prolixius, qvod *Artem Rhetoricam* inſcripſit; alterum brevius, *Inſtitutionem Alexandri Regis* complectens; totumqve ad ſcopum civilis actus directum, & exemplis maximè politicis inſtructum. 4 Legenda autem, ut rectè monuit Hugo Grotius, † in conſilio ad Regis Galliæ legatum, poſt Ethica & Politica, ſecus qvàm vulgo ſvadent: jungendusqve *Commentarius Pet. Victorii* vel *Antonii Riccoboni*. 5 *Ciceronis* qvoqve libri *de Oratore*, *de Inventione* ceteriqve Rhetorici, 6 & *Qvinctiliani Inſtitutiones Oratoriæ* paſſim exactiſſima philoſophiæ politicæ placita ſuppeditant, qvæ à civilis prudentiæ ſtudioſo ignorari non debent. 7 E junioribus inſtar omnium erit *Voſſius* in *libris ſex Commentariorum Rhetoricorum*, *ſive Inſtitutionum Oratoriarum.*

CIIX. 1 Ex *altero* genere, qvod *orationes* complectitur, potiſſimùm legi debent qvædam *Æſchinis*; 2 *Iſocratis* illæ, qvæ de ſtatu Reipub. Athenienſis agunt, 3 *Demoſthenis Atticæ*, *Olynthiacæ*, & *Philippicæ*, 4 orationes Agrippæ & Mæcenatis apud Dionem Caſſium *lib. LII.* 5 *Ciceronis* eæ, qvas ipſe *politicas* vocat, ut *Catilinariæ*, *Philippicae*, *pro lege Manilia*, *contra agrariam*, & ſimiles: 6 tùm varii *Panegyrici* Principibus, Rebuspublicis aut illorum præcipuis miniſtris dicti; 7 qvales ſunt illi *duodecim*, qvi junctim edi ſolent, vel ſeorſùm vel cum epiſtolis Plinii Junioris; nuperrimè cum *Auſonii Gratiarum actione* & *Ennodii Panegyrico Regi Theodorico* dicto, cumqve notis variorum publicati Pariſiis *an* 1655. *in* 12. ac in duo volumina diſtributi. 8 Inter qvos omnes ---- velut inter ignes Luna minores
emicat ille *Plinii*, boni Principis ideam perfectâ ratione exhibens 9 Cujus intellectui pleniori maximè inſerviet *Commentarius Jo. Friſchmanni*, annô CIϽ IϽC XXXV Argentorati editus. 10 Ad intelligendas atqve ad uſum transferendas orationes Ciceronis ſufficiet *commentarius* Jo. *Thomae Freigii.* 11 Niſi qvis addere malit prolixos commentarios *Nicolai Abrami* Jeſuitæ multa rerum varietate inſtructos.

CIX. 1 E recentioribus præter eas, qvæ ipſô argumentô ſunt politicæ, qvales ſunt nonnullæ *Bœcleri*, *Boxhornii*, *Æmilii*, *Pet. Cunaei*, *Matthiae Berneggeri*, *Freinshemii*, *Schefferi*, & qvorundam aliorum, præcipuè legi debent,

† *In Conſilio*] Legitur id Tomo I. Methodor. noſtrar. n. XV. p. 651. ſ. Mentionem ejus fortè qvoqve facit Boxhorn. in Epiſt. p. m. 56. „Aut fallor, inqvit, eruditiſſime Gronovi, „aut aliqvando apud te vidi litteras magni Gro„tii de ſtudio juris rectè inſtituendo, qvæſo „earum copiam mihi facias. Ego etiam deſideria tua ſemper explere conabor. & p. 58. „Cl. Gronovi. Tandem ad te remitto litte„ras Grotii. Pro uſu earum gratias tibi, & „qvodcunqve à me proficiſci obſeqvium „poteſt; debere volo.

bent, *Orationes* ‡ *Legatorum*, & qvæ his reponi ſolent, tum P*anegyricæ*, & qvæ ſunt *generis deliberativi*. 2 Huc pertinent *orationes clarorum hominum* Venetiis anno * CIↃ IↃ LV editæ, & volumina aliqvot Hanoviæ impreſſa: 3 item *Panegyrici* variis in locis *Guſtavo Sveciæ Regi ſcripti*, ac ſimul excuſi in Belgio; 4 qvidam *Danielis Heinſii*, *Caſp. Barlæi*, *Auguſti Buchneri*, & ſimiles aliorum.

CX. 1 *Poëtarum* qvoqve non pauci civilis prudentiæ ſtudium adjuvare poſſunt, 2 dum aut recenſent virtutes & res geſtas Principum ac miniſtrorum, ut *Panegyrici*; 3 aut Procerum motus detonant, fraudesqve Tyrannorum & aulicorum detegunt, ut *Tragici*; 4 aut civitatum mores jucundiſſimâ qvâdam deſcriptione & imagine exhibent, ut C*omici*; 5 aut deniqve cunctorum tàm Principum & miniſtrorum, qvàm privatorum hominum conſilia & actiones ſalſè traducunt, ut *Satyrici*. 6 In primo genere poſt *Homerum* & *Virgilium* (qvi ut in univerſa poëſi, ita etiam civilis inſtitutionis propoſito & ſcribendi charactere pragmatico, inter ſui generis ſcriptores meritò principatum tenent, præſertim Homerus, de qvo extat judicium *Horatii lib. I, epiſtola II*) excellunt C*laudianus*, P*orphyrius Optatianus*, & *Sidonius*; 7 qvorum primus legendus cum *commentariis* C*aſp.* † *Barthii*, poſtremus, cum *notis Jo. Savaronis*. 8 In ſecundo genere laudandæ præ reliqvis *Tragœdiæ Senecæ*, & qvædam *Euripidis*: 9 In tertio, *Ariſtophanes*, & *Terentius*. 10 In qvarto deniqve *Horatius*, J*uvenalis*, P*erſius*, & *Sulpicia*, ac maximè omnium pars ea *Satyrici Petroniani*, qvæ prolixô carmine conſtat. 11 Recentiorum delectum ſuum cuiqve judicium poſt lectos veteres facilè ſuppeditabit. 12 Inter eos *Owenum* in Epigrammatis, *Heinſium*, ‡ *Barlæum*, *Grotium* in Heroicis, *Baldium* &

 Sar-

‡ *Legatorum*] Præ ceteris, ſi dicendum qvod res eſt, mihi in præteritorum aliqvot annorum decurſu, Hiſpanorum Dn. Legatorum Orationes ac epiſtolæ, ut ſolidæ ac nervoſæ, admodùm placuerunt, cùm Galli ex adverſo, qvò Regis ſui facta vel excuſent vel probent, fictionibus manifeſtis indulgere cogantur neminiqve non notis. Conſveta illorum omnium formula fuit hactenus trita & ad nauſeam nonnullorum, multorum verò riſum ingeminata ſemper ac repetita: regem Galliæ hoc vel illud feciſſe AD QVIETEM IN EUROPA CONSERVANDAM. Cùm contrarium vel pueris notum ſit, taliaqve apertè falſa, neminem niſi corruptum movere qveant. Aliter enimverò ſolebant orare Galli veteres, nec ſemper chorda oberrabant eâdem omnes.

* Meum exemplum eſt de anno M. D. LIX.

† Ex edit. Francofurt M. DC. L. in 4to. optima, deſtituta tamen, qvod maximè dolendum, indicibus omnibus. Neqve planè rejicienda Pariſina anni M. DC. in 4to. qvam perpetuis nobiscum adnotationibus ſuis dedit Steph. Claverius in ſuprema Pariſina curia Advocatus, ipſi Iſaaco Caſaubono laudatus; adjectis & Parrhaſiii Selectis & M. Antonii Delrii notis.

‡ *Barlæum*] De hôc Cl. Viro amicoqve noſtro Joh. Georg. Grævio in præfatione Floro, qvi Trajecti Batavôr. CIↃ IↃC LXXX. exiit, præmiſſa ita videtur. „ Sæpe ſtupiditatem noſtri ſeculi „ ſum admiratus, cum audivi à plurimis, & „ qvi ſibi videbantur valde ſapere, Caſparis „ Barlaei carmina tanti fieri, ut cum optimis „ veteribus poëtis compararetur, ab aliis ante„ ferretur. Ingenio ſanè valuit, Barlaeus, & „ nullo ſuorum æqvalium fuit inferior. Sed in„ genio nimium indulſit. Qvantus enim in illo „ tumor; qvantus optime ſonantium verborum „ ubiqve inanis ſtrepitus! Auſim ſacramento „ contendere vix eſſe paginam, in epicis præſer„ tim, in qva non aliqvot verſus reperiantur, „ ſonori qvidem, & aures implentes, ſed non „ animum, ſi illum attendas. Nulla enim ſubeſt „ ſententia. Qvi iſtis poſſunt capi, non poſſunt „ Virgilio, Catullo, Horatio delectari, aut virtutes

Sarbievium in Lyricis, *Baudium* in Jambis planè eximios habendos, heic indicaſſe ſufficiat.

CXI. [1] Non omittendum eſt hôc locô, qvod à viris doctis obſervatum eſt, pleraſqve antiqviſſimorum Poëtarum de diis deabusqve fabulas nil aliud eſſe, qvàm hiſtorias regiorum, & exempla politica rerum benè vel ſecus in civili ſocietate geſtarum. [2] Sunt enim hi modi antiqviſſimi tradendi diſciplinam politicam, ut per carmina, parabolas, typos, ſymbola & fabulas notitiæ hominum inſinuaretur. [3] Id præclarè oſtendit Syneſius in ‡ fabula Ægyptiaca, ſive libris de Providentia, ubi docet in Oſiride totam Reipub. formandæ regendæqve deſcriptionem tractationemqve ineſſe.

CXII. [1] Neqve ſolùm deorum fabulæ, ſed etiam Æſopicæ à *Phædro* Augusti, vel, ut alii volunt, Tiberii Imperatoris liberto, carmine Jambicô expreſſæ huc pertinent. [2] Qvamqvam enim vulgò puerilis liber habetur, tamen vel ideo inter * civilis prudentiæ præſidia locum meretur, qvod ſingulis fabulis

„ tutes eorum præſtantiamqve intelligere, nec „ dijudicare qvid diſtent æra lupinis. Si enim „ noſſent qvàm longè tumor abeſſet à ſublimitate, „ nunqvàm hanc de Barlæo ferrent ſententiam, „ qvi fatetur ipſe ſe non excellentiſſimos ad imitandum poëtas ſibi propoſuiſſe, ſed Claudia„ num, ſui qvidem temporis poëtam omnium „ præſtantiſſimum, ſed ſui temporis, qvod ab „ aurea plurimum degeneraràt antiqvitate.

‡ *Fabula Ægypti:*] Syneſii Cyrenæi Ægyptium ſeu de Providentia Diſputationem ab Eſromo Rudingero Pabepergenſi, Joachimi Camerarii genero ſatis digno, in Latinum converſam eleganter ſermonem notiſqve doctis inluſtratam Baſileæ in 8r. evulgavit Joh. Oporinus. Liber eſt rarus admodum inqve paucis reperitur Bibliothecis. Ceterùm qvantus hic Eſromus fabularum amator fuerit, memoriæ prodit in ad Joach. Camerarium Reipubl. Noribergenſis olim Medicum celeberrimum Epiſtola præliminari, notis ſuis in Phædri Fabulas præmiſſa b. r. Conrad. Rittershuſius Brunſvicenſis JCtus his verbis p. 91. edit. in 8r. Raphelengii ciↄ iↄc x. „ Memini ipſe „ tuum ſororium, amicum meum, Eſromum „ Rudingerum optim. ac jucundiſſ. ſenem, extre„ mo illo velut actu vitæ ſuæ, qvem inter nos „ in hac ipsa Academia tranſegit, cum ipſe ad „ alios docendos in publicum prodire non poſſet, „ qvòd mente licèt incolumi manibus tamen pé„ dibusqve captus ex Moravis rediiſſet, atqve „ ut ipſe de ſe loqvi amabat, ἄχειρ κ̕ ἄπους „ vivendum haberet, aditum ad ſe adoleſcenti„ bus diſcendi cupidis libenter aperiret, ſuæqve „ doctrinæ opes liberaliter cum ipſis communi„ caret: tunc ergo memini eum fabellarum adin„ ventione atqve elaboratione ſenectutis incom„ moda, & morbi moleſtias ſæpe feſelliſſe ac „ leniiſſe, cùm fructus inde non exiguus ad mul„ tos, qvi ipſi operam dare vellent, rediret.

* *Civilis prudentiæ præſidia*] Hinc eſt, ait locô paulò antè adductô Cl. Rittershuſius p. m. 89, qvòd magnos ſæpe Principes, Oratores, & Philoſophos, & prudentes Conſiliarios in graviſſimarum rerum deliberationibus, fabulis atqve apologis, valde apposite & in loco uſos videmus. Poſſem exempla proferre ex Platone, Demoſthene, Ariſtotele, Maximo Tyrio, & aliis præſtantiſſimis ſcriptoribus: niſi pleriſqve ea nota eſſe arbitrarer. Unicum duntaxat ex Tiberii Imp. hiſtoria indicare ſufficiat. Qvàm aptè profundi ingenii Princeps cum cauſſam redderet, qvare Præſides Provinciarum vel Procuratores Cæſaris non facilè mutandos, nec niſi defunctis ferè ſucceſſores dandos exiſtimaret, Apologo uſus eſt hujuſmodi, teſte Joſepho lib. XVIII. Antiqvitat. Judaic. Muſcæ catervatim advolantes convulnerati cujuſdam ulcera contexerant. Hunc qvidam fortè prætereiens miſeratus, operam ei ſuam in muſcis abigendis obtulit. Putabat enim præ virium imbecillitate ipſum eas depellere non poſſe. Orat ſaucius, ut ſe ita ſineret. Mirante altero, qvid eſſet, qvòd ab hac moleſtia liberari nollet; reſponderet ille: Imò his depulſis majore afficiar moleſtiâ & cruciatu. aliæ enim his ſuccedent recentes muſcæ, & famelicæ, qvæ me jam antè malè habitum planè perdent. at iſtæ qvæ mihi nunc inſident, jam nonnihil remiſſius ſugunt ſangvinem, qvo ſcilicet fermè exſaturatæ ſunt.

Sic

fabulis aut præfixit aut ſubjunxit monita moralia & politica, ac, ut ipſe in procemio loqvitur,

---- *prudentis vitam conſiliô monet.*

3 Eum poſt Rittershuſii, Scioppii, Rigaltii, Meurſii aliorumqve labores indice, notis & collectaneis illuſtratum annô ſuperiori Ratisbonæ edidit eruditiſſimus vir, *Jo. Henricus Urſinus*: qvæ editio reliqvis ad inſtitutum noſtrum aptior eſt. 4 Addi poſſunt Græci verſus cujusdam *Gabriæ*, ſive, juxta alios, *Ignatii diaconi*, easdem, & præterea alias qvasdam fabulas, additis itidem epiphonematis moralibus, continentes, qvi Phædrinis in *editione Meurſiana* ‡ ſubjuncti ſunt.

CXIII. 1 Tertio, *Epiſtolis* etiam, qvibus ſæpe graviſſimi viri, rerumqve civilium periti, de maximis Reipublicæ negotiis communicant, locus non poſtremus heîc debetur. 2 Nam, ut rectè notavit Boeclerus *Diſſert. de Pol. Lipſ. cap. IV. p.* 31. in illa ſimplicitate epiſtolari ſæpe gravitas maxima politicorum dogmatum latet; præſertim ſi à viris in Repub. verſantibus exaratæ ſunt. 3 Qvales ſunt è veteribus *Ciceronis ad Atticum* πολιτικώτατον opus, de qvo Boeclerus *l. c. p.* 30. videndus: item illæ *ad Qvintum Fratrem*, præſertim prolixa illa de adminiſtranda provincia, qvam poſt *Nathanem Chytræum* eleganti *commentariolô* illuſtravit *Zacharias Schœfferus, profeſſor Tubingenſis, edit. Tubingæ* 1628. *in* 16. 5 Qvædam etiam *ad familiares*. 6 In omnes exſtant eruditæ *annotationes* Paulli *Manutii*.

Sic ergo, inqvit Tiberius, ego qvoqve Provincialibus conſulere cupio, ne multorum Præſidum rapinis, nimium vexentur & deglubantur: qvod fieret omninò, ſi crebro illi mutarentur, accedente ad innatam cupiditatem etiam citò decedendi metu. Malo igitur ditatos rapinis relinqvere, qvàm novos ſubſtituere. Apologum hunc ab Æſopo mutuatus eſt Tiberius. Ille enim ad Samios cum patrocinium præſtaret cuidam Trib. pl. qvi capitis arceſſebatur ob peculatum, ſimilem qvemdam pro ejus defenſione Apologum attulit, de vulpe in voraginem delapſa, ac prohibente erinaceum ne muſcas caninas, à qvibus obſidebatur, à ſe depelleret: ut auctor eſt Ariſtoteles lib. II. Rhet c. XX Qvàm concinnè autem Demoſthenes, ſummus apud Græcos orator, Philippo Macedone Oratores ſibi ab Athenienſibus dedi poſtulante, qvòd negaret aliter qvàm his remotis ſe cum ipſis fœdus facturum, diſſvaſit deditionem, uſus ad id conſilium Apologo de lupis, paſtoribus, & canibus. Pacti qvondam fuerant lupi cum paſtoribus, nihil ſe amplius hoſtile in oves molituros, ſi canes ſibi à paſtoribus dederentur, caúſſa ſcilicet omnium malorum. Creduli paſtores cùm canes lupis dedidiſſent, experti ſunt præſidio orbatos ovium greges jam à lupis impunè invadi atqve laniari. Idem volebat intelligi eventurum etiam Athenienſib. à Macedone hoſte, ſi Oratores ei dedidiſſent. Sic igitur veteres Fabulæ ad graves deliberationes ſæpè accommodantur.

‡ Qvam paullò ante adduximus. De ceteris Phædri editionibus lege Tomum noſtrar. Methodor. primum p. 324. Et adde omnino illam qvam è Bibliotheca Freinshemiana cum illius ipſius ſummi viri Freinshemii emendatione textus, Hiſtoriis, notis & accurato indice deprompſit Henricus Holſtius Argentorati M. DC LXIV. in 8t. Recenſuit & eleganter Phædrum Cl. Dn. Petrus Axenius JCtus eximius ediditqve non ſolùm cum prioribus & poſterioribus notis Nicolai Rigaltii, ſed & cum ſuis oppidò elegantibus Hamburgi 1671. in 8t. à qvo & reliqvas ejus ad lepidiſſimum fabulatorem adhuc deficientes obſervationes, ut recepit, exſpectamus. Meditamur & nos aliqvid, dabimuſqve fortè cum DEO, propediem Phædrum, unâ ad minimum Fabulâ auctiorem, qvam è MSSis codicib. eruimus.

CXIV. 1 Poſt Ciceronianas proximam laudem merentur *Pliniana*, cùm propter acumina ſententiarum politicarum, & ſingularem Auctoris prudentiam ac judicium, tùm ob hypotheticam multarum rerum ſingularium, momentorumqve in ſingulis negotiis obſervationem. 2 In eas prolixos commentarios ſcripſit *Joannes Maria Catanaeus*, breves notas *Henr. Stephanus* & *Iſ. Caſaubonus*; mediocres ſi molem ſpectes, ſed elegantiâ & rerum gravitate reliqvis anteferendas *Aug. Buchnerus*, qvæ omnino legendæ.

CXV. 1 Neqve negligendæ ſunt duæ *Salluſtii* ad Julium Cæſarem ſcriptæ *de ordinanda Republ.* (nam epiſtolas, non orationes eſſe, dudum eruditis obſervatum eſt) à *Jo. Loccenio commentariis politicis* illuſtratæ: itemqve multæ *Senecae*, *Symmachi*, & *Caſſiodori*. 2 Præferendæ autem Symmachi editiones *Scioppiana* & *Pareana*, qvod multas continent, qvæ à reliqvis editionibus abſunt: jungentur utiliter *notae Fr. Jureti* & *Jac. Lectii*.

CXVI. 1 E junioribus hûc ſpectant, *Æneas Sylvius*, *Eraſmus Roterodamus*, *Philippus Melanchthon*, *Thomas Morus*, *Joach. Camerarius*, *Augerius Busbeqvius*, *Hubertus Langvetus*, *Hugo Grotius*, *Chriſtoph. Forſtnerus*, & ſiqvi præterea ſolidè judicare de rebus civilibus didicerunt. 2 *Lipſii* qvoqve † nonnullæ politica argumenta tractant. 3 His addendæ & diligenter à ſtudioſo civilis prudentiæ conqvirendæ nondum editæ variorum prudentium virorum, qvotqvot earum adipiſci licet.

CXVII. 1 Inter vulgarium & vernacularum lingvarum ſcriptores eminent Germanicæ *Martini Zeilleri*, Gallicæ *Cardinalis Oſſati* (*Letters du Cardinal d' Oſſat*, *Paris* 1624.) *Stephani Paſqverii*, *Mottæi Vaierii*, *&c.* 2 Italicæ *Cardinalis Bentivoglii*, qvædam *Loredani*, *Vidomini*, *Perandæ*, &c. 3 item literæ Principum Gallicè & Italicè ſuperiori ſeculô editæ. a 4 Qvibus addi poſſunt Principum & illuſtrium virorum epiſtolæ ex antiqvis & recentioribus collectæ, ac noviſſimè Amſtelodami impreſſæ, annô CIƆ IƆC XLIV. 5 Fictitias epiſtolas ſub titulo *Secretariæ Apollinis* publicatas jam ſupra §. *XCIV.* 5. laudavimus.

a *Epiſtres des Princes*, *par Hieron. Ruſcelle* 1572. *in* 4. *Lettere de' Prencipi in* 4. *Delle lettere de' Prencipi libro terzo. Venet.* 1581. *in* 4.

CXIIX. 1 Poſtremò, qvi varias ſententias ſub certa titulorum diſpoſitione collegerunt, non ſine fructu adhibentur. 2 Præcipuè hîc laudandus *Stobæus*, cujus partem ſententiarum cum prolegomenis iſagogicis & notis edidit *Hugo Grotius*; 3 *Chriſtophori* qvoqve *Lehmanni* Florilegium politicum, Germanicâ lingvâ adornatum non exiguam laudem meretur.

CXIX. 1 Ceterùm cùm prudentis ſit, non ſolùm qvid utile, rebusqve ſuis

† *Nonnullæ*] Præprimis qvæ ad Theodorum Leewium ſcripſit, qvarum vel qvinqvaginta ineditæ in MSSis meis adſervantur, aliqvando, ſi ita viſum fuerit, edendæ, cum ceteris Cl. virorum *MSSis* epiſtolis, qvarum habeo feſtivam copiam.

is proficuum ſit, diſpicere, ſed etiam qvid liceat aut non liceat, & ad qvæ qvisqve obligetur aut non obligetur; omnino cum ſcriptoribus, qvos hactenus enumeravimus, varii Juris cognitio conjungenda eſt, puta divini, naturalis, gentium, publici & civilis.

CXX. 1 Ac *divini* qvidem *juris* cognitio commodiſſimè haurietur, è ſacris literis, & Theologorum ſcriptis, inprimis eorum, qvi *de Caſibus conſcientiae* ſcripſerunt. 2 qvod argumentum miror à noſtris vix leviter tactum eſſe, cùm Pontificii homines fermè nimiâ & ſuperſtitioſâ diligentiâ in eo verſati ſint. 2 Politices ſtudioſo, Lutheranæ doctrinæ addicto, vix ampliùs qvàm *Friderici Balduini* opus commendaverim, ſed eâ conditione, ut è *Locis Theologicis B. Gerhardi*, aut *Brochmanni*, & *Breviario Theologico D. Hulſemanni* excerpat, qvæ Locos de lege morali & forenſi, de Magiſtratu politico, de Miniſterio Eccleſiaſtico & Eccleſia ſpectant. 3 Ampliori inveſtigationi inſervient * duo volumina *Dedekenni*, *Danhaweri Lac Catecheticum*, *Dorſchei Anticriſis Theologica* cum tractatu *Conringii de Pace perpetua Proteſtantibus danda*, &c. 4 Multas divini juris qvæſtiones etiam *Grotius* & *Seldenus* in operibus mox memorandis attigerunt. 5 Jus Majeſtatis circa ſacra egregiò commentariò illuſtravit *Grotius*, cui *David Blondellus* ſcholia marginalia, & tractatum *de Jure plebis in regimine Eccleſiaſtico* addidit. 6 Sed in eo multa cùm alii, tùm *Tabor*, *in ejusdem argumenti libello* nuper edito, deſiderat.

CXXI. 1 Qvæ ad *jus Naturæ* & *Gentium* pertinent, paſſim qvidem à politicis & Juris Civilis ſcriptoribus tractari ſolent; ſed optimè omnium petentur ex *Hug. Grotii opere de Jure Belli & Pacis*, & in illud *annotationibus Jo. Feldeni*, ac *ſtricturis Theod. Graswinckelii in Feldenum*, 2 ex *Alberici Gentilis opere de Jure Belli*; 3 ex *Relectionibus Franc. Victoriæ*, 4 *Qvæſtionibus illuſtribus Ferdinandi Vasqvii* & *Franc. Hotomanni*, 5 *Seldeni* libris *de jure Naturali & Gentium ſecundùm diſciplinam Ebræorum*, 6 Anonymi cujusdam ſcriptoris de *jure & judicio Feciali inter gentes*, 7 & Moraliſtis *de juſtitia & jure*, ut *Leſſio*, *Dicaſtillo*, &c. 8 tum è particularibus ſcriptis controverſias horum jurium perſeqventibus, qvalia ſunt *Mare liberum Hug. Grotii*, cum defenſionibus *Jo. Iſac. Pontani*, & *Theodori Graswinckelii*; *Jo. Seldeni Mare Clauſum* cum hyperaſpiſte *Guil. Weelwoodo*, *Pet. Baptiſtæ Burgi* opus *de dominio maris Liguſtici*, cum refutatore *Graswinkelio*, &c.

CXXII. 1 *Publici juris* cognitio vel ideo neceſſaria eſt, qvòd ab eo præcipua momenta plerorumqve negotiorum civilium pendent. 2 Non ſolùm autem ejus imperii, in qvo vivimus, ſed etiam vicinorum & qvibus cum nobis multum negotii intercedit, cognoſcendum eſt: 3 idqve tùm è libellis ea de re editis, & cujusqve imperii ſtatutis ac legibus fundamentalibus; tum ex variis actis publicis, inſtrumentis & hujusmodi ſcriptis aliis. 4 *Germanicum jus publicum* multi diverſae molis operibus complexi ſunt; è qvibus meliora

* *Duo Volumina*] In editione noviſſima ac optima, qvæ Jenæ anno 1671. in fol. prodiit, habentur tria Volumina cum nova adpendice, qvæ vel qvartum volumen magnitudine æqviparat.

liora habenda * *Lampadii Reſpublica Romano-Germanica*; notis ineditis à *Conringio* illuſtrata; *Beckeri Synopſis juris publici*, (a) *Danielis Ottonis compendium cum notis Limnæi*, qvas juvenis adhuc edidit; *Wurmſeri Exercitationes juris publici*; (b) *Reinkingii tractatus de regimine ſeculari & Eccleſiaſtico*, &, qvod omnium inſtar eſſe poteſt, *vaſtum opus* (c) *Limnæi de jure publico*: cui tamen multa aliena immiſcuit. Particulatim id argumentum perſeqvuti ſunt *Mylerus de Principibus & Statibus Imperii*; (d) *Arumæus in tractatu de comitiis Imperii Romani*, in *qvinqve voluminibus juris publici*, ac in *commentario ad Auream Bullam*, *Carpzovius in tractatu de Lege Regia Germanorum*; *Limnæus in commentario ad capitulationes Imperatorias*, *Conringius* in variis tractatibus ſpecialibus, ‡ *Lehmannus in Chronico Spirenſi*, aliiqve.

CXXIII.

* *Lampad.*) Ut uſu rerum, ita eruditione Excellentiſſimi viri liber pauca qvidem habet, ſed eximia. In qvibuſdam ſingulares fovet ſententias; cùm primus auſus ſit accuratè tractare hanc rem. Tu adde Paurmeiſterum de Juriſdictione, qvo nemo magis commendandus ſine dubio. Vir qvippe gravi judiciò, multoqve rerum actu exercitus & amans patriæ. Si acceſſiſſet accuratior Philoſophiæ cognitio incomparabilem mereretur laudem.

(a) *Dan. Ottonis*) Hujus de Jure publ. librum multis laborare vitiis palam eſt. Limnæus qvidem notas addere voluit aliqvot addiditqve, ſed mox ipſum operæ pænituit; qvia enim è notandis oppidò pauca addidit, veritus eſt, ne non cetera probâſſe videretur, plura ſi adderet, inde & ſine voluntate ejus prodiit. De cetero curioſus fuit Otto circa Oeconomiam libri conſtituendam; verùm ipſa in tractatione plurima non recta habet, & interdum admiſcet falſa.

(b) *Reinkingii Tractatus de Regim.*) Hic liber ingentem ab initio famam habuit: ſed hanc ei conciliârunt magni fautores, qvos habuit & cum Principibus familiaritas; tùm multæ in libro adlegationes. Sed profundâ qvâdam interioris Philoſophiæ ignorantiâ laborare accuratè partes libri conſideranti patefiet facilè, qvomodoqve ipſa in principia impegerit, iiſqve erroribus totum librum impleverit. Deinde nimiò partium urgetur ſtudiò, omniaqve ſemel ad conceptam hypotheſin, nimirum Rempublicam Germanicam eſſe Monarchiam, refert. Vix alius hæc adeo apertè adfirmare audet. Multâ aliàs eruditione liber eſt refertus & particularia qvædam habet, alibi qvæ non temerè offendes. His addere poteris Faſciculum Juris publici cujus auctor Hermes eſt, Conſiliarius Colonienſis & Archiepiſcopi Salisburgenſis. Qvi inter Pontificios, poſt Beckerum, unus, qvod ego ſciam, harum eſt materiarum ſcriptor. Multum ſanè eruditionis & judicii habet, attulitqve hanc ad rem experientiæ lumen. Sed de ſuo vix aliqvid addit, verùm qvæ apud alios conqviſivit, judicio digerit. Imprimis verò hypotheſi ſuæ ſervit.

(c) *Limnæi*) Hic multâ experientiâ & φιλοπονίᾳ præſtans auctor eſt. Inſignis ejus laus ad libertatem ſcribendi pertinet. Neminem enim timuit, qvia cœlibem vitam egit. Notamenta in Capp. Imperat: edidit, de qvibus actum eſt, ut prohiberentur. Verum interceſſit Principis, cui miniſtrabat auctoritas. Hoc ei deeſt, qvod interioris luce deſtituatur philoſophiæ, & nonnunqvam exinde fallatur. Porrò Albericum Italum, qvi Bodinum ſuggillavit ob diſtinctionem inter formam & ſtatum. Induſtria, diligentia & notitia rerum incomparabilis; qvæ tamen poſterioribus in tomis magis parent qvàm in prioribus.

(d) *Arumæus*) Citra controverſiam optimus ejus liber eſt hic, qvem Boſius laudat, de Comitiis, qvippe qvi eſt magnâ diligentiâ congeſtus. Ejus Diſcurſus autem partim ipſum, partim verò habent auctores alios; collecti enim ſunt plures in illos ab Arumæo tomos. De hoc ergo libro ſimplex non poteſt eſſe judicium. Scriptis Arumæi nemo ſolùm poteſt inniti, neqve enim illi Diſcurſus adeò accurati ſunt.

‡ *Lehman. in Chronic.*) Qvod Qvinctilian. libr. I Inſtitut. c IV de Grammatica olim adfirmavit, id ego hoc de libro dico, qvod plus „ in receſſu habeat, qvàm in fronte promittat, nimirum, exactam Germanicæ Reipubl. deſcriptionem. Inde etiam doctiſſimi qvique, eô qvis, ut utatur librô, tamqvam Introductione ad Notitiam Imperii, forte non ab re cenſent, nec

fa-

CXXIII. 1 *Jus civile* ſive Romanum privatum etſi ad prudentiam politicam propriè non multum conducit, & ut rectè ajebat Cicero, viam non munit ad conſulatum; tamen à politico planè ignorari non debet, tum qvod turpe eſt ei, ignorare jus civitatis, in qva verſatur; tùm qvod ſubinde in Reipublicæ negotiis occurrant, qvæ ex eo ſi non ſtabilri, ſaltem illuſtrari qveant. 2 In Germania verſaturo ea cognitio omnino neceſſaria eſt, ob ingentem ejus in noſtro Imperio auctoritatem. 3 Aliàs politico, ut politico, ſufficere poſſunt *Inſtitutiones Juris Juſtiniani* cum uno & altero Commentario, aut etiam Compendium aliqvod univerſæ jurisprudentiæ, qvalia confecerunt *Franc. Hotomannus, in partitionibus Juris civilis elementariis, Joach. Hopperus in Seduardo ſuo*, nuper à Conringio edito, *Hermannus Vultejus in Jurisprudentia Romana, Greg. Biccius in Aureis, ſive Rebus qvotidianis, Georgius Adamus Struvius, in Jurisprudentia*, &c. 4 Sed hæc omnia, ſicut etiam qvæ ad *Juris Feudalis* notitiam politico Germano pariter non ignorandam faciunt, ex ipſis jureconſultis meliùs cognoſcentur.

CXXIV. Juvabit etiam cognitione pietatis & providentiæ divinæ animum probè munire. 2 Magnum enim tàm in ſcriptis, qvàm actibus politicis dijudicandis lumen & fundamentum adfert conſideratio & veneratio fati, cujus qvæ ſit vis ac ratio, * optimè omnium expoſuit *Voſſius libro II Theologiæ gentilis capite L.* 2 Præcipuè hôc nomine laudari meretur Polybius, qvi multa prudenter & graviter ad Fatum refert: contra vituperari Tacitus, qvi Fati nec ſenſum altiorem, nec cultum præfert: 3 E Chriſtianis in agnoſcendo colendoqve Fato planè eximii ſunt Nicephorus Gregoras, Philippus Cominæus, & Barth. Gramondus. *conf. Bœcl. de Pol. Lipſ. cap. V. p. 53.* 4 Ad cognitionem DEI, ſui ipſius, & divinæ voluntatis politico ſufficere poteſt diligens lectio *Epitomes credendorum Nicolai Hunnii*, qvæ inſtar omnium Compendiorum erit.

CXXV 1 Atqve iſta ſufficiant de libris & ſcriptoribus, qvorum præcipuè lectione ad civilem prudentiam perveneri poteſt, ex ſententia doctiſſimorum prudentiſſimorumqve virorum propriaqve obſervatione adnotâſſe. 2 Qvorùm ſi cui nimia multitudo videbitur, is primò ſciat, nos cùm in unoqvoqve genere optimos indicavimus, qvid juvare poſſit profectum civilis prudentiæ; non autem qvid neceſſariò adhibendum ſit, oſtendere voluiſſe; ac proinde non reqvirere, ut omnes, ſed ut in ſingulis generibus aliqvi legantur. 3 Deinde, vaſtum eſſe politices ſtudium, & immenſam negotiorum civilium multitudinem ac varietatem, adeoqve virum civiliter prudentem ac eruditum ad conſilia arteſqve ſuas vel animô meditandas, vel ſermone ornandas, vel deniqve actu nobilitandas, ampliſſimô penu inſtructuqve indigere. 4 Deniqve cùm non omnes haberi compararique facilè ab uno eodemqve homine poſſint, nos vel ideò plures indicâſſe, ut, ſi unus haberi neqvit, ejus locô alius

facilè aliâ methodo utendum.

* *Optime omnium*) Lege tamen & Gabrielem Naudæum apud Joh. Beverovicium part. III. Epiſtolic. Qvæſtion. de Vitæ Termino à p. 1.-8. edit. Lugdun. Batav. CIƆ IƆCXXXIX. docte & prolixè de Fato docentem.

lius interim adhibeatur. 5 Neqve opus eſt ſingulos emere; cùm multos legiſſe, atqve inde nonnulla aliis, qvos poſſidemus ipſi, omiſſa excerpſiſſe ſufficere poſſit.

CXXVI. 1 Ut tamen ſic qvoqve diſcentium commodis conſulamus, denuò delectum habebimus, & breviter eos ſcriptores indicabimus, qvos & comparare facile eſt, & legiſſe, dum qvis adhuc in Academiis verſatur, nec dum civilibus negotiis innexus eſt, fermè ſufficit. 2 Seqventes igitur potiſſimum comparari ſvademus: *Doctrina politica Arniſæi, ex editione Argentoratenſi* 1648. *Keckermanni Syſtema Politicum, cum ejusdem diſcurſibus politicis; Lipſii Politica, ex edit. Berneggeri: & de iis diſſertatio Bœcleri; Boxhornii Inſtitutiones politicæ cum Explanationibus, qvæ nunc Lipſiæ excuduntur; Ariſtotelis Politica ex edit. Conringii; Piccarti in eam commentarius, mox correctior proditurus; Analyſis Politices Ariſtotelicæ Feldeni; &, (g) ſi recudetur, paraphraſis Heinſii; Bodinus de Republica; Relectiones politicæ Arniſæi; Polybius ex interpretatione Caſauboni; Thucydides Enenckelii; Plutarchi vitæ, ex verſione Xylandri; Xenophon & Dio Caſſius ex verſ. Leonclavii; Herodianus Bœcleri; Nepos ex editione noſtra; Livius Gronovii; Curtius Freinshemii, aut ex nuperrima editione Lugdunenſi; Svetonius Bœcleri (h) Ammianus Valeſii; Tacitus (i) Berneggeri; Julius Cæſar Thyſii; aut etiam Joſ. Scaligeri (k) Vellejus Bœcleri; Florus ex ultima edit. Freinshemii; Machiavelli Diſputatationes de Republica; Zevecotii Obſervationes in Florum & Svetonii Julium; Amirati Diſſertationes in Tacitum. Forſtneri notæ politicæ ad eundem, cum continuatione; Bœcleri commentarius ad I. Annalis capita XV priora: Annotatio politica ad libros Hiſtoriarum; Ejuſdem Diſſertationes Academicæ nuper editæ, & aliæ ſeorſum excuſæ; Cyriaci Lentuli Europa, & Arcana regnorum ex Tacito; Virdungi Commentarius in Agricolam Taciti; Berneggeri Qvæſtiones miſcellaneæ ex Tacito; Freinshemii Supplementa Liviana; Alberti Cranzii ſcripta hiſtorica; Aventini Annales Boici; Thuanus ex editione Genevenſi; Fr. Gvicciardini Hiſtoria Italica: (m) Cominæus ex editione* Ba-

(g) Omnino emendatiùs Heinſii paraphraſis edita eſt & notis illuſtrata ac ad diſputandum publicè propoſita à Severo Chriſtoph. Olpio Iſnacenſi Thuringo, & in Academia Jenenſi Profeſſore Celeberrimo Jenæ M. DC. LX. in 4to.

(h) Et Cl. Grævii Trajecti ad Rhenum 1672 in 4to. hanc enim editionem poſteriori præferunt.

(i) *Berneggeri*) At ego præfero editionem Amſtelodamenſem Blavianam M. DC.LXXXV. in II. Voluminib. in 8t. qvam Joh. Frider. Gronovius recenſuit, & præter integros Lipſii, Rhenani, Urſini, Mureti, Pichenæ, Merceri, Gruteri, Acidalii, Grotii, Freinshemii Commentarios & ſelectos aliorum, ſuas notas paſſim, una cum indice (qvem pleniorem mallem) Melchioris Freinshemii adjecit. Doleo omiſſa eſſe commata, inciſa, vel verſus & ob hos libentius utor editione Argentoratenſi M. DC. LXIV. in 8t. qvam vult Boſius noſter.

(k) Optimus eſt Jungermanni qvo de dixi in part. I. Animadverſion. mear. Philologicar. c. I. §. VI. p. 8.

(m) *Cominæus*] Novam Philippi Cominæi Latinam editionem ad Gallicam illam Theodori Gothofredi, Regis Galliarum Conſiliarii, & Hiſtoriographi, Theodori Filii, Magni illius Dionyſii, qvi libros Juris Civilis inæſtimabili diligentiâ notis illuſtravit, Nepotis, adornan-

Barthii; *Famianus Strada ex editione Moguntina*; *Gramondi hiſtoria Gallica*; *Verulamii hiſtoria Henrici VII*; *Sleidani hiſtoria ſui temporis, cum continuatione Lundorpii*; *Chytræi Saxonia, ex editione ultima*; *Bœcleri Commentarius de rebus ſeculô IX & X geſtis*; *Petri Svavis Hiſtoria Concilii Tridentini, è nuperrima editione Dordracenſi*; Jo. *Cluveri Epitome Hiſtorica, ex editione noviſſima*, 1657. *Ubb. Emmii Græcia vetus*; *Phil. Honorii Theſaurus politicus, ex editione noviſſima*; *Lindæ deſcriptio Orbis*; *Edoini Sandis Relatio de ſtatu religionis in Europa, Latinè*; *Princeps Machiavelli*, & *Sprengeri*; *Legatus Friderici de Marſelaer*, * *Officia Ciceronis cum aliis opuſculis ſeorſum excuſa*; *Seneca ex editione Gronovii*; *Sariſberienſis Policraticus*; *Petracha de remediis utriusqve fortunæ*; *Verulamii Sermones fideles*; *Piccarti obſervationes Hiſtoricopoliticæ*; *Saavedræ Idea Principis*; *Aphoriſmi Politici Danæi*; *Creſcentii artes regendi Reſpublicas*; *Chokier Theſaurus aphoriſmorum politicorum*; *Clapmarius de Arcanis Rerumpubl. ex editione noviſſima*; *Boccalini Relationes ex Parnaſſo*; *Ejusdem Lapis Lydius politicus*; *Trutina Statuum Europæ & Recreatio menſalis Freibergeri*; *Disqviſitiones politicæ Boxhornii*; *Miniſterium Cardinalium Richelii & Mazarini*; *Barclaji Argenis, & Satyricon*; *Neuhuſii Theatrum Ingeniorum*; *Theophraſti Characteres cum Commentariis Caſauboni*; *Brochmandi Specimen Ethices hiſtoricæ*; ‡ *Ciceronis opera ex editione Dionyſii Gothofredi*; *Voſſii Partitiones Oratoriæ*; *Ejusdem Commentarii Rhetorici*; (*a*) *Plinii Panegyricus cum commentario Friſchmanni*; *Bœcleri Orationes & programmata*; (*b*) *Orationes Cunæi ex editione Buchneri*; *Ant. Æmilii Orationes*; *Claudianus Barthii*; *aut Nic. Heinſii*; (*c*) *Senecæ Tragœdiæ cum notis Farnabii*; *Terentius Bœcleri*; *Horatius Heinſii, aut Thyſii*; *Satyrici minores Boxhornii aut Dilherri*; *Juvenalis & Perſius Farnabii*; *Plinii Epiſtolæ ex editione Lipſienſi*; *Salluſtius Parei*; *Epiſtolæ Langveti & Forſtneri*; *Zeilleri Epiſtolæ Germanicæ*; *Grotius de Jure Belli & Pacis*; *In eundem annotationes Feldeni, & Strictura Graswinckelii*; *Lampadii Reſpubl. Romano-Germanica*; *Beckeri Synopſis Juris publici*; *Mylerus de Princibus & Statibus Imperii, ex editione ſecunda*; *Reinkingius de Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico, ex editione nuperrima*; *Li-*

Fff *mnæus*

nandam recepit in ad Lectorem præfatione Phædro ſuo præmiſſa doctiſſ. Dn. *Petr.* Axenius. Qvam Gallicam editionem, in Lupara, Majeſtatis palatio in expanſa charta impreſſam, Ludovicum XIV. hôc tempore regnantem, feciſſe tanti, legere ſe ibid. meminit idem Axenius, relatumqve habere à Sebaſtiano Mabre Cramoiſy, Regio typographo, ut primam ejus plagulam ſacris Manibus prælo adpoſitis non ſit dedignatus conſecrare.

* *Officia Ciceronis*) Legenda hæc ſunt cum Commentariis Hieron. Wolfii ſecundò editis Baſileæ M. D. LXIX. in fol. & Coloniæ apud Gymnicum annô 1593. in fol. & cum illis, qvos nobis integros dedit in edit. Amſtelodam: M. DC. LXXXVIII. in 8t. Cl. Grævius. Nec contemnendi Martini Henrici Saganenſis Profeſſoris olim Wittebergenſis; Witteb. M. D. LXXXII. in 8t.

‡ *Ciceronis opera*] Optandum eſſet, Cl. Grævius ſuam tandem ut ad finem perduceret editionem, interim tamen utimur non ſine fructu Lugdunenſi Batav. an: M. DC. XCII. in 4to. qvam recognovit Cl. Dn. Jacob. Gronovius, additô veteri Scholiaſtâ nunqvam anteà editô.

(*a*) *Plinii Panegyricus* Non pœnitebit emiſſe editionem Lugdunenſ. Hackianam in 8t. M. DC. LXXV

(*b*) *Orationes Cunæi*) Optimè edidit has Lipſiæ Cl. Cn. Chriſtophor. Cellarius in 8t. M. DC. XCII

(*c*) *Seneca Tragœdiæ*) Optima editio eſt Gronoviana, qvæ prodiit Amſtelod. 1682. in 8t.

mnæus de jure Publico, *& in Capitulationes Imperatoris*; *Conringii varia ſcripta hiſtorica & politica* * *Collegium Electorale cum variis appendicibus*, *cenſuris*, *&c.*

CXXVII. 1 Qvâ ratione ſingula doctrinæ hujus genera, ſingulæqve ſcriptorum claſſes legendæ ſint, & qvid in illis potiſſimum obſervandum, qvid & qvô pactô excerpendum, & poſteà ad uſum transferendum ſit, neqve nunc vacat exponere, neqve ſi vacaret, facilè & breviter id fieri poſſet: cùm pro diverſitate ingeniorum, profectuum, ſcopi, vitæ generis, aliarumqve circumſtantiarum tota hæc ſtudiorum ratio aliter aliterqve inſtitui debeat.

CXXIIX. 1 Ceterùm progreſſo paulliſper in lectione librorum politicorum, jungenda eſt ‡ converſatio Prudentum, dandaqve opera, ut ſæpiſſime virorum politicorum conſvetudine utamur: etiamſi audaciæ interdum aliqvid concedendum ſit, qvam tamen ſic temperabit ac veluti leniet dijudicatio temporis & negotiorum, qvibus occupati ſunt, qvos adituri ſumus; ut nunqvam invitis ſuperveniamus, aut ſaltem ne diutiùs & præter eorum voluntatem moleſti ſimus. 2 Optandum autem eſſet, vigere hodie ac reduci veterum morem, qvi, qvos in ſpem Reipubl. educabant, in contubernium virorum principum & prudentum tradebant, ut eos in curiam & forum comitarentur, cunctasqve eorum actiones coram inſpicerent, & ſimul tacitè ac non ſentientes imbiberent mores & artes. 3 Huc & Peregrinatio pertinet, ſed cautè ſuſcipienda, & non niſi probè jactis fundamentis politicæ eruditionis. 4 De qva paſſim exſtant conſilia doctorum virorum: nosqve ipſi alibi tetigimus id argumentum aliâ occaſione, prolixius autem ſuô locô, ſi DEus volueirt, perſeqvemur. 5 Præcipuè ambienda eſt conſvetudo cum Secretariis & Conſiliariis Status, cum Legatis & eorum miniſtris, & aliis, qvibus aut arcana conſiliorum ex ipſa tractatione interioreqve admiſſione magis qvàm aliis innoteſcunt, aut civilis actus indoles è diuturno uſu penitus perſpecta eſt.

CXXIX. 1 His omnibus præſidiis inſtructus tutò ad tractationem ipſam civilium negociorum accedet. 2 In qva ſi omnia exactè inſpiciat expendatqve, brevi

* Opus Conringii de Finibus Imperii Germanici inter omnia ejus ſcripta optimum & doctiſſimum eſt. Habeo illud ex edit. Francof. M. DC. XCIII in 4to.

‡ *Converſatio Prudentum*) De hac prolixè agit & eruditè Celeberr. Dn. *Morhofius* libr. I. Polyhiſtor. Litterar. c. XV. totô p. m. 153. ſ. In præſentia adde è XLIII. Epiſtol. libr. I. Rolandi Mareſii p. 197. ſeqventia: „ Præter externarum „ lingvarum notitiam, & prudentiam, qvæ ex „ illo per varias provincias diſcurſu acqviruntur, „ aliud etiam commodum vos *φιλομαθεῖς* „ conſeqvimini: doctos nimirum viros, qvi „ ubicunqve degunt, ſalutando, cum iis amicitiam contrahendo, eorumqve conſvetudine, „ & colloqvio fruendo, ex qvo nonnunqvam „ plus utilitatis hauritur, qvam ex librorum „ lectione. Hæc Mareſius Sic Foxius Legatus Gallicus in legationibus ſuis ſemper doctos viros, omniumqve diſciplinarum peritiſſimos ſecum duxit, ut qvicqvid daretur temporis à legationis negotiis vacuum, horum diſſertationibus impenderet, atqve ita factum eſt, ut per compendium omnium plane rerum ſcientiam non vulgarem hauriret. Benedict. Mauterius idem fecit ex conſilio Grotii. Erat etiam legatus Gallicus. Hos imitata eſt ſereniſſima Chriſtina Regina Sveciæ, qvæ ſemper verſabatur in conſortio eruditorum, unde tantam ſcientiam ſibi comparavit, ut etiam Doctores, in iis ſtudiis, qvæ ex profeſſo tractarant, in ruborem dederit; adeo de omnibus rebus accuratè diſſerere potuit.

brevi ad eam notitiam pariter ac dexteritatem perveniet, qvæ ſi non perfecti politici nomen mereatur, ſaltem ab ea gloria proximè abſit. 3 Hæc de ratione ſtudii politici, qvoad inſtituti noſtri ratio permiſit. 4 Qvi plura deſiderat, legat conſultationes hac de re Amſtelodami junctim excuſas: inter qvas præcellunt Naudæi Bibliographia, Clapmarii Triennium Nobilis adoleſcentis, Coleri Epiſtola de ſtudio politico, Sturmii Inſtitutio Nobilitatis, & Conſilium Hugonis Grotii. 5 Apud qvos ſimul invenietis, qvænam præterea diſciplinæ & ſtudiorum genera futuro Politico ſive ut inſtrumenta, ſive fundamenti locô, ſeu deniqve ornatus gratiâ tractanda ſint. 6 Nobis enim id in præſens exſeqvi nec vacat, neqve propoſitum fuit. 7 * Cenſura Auctorum ad civilem prudentiam conſeqvendam legendorum prodita nuperrimè eſt à Cyriaco Lentulo Profeſſore Marpurgenſe; qvam ſi qvis cum noſtris comparaverit, operæ pretium ſe feciſſe experietur.

* *Cenſura*) Eubuli Theoſdoti Sarckmaſii ſeu Conradi Samuelis Schurtzfleiſchii judicia de noviſſimis ſcriptorib. Politicis, Witteb. in 4to. edita, etſi multis bilem moverint, digna tamen ſemper, qvæ à Studioſis legerentur, judicavi.

VIII.

I. N. J. C.

DE

COMPARANDA

ELOQVENTIA CIVILI

deqve is, qvæ huc inprimis faciunt,

Diſſertatio Iſagogica

JOH. ANDR. BOSII.

MOnſtraturo breviter viam, qvâ ad Eloqventiam, ſi non perfectam, qvæ pauciſſimis ab omni ævo, ſi tamen ulli, contigit, ſaltem mediocrem & genio ſeculi vitæqve civilis uſui accommodatam, perveniri qveat; diſpiciendum qvidem ante alia foret, cùm qvid eô ſignificetur, tùm an & qvantum ejus humanâ operâ atqve induſtriâ conſeqvi liceat? 2 Verùm cùm hæc ab aliis ſatis explicata ſint, inſtitutum noſtrum, qvod eſt de mediis, qvibus eloqventia obtineri qveat, haut morari debent.

II. 1 Dixi, *humanâ operâ atqve induſtriâ*; ut indicarem, non omnem Eloqventiam heîç nobis tanqvàm ſcopum eſſe propoſitum; ſed eam, qvam conſeqvi in hominum manu ac poteſtate eſt ſitum. 2 Nam, ut benè obſervatum *Nicolao Cauſſino* in eruditiſſimi operis *de Eloqventia divina & humana* præfatione, Eloqventia, qvâ homines unqvam uſos conſtat, in univerſum trium fermè generum eſt, *Divina*, *heroica*, & *humana*. 3 *Divina* ortu planè cœleſtis nec tam verborum floſculis, copiâ argumentorum, aut rerum concinnâ ordinatione, qvàm divinis ſenſibus & inſita qvâdam virtute efficax, & omnino admirabilis, vel infantiſſimos omnisqve humanae doctrinae rudes momentô temporis eloqventiſſimos efficit. 4 Atqve hâc Moyſes, qvem etiam è gentilibus Dionyſius Longinus περὶ ὕψους *virtutem numinis pro dignitate*

non

non magis cognoviſſe, *qvàm elocutum* eſſe teſtatur; hâc Eſaias, hâc Paullus & reliqvi non minus θεορήτορες, qvàm θεόπνευστοι viri inſtructi fuerunt.

III. 1 *Heroica*, qvalis in Chryſoſtomo, Baſilio Magno, Gregorio Nazianzeno, & veterum Eccleſiae Doctorum aliis fuit, 2 non illa qvidem tota cœlitùs infuſa, ſed peculiari tamen, & uberiori, qvam illa profanorum oratorum, diviniori praeſidiô adjuta, commune dicendi genus multum ſuperat.

IV. 1 *Humana* deniqve eorum eſt, qvi ſolâ naturâ, inſtitutione, atqve uſu accuratius aut caſtius dicendi genus conſecuti ſunt. 2 Qvales fuère Demoſthenes, Cicero, & qvi ſive olim, ſive noſtrâ aetate propius ad eorum perfectionem acceſſerunt.

V. 1 Nos in praeſenti *humanam* potiſſimùm reſpicimus: heroicam non ultra, qvàm qvâ parte humana eſt, ſive humanâ induſtriâ comparatur. 2 Divina cùm nihil hominis, praeter preces & adſenſum, inter praeſidia ſua numeret, inſtitutionem omnem ſpernit. 3 Ejus tamen partes & dotes ſingulares, qvae in Divinis Prophetarum Apoſtolorumqve ſcriptis paſſim exſtant, haut vanè ſtudioſus eloqventiae, maximè ſacrae, inter exempla, qvae qvoad licet imitetur, ſibi proponet. 4 Qvod pariter & multo magis in iis, qvi heroicâ polluerunt, faciendum; ac proinde minimè negligenda, qvae Chryſoſtomus, inprimis & Gregorius Nazianzenus, ſummi ſine dubio atqve eruditiſſimi pariter ac eloqventiſſimi viri, in Homiletico & Paraenetico dicendi genere ſcripta reliqverunt.

VI. 1 Sed nec humana Eloqventia omnis huc pertinent. 2 Nam & Philoſophis, Sophiſtis, Poëtis, aliisqve tribuitur: 3 Sed ea ad oratorem, qvem nos formare conſtituimus, minimè pertinet. 4 Qvanqvam enim & philoſophi qvidam ornatè locuti ſunt, ut Theophraſtus, Ariſtoteles, Xenophon & praecipuè Plato; tamen, ſi Ciceronem ſeqvimur, qvô nemo accuratiùs eloqventiae naturam & ingenium depinxit; horum oratio neqve nervos, neqve aculeos oratorios habet; 5 loqvuntur cum doctis, qvorum ſedare animos malunt, qvàm incitare; docendi cauſſâ, non occupandi; mollis eorum oratio & umbratilis, nec verbis inſtructa popularibus, nec juncta numeris, ſed ſoluta liberiùs; nihil iratum habet, nihil mirabile, nihil aſtutum; itaqve ſermo potiùs, qvàm oratio dicitur. 6 Ceterorum qvoqve, qvos diximus, oratio etſi minus ab oratoria, differt tamen ut Cicero oſtendit. Videte eum in *Oratore* cap. XIX & XX.

VII. 1 Propriè igitur loqvendo ſolius oratoris eſt eloqventia. 2 Ceterùm praeſtantiſſimorum oratorum ſententiâ, ut orator à diſerto, ſic eloqventia à loqventia, ſive differendi promtitudine plurimum diſtat. 3 Nam *diſertum* M. Antonius apud Ciceronem *l. de Orat. cap. XXI.* ſtatuebat eum, *qvi poſſet ſatis acutè atqve dilucidè, inter mediocres homines ex communi qvadam opinione dicere*, ſive ut breviter Qvinctilianus *IIX. Inſtit. orat. c. I. qvi dicat. qvæ oporteat.* 4 *Eloqventem* verò, *qvi mirabilius & magnificentius augere poſſet, atqve ornare, qvæ vellet, omnesqve omnium rerum, qvæ ad dicendum pertinerent,*

 rent,

rent, fontes animô ac memoriâ contineret, qvalem ipſe qvidem viderit neminem, etſi diſertos nonnullos cognoſſet.

VIII. Jam cùm eloqventia nihil aliud ſit, qvàm illa vis animi, qvâ qvis orator efficitur, facilè hinc colligitur, eam haut incommodè audire facultatem de omni qvæſtione pulcrè & ornatè, prudenter, copiosè, & ad perſvadendum aptè, pro dignitate rerum, & cum voluptate audientium dicendi.

IX. Tanta igitur cùm ſit eloqventiae amplitudo, haut immeritò viri doctiſſimi in deſcribenda illa partiendaqve ingentem poſuêre operam, qvos paſſim inſpicere poteritis, ego ſine longiore proœmio in rem præſentem, & ad ipſa media, qvibus *eloqventia*, inprimis *civilis*, comparatur, veniam.

X. 1 Hanc è nullo ſcriptorum genere commodiùs aut feliciùs, qvam ex hiſtoricis licebit diſcere, iis nempe qvi inter phaleras rhetorum, & philoſophorum ſimplicitatem velut mediam inſiſtunt viam, atqve ex eloqventia oratoria, qvam antè ſignabamus, nil amplius, qvàm modum retinent. 2 Neqve enim ullum aliud genus laudari poteſt, qvod inaffectatâ ſimpliciqve venuſtate, nervoſâ brevitate, perſpicuitate ac dignitate magis antecellat, eqve civilis actus notitia ac conſvetudine fiduciam potiùs, qvàm artem oſtendat. 3 Horum igitur lectionem fundamenti locô ſubſternendam eſſe ei, qvi ad laudem viri civiliter eloqventis adſpirat, dubitari non debet.

XI. Sed qvinam illi; non ſanè multi, ſi Latinos reſpicias, qvos heîc potiſſimùm attendimus. 2 Et ex his ipſis non omnes aeqvè apti aut iisdem dotibus inſtructi. 3 Neceſſarium igitur, nominare potiores ſingulorum dotes huic propoſito aptas, ac interdum qvoqve nævos indicare.

XII. 1 Primas * *Q. Curtio* tribuerim ob ſingularem ſvavitatem, elegantiam ac-

* *Q. Curtio*) Hujus de ſtylo nos ita docet Voſſius I. de Hiſtoric. Latin. c. XXVIII. extr. p. m. 152. ,, Uſqve adeò auctor is verborum eſt ,, eligens; nec perſpicuè minùs, qvàm terſè ,, ſcribit; acutus etiam eſt in ſententiis, inqve ,, orationibus mirè diſertus. Imò vel Auguſtæo ,, ævo digna eſt dictio; vel proximè abit. Ut ,, hinc qvoqve argumentum capere poſſimus, non ,, vixiſſe tempore Trajani; qvod, pluſculâ affe- ,, ctatione acuminis, & anxiâ brevitatis curâ, ,, ab nativâ illâ aurei ævi ſimplicitate magis receſ- ,, ſit: ut ex Plinio juniore, Floro, & aliis, non ,, obſcurè videmus. J. Lipſius in notis ad libr. I. Polit. c. IX. §. XII. p. m. 18. edit. Plantin. M. DC. IV. ,, Curtius me judice probus eſt legiti- ,, musqve Hiſtoricus, ſi qviſqvam fuit. Mira in ,, ſermone ejus facilitas, in narrationibus lepos. ,, aſtrictus idem, & profluens; ſubtilis, & cla- ,, rus; ſine curâ ullâ accuratus. Verus in judiciis, ,, argutus in ſententiis, in orationibus ſuprà ,, qvàm dixerim facundus. Qvòd ſi varium ma- ,, gis argumentum habuiſſet; fallor, aut variæ ,, Prudentiæ eximium magis ſpecimen præbuiſſet. ,, Sed Alexander, qvid niſi bella? Eximiè de hoc ipſo Erycius Putean. hunc in modum judicat. ,, Unus Curtius noſter, noſter ille Curtius, tàm ,, feliciter, prudenter, venuſtè hiſtoriæ veſtem ,, contexuit, ſtylum ubiqve rebus aptans, ut no- ,, tam omnem evitaret. Elegans eſt, gravis eſt, ,, virilis eſt, & natura ſua nunc exſurgens, & ,, docens; nunc ſubmittens dictionem, & oble- ,, ctans. Ut in ſumma gravitate Veneres non ,, exuit, ita in remiſſione ad vilitatem non de- ,, ſcendit. Et pòſt paullò: Verba nitorem ha- ,, bent, compoſitio ſvavitatem, res pretium. ,, Tanqvam nihil ſuperſit, brevitatem laudes: ,, Tanqvam nihil deſideres, copiam. Ipſa bre- ,, vitate plenus eſt, copia non moleſtus. Va- ,, rium dixeris, nec tamen diverſum. Vultum ,, eundem, non colorem ſervat; & tamen for- ,, moſus pari ingenio nunc vela ſermonis pandit, ,, nunc contrahit: Sed eadem felicitate invehitur,

,, &

accurationem : verba illius pura , ſelecta, & rebus exprimendis apta ; compoſitio concluſioqve verborum elegans , perſpicua , æqvabilis ; ornatus non ad oſtentationem rhetoricarum declamationum , ſed ad civilis actus genium & modum accommodatus; ſententiæ acutæ, civiles; expoſitio mirè dilucida & ordinata ; conciones promta profluentiqve facundiâ inſtructæ ; tota deniqve ſermonis compages talis eſt, ex qva potiſſimum diſcere liceat, qvæ eloqventia politicam actionem deceat, qviqve ſermonis ornatus vitæ qvàm ſcholæ ſit aptior. 2 Proximus ab eo , niſi qvis parem dicere malit , * *C. Julius Cæſar* eſt , cujus dictio pariter plurimum dignitatis , oſtentationis nihil , explicationem verò plane incomparabilem præfert; cujus ſtylô qvi maturè capitur , ſi ſummos audimus viros , magnam ingenii civilis & practici ſpem , qvi ſeriùs, aliqvam, qvi nunqvam, nullam de ſe concitat , & ad civilia negotia

„ & incedit alibi celerior, alibi accuratior , ubiqve „ placens. Et qvod ſuper omnia eſt ; Ceteros „ hiſtoriæ Scriptores , ut puritate & lepore provocat , ita acumine & perſpicuitate vincit. Nemo „ ſubtilior fuit , & tamen gratior ; Nemo æqvè „ lectorem inſtruit , & minùs laſſat. Hæc Erycius inter alia. Breviter , ſed accuratè Cyriacus Lentulus in Cenſura , de Autoribus legendis: Curtius rotundo ſententiarum jaculatu promptior , ſcilicet , qvàm Cæſar. Eadem elogii brevitate Aug. Maſcardi , Italus , dixit ; Curtio acuto nelle ſentenze , efficaco nell' espreſſione. Non puto majus ei perhiberi poſſe elogium, qvàm qvod apud Regem Alphonſum meritus eſt , qvi ſe ei gallum debere , ut Socrates olim Æſculapio , agnovit. Ægrotabat Rex ſapientiſſimus , & cùm opem Medici fruſtrà imploràſſet , venit in mentem Ant. Panormitano , hiſtoriæ dulcedine , & , ut ille ait , mellitis verborum globulis animum fovendum eſſe , qvo recreato , corpori qvoqve meliuſcule futurum. Sumſit igitur Q. Curtium, prælegit Alphonſo decumbenti aliqvid rerum & itinerum Alexandri , qvæ tanta ille aviditate arripuit , ut (mirum dictu) eo ipſo die vires reſumſerit , & poſtridiè cum priſtina valetudine in gratiam redierit. Optandum autem ſit , plenum opus ad nos perveniſſet ; Verùm ipſa initia & duo integri libri in eoſdem ſcopulos impegerunt , qvibus tot optimorum Autorum facta ſunt naufragia. Supplementa librorum duorum primorum ſunt Chriſtophori Brunonis , Monachi in Bavaria liberalium artium Profeſſoris , circa annum 1544. ut ipſe in editione ſua fatetur. Hauſit verò ipſe ex Arriani & Plutarchi Græcis de Alexandro Magno commentariis. Edidit eum & cum ſupplementis Celeberrim. Freinshemius de qvibus ita Loccenius in præfat. ad Lectorem : „ Librum primum ac ſecundum facilè recentioribus „ adſubes, qvi hiſtoriam, Curtium, faciliùs ſupplere potuerunt. Et hoc ipſi produnt. Hujus „ qvoqve bono ; Ut diverſitas , videlicet , ſcribendi , pro encomio Autoris ſit ; à qvo longiſſimè abſunt. Integri tamen , nec ſuppleti aliundè , extitiſſe feruntur Viennæ , in bibliotheca Wolfgangi Lazii ; de qvo fides eſto penes Autorem. Hiſtoricæ Curtianæ Analyſin non ſpernendam Chriſtianus Qvinzius in Vite Hiſtorica pag. 113. & ſeqq. dedit ; qvam qvi cum Chriſtiani Matthiæ Alexandro M. , & in Theatro , & ſeorſim qvoqve edito conjunxerit , operam ſuam haut deplorabit.

* *C. Jul. Cæſar.*] Rectè illum primò Noctium c X. Gellius „ excellentis ingenii virum ac prudentiæ vocat , cùm eloqventia & virtute militari „ atqve togatâ aut æqvâſſe præſtantiſſimorum „ gloriam aut exceſſiſſe dicatur. Cicero ſanè Oratores ad Brutum enumerans negat c. LXXV. ſe videre , Cæſar cui cedere debeat, aitqve eum elegantem , ſplendidam qvoqve , ac etiam magnificam , ac generoſam qvodam modo rationem dicendi tenere. Et ad Corn. Nepotem , referente Svetonio in Julio c. LV. 3. de eodem ita ſcripſit. Qvid ? Oratorum qvem huic antepones eorum , qvi nihil aliud egerunt ? Qvis ſententiis aut acutior , aut crebrior ? Qvis verbis aut ornatior , aut elegantior ? Epiſtolarum autem Tullii ad Cornelium Nepotem aliqvot fragmenta , interqve ea hoc etiam in editione Gruteri referuntur. p. 335. Ceterùm de præſtantia Commentariorum Julii Cæſaris & ſtili ejus non opus eſt , dicamus ut multa , cùm per ſe commendati ſint facilè. Hinc illos judiciô verè Regio ex omnium Gentilium Hiſtoria præcipuè commendavit ſuo filio Jacobus Britanniæ M. Rex libr. II. Δώρυ βασιλικῦ.

Certas

gotia ineptus exiſtimandus eſt. 3 Cæſari ſimilis haberi debet *Cornelius Nepos*, vulgò *Æmilius Probus*; niſi qvod hic magis ad deſcriptiones morum animorumqve characteres delineandos, ille ad ſimplicem & nudam rerum explanationem magis faciat. 4 Non repetimus, qvæ de eo Bœclerus *in Commentario* & nos in judiciis ſive teſtimoniis editioni noſtræ præfixis, diximus. 5 Neqve

Certas qvoqve pariter & graves eruditi cauſſas habent, cur nullum facilè Hiſtoricorum huic anteferant. Habet enim ſingulare Cæſar aliqvid præ aliis, ſi à Tullio diſceſſeris. Cyriacus Lentulus locô paullò ante adductô. ,, Cæſar, inqvit, & ,, Curtius magna belli momenta magnis imperatoribus evolvunt. Multis meritò non eſt ad palatum Juſti Lipſii judicium, qvod in notis ad c. IX. libr. I. Politic p. m. 18. tale eſt. ,, C. Cæſar res ſuas ipſe digeſſit; compoſitè ſanè, & ,, pari modeſtiâ ac libertate. In ſtilo ſunt qvæ ,, culpem, ſine ejus tamen culpâ, nam malam ,, aliqvam & alienam manum acceſſiſſe, ſatis ,, mihi liqvet. Prudentiam non è verbis ejus ,, hauries, ſed è factis; & maximè *M*ilitarem. ,, Commentarii enim ſunt, & nihil pollicentur ,, præter nudam ſimplicémqve narrationem. Abjudicant hos Commentarios, qvia paullò minus diligenter conſcripti videntur, à Cæſare præter Lipſium, & Franciſcus Floridus Sabinus & Ludov. Carrio, ſcrupulum nobis horum de librorum auctore injicientes, qvorum alter libros de Bello Civili tres negat eſſe Cæſaris, alter Commentarios de Bello Gallico, Julio cuidam Celſo adſcribendos putat. At ad Lipſium qvod attinet, ſcripſit is ita forte permotus (auctore Joanne Goduino Profeſſore regio in præfat Julii Cæſaris, qvem in uſum Delphini edidit) auctoritate virorum aliqvot doctorum, ut erat captus eorum, qvi ante ducentos & ampliùs annos vivebant, nempe Johannis Salisberienſis, Vincentii auctoris *S*peculi, Roderici Sanctii, & *M*argaritæ cujuſdam Poëticæ, qvæ farrago ſententiarum eſt è Poëtis aliiſqve collectarum, à qvibus qvædam è Cæſare referuntur tamqvam Julii Celſi auctoris. Ceterùm hunc ſcrupulum eximit Gerard. Joh. Voſſius, qvi Celſi Commentarios δὶς διὰ πασῶν differre à Commentariis Cæſaris prodit *Ut ſciunt*, inqvit libr. V. Inſtitut. Orator. c. III. n. X. p. m. 302. ,, ſi ,, qvi cum Cæſare contulerint editionem Celſi ,, anni CIↃ CCCC LXXIII. Cujus nullam à Geſnero aut Simlero mentionem factam miratur, cujus & particulam eſſe ſcribit Voſſius I. Hiſtor. Latin. c. XIII. p. m. 65. fragmentum illud qvod Scriptori de Bello Hiſpanienſi in ſua Cæſaris editione ſubjecit Gothofredus Jungermannus & ex eo pro more Gallis uſitato repetiit Joh. Goduinus in editione in uſum Delphini adornata. Jungermannus in ad *Lectorem* præfatione dicit, Fragmentum hoc repertum eſſe in codice Cujacii non adpoſitô nomine; item in codice Petaviano, ſed nomine Petrarchæ adſcriptô. Addit Voſſius dictô Inſtitut. Orator. locô. ,, Interim ,, fatemur Celſum non tantùm Cæſaris geſta ,, conſcripſiſſe; ſed & Cæſaris Commentarios, ,, ſive recenſuiſſe, ſive corrupiſſe. Certè in ,, MSo meo Cæſare Hirtioqve ter locis diſtinctis ,, adſcriptum; Julius Celſus Conſtantius V C. ,, legit. Qvibus Voſſii adductis ſeqventia Goduinus dicta in præfatione ſubjicit; Ego verò ,, fateor me ejuſmodi Celſi editionem an. CIↃ ,, CCCC LXXIII. factam, qvamvis ſedulò in celeberrimis Bibliothecis perqviſitam non inveniſſe; me tamen præter autoritatem doctiſ- ,, ſimi viri qvæ meritò magni ab omnibus ,, facienda eſt, in eam opinionem adduci venuſtate ſtyli ut credam, hos qvos in manibus habemus, genuinos eſſe Cæſaris Commentarios, de qvibus tum Cicero, tum Hirtius tam luculenta edunt teſtimonia. Nihil ,, enim illis terſius, nihil mundius, nihil Latinum magis, ut, ſi nulli fuiſſet etiam paginæ præſcriptum Cæſaris nomen, tamen à ,, Latinæ lingvæ ſcientibus illos Cæſaris eſſe ,, nullatenus dubitari poſſet. In errorem homines induxerunt MSS. qvidam tituli, qvos ,, indicare non pigebit, ut ferat eruditus ipſe ,, Lector judicium. M S R. cod. cujus prima ,, pagina Claudii Puteani ipsâ, ut videtur, ,, ipſius manu inſcripta eſt nomine, hunc habet titulum rubris litteris adſcriptum, Julii ,, Cæſaris Commentariorum belli Gallici liber ,, Primus incipit Julius Celſus Conſtantinus Vir ,, Clariſſimus emendavit. Alter M S R. codex qvi ,, libros tantum de bello Gallico habet ſeptem, ,, ſic in fine habet eadem rubrica ſcriptum, Julius Celſus Conſtantinus VC. legit Commentarios G. Julii Cæſaris belli Gallici lib. VI. ,, explic. Abhinc Hirtii Panſæ incip. Præfacio ,, libri. Et poſt librum VIII. iiſdem rubris literis ſcriptum legitur, Julius Celſus Conſtan-

,, tinus

qve multò minor utroqve *T.* † *Livius Patavinus*, qvi tanqvam civilis eloqventiæ promtuarium haberi debet, tum ob narrationis jucunditatem, candorem, copiam, dignitatem, magnificentiam, tùm ob res varias, orationes, concionesqve paſſim inſertas. 6 In *C. Salluſtio Criſpo* eminet inprimis brevitas, gravitas, & ſententiarum copia; culpatur, nec fortaſſis immeritò, affectata obſcuritas. 7 In *P. Vellejo Paterculo* ſingulare gratiæ & jucunditatis genus deprehenditur, non qvidem omnino ſine qvadam affectatione, ſed tamen absqve faſtidio & ineptiis diligentiam ſuam lectori adprobans. 8 *Valerium Maximum* ſententiæ & qvæſitum acumen potiſſimùm commendant. 9 qvippe dictio ejus affectata eſt, ſtudiô novitatis, qvod in hoc ſcriptore nus-

,, tinus VC. legi tantum feliciter. G. Julii Pon-
,, tificis maximi Ephemeris rerum geſtarum
,, belli Gallici liber VIII explicit feliciter. MS.
,, codex Thuanus ſic habet in margine libri II.
,, de bello Gallico, in principio, Julius Celſus
,, Conſtantinus VC. legi Caji Cæſaris Com-
,, mentarios feliciter; in margine verò libri
,, III. de bello Gallico ſic eſt ſcriptum, in prin-
,, cipio, Julius Celſus Conſtantinus VC legi.
,, Flavius Licerius Firminus Lupicinus legi libri
,, Belli Gallici Liber II. explicit, incipit liber
,, III. His & talibus titulis qvi paſſim extant in
,, MSSC C. in dubium & in errorem ſimul con
,, jecti ſunt qvicumqve de horum librorum Au
,, tore dubitârunt, & Celſo qvàm Cæſari adju-
,, dicare maluerunt; cùm tamen non magis
,, eſſe Celſi qvam illius Flavii Licerii Firmini
,, Lupicini, qviſqvis ille fuerit, judicare debuiſ-
,, ſent. Eodem fato damnatus eſt elegans ille
,, liber Cornelii Nepotis de vita excellentium
,, Imperatorum, qvi Æmilio Probo exſcriptori
,, potius, qvàm Autori ab imperitis adſcriptus
,, eſt, cùm Probus Theodoſii ætate, qvâ bona
,, Latinitas exoleverat, Cornelius Nepos Cice-
,, ronis ætate vixerit. Ita Probo coævum hunc
,, Julium Celſum Conſtantinum, qvi in qvo-
,, dam Levini Torrentii MSC. Conſtantinopo-
,, litanus eſſe ſcribitur; fuiſſe credo & ejuſmo-
,, di clariſſimorum Virorum lectionis teſtimo
,, nium libris adſcribi ſolitum, ut fides lectori-
,, bus fieret, non mendoſum eſſe codicem qvi
,, à tanto viro fuiſſet perlectus. Qvod ideo fie-
,, bat, qvia Librarii ignari erant, & qvia igna-
,, ri, ideo mendoſi nullâqve fide digni, qvorum
,, ſcriptioni niſi magni & docti viri tanqvam ta-
,, bellionis officiô functi acceſſiſſet autoritas,
,, nullo in pretio fuit codex futurus. Ita ſuperio-
,, re ſeculo cùm inventa fuiſſet ars Typographi-
,, ca, doctiſſimis viris fuit commiſſa, ut Judoco
,, Badio Aſcenſio, Stephanis atqve etiam Pro-
,, feſſoribus Regiis qvibuſdam, ut Adriano
,, Turnebo & Federico Morello, qvi viciſſim
,, illis artibus Clariſſimi viri nomini ſuo æterni-
,, tatem parabant. Ac certè Typographorum
,, nomina in futura ſecula ſuâ arte propagari ex-
,, perimur, cùm interim principum in Republ.
,, virorum nomina cum ipſorum vita, nullâ
,, eorum ſuperſtite memoriâ, ſæpe tollantur.
Hæc Goduinus. Præter Commentarios rerum à ſe geſtarum dicitur reliqviſſe Divinationem, Orationes aliqvot, de Analogia libros duos & Anti-Catones totidem: ac præterea Poëma, qvod inſcribitur Iter. Epiſtolæ qvoqve ejus ad Senatum extabant, ætate Trajani & Hadriani, & ad Ciceronem, item ad Familiares domeſticis de rebus. Feruntur & ab eo puero & adoleſcentulo qvædam ſcripta, ut Laudes Herculis, & Tragœdia Oedipus, item Dicta collectanea. Qvæ omnia qvorſum pervenerint, id verò communem Mercurium ſcire oportet.

† *Livius*] ,, Ex Latinis, inqvit Roland. Mareſ. libr. I. Epiſt. XLVII. p. m. 211. ,, T. Livi-
,, um exemplar optimi Hiſtorici habemus, qvi
,, ſummâ diligentiâ, pariqve eloqventiâ Hiſto-
,, riam Populi Romani ab Urbe condita ad ſua
,, uſqve tempora deduxit. Hoc de Livio egregiam habemus Joh. Frider. Gronovii epiſtolam Rolando Mareſio ſcriptam, qvæ jam habetur n. IV. in p. 555. ſ. Epiſtolar. Amicor. ad Mareſium in calce Epiſtolar. Mareſii edit. Lipſienſ. in 12. anno 1687.

qvam non deprehendetis. 10 Non igitur niſi ab adultioribus, & qvi maturô pollent judiciô, imitandus eſt; qvod & de Salluſtio obſervetis. 11 *C. Cornelius Tacitus* etſi nec planè ad genium aureæ ætatis ſcripſit, & multa præter neceſſitatem innovavit, adeo tamen deprimendus non eſt, ut, qvod nonnulli faciunt, corrumpendo ſermoni potius, qvàm ornando expoliendoqve aptus exiſtimetur. 12 Sed in eo maximè rotunditas, ſubtilitas, gravitas & ingens ille ſententiarum politicarum adparatus, æſtimari debet. 13 *Juſtinus* utut ad orationes contexendas ornandumqve ſermonem parum confert, tamen qvantùm ad expoſitionem rerum, ita comparatus eſt, ut nil neqve in verbis, neqve in ſententiis noſtri temporis civilis vir reprehendere jure poſſit. 14 *Annæus Florus*, qvi à † poëtico & declamatorio ſcribendi genere propius abeſt, qvàm hiſtorico, ad orationes panegyricas maximè adhibendus. 15 *C.* ‡ *Svetonius Tranqvillus* deniqve ſingulari verborum delectu nunqvam non exponendi ſubtilitatem juvabit.

XIII. 1 Qvi poſt hoſce hiſtoriam ſcribere aggreſſi ſunt, ipsâ ætate ſuâ, qvâ, corruptâ puritate ſermonis, genus dicendi pictum, affectatum, & oſtentationi ac delectationi unicè inſerviens jam invaluerat; ad civilem eloqventiam minus apti ſunt; niſi qvod * *Ammianus Marcellinus*, & *ſex illi Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ minores*, qvi vitas plerorumqve Imperatorum ab Hadriano ad Diocletianum usqve non indiligenter compoſuerunt, uſum non omnino nullum præbebunt. 2 Ille qvidem, qvod etſi civili venuſtôqve dictionis genere deſtitutus, comtioris tamen eloqventiæ ſtudioſo ſæpe cogitationes ſententiasqve civili orationi profuturas ſuggerat; 3 Hi, qvòd totas Principum epiſtolas, tota Senatus conſulta, totas patrum acclamationes, aliaqve ſimilia monumenta publica, iisdem verbis, qvibus ſcripta dictáve ſunt, ex archivis & ſcriniis Imperatorum ac ſenatus, magnô ſtudiô depromta, & velut ex abdito eruta, ſcriptis ſuis diligenter inſeruerunt. 4 Qvod inſtitutum, ſi aut vetuſtiores Hiſtorici tenuiſſent, aut ſeqverentur, qvi nuper hiſtoriam aliqvanto elegantiùs ſcripſerunt, dici non poteſt, qvantum civilis eloqventiæ profectus adjuvare poſſet. 5 Sed illi plerumqve, ut eloqventiam ſuam oſtentarent, ea qvæ ad genium civilis actus ſcripta aut pronunciata erant, inverterunt, ſuôqve ſtylô pro lubitu refinxerunt. 6 Hi qvoqve rariſſimè totas orationes aut epiſtolas ab interitu vindicant.

XIV. 1 Qvinam è recentioribus hiſtoricis ad hunc ſcopum maximè apti ſint, malo ipſi judicent, qvi jam eo usqve crebrâ veterum lectione profecerunt,

† *Poëtico & Declamatori*) Diffiteri nemo poteſt, ait Cl. Grævius in præfat. Floro præmiſſa edit: Traject: Batav. M. DC. LXXX. „ qvi qvidem in idoneorum Latinæ Lingvæ auctorum, „ qvi nondum à declamatoribus erant corrupti, „ lectione verſatus eſt, & veram dicendi viam „ tenet, multa in Floro paſſim occurrere, qvæ „ minimè ferent aures teretes & religioſæ: & „ tam in ſententiis, qvàm in verbis eſſe multa „ κακόζηλα, inſana, μειρακιώδη.

‡ *Svetonius*) Hic, ſi qvisqvam Romanorum, cum Cicerone, Juris Studioſo debet eſſe in pretio cognoſcenduſqve ſedulò.

* *Amm. Marcellin.*] Lipſii hoc de auctore judicium habes in ejus epiſtola, qvam in fine hujus voluminis reperies.

ſunt, ut civilis eloqventiæ genium à vulgari ſcriptionis genere diſcernere, dignéqve æſtimare ſciant. 2 Non poſſum tamen, qvin velut in tranſitu commendem *Paullum Jovium*, *Georgium Buchananum*, *Jacobum Auguſtum Thuanum*, *Dominicum Baudium*, *Ubbonem Emmium*, *Famianum Stradam*, *Hugonem Grotium*, *Jo. Cluverum*, qvorum omnium ea eſt dictionis puritas, elegantia, dignitas, ut multis etiam veterum æqviparari poſſint. 3 Addere licebit *Danielem Heinſium* in obſidionis Sylvæducenſis, *Marcum Zuerium Boxhornium*, & *Hermannum Hugonem* in Bredanæ hiſtoria, *Caſparem Barlæum* in Braſiliana; & ſi qvi præterea pari facundiâ pollere deprehenduntur. 4 Neqve prætereundi ſunt *Franciſcus Verulamius* & *Bartholomæus Gramondus* non tam ob puritatem & perſpicuitatem ſermonis, qvàm ob gravitatem, brevitatem, & acumen; qvæ in utroqve mirè elucent. 5 Eſt autem horum ſcriptorum lectio vel ideò non omittenda civilis eloqventiæ ſtudioſo, ut res noſtris temporibus demum excogitatas, aut introductas, aptè dignéqve ſermone efferre diſcat. Id enim è lectione veterum fruſtra qvis ſperaverit.

XV. 1 Sufficiant iſta de commodis, qvæ hiſtoriarum lectio ac meditatio civilis prudentiæ ſtudioſo, aut & in ipſo rerum actu verſanti, afferre poteſt. 2 Hæc qvi conſeqvi cupit, non negliget qvidem, qvae à plerisqve hiſtorias legentibus annotari excerpiqve alibi diximus: ſed tamen praetereà multò plura animadvertet, ac in futuros civilis vitae uſus obſervando, meditando, excerpendo, ſcribendo adornabit. 3 Id qvâ ratione commodiſſimè, noſtrô qvidem judiciô, fieri qveat, nunc dicemus breviter, ſecuturi potiſſimùm conſilium ſententiamqve doctiſſimorum hominum, & qvae utiliter adhiberi, ipſi annorum aliqvot experientiâ edocti ſumus, in medium conſulturi.

XVI. 1 In univerſum igitur tria ſunt, qvibus tractatio Hiſtoricorum abſolvitur, *ſolertia obſervandi*, *excerpendi dexteritas* & *ſcribendi induſtria* ſive exercitatio. 2 Illa, qvidqvid in ſermonis ſtructura, ornatu, copia, rerumqve varietate, notari meretur, annotat, expendit, meditatur: 3 iſta in ſuum qvaeqve locum, memoriae ſubſidio, & in futuros uſus, excerpit, qvidqvid notatu dignum videtur, ac velut in penu qvodam optimarum rerum recondit. 4 Haec multiplici exercitiorum genere lecta, obſervata, exempla, velùt in rem præſentem transfert, & ipſi rerum actui, qvibusdam qvaſi praeexercitamentis ſe praeparat ac praeludit.

XVII. 1 De ſingulis aliqvid monebimus. 2 Atqve ut hinc ordiamur, *obſervationem duplicem* eſſe, vel ex deſcriptione ejus modò allata liqvet: unam ſcilicet verborum & ſtyli; alteram rerum ipſarum. 3 *Verborum obſervatio* rurſus duplex eſt, vel enim circa ſingula verba, phraſes, ac formulas; vel circa totum contextum & ſtructuram orationis verſatur. 4 Singularum vocum & locutionum obſervatio latiſſimè patet, multasqve regulas & cautiones admittit; Sed à nobis hôc locô non aliô reſpectu ac fine tractatur, qvàm ut diſcamus, qvibus verbis res nobis oblatas purè civiliterqve efferre debeamus. 5 In qvo negotio primò accuratè cognoſcendum eſt, qvid rei, ſive

qvis conceptus rei ſignificetur oratione ; qvidqve præclari ſcriptores intellectum velint , cùm ſic vel aliter loqvuntur. 6 Qvae res neqve è vocabulariis & Lexicis, qvae qvidem hactenus extant, ſufficienter peti poteſt: neqve tam facilis & expedita eſt, qvàm multi exiſtimant; qvi ſatis ſe capere atqve intelligere rem credunt, cujus non tam vim & nucleum, qvàm corticem, & exteriorem qvandam formam in verbis non ſatis intellectis deprehendunt. 7 Exempla dabimus : qvid ſit apud Curtium IV. VII. 1. IX. VIII. 9 Caeſarem, I. Bell. Gall. c. XXXI. 12. Livium lib. XXI. c. I. & lib. XLIII. c. VII. & alios , * *avarè ſuperbèqve imperare* , nemo non intelligere ſe putat , videturqve primò intuitu ea phraſis notior, qvàm ut explicatione indigeat; & tamen nemo id benè ſatis cepit, niſi qvi novit, eâ formulâ ſummatim tyrannici regiminis mala denotari, & ad haec duo veluti capita reduci; 8 Sic qvid ſignificet apud Tacitum *Ann. II. XLI.* 1. & hiſtoricos alios loqvendi modus, qvô *alterius ductu* , *alterius auſpiciis* , vel etiam *unius ejusdemqve & ductu & auſpiciis* res aliqva geſta dicitur, nemo penetrabit niſi qvi ſcit voce priore operam , adminiſtrationem , executionem , qvalis Imperatori aut Duci exercitus incumbit; poſteriore vim ipſius ſummae poteſtatis , & eminentem qvandam rerum gerendarum auctoritatem ac efficaciam , divinitùs Imperantibus conceſſam , denotari ; 9 Praeter Barn. Briſſonium omnino videndus eſt *Bœclerus* in libro ſingulari *de Auſpicio Regio*; 10 Qvid ſit apud Tacitum *I Annal. II*, 2. *paulatim inſurgere*, non ſatis, niſi ex ipſo Tacito cognoſcitur , qvi mox exponit, *munia Senatus, magiſtratuum*, *legum in ſe trahere*; qvod tamen ipſum explicatione adhuc indiget , qvam ſuppeditabit idem Bœclerus *Comment. Pol. Annot. IX.* 11 Rurſum qvem ſenſum habeat interiorem, qvod apud Curtium III. V. 8 : milites Alexandrum *Eundem Regem* & *Commilitonem à ſe avelli* qveruntur , tunc demum rectè intelligetur , cùm cognitum fuerit, eô loqvendi genere ab auctoribus ſummatim comprehendi ſolere laudem perfecti Ducis, qvi conſiliô juxta ac manu polleat , neqve ſolùm imperiô , ſed etiam exemplô ſit Imperator; 12 Cur idem Curtius *IV. XIV.* 20. *Imperium Perſarum à Diis magnô motu concuti magis* , *qvàm affligi* dixerit , is demum rectè perſpiciet, cui innotuerit, priore vocabulô converſionem Reipublicæ , ſeu mutationem ſtatus , poſteriore everſionem ſive ‡ interitum , ut politici loqvuntur, deſignari; 13 Deniqve qvod idem alibi IV. VII. 29. qvosdam *avidos magis gloriæ*, *qvàm capaces* dicit, ex interiore philoſophia explicandum eſt, qvæ docet, à vera magnitudine animi aberrari, ſi gloria vehementiùs qvàm cautiùs appetatur, nec fiat prudens ratiocinatio, ubi, in qvantum, & qvibus modis atqve artibus, ad gloriam ſit adſpirandum. 14 Hujusmodi igitur formulæ , vocumqve ac phraſium peculiares

liares

* *Avare ſuperbeqve*] Corn. Nepos VI. IV. „ 1. Cùm Lyſander præfectus claſſis in bello „ multa crudeliter avareqve feciſſet.

‡ *Interitum*) Vide Freinshemii utiliſſimum indicem. Confecit & Loccenius, admirandâ induſtriâ Indicem Philologicum ad intelligendum Curtii ſtylum longè doctiſſimum.

liares & aliqvid reconditum ſapientes ſignificationes, ſtudioſè diligentérqve obſervandæ annotandæqve Politices ſtudioſo ſunt; cùm ut rectè veteres auctores intelligat; tum ne deſint aliqvando, cùm opus erit, aptæ idoneæqve voces ac locutiones, qvibus res politicas dignè ac eleganter eloqvi poſſit. 15 Deinde cùm in certis rebus ſint qvædam qvaſi ſolennes & in civilis ſtyli formulam recepti loqvendi modi, hi qvoqve ſeorſum & diligenter notari debent. 16 Tales ſunt, cùm *juſtum & pium* dicitur *bellum*, cùm militum elogia *fidei & virtutis* vocabulis, aut *forti fideliqve operâ* deſignantur & ſimiles aliæ, qvæ paſſim in hiſtoricorum libris obviæ. 17 Hanc tamen obſervationis partem plurimùm juvabit lectio Briſſoniani operis, qvod *de formulis & ſolennibus populi Romani verbis* conſcripſit, paullò antè laudatum.

XVIII. 1 Sed cùm res ſingulæ duobus modis ab hiſtoriarum ſcriptoribus poſſint ac ſoleant exprimi, dum nunc ſingulis vocibus aut brevi conciſâqve locutione, nunc ampliore qvâdam deſcriptione, & veluti per ambitum, atqve cum ubertate qvadam, lectoris animo inſinuantur: è re legentium futurum eſt, ſi non ſolùm breviores ſimplicioresqve appellationes, ſed etiam periphraſes ac deſcriptiones politicas diligenter annotaverint. 2 Harum enim plerumqve multò major vis in dignitate & elegantia orationi conciliandа, qvàm ſingulorum vocabulorum phraſiumqve ſimplicium, conſpicitur.

XIX. Similiter qvoniam ſententiæ, earumqve partes, modò ſimpliciter & nudè proferuntur, modò inventionis novitate, ſubtilitate, acumine; aut figurarum ornatu, ſe commendant, danda eſt opera, ut præter nudas, magisqve peculiares, ac vulgo qvoqve non ignotas, qvæ & ipſæ ob auctoritatem axiomaticam, qvam ex approbantium utentiumqve multitudine adeptæ ſunt, planè inſuper haberi non debent; 2 illæ potiſſimùm, qvæ ſunt ſubtilioris inventi, cultiorisqve ornatus, ſtudioſè non tantùm obſerventur, ſed etiam comparentur inter ſe invicem ac contendantur. 3 Dici enim non poteſt, qvantum ea comparatio tùm lectioni hiſtoricæ lucis, tùm civilis eloqventiæ pariter & prudentiæ ſtudiis adjumenti adferre poſſit.

XX. 1 Diximus ſæpe, difficile eſſe, planè penitusqve pernoſcere, qvid præclari ſcriptores his illisve vocibus aut phraſibus intellectum velint; neqve huic rei Lexica & dictionaria ſufficere poſſe vulgata. 2 Id multo magis de circumlocutionibus, deſcriptionibus, & ſubtilioribus ſententiis affimari debet. 3 Has enim aut rarò, aut nunqvam lexicographi declarant; niſi qvod in utroqve genere nonnulla præclarè expoſuit, in acceſſionibus ad Theſaurum Fabri, beatus Buchnerus, ſummus noſtræ ætatis orator, idemqve noſter in hiſtoria atqve eloqventiæ ſtudiis per triennium integrum præceptor fideliſſimus. 4 Sed cùm hic unus ſufficere neqveat, addenda ſunt alia ſubſidia intelligentiæ, qvorum duo potiſſima heîc commemorabimus. 5 Unum eſt: *explicatio Hiſtoricorum à vivo Præceptore aliqvo*, civilis eloqventiæ non imperito, ſuſcipienda. 6 qvæ niſi minimùm in duobus tribusve ſcriptoribus hiſtoricis præceſſerit, omnis ſubſeqvens opera, ſi non fruſtranea, ſaltem non magno cum fructu ſuſcipietur. 7 Alterum eſt, ut addantur tùm *ampliores indices*,

vim vocum, phraſium, ſententiarum, comparationum, ad civilia negotia pertinentium, explicatiùs tradentes: 8 qvô nomine præcipuè laudari debent *Indices Freinshemii ad Juſtinum*, *Florum*, *& Curtium*; *Bœcleri ad Nepotem*, *Vellejum Paterculum*, *Svetonium*, *Loccenii ad Curtium & ‡ Nepotem*; 9 itemqve aliorum ad alios ſcriptores non hiſtoricos, ut *Kockerti & Bœcleri ad Terentium*; *Giſanii* & *Parei ad Lucretium*; *Nicolai Erythræi ad Virgilium*, *Anonymi auctoris ad Plautum*, editionis Cöthenianæ; *Elmenhorſtii ad Appulejum*, *Rigaltii Gloſſæ agrimenſoriæ*, *Bernardini Baldi Lexicon Vitruvianum*. ſive de verborum Vitruvianorum ſignificatione; 10 tum *notæ philologicæ* ad eosdem hiſtoricos aut alios ſcriptores veteres rariorum obſcuriorumqve locutionum ſenſum accuratiùs perveſtigantes, aut parallelis locis declarantes: 11 qvales ſunt *Danielis Parei* ad Salluſtium, *Jo Frederici Gronovii* ad Livium, & utrumqve Senecam; *Berneggeri* ad Julium Cæſarem, *Gerardi Voſſii* ad Vellejum Paterculum, *Iſaaci Voſſii* ad *Ovidium*, *Lindenbrogii* ad Ammianum, *Jo. Pricæi* & *Elmenhorſtii* ad Appuleium, *Paulli Manutii* ad Ciceronem, *Ludovici de la Cerda* & *Taubmanni* ad Virgilium, hujus etiam ad Plautum, *Buchneri* ad epiſtolas Plinii; & ſi qvi prætereà hoc in genere aliqvid elaborati dederunt. 12 Ex his enim Latini ſermonis notitiam ſtudioſus hiſtoriarum lector mirè augebit. 13 Briſſonii qvoqve opus Formularum, qvo de paullò antè diximus, hùc pertinet.

XXI. 1 Addi his ſubſidiis & aliud poteſt, putà comparatio † conjunctioqve aliorum ſcriptorum ſive hiſtoricorum, ſive oratorum & Poëtarum, qvi eandam

‡ Cl. Chriſtoph. Cellarii Indices Latinitatis in Curtium, Cornel. Nepotem, Silium Italicum, & Plinii Epiſtolas. At indices rerum infinita prætermittentes non ſatisfaciunt. Qvàm vellem Silio ſuo omnium vocum addidiſſet. Laude dignus qvoqve rerum & verborum locupletiſſimus in Lucanum index eſt, Hugonis Grotii operâ, Th. Pulmanni & aliorum concinnatus, qvem Hackiana Lugdun. Batav. in 8. exhibet editio anni 1669. in qva Thomæ Farnabii tùm Dedicationem tùm præfationem intolerabili negligentiâ omiſſas fuiſſe indignor admodum. Præfixit eas, ſuæ Joan. Blaeuw editioni nitidæ Amſtelodamenſi in 12. ann. M. DC. LXV. At notæ Farnabii integræ poſteriori hâc habentur in editione Hackiana.

† *Conjunctio aliorum ſcriptorum*) Sic exempli gratiâ conſideranti Julii Cæſaris commentarios de Bello Civili, operæ pretium erit cognoſcere alios, hoc qvi de argumento ſcripſerunt qvoqve, auctores, nimirum è Græcis Plutarchum in Vitis Julii Cæſaris, Pompeji M. & Tullii Ciceronis: Dionem Caſſium Scriptorem Pragmaticum, & Appianum de Bello civili. E Latinis ſunt Svetonius, Lucanus, & cumprimis Marcus Tullius in ad Familiares & ad Atticum Epiſtolis. Et qvoniam Cæſari Cicero æqvalis fuit, ipſiqve in eloqventia minimè ſecundus, è re erit, ſemper illos conjungere. Non nego & alios, in qvibus & Florus eſt, reperiri, hoc qvi de negotio ſcripſerint: at modò dictos præcipuos eſſe, nemo qvi hiſtorias legit, vocabit in dubium. Et ut adpareat, qvantum ad explicationem auctoris conferat aliorum ſcriptorum conjunctio, ſumemus initium Commentariorum Cæſaris de Bello hoc civili, è qvo („Literis à Fabio C. Cæſaris Conſulibus redditis „ &c.) liber hic qvod ἀκέφαλος ſit, doctiſſimi viri dudum judicârunt: qvod & veriſimile eſt, cùm palam ſit libros hos eſſe corruptos. Nam neqve librò Belli Gallici VIII. hujus mentio ulla facta eſt, unde connexio qvidem adparere poſſet, adeò ut nullus excuſationi locus reliqvus. Minimè multa tamen deeſſe puto, cùm

dem aut hiſtoriam, aut hiſtoriæ alicujus partem narrant. 2 Qvod inter præcipua media ſenſum ſcriptorum inveſtigandi ab eruditis ſemper eſt habitum. 3 Qvinam autem Scriptores res eaſdem enarraverint, duobus modis cognoſces: primò ex commentariis in Hiſtoricos, in qvibus plerumqve reliqvi auctores eorumqve loca aut tota opera ſolent indicari; deinde ex catalogis eorum, qvi hiſtoricos ſecundum ſeriem temporum, quorum res tractant, ordinârunt. 4 Qvo pertinet *Petri Angeli Bargei* libellus (*qvem vide infra in hoc Volumine n. X.*) cui titulus, *qvô ordine ſcriptorum hiſtoriæ Romanæ monumenta ſint legenda*; *Gerardi Voſſii* diſſertatio † *de ratione legendæ hiſtoriæ*; *Philippi Glaſeri Syngramma hiſtoricum*, & pleriqve eorum, qvi de hiſtoria ſcripſerunt, unoqve volumine editi habentur.

XXII. 1 In toto contextu ſtructuraqve orationis ad duo diligens & induſtrius hiſtoriarum Lector attendet; primò ad compoſitionem concluſionemqve vocum, ejusqve elegantiam, claritatem, æqvabilitatem, ſeu qvatenus ſtylus auctoris facili, expedito, aptéqve concluſo textu jungitur, pergit, finitur; 2 qvatenus non interpellatô rationem hiatu aut aſperitate, non obſcurat aut imperfectam reddit brevitate, non onerat copiâ indolem rerum, ſeriemqve narrationis. 3 Talis enim plerorumqve meliorum hiſtoricorum veterum, qvanqvam cum diverſitate qvadam, ſed inprimis Curtii, Cæſaris & Livii eſt. 4 Præcipuè vero heîc obſervandæ ſunt artes, concinniorem reddendi ſtructuram, per participia freqventiùs ac ſtudioſiùs adhibita, per connexiones ac tranſitiones elegantiores, &c. itemqve diligentia variandæ orationis, vitandiqve, qvod ex earundem vocum, phraſium, formularum repetitione naſci ſolet, tædii ſtudium. 5 In utroqve genere iterùm Curtius planè eximius eſt. 6 Deinde reſpiciendum eſt ad orationis dignitatem & ornamenta, prout ea magis minúsve ad oſtentationem Rhetoricarum declamationum, aut ad genium civilis actus accommodata ſunt. 7 Sic magis declamatorius ſtylus

cùm Cæſar à proximis ſtâtim cauſſis voluerit incipere. Utile nihilominus hic erit repetere c. XLIX. dicti Bello de Gallico libri, ad finem uſqve & conjungere hoc cum Belli Civilis principio, ubi Auctor Belli cauſſas tradit. Qvas habent & Lucanus primô Pharſaliæ, v. 67. ſ. Florus qvartô c. II. ad verſum 18. uſqve. Sveton. in Julio à c. XXVI ad XXXI. Dio lib. XLI. à principio. item Plutarchus in Vita Cæſaris, Curionem expreſſè nominant, has qvi litteras Conſulib. pertulerit, qvin & Dio refert argumentum earum litterarum, in qvibus conqveritur de injuria ſuorum inimicorum, eaſqve deprecatur. Petit ut abſentis habeatur ratio, & privilegia ſalva maneant, juxta Plebiſcitum; qvod ejus cauſſâ factum, qvia Reipubl cauſſâ abfuit, & abſens Conſul crearetur, cùm aliàs nonniſi præſens creatus erat... Mirum verò iſtis, qvi ſub finem hujus capitis in verbis: ,, Pompejo eſſe in animo reip. non deeſſe &c. exponuntur, prætextibus, tam graves & prudentes potuiſſe decipi viros, ac ſi Pompejus Reipubl. rebus ſtuderet, id qvod tandem nimis ſerò ipſe deprehendit Tullius lib. VI. Attic. Ep. I. lib. VIII. Ep. XI. lib. IX. Ep. I. et VI. aliôqve locô ſcribens: ,, Utrumqve, et Pompejum et Cæſarem ſuæ ,, potentiæ inſervire, et in eo certatum eſſe qvi ,, ſuam ambitionem ſpecioſiùs celare et tegere ,, poſſet.

† Hanc inſeruimus parti I. Methodor. noſtrar. n. XVIII. p. 709. ſ. Adde Michaëlis Routartii Regii olim in ſanctiore Senatu Belgico Secretarii Oculum Hiſtoriæ, ſive rerum, temporum, Scriptorumqve ab Orbe condito ad noſtra tempora deſignationem. Hannoveræ 1664. in 12.

ſtylus eſt Flori, Ammiani Marcellini, & aliorum: 8 Contra civilior & rerum actui aptior eſt Curtii, Cæſaris, Nepotis, &c.

XXIII. 1 Porro ſicut in dijudicanda pulcritudine ſimulacri alicujus, aut venuſtæ imaginis, poſt conſideratos oculos, frontem, genas, os, & ceteras ſpeciei partes, peculiari obſervatione opus eſt, ut totam formam teneas, animoqve infigas: ſic, niſi qvis in contextu ad hunc modum æſtimando utrobiqve ad totius veluti corporis formam habitumqve reſpexerit, nunqvam aut diſtingvet ab alio civilis ſtyli elegantiam, aut ideam ejus animo imbibet, aut deniqve feliciter imitabitur.

XXIV. 1 Ceterum tota verborum notatio obſervationi rerum unicè deſtinatur, aut certè deſtinari debet: qvæ ut in omni ſtudiorum genere, ſic & in hiſtoriarum lectione præcipua habenda eſt. 2 Hæc pro diverſitate ſcopi, qvem ſibi lectores præfixêre, proqve varietate doctrinarum, qvibus ſcientiarum orbis abſolvitur, multiplex ac propemodum infinita eſt. 3 Nos ea ſolummodò tangemus genera, qvæ à civilis prudentiæ vitæqve ſtudioſo in evolvendis hiſtoricis potiſſimùm animadvertenda ſunt. 4 Hæc vel ad Politicam propriè ſpectant, vel certâ ratione, & prout reſpectum ad res civiles involvunt, eò referuntur. 5 Poſterioris generis ſunt primò *hiſtorica*; qvò pertinent gentium, urbium, Imperiorum, ortus, progreſſus, translationes, everſiones, bella varios inter populos, aut inter ejusdem Imperii membra, nunc geſta, nunc compoſita, ceteraqve notabiles rerum eventus ac caſus; itemque varii ritus ac leges his illiſqve populis uſitatæ; 6 Secundò *Chronologica*, ut Epochæ illuſtres, earumqve termini, intervalla, partes præcipuæ, ut & periodi Imperiorum ac civitatum, aliaqve; 7 Tertiò *Genealogica*, ut origines & progreſſus familiarum Imperatoriarum, Regiarum, Principalium; harumqve mutui reſpectus, cognationes, ſtirpes, propagines, &c. 8 Qvartò *Geographica*, ut regionum, urbium, montium, fluviorum, ſinuum, portuum, & reliqvorum huc ſpectantium nomina, ſitus, deſcriptiones, & qvid in ſingulis notatu dignum; 9 Qvintò *moralia*, ut illuſtria virtutum vitiorumqve, vel & affectuum paſſionumqve animi exempla, deſcriptiones, proprietates, ingeniorum varietas & characteres, &c.

XXV. 1 Iterum heîc ſubſidiis opus, qvibus obſervatio hæc juvetur & facilior ſit. 2 Ad hiſtoricarum rerum obſervationem, ac meliorem intellectum, utiliter adhibebuntur, qvantum ad res Imperiorum, ac origines rituum, Compendia hiſtoriæ univerſalis, tum breviſſima, ceu ſunt *Tabulæ Chronologicæ Helvici*, *Schraderi*, *Boxhornii*, *Mechovii*, Cellis nuper majori formâ excuſæ; tùm paullò explicatiora, ut *Epitome Jo: Cluveri*, *Theatrum Hiſtoricum Matthiæ* aut *Syntagma Hiſtoriarum civilium Micrælii*, &c, 3 Qvantum ad ritus antiqvos, in rebus Romanis *Antiqvitates* Jo. *Roſini*, cum Paralipomenis Thomæ Dempſteri, aut breviores libelli *Philippi Caroli*, *Facis hiſtoricæ compendium* ex operibus Lipſii excerptum; 4 In Græcis *Bartbol. Keckermanni* Diſſertationes III. Politicæ ſpecialis, & opuſcula varia Jo. *Meurſii*; 5 In Perſicis *Briſſonii* liber de principatu Perſarum, & ejusdem *Keckermanni* Diſ-

ſer-

ſertatio *de Republica Perſarum.* 6 In Ebraicis *Cunæus*, *Sigonius*, *Bertramus de Repub. Ebræorum*, * &c. 7 In Ægyptiacis *Athanaſii Kircheri Oedipus Ægyptiacus*, &c. 8 Ad Genealogica ſubſidio erunt *Ubbonis Emmii Genealogiæ*, *Henningii Theatrum Genealogicum*, & paſſim in Chronologia *Heinricus Guthberletus.* 9 Ad Chronologica, tum qvi fundamenta Chronologiæ ſyſtematicè compoſuerunt, inter qvos accuratiſſimi omnium haberi debent *Dionyſius Petavius*, tùm in prolixo opere *de doctrina temporum*, tùm in parte ſecunda *Rationarii temporum*, *Ægidius Strauchius* in *Breviario Chronologico* & *Reinholdus Frankenbergerus* in *Syſtemate Chronologico* nuper edito; tùm *Alſtedius* in *Theſauro Chronologico*, *Reuſnerus* in *Iſagoge hiſtorica*, & qvi præterea ſingulorum Imperiorum Chronologias contexuerunt. 10 Ad Geographica, Introductio *Philippi Cluverii*, non ita pridem à *Joh. Bunone* ſuppleta, notis ac tabulis aucta, *Chriſtophori Heidmanni Europa* & *Palæſtina*, *Philippus* † *Brietius* in *Parallelis veteris* & *novæ Geographiæ*, & *Gonſalius de Salas* in *Epitome Geographiæ veteris*; tum Lexica Geographica *Caroli Stephani* & *Jo. Philippi* ‡ *Ferrarii.* 11 Ad Ethica deniqve, præter vulgares libellos Ethicos, ſcriptores de Characteribus virtutum & vitiorum, *Theophraſtus*, *Paſtorius*, *Molinæus*, *Hallus*, &c.

Hhh XXVI.

* In Chriſtianiſmo tibi proderit de Officiis precibus & hymnis Euchologium Græcorum cum notis Jacobi Goari. De eorumdem libris & templis Leo Allatius cum Elia Vejelio Theologo Ulmenſi. In Muhammedaniſmo Abulfarajus cum notis Pocockii, & Hottingeri Hiſtoria Orientalis.

† *Brietius*] Eſt qvidem hoc Jeſuitæ opus præclarum ſanè, ſed breviori ſtylò conſcriptum, qvodqve Europam tantummodò; non ceteras orbis partes complectitur.

‡ *Ferrarii*] Alexandrini, Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis olim Præpoſiti Generalis. Cujus Lexicon vel ob id maximè in pretio fuit, qvod in Ordinem Alphabeticum digeſtum, recentiorem Geographiam uberiùs explicatam contineret. Anno M. DC. LXX. Lexicon illud Geographicum recuſum, idqve alterô tantô auctius emiſit in publicum Michaël Anton. Baudrand Pariſinus, qvi tamen in eo (repeto è præfatione verba ejus) vel admodum ampliato opere, nondum potuit acqvieſcere. Qvare Geographiam multò accuratiorem meritô deſiderari omnino perſvaſus, plurimorum qvi id oneris ipſi imponebant poſtulatione adductus, non mediocrem huic rei operam curamqve impendere coactus edidit illud denuò Pariſiis an. M. DC. LXXXII. in fol. Qvod hactenus omnium optimum Lexicon Geographicum habitum eſt. Ceterùm dicta qvod in præfatione ſubjicit Baudrandus: „Eos qvi Tractatus aliqvos Geographicos edituri ſunt vehementer rogo, ut „qvam mihi legem præſcripſi, ne qvid ex Notitiæ Galliarum libro decerperem, qvod vir „clar. ejus author ab omnibus poſtulaverat, „eàdem uti velint, neqve ea ſibi vindicent qvæ „ſummô labore & curâ in hoc opere collegi. Si „qvi igitur de Geographia ſcribere velint, ſeparatim ſcribant, neu ſua meis immiſceant, ſeparatim opera ſua publicent, meas mihi obſervationes relinqvant, ne aut mei aliis aut alieni mihi errores tribuantur. Non enim ſine magna indignatione vidimus Joannem Jacobum „Hofmannum, & alios qvoſdam audacter ſuppreſſis verorum authorum nominibus, aliena „opera interpolata & depravata magis qvàm „aucta ſibi vindicâſſe. Hoc ridiculum eſt & luce vix dignum. Jus enim illud qvod Baudrandus ſibi in Ferrarii Lexicon tribuit, dat ſibi Cl. Hofmannus in Baudrandum, & fortè non tam in Baudrandum qvàm in eum, cujus vitulô aravit, Ferrarium. Nec qvidqvam juvat Baudrandum exemplum, qvod adducit, Hadriani Valeſii auctoris Notitiæ Galliarum; hic enim uti ſolus & unicus totius libri ſui editor eſt: ita ex oppoſito Baudrandus ſuam Geographiam non fecit ſed compilavit.

XXVI. 1 Hæc cùm fermè nudæ ſint cognitionis ac notitiæ, facilis & obviæ ſunt obſervationis, ultroqve legentis animo ſe offerunt; ac proinde haud difficulter ad ſuum qvæqve locum, qvem obtinent in ſcientiis, ad qvas pertinent, referri poſſunt. 2 Qvemadmodum & ex iis, qvæ propriè ſunt politica, qvalia ſunt pleraqve argumenti hiſtorici, ſententiæ expreſsè poſitæ, judicia ſcriptoris narrationi vel præmiſſa, vel inſerta, vel ſubjecta, digreſſiones politicæ, interpoſitæ orationes, & ſimilia alia, velut inſigniori monumento magis exſtant, legentisqve annotationi patent.

XXVII. 1 At minima hæc pars eſt obſervationis hiſtoricopoliticæ, cujus materiam univerſa hiſtorici ſcriptio, non ſolùm cùm ſententiosè loqvitur, cùm judicium aut ſuum aut prudentum interponit, cùm totas digreſſiones orationesqve operi ſuo inſerit; ſed in tota rerum ſerie contextuqve ſuppeditat. 2 Cùm enim hiſtorici pragmatici, nam de his in præſens unicè loqvimur, hoc habeant ſingulare ac proprium, ut non eventus modò & rem geſtam, ſed rei gerendæ cauſſas, rationes, circumſtantias, conſilia, totiusqve, ut ita dicam, contextus practici genium ſtylô ſignent; id circo ſic ad ſingulas ſententias, totiusqve expoſitionis ſeriem animus advertendus; ut hiſtorici judicium, diſciplinam, informationem, non ſolùm in digreſſionibus, & diſſertationibus narrationi inſertis, ſed in tota narratione, & omni ejus parte, accuratè ſufficienterqve deprehendamus. 3 Tota enim civilis prudentia circumſtantialis, ut ſic loqvar, ad tempus, locum, conditionem negotiorum accommodata eſt: neqve tàm ſub locos communes, qvàm ſub obſervationes ſingulares & ſubtiles cadit, qvas meliores hiſtorici ſummâ ſollertiâ ſuggerunt.

XXIIX. 1 Hæc itaqve pars obſervationis hiſtoricæ, non obviæ annotationis, ſed interioris notæ, ſubtilioriſqve & difficilioris operæ, haberi debet. 2 Ac proinde, ut eâ potiamur, non mediocri diligentiâ, attentione, comparatione opus eſt. 3 Nunqvam enim ad hæc adyta penetrabit, qvi obiter & perfunctoriè, ut pleriqve ſolent, hiſtoriam legerit. 4 Qvomodo autem hæc interior obſervatio, inſtitui debeat, magis exemplô doctrinæ in re præſenti, qvàm præceptis & regulis extra tractationem ipſam auctorum oſtendi poteſt. 5 Aliqvid tamen monſtrabit diligens conſideratio eorum, qvæ de uſu lectionis & obſervationis hiſtoricæ multiplici, qvem prudentiæ civili præſtat, ſub initium heſternæ diſſertationis diximus. 6 Ad hos enim uſus ſemper, tanqvam ad normam & regulam obſervationis hiſtoricopoliticæ, hiſtoriarum lectori reſpiciendum eſt.

XXIX. 1 Scilicet, qvia hiſtoria memoriam, primam prudentiæ partem, exemplorum ubertate & promptitudinis, ac conſtantiæ inſtrumentis, juvare debet, non temerè prætermittendum eſt ullum exemplum illuſtre, & cujus ſaltem aliqvem uſum in applicatione ad conſilia rerumqve actum futurum cenſes: 2 qvia ſimilitudine, comparatione, ordine ſemper comparaeda ſunt exempla præſentia cum aliis, qvæ occurrunt animo videndumqve, ad qvam eorum claſ-

ſem.

ſem unumqvodqve referri poſſit. 3 Porrò cùm eadem hiſtoria intelligentiam plenitudine & copiâ expoſitionis, judicii regulâ & animoſitate, ſubſidiisqve ſolertiæ, debeat inſtruere; idcirco omnes circumſtantiæ accuratè diligenterqve attendendæ ſunt, cum antecedentibus & conſeqventibus: 4 adhibenda deinde ſubſidia judicii dirigendi, & videndum an auctor ſive manifeſtè ſive occultè judicium prudentum, aut ſuum lectori inſinuet: 5 hinc circumſpiciendum, an & in qvos uſus obſervatum exemplum aut ſententia adhiberi, & qvomodo ad præſentia negotia adplicari qveat. 6 Deniqve qvantum ad conjiciendi facultatem, qvæ pariter hâc obſervatione juvanda eſt, ſollicitè conſiderandæ ſunt cauſſæ, prætextus, cognata actionum, præſidia agendi aut impedimenta, totiusqve actus civilis indoles & ingenium.

XXX. 1 Subſidiorum locô, qvantum ad politica, facilioris obſervationis eſſe poſſunt *Aphoriſmi Politici* & *Militares* à *Lamberto* * *Danæo* editi, poſt à *Bronchorſtio aliisqve aucti*; 2 itemqve *Aphoriſmi Politici ex Tacito* Italicæ ejus verſioni in margine additi, 3 *Manuale Grandium Qvirini*, Archiepiſcopi Nixienſis; *Electa Politica* è variis ſcriptoribus per *Deſiderium Creſcentium* edita, 5 & qvi nuperrimè prodiit, *Tacitus Axiomaticus* Jo. *Theodori Sprengeri*: 6 deinde notæ *Chriſtophori Forſtneri* & *Cyriaci Lentuli* ad Tacitum, 7 *Jani Gruteri* ad Livium, 8 Jo. *Loccenii* ad Curtium & Nepotem, 9 *Zevecotii* ad Svetonium & Florum, 10 *Freinshemii* ad eundem Florum & Curtium, & ſi qvi præterea hujus commatis erunt. 11 Deniqve obſervationes *Piccarti* & *Berneggeri*, diſcurſus *Gruteri*, & aliorum, è qvibus partim qvænam, partim qvâ ratione ac methodô obſervari debeant, velut ſub illuſtribus exemplis diſcere licebit.

XXXI. 1 Subtilioris obſervationis politicæ, qvanto major difficultas, tantô pauciora ſubſidia exſtant: ac haud ſcio, an præter qvædam Bœcleriana, ut *commentaria ad XV priora capita Annalis I Taciti*, *Annotationem politicam ad libros Hiſtoriarum Taciti*, *Diſſertationes ad Svetonii Cæſares*, & *Scholas Florianas*, qvidqvam magnoperè laudari mereatur. 2 † Solus enim hic vir doctiſſimus, judicii planè eximii, aut certè cum paucisſimis totam ſeriem, textumqve hiſtoricum pro dignitate expendere ac evolvere ſolet. 3 Hujus igitur opuſcula, qvæ diximus, tanqvam norma & exemplum hujus obſervationis ſemper ante oculos haberi debent. 4 Nec omittendæ *Diſſertationes ejusdem Academicæ*, qvibus ad eundem modum qvædam loca Taciti particulatim evolvit.

XXXII. 1 Poſtremò multò qvoqve faciliorem hanc operam reddet diligens lectio Lipſiani Politicorum operis. 2 Eâ enim fiet, ut ſubinde occurrant

* Editio locupletiſſima, qvamvis non emendata ſatis, eſt Lugdun. Batav. CIↃ.IↃC.XXXIX. in 12.

† *Solus*] Si hic vir aliqvanto clariùs & magis perſpicuè ac explicatiùs ſcripſiſſet, dubito an hunc primum omnium ponam? Illi ſine dubio neminem præfero accuratiſſimâ cognitione Philologiæ, Politicæ & Juris publici, fide, magnitudine animi, pietate, ac in patriam & ſtudioſam juventutem amore; qvodqve multi voluerunt, pauci potuerunt, penetrare in intima Scriptorum & recondita, efficaciamqve in illis latentem ac vim aperire, & in uſum transferre huic contigit.

rant animo capita ſedesqve obſervationum, ad qvas referri poſſint, qvæ in hiſtoriarum tractatione animadvertimus ac meditamur.

XXXIII. 1 De *excerpendi ratione*, qvam alteram partem hiſtoricæ tractationis fecimus, ſicut ingens ſtudioſorum hominum ſollicitudo paſſim deprehenditur: ita plures ex eruditis accuratè diligenter præcipere conati ſunt, multóqve poſt alios in eo argumento celebris Jeſuita. *Hieronymus Drexelius* fuit. 2 Cujus tamen *Aurifodina*, ſi non tàm res in eam congeſtas, qvàm modum excerpendi ab auctore commendatum reſpicias, paſſim qvorundam judicia parum æqva experta eſt, nec fortaſſis immeritò. 3 Nam, ut alia incommoda taceam, vel ideo non admodum apta diſcentium ſtudiis eſſe videtur, qvòd unius ejusdemqve argumenti excerpta in tot diverſas claſſes, easqve bipertitas lemmatum, adverſariorum, hiſtoriarum, locorum communium verborum & ſententiarum, miſcellorum, & aliorum diſcerpat. 4 Qvæ res non ſolùm diſtrahit animum ac memoriam, ſed etiam nonnihil difficultatis cùm in excerpendo, tùm in inqvirendo ſecum trahit.

XXXIV. 1 Nos poſt tentatam non unam excerpendi rationem, viroſqve doctos complures diverſis in Academiis in conſilium adhibitos, hanc, ſi non optimam, certè non admodùm incommodam, multisqve aliis meliorem, magnis qvoqve viris cum inſigni ſtudiorum ſuorum emolumento uſurpatam, deprehendimus. 2 Si ſcilicet in univerſum *duo locorum genera* conſtituantur; *unum ſecundùm ſeriem & ordinem diſciplinarum*, qvæ præ reliqvis accuratè tractandae ſunt; *alterum veluti miſcellaneum*, è qvibuscunqve aliis ſcientiis, tùm ex iis ipſis, qvae praecipuè tractari debent, nonnulla, qvae non ſatis commodè ad prius genus referri poſſunt, qvatenus ad ſcopum cujuſqve meliùs obtinendum faciunt, in unum volumen congerens. 3 De utroqve aliqvanto explicatiùs dicemus: 4 Primò igitur in ſingulis diſciplinis & ſcientiis, qvibus aliqvis majori curâ incumbere inſtituit, deligatur aliqvod ſyſtema ſive compendium ejusmodi, qvod & receptis inter doctiores opinionibus conforme, & materias omnes, aut ſaltem fermè omnes, ad eam diſciplinam pertinentes, ſolidè pertractet; deniqve qvod à peritis ejus ſcientiae in aliqvo pretio habeatur; 5 *Secundò*, hoc ita compingatur, ut ſingulis foliis ſingula aut etiam bina folia chartae mundae, prout liber brevis aut prolixior, typiqve minuti aut grandes, ſtudium deniqve lecturi ac excerpturi ingens aut mediocre eſt, interſerantur: 6 *Tertiò*, ſub finem qvoqve libri circiter aut tertia aut qvarta pars foliorum, qvibus libellus ipſe conſtat, chartae mundae ſubjungatur in ſupplementum eorum, qvae ſuperioribus inſerta fuerint, inſervitura: 7 *Qvartò*, hic libellus tamdiu legatur, donec, qvae in eo contineantur, ita infixa ſint animo, ut ſingula qvis velut in numerato habeat: 8 *Qvintò*, ſi nullus index Alphabeticus, aut non ſatis accuratus & locuples adſit, lector ipſe talem conficiat, et libello ſubnectat; ita tamen, ut & ibi ſpatium aliqvod ſupplendi, qvæ ad librum excerpenda ſunt, relinqvatur; ſi verò jam adeſt index ejusmodi, charta munda pariter interſeratur: 9 *Sextò*, tabella una aut plures, non tamen nimis multæ, qvibus conſpectus

ctus totius operis, materia, rerumqve connexio & ordo oculis unô velut intuitu ſiſtatur, niſi jam antè eſſent, concinnentur & principio voluminis inſerantur.

XXXV. 1 Atqve hoc velut fundamentum eſt omnium excerptorum & locorum communium; qvæ deinde per omnem vitam conficienda ſunt. 2 Idqve multò commodiùs futurum eſt, qvàm ſi tituli in mundo volumine, vel nullâ connexione aut ordine, vel ſecundùm ſeriem alicujus ſyſtematis, vel ex cujusqve mente & arbitrio, vel deniqve ſecundùm ordinem alphabeticum conſignentur. 3 Multum enim temporis compendifaciet, qvi jam ab alio, eoqve probatæ induſtriæ & eruditionis viro, tùm ordinem diſciplinæ & materiæ ſive rerum connexionem, tùm fundamenta totius operis elaborata habebit. 4 Contra, qvi ſibi ipſi titulos fingere volet, ſeriemqve eorum ſuô arbitriô concinnare, non ſolùm hærebit ſæpiùs, diuqve ſecum deliberabit, qvem ordinem obſervaturus ſit; ſed etiam in evolvendis titulis, inſerendisqve excerptis ſubinde moram aliqvam experietur. 5 Ne de aliis incommodis nunc dicam, qvorum multa per hanc methodum præciduntur.

XXXVI. 1 Ut autem conſtet, qvibus ſyſtematis lector in hiſtorica tractatione ad hunc finem uti poſſit, in ſingulis illi diſciplinis, qvarum res excerpi debere diximus, unum aut etiam alterum in hos uſus commendabimus. 2 Incipiemus à realibus, ſive rerum obſervatione. 3 In *Hiſtoricis* ad hunc uſum licebit adhibere *Cluveri Epitomen Hiſtoricam* nuperrimæ editionis, aut, ſi ea nimis prolixa alicui videtur, *Petavii Rationarium Temporum*; vel *Chronologiam Helvici*, vel *Schraderi*, vel deniqve *Boxhornii*; qvanqvàm illæ priores nimis conciſæ ſunt, & vix ultra qvàm ſolis chronologicis, vel annorum computationi excerpendæ, inſerviunt. 4 Deinde, qvod ad chronologica & controverſitas temporarias, nemo hic aptior *Ægidiô Strauchiô*, cujus *Breviarium* ſupra laudavimus. 5 In *Genealogicis* adhibebitur qvoad veteres *Ubbo Emmius*, qvoad recentiores *Nic. Rittershuſius*, (*Tubingæ* 1664. *in fol.*) aut etiam *Limina Genealogica Wagneri*. * 6 In *Geographicis* omnibus aliis aptior

 eſt

* Qvibus omnibus præſtat Dn. D. Philipp. Jacob. Spenerus in Theatro Nobilitatis Europææ, & Sylloge Genealog. Hiſtor. Sunt & Excellentium Familiarum in Gallia Genealogiæ à prima earumdem origine uſqve ad præſens ævum cum Iconibus & inſignibus Norimbergæ editæ 1687. in fol. Brugis annô 1650. in qvinqve Voluminib. In fol. prodierunt Oliv. Vredi Opera omnia, ſeu Hiſtoriæ Flandriæ Comitum, Sigilla Flandriæ & Inſcriptiones Diplomatum, probationesqve Genealogiæ Flandriæ Comitum. Scripſit qvoqve Anton. Poſſevinus Hiſtoriam Gonzagarum, & Genealogiam eorum pertexuit. Sed liber iſte, etſi è præcipuis Italicarum rerum Scriptoribus ſit, vetitus tamen eſt, qvia cùm Mantuæ Dux Gonzaga aliqvam è Sabaudica voluiſſet ducere, ut ajunt, familiâ: Sabaudi objecerunt ipſi novitatem, qvaſi non ab antiqva ſatis deſcenderit ſtirpe, & probaverunt hoc ipſo è Poſſevino, Scriptore domeſtico. Propterea prohibuit librum illum Dux, cùm genus ab ea, qvam ſperaverat, nobilitate, minimè deduxerit. Forſtnerus ſanè magni hunc auctorem facit, & imprimis amat. Imitatur Taciti ſtylum, & plurima monumenta exhibet. At Galli ridere Germanos ſolent, qvòd Genealogias conſcribant, & tamen fontes Hiſtoriarum non addant, cùm facilis aliàs labor ſit, eô modô, qvi pleriſqve uſurpatur, Genealogias contexere. Certè illud diligentiæ verum opus eſt, cùm Hiſtoriæ etiam addunntur monumenta, è qvibus Genealogiæ demonſtretur fides. Neqve enim recentioribus fiden-

eſt *Introductio Phil. Cluveri*, editionis ‡ nuperae, vel propter accuratum adjectum indicem & XL. tabulas Geographicas. 7 Qvanqvàm hae non ſunt ex accuratiſſimis, multùm tamen proderit ſtatim eôdem intuitu ſitum locorum ſemper ante oculos habere. 8 Qvod deniqve attinet veteres Romanorum ritus ac conſvetudines, optandum eſſet compendium aliqvod aptius perfectiusqve exſtare, qvàm ſunt *Philippi Caroli Antiqvitates*, Compendium *Facis Criticæ* & qvae ſolô titulô ab eo differt, *Roma illuſtrata Antonii Thyſii*; 9 Sed qvoniam tali † hactenus deſtituimur, dum aliud prodierit, vel antiqvitates Caroli ad eum modum adornari oportet, vel antiqvitatibus Roſini, editionis † Colonienſis M.DC.XX. in 4to. qvae ampliores margines habet adſcribenda, aut ſub finem voluminis in charta munda ſupplenda ſunt, qvae ex hiſtoricis in hoc genere excerpi debent. 10 Ceterarum gentium ritus & antiqvitates, qvoniam peculiaribus compendiis non ſunt explicatae, ad aliqvem locum Ethicum aut politicum, vel in locos miſcellaneos, de qvibus mox dicemus, referri debent.

XXXVII. 1 In *Ethicis* compendia qvidem plura exſtant, in qvibus ſecundùm Ariſtotelis ductum de ſummo bono, de principiis actionum humanarum, de XI. virtutibus Ariſtoteli commemoratis, hisqve oppoſitis vitiis, cognatis, effectis &c. non malè præcipitur, merenturqve non poſtremam laudem hôc nomine *Diſputationes Ethicæ Conradi Horneji*, ejusdemqve *civilis doctrinæ de moribus* libri IV, 2 *Theatrum Ethicum Hieronymi Prætorii*, poſtremâ auctoris curâ recognitum & notis illuſtratum, 3 Tabulae variorum, qvarum aliqvot ad uſum excerpendi, eô qvem diximus modô, vel ideò non inutiliter adornabuntur, ut qvae de natura virtutum vitiorumqve apud di-

fidendum puro Scriptoribus, niſi veterum auctoritates adferant. Hòc ſanè modò Sanctmartani Fratres qvaſdam ediderunt Genealogias doctiſſimè enumeratas. Meret hic & adduci ut optimus ferè & accuratiſſimus inter Genealogiſtas, Miræus, qvi magnô ſe ipſum ſæpius candore refutat, nactus documenta meliora.

‡ Ego utor editione ſecundâ Gvelpherbytanâ anni M. DC. LXIV. in 4to. priore qvidem locupletiore, ſed admodum vitioſâ; uti vel ex addito mendorum indice adparet. Qvibus tamen fortè nec tertia vacat editio.

† *Hactenus deſtituimur*] At annò *M.* DC. LXIV. Bremæ in 8t. prodiit Cl. Henr. Kippingi Recenſus Antiqvitatum Romanarum ſatis eruditus ac utilis, qvi fortè B. Boſio vel non obvenit, vel non ſuccurrit; citra controverſiam enim illum aliàs non prætermiſiſſet. Kippingius ſanè recentiorum monumenta perluſtraſſe magna cum animi voluptate (qvod de ſe ipſo libri dicti ſcribit in præfatione) auſus, è novis teſtimoniis corrigit, defendit, demutat antiqvos ritus rituumqve teſtes. Addit ſummæ & optimæ fidei Cenſores, qvos Roſinus ignorat prorſus, INSCRIPTIONES dico, & commodis locis aptiſſimè inſerit, ut verè credas LECTOR, te legere Antiqvitates, cùm Antiqviſſimô ſermone & ſæpe Aboriginum fantem audis, non ſolùm Italiam, ſed qvoqve Hiſpaniam, Galliam, Germaniam, Pannoniam, ampliſſimi ejus Imperii provincias magnas, in Columnis & Marmoribus. Numiſmata, Icones, Scalpturæ eunt ſubſidio, magno labore nec minori ſumptu conqviſitæ ſuppetiæ, ut haberes eò plura firmamenta rerum pulcherrimarum

* *Editionis Colonienſ.*] Hanc non tantùm ob margines ceteris editionibus ut Genevenſibus & Amſtelodamenſi præfero, ſed & ob addita in aliis omiſſa egregia electa Antiqvitatum Romanarum, I. de priſcis Roman. Gentib. ac familiis. II. de Tribubus Roman. XXXV. Ruſticis atqve Urbanis. III. de Ludis feſtiſqve Roman. è Kalendario vetere, ſtudiô Andreæ Schotti Jeſuitæ.

diverſos ſcriptores occurrunt, ceteraqve magis ſpeculativa, eò referantur. 4 Sed qvoniam plus involvit Ethices ſtudium, qvàm qvae in Ariſtotele reperiuntur; ac praettereà, qvae apud Hiſtoricos occucurunt, pleraqve non tàm ad notitiam rerum moralium, qvàm ad directionem rerum humanarum particularium, regulasqve vitae ſpecialiores ſpectant; aliô compendiô opus eſt, qvod & reliqvas virtutes, Ariſtoteli ejusqve ſectatoribus, ſi non omiſſas, ſaltem non explicitè traditas expoſitásqve, declaret, & partem Ethicæ canonicam, uti vocari ſolet, ſpecialesqve regulas & obſervationes addat. 5 Qvô nomine commendari debet Enchiridion Ethicum *à Jo. Jonſtono* ex ſententioſiſſimis veterum ac qvorundam recentiorum dictis, eâ fermè methodô, qvâ Lipſii Politica, congeſtum; qvod dudum magni viri, ut profectibus diſcentium inprimis aptum & accommodatum laudârunt. 6 Qvanqvàm enim Lipſium, qvem imitari voluit, non ubiqve ſit aſſecutus, tamen, dum melius adhuc prodierit, omnino in hoc genere primas tenet. 7 Ad hoc Enchiridion non ſolùm, qvae ad regulas vitae cauſſasqve virtutum impulſivas, ſed etiam qvae ad virtutum vitiorumqve characteres ſpectant, licebit excerpere. 8 Ceteris ingeniorum animorumqve characteribus commodiùs peculiaris appendix, aut ſub finem hujus compendii, aut in locis miſcellaneis tribuetur.

XXXIIX. 1 Politica, ut etiam ſuprà monuimus, alia vulgaria & magis theoretica ſunt, alia interioris notitiæ magisqve ſpecialia. 2 Prioris generis pauca ſuppeditat lectio hiſtorica; poſterioris plura, eaqve fermè ſola. 3 Illius generis tamen, ſi qvæ occurrerint, excerpentur ad *Politicam Arniſæi* aut *Boxhornii Inſtitutiones*; 4 ad reconditiora verò & ſpecialia commodiſſimè adhibebitur, *opus Politicorum Lipſii*; qvod cum *Ariſtotelis Politicis* unicè tanquam ſolidum fundamentum civilis prudentiæ ſupponi debet, ob rariores & ſingulares dotes prolixè expoſitas a Bœclero, in diſſertatione *de Politicis Lipſianis*. 5 Id enim opus ad hunc uſum magnos viros non ſolùm adhibuiſſe ipſos, ſed etiam aliis commendâſſe, memini. 6 Qvoniam verò ea, qvæ ad polyarchicæ Reipublicæ artes, arcana, vitia & incommoda, pertinent, omiſit; ex *Arcanis Clapmarii*, *Inſtitutionibus politicis Boxhornii*, aut aliundè tituli illi ſupplendi ſunt.

XXXIX. 1 Supereſt, ut *de locis verborum*, *phraſium* ac *formularum* aliqvid adjiciamus. 2 Horum omnium obſervatio duas ob cauſſas inſtituitur: primò ut ſciamus, qvænam res his illisve vocibus ac phraſibus ſignificentur: deinde qvibus verbis ac formulis hae illaeve res aptè & uſitatè exprimantur. 3 Pro diverſitate hujus finis duplici qvoqve excerptorum genere opus eſt. 4 qvorum unô ſignificationes vocabulorum ac formularum rariores annotamus; id qvod commodiſſimè fiet ſecundùm ordinem Alphabethi: 5 alterô ſecundùm ſeriem rerum, appellationes earum aptas & eruditis receptas, phraſesqve & formulas exprimendis illis idoneas congerimus. 6 Ad priorem uſum omnium accommodatiſſimus eſt *Theſaurus Fabri*, ex ultima editione Buchneriana, in cujus utriusqve marginibus, ſatis amplis, multa de vocum

phraſi-

phraſiumqve rariore uſu aut ſignificatione, adſcribi adnotariqve poſſunt. * 7 Ad poſteriorem inprimis commendaverim *Atrium Latinitatis*, nuper à diligentiſſimo viro, *Jo. Henrico Urſino*, Præſule Ratisbonenſi, amico noſtro, concinnatum, aut *Scholam* ‡ *Latinitatis* ad copiam verborum & notitiam rerum comparandam, principali juſſu Gothæ elaboratam & editam, cui charta munda, eô qvô ſuprà diximus modò, inſerenda ac ſubjungenda, tabulaqve cum Indice adaptanda eſt. 8 Horum librorum, præter dictos, etiam alii futuri ſunt uſus: nam qvoniam Buchnerus, & ante eum, Faber, ſubinde locutiones proverbiales, ſententias elegantiores & acutiores, aptioresqve ſimilitudines inſperſerunt, licebit etiam in hoc genere obſervata eò referre. 9 Atrium autem Urſinianum, Scholaqve Latinitatis Gothana cùm præter voces & phraſes etiam plerarumqve divinarum ac humanarum rerum delineationem & ſuperficiariam ac confuſam cognitionem ſuppeditet; non malè qvis ad illud adnotaverit, qvæ ex illis diſciplinis & artibus, qvæ tantùm in tranſitu tractandæ ſunt, hiſtoriarum lectori occurrent.

XL. 1 Qvæ verò ad totius orationis ſtructuram, diſpoſitionem, connexionem, variationem, diſtinctionem & ornamenta pertinent, ea omnia ad partitiones oratorias Voſſii, eôdem, qvô cetera compendia, modô adornandas, ſuô qvæqve locô adnotabuntur. 2 In cujus voluminis fine haud in-

con-

* Faciet fortè & hûc non parum noſtrum Lexicon qvod ab aliqvot annorum decurſu apud Bibliopolam Roterodamenſem Dn. Leerſium ad prælum paratum jacuit.

‡ Addas velim duobus his à Boſio commendatis libris Johannis Jonſtoni Polymathiam Philologicam, ſive totius rerum Univerſitatis ad ſuos ordines revocatæ adumbrationem. Francof. M. DC. LXVII. in 8t. Qvi liber rectè illo utentibus incredibile adfert genere in Philologico emolumentum. Neqve enim pueris Latinæ Lingvæ imperitis illum deſtinavit, ſed juvenibus ejuſdem ignaris, & Academias meditantibus, ut anteqvam eas peterent, ſaltem totam rerum ſeriem magiſtro adminiculante, animo imprimere, & impreſſam in numerato habere poſſent. Cùm enim hoc in ſtudii genere nec hinc nec inde Cl. Jonſtono ſatis fieret, aggreſſus eſt hanc ipſe Vir doctus provinciam à lectione Auctorum, tàm ſacrorum, qvam profanorum & recentiorum non omnino (qvod ipſe non vanè præ ſe fert Auctor) imparatus, daréqve operam conatus eſt, ut pertractis in partes Comenio & Urſino, inſertiſqve qvæ inſerviebant, totum rerum, ſi non vocum exhauriret Oceanum: ut res naturalem ſecundùm ductum diſponeret & unam pluribus ſynonymis exprimeret; pleraſqve notioribus & differentiis exceptis, ex ſuæ appellationis Etymologia breviſſimè deſcriberet; & locos qvaſi communes, ad qvos omnia ea qvæ in auctoribus tàm ſacris qvàm profanis, viris magnis enucleatis breviter reduci poſſent, erigeret. Et certè ſi hoc fieret, ſi omiſſa insererentur, vel ſynonymis apponerentur, correctis etiam ſi qvi intervenêre erroribus, haberemus bene ordinatum Polymathiæ Philologicæ Syntagma, in qvo uno oculi ictu omnia illa luſtrari poſſent, qvæ in tot variis Lectionibus, Obſervationibus, Notis & Commentariis, tam Latinis qvàm Græcis, ad latinas voces revocatis habentur. Statim diſcere poſſes, qvid ſit apud Tertullianum, mellis & lactis concordia, qvid hebdomas peccatorum, exancillatus, enundinare, veſtis de cataclitis &c. qvid apud Arnobium, ſeliqvaſtrum, ſedulaſia, dies ludibrii, ſecus, digiti ſamothracii &c. qvid apud Martialem, Coloſſus Sydereus, jurare per Anchialum, nimbi Cilicii, molles honores &c. qvid apud Perſium, diſcinctus natta fratres inter ahenos. Vaſa Numæ, æra Saturnia &c Mirari verò ſubit dictam Jonſtoni *Polymathiam* Boſio noſtro minimè memoratam, cùm ille ipſe Jonſtonus his præfationem verbis claudat: „ Debebis verò & Nobiliſſimo BOSIO, Hiſtoriarum in Academia Jenenſi Profeſſori celeberrimo gratias, qvod & Correctioni præeſſe, hinc qve & inde nonnulla qvæ mihi exciderant vel diſtracto impoſuerant inſerere, & indici concinnando providere voluerit.

conſultum fuerit peculiarem locum aſſignare formulis connectendi, transeundi, rogandi, laudandi, ceteriſqve, qvarum præcipuus in oratione civili uſus deprehenditur.

XLI. 1 Sed qvoniam multa ſubinde occurrere neceſſe eſt, qvæ non poſſis ad aliqvod è ſyſtematis, qvorum mentionem fecimus, commodè referre; addendum eſt aliud volumen locorum miſcellaneorum, in qvo ſine ullo ordine inſcribes titulos, prout unusqvisqve occurrerit, ſingulis unâ pluribusve paginis, prout fertiles aut ſteriles videbuntur, aſſignatis. 2 Sub initium autem hujus voluminis ſcribantur tituli ſecundùm ſeriem alphabeticam, ſic tamen, ut cuiqve alphabeti literæ juſtum & proportionatum ſpatium tribuatur. 3 Hic veluti pandectes erit omnium eorum, qvæ ad ſuperiora aut omnino aut ſtatim & absqve longa deliberatione referre non potes; ſimul & illorum, qvæ excerpta amplius ſpatium occupatura ſunt, qvàm ut chartæ compendiô inſertæ ea capere poſſint.

XLII. 1 Jam ne omnia aut nimis multa in utrumqve locorum genus à nobis laudatum excerpere neceſſe habeas, ſimulqve delectum adhibere qveas eorum qvæ excerpi poſſunt, aliud operæ compendium adhibebis. 2 Ad manus ſint legenti hiſtoricum, aut ſaltem excerpturo, in ſingulis doctrinæ generibus, ſupra memoratis, ſinguli aut bini ſcriptores, qvi aliqvantò prolixiùs earum materias omnes aut præcipuas pertractent, iiqve pariter, ut de compendiis dicebamus, accurati, viris doctis probati, & præterea paullò recentiores. 3 Hi aut ſtatim ab initio conjungantur cum lectione compendiorum; aut, ſi id alicui prolixioris operæ videatur, qvàm ut eâ intra tempus ſtudiis ſuis deſtinatum defungi poſſit, ſtatim obiter percurrantur; deinde qvoties aliqvid excerpendum eſt, eò recurratur & inqviratur, an id qvod excerpendum eſſe judicas, jam ante ab iis adnotatum ſit; ſi adnotârunt, ſuperſedebis excerpendi labore, & ſolummodo auctoris ejus locum, compendio tuo, aut locis miſcellaneis ſuô locô adſcribes; ſin, nôris operæ pretium te facturum, ſi excerpſeris. 4 Qvidqvid autem horum ſit, nunqvam te pœnitebit ſuſcepti in eo ſcriptore conſulendo laboris. Semper enim inde aliqvid animo tuo firmius hærebit.

XLIII. 1 Præbebunt autem hunc uſum, *in Hiſtoricis*, qvantum ad Imperiorum res & eventus notabiles *opus Chronologicum Sethi Calviſii*, & ſi qvis majorem diligentiam adhibere velit, in ſpecie qvoad res trium priorum monarchiarum & qvartæ initia *Chronicon Catholicum Edwardi Simſonii*, *Annales Veteris Teſtamenti Jacobi Uſſerii*, aut *Annales ſacri Jacobi Saliani*, vel *Auguſtini Tornielli*, vel utriuſqve compendium ab *Heinrico Spondano* confectum; 2 Qvoad * res Romanas veteres *Onuphrii Panvinii Commentarii in Faſtos conſulares*, aut *Annales Romani Stephani Vinandi Pighii*, &c. 3 Qvantum verò

Iii ad

* *Res Romanas*] De diis Gentium agunt Roſinus, Voſſius, Seldenus, Gyraldus, Kipping, & Scriptores in Lactantium, Auguſtinum de Civit. DEI, ac Arnobium. De feſtis diebus Græcorum Meurſius; Romanorum Roſinus & Kipping, Jonſtonus, qvi & de Hebræorum feſtis egit poſt Hottingerum.

ad ritus Romanos, præter *Antiqvitates Roſini* jam laudatas, *Lipſii Opera Hiſtorica*, ut *de Militia Romana*, *Saturnalia*, *Admiranda*, *Poliorcetica*, aliave, *Caroli Sigonii* opus *de jure antiqvo civium & provinciarum Romanarum*, *Briſſonii Formulæ*, *Salmaſii* fragmentum operis *de* ‡ *militia Romana*, *Schelii* Diſſertationes ad Polybium & Frontinum de re militari; 4 Qvantum ad Antiqvitates Ebræorum, Græcorum, Perſarum, ſcriptores ſupra §. XXV. laudati. 5 *In Chronologicis*, *Scaligeri* opus *de emendatione temporum*, aut *Petavius de doctrina temporum*, vel ſaltem *Calviſii Iſagoge Chronologica* operi Chronologico præfixa, & *Petavii pars II.* Rationarii, aut *Syſtema Franckenbergeri.* 6 *In Geographicis Heidmannus* aut *Brietius* laudati, ac qvoad qvasdam partes terrarum orbis in ſpecie *Paulli* † *Merulæ Coſmographiæ ſpecialis libri*, Hiſpaniam, Italiam, & Galliam complexi, opus accuratiſſimum; 7 *Philippi Cluverii antiqva Germania*, *Italia*, *Sicilia*, vel ſaltem eorum operum compendia, nuper à *Jo. Bunone* publicata; 8 *Ludov. Nonnii Magna Græcia*, ſive commentarius in *Huberti Goltzii Magnam Græciam* & Inſulas Græciæ; 9 *Bibliotheca Hiſpaniæ* Francofurti edita. 10 *In Ethicis*, *Conradi Horneji* Diſputationes, aut Civilis de moribus doctrina, *Jo. Conradi Dürrii* Inſtitutiones, vel *Henr. Ernſtii Introductio ad veram vitam*, aut ſi qvis ampliorem reqvirat, *Syntagma Ethicum Wolfg. Heideri*, aut *Philoſophia moralis Marci Friderici Wendelini.* 11 *In Politicis*, qvantum ad generalem obſervationem, ejusdem *Heideri Syſtema Philoſophiæ Politicæ*, *Doctrina Politica Arniſæi*, *Bodini de Republica* libri, & Axiomata Politica ac Hiſtorica *Georgii Richteri*; 12 qvantum ad ſpecialiorem, *Obſervationes* Hiſtorico Politicæ Piccarti, *Notæ Forſtneri ac Bœcleri* ad Tacitum, & qvos præterea ſuperiùs in hoc genere commendavimus; 13 Qvod verborum obſervationem attinet, adhibere licebit, qvantum ad ſingula verba & locutiones, præter *Theſaurum Latinæ Lingvæ bipartitum*, aut *Theſaurum Fabri*, *Lexicon Criticum Philippi Parei*, & indices ac notas jam indicatas. 14 itemqve qvantum ad particularum ſignificationes ac uſum *Horatii Turſellini* elegantiſſimum libellum *de* * *particulis Latinæ linguæ*, à Jacobo Thomaſio,

‡ *Militia Romana*] Adde & Savilium. De eadem militia in exteris Provinciis conſtituta videndus Lazius. De militia eqveſtri Hugo: de Maritima Schefferus: De acie ſeu Tactica Ælianus & Arrianus, qvem cum Mauricii Artis militaris libris XII. nobis Græcè primus dedit & verſione Latinâ notisqve illuſtravit elegantibus eximius Joh. Schefferus Upſal. M. DC. LXIV. in 8°. De Ordinibus Militaribus tractat Mennenius. *S*unt & in medio doctiſſ. Simonis Staravolſci Inſtitutorum Rei Militaris libri VIII qvos lego ex editione Florentina *M*. DC. XLVI. in 12. De Servis ſcripſit Pignorius. De Magiſtratibus Romanis & jure Lipſius & Roſinus à Dempſtero illuſtratus, de Romanorum familiis & tribubus Schottus: de officiis domus Auguſtæ Gutherius, de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ Codinus à Franciſco Junio primùm, poſt à virulentiſſimo Gretzero, tandem à modeſto ſatis & Eccleſiarum Græcarum perito *M*onacho Goare editus: Spectacula nobis exhibuêre Bulengerus in Theatro, Circo, Venatione & Triumpho, Lipſius in Saturnalibus & Amphitheatro; Convivia veterum Stuckius & Bulengerus. De funere Romanorum Kirchmannus & Gutherius egêre.

† Ego utor editione Amſterdamenſi Blævianâ in 12. an. *M*. DC. XXXVI. Antverpienſi Raphelengianâ M. DC. V. in 4to. auctiore & ob tabulas accuratiore.

* Addas huic & Philippi Paræi Commentarium de Particulis Lingvæ Latinæ Francof. M. DC. XLVII. in 12. Item Joh. Hawkins Medici in Anglia olim clariſſimi Dialogos de Particulis Lingvæ Latinæ non omnino ſpernendos.

ſio iteratis curis locupletatum; & *Ornatum Latinæ Lingvæ à Chriſtoph. Arnoldo*, Profeſſore in Gymnaſio Norimbergenſi, congeſtum: 15 qvantum ad Formulas varias, maximè epiſtolicas, *Chriſt. Adami Ruperti Mercurium Epiſtolarem*; 16 qvantum ad proverbia & locutiones proverbiales, *Adagia Eraſmi*, & aliorum in unum volumen collecta: 17 qvantum ad totius ſermonis ſtructuram, *Ger. Jo. Voſſii Commentarios Rhetoricos*, & *Nicolai Cauſini* opus de *eloqventia divina & humana*, aut *Palæſtram oratoriam* & ſtyli Romani *Jac. Maſenii*; 18 ſubſidii qvoqve locô commendaverim opus *Tobiæ Magiri*, qvod *Polymnemona* ſive *Florilegium* inſcripſit, multiplici nomine celebratæ *Polyanthea Langii* præferendum.

XLIV. 1 Horum librorum ad minimum ſinguli in ſingulis diſciplinis, ſi non plane perlegi, ſaltem obiter percurri, & loca, qvibus ſingulas materias pertractant, ad compendia, qvæ diximus, adnotari debent, 2 Anteqvàm in lectione hiſtorica obſervata in locos communes ipſos excerpantur, ſvaſerim, ut primò ea, qvæ adnotanda nobis videntur, ſecundùm ſeriem hiſtorici in peculiari libello adnotentur, adſcriptis in margine ad ſingulas obſervationes lemmatis ſive ſummariis unô pluribusqve verbis, prout commodum videbitur. 3 Cetera qvæ ad excerpendi rationem & ordinem ſpectant, ſatis accuratè expoſuit in *Aurifodina* ſua *Drexelius*, qvi videri poteſt.

XLV. 1 Supereſt ultima pars hiſtoricæ tractationis, *exercitatio*, cujus rationem & ordinem cùm breviter expoſuerimus, finem huic diſſertationi imponemus. 2 Hujus *duæ* ſunt *partes*, ſive malis duo genera appellare, *Meditatio & ſcriptio*. *Meditationem* heic voco, cùm, qvæ apud hiſtoricos à nobis lecta, obſervata, excerpta ſunt, per otium & qvietem repetimus: cùm ipſi nobis obſervationis annotationisqve noſtræ rationem reddimus; cùm de lectorum obſervatorumqve applicatione ad ſtudia actionesqve noſtras cogitamus. 4 Qvod genus operæ ſicut in omni ſtudiorum genere ad ſolidum profectum eſt neceſſarium, ac pæne ſolum ad artium diſciplinarumqve fundamenta, qvæ pleriqve inſpiciunt potiùs, qvàm pernoſcunt ac penetrant, ſtabilienda aptum atqve idoneum: ita vel maximè iis ſuſcipiendum eſt, qvorum ſtudia civilem prudentiam rerumqve actum reſpiciunt. Nam cùm omnis eorum labor actioni & exercitio deſtinetur, æquum eſt, ut ſemper de uſu eorum, in qvorum cognitione verſantur, ſolliciti ſint, eoqve omnem induſtriam ſuam metiantur. 6 Proinde, qvod alicubi de ſe prædicat vir magnus, & ſtudiis civilibus hodie cum primis clarus, ſic ab ineunte ætate ſtudia ſua tractent, ut cùm lectioni, memoriæ, auſcultationi, ſcriptioni, ſuum tempus tribuerint, nil tamen his omnibus, omiſſâ ſeriâ animi meditatione, ſibi profeciſſe videantur; nihilqve illis placeat, niſi qvod cum mora meditationis curioſæ explicatum, futurisqve uſibus eſt paratum. 7 Deniqve id dabunt operam, ut potiùs multùm, qvàm multa ſe legiſſe ac obſervâſſe intra paucas horas ſentiant. *Conf. Bœcler. Comm. in Nep. p.* 309. 8 Tribuetur autem huic meditationi commodiſſimè tempus illud, qvô à libris abſumus, ut, cùm in horto aut campo deambulamus, cùm in itinere ſumus, cùm noctem inſomnem ducimus,

aut ob alias cauſſas tempus otioſè terere cogimur, ita tamen ut etiam qvandoqve inter ipſa ſtudia pluſculum temporis ei tribuamus.

XLVI. 1 *Scriptio* latiſſimè ac pænè in infinitum patet, eóqve omnia ejus genera heic commemorari non poſſunt. 2 Aliqva tamen & qvæ nobis nunc ſeſe offerunt, indicabimus. 3 Inter ea leviſſimus, ſi cetera reſpicias, eóqve ante reliqva ſuſcipiendus eſt ‡ verſionum labor; cùm ſcil. textum alicujus Hiſtorici in vernaculum aut alium ſermonem, & viciſſim ex iſto in Latinum transferimus. 4 Qvod genus exercitationis peſſimo ſtudioſæ juventutis, tanqvam puerile, ad triviales ſcholas damnatum eſt: cùm tamen & adultioribus aptum, atqve, tùm ad eloqventiam comparandam, tùm ad penitius intelligendos ſcriptores, qvos tractamus, valde accommodatum ſit. 5 Qvam ob cauſſam & à *Cicerone (libr. I. de orat. c. XXIV.)* ac *Qvinctiliano (libr. X. Inſtit. orat. c. V.)* Eloqventiæ ſtudioſis commendatur, qvorum verba inſpiciantur.

XLVII. 1 Proximum huic generi eſt, cum oratio invertitur ac variatur, ſive retentis phraſibus & verbis, ac ſolò contextu mutatò, qvò etiam pertinet illa ratio, cùm orationes obliqvas in rectas, aut has in illas convertimus, ſive adhibitis aliorum ſcriptorum in re ſimili, phraſibus & ſententiis.

2. Qvô

‡ *Verſionum labor*] Duos dicendi Magiſtros Ciceronem & Qvinctilianum adduxit B Boſius. Nos in præſentia valde juvat nona libri VII. epiſtola Plinii. Magno à Melanchthone in libro ſuorum Elementorum Rhetorices ſecundo integrè p m. 165. edit. Wittebergenſ. M. D. LXVI. in 8t. repetita, ita habens ex parte: „ Qværis, qvemadmodum in ſeceſſu, qvo jam diu frueris, putem te ſtudere oportere. Utile inprimis, ut multi præcipiunt, vel ex Græco in Latinum, vel ex Latino vertere in Græcum, qvo genere exercitationis proprietas, ſplendorqve verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum ſimilia inveniendi facultas paratur. Simul qvæ legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt. Intelligentia ex hoc & judicium acqviritur. Nihil obfuerit, qvæ legeris hactenus, ut rem argumentumqve teneas, qvaſi æmulum ſcribere, lectisqve conferre, ac ſedulò penſitare, qvid tu, qvid ille commodius. Magna gratulatio, ſi nonnulla tu, magnus pudor, ſi cuncta ille melius. Licebit interdum & notiſſima eligere, & certare cum electis. Audax hæc, non tamen improba, qvia ſecreta, contentio, qvanqvam multos videmus ejuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumſiſſe, qvosqve ſubſeqvi ſatis habebant, dum non deſperant, anteceſſiſſe. Poteris &, qvæ dixeris, poſt oblivionem retractare, multa retinere, plura tranſire, alia interſcribere, alia reſcribere. Laborioſum iſtud, & tædio plenum, ſed difficultate ipſa fructuoſum, recaleſcere ex integro, & reſumere impetum fractum, omiſſumqve. Poſtremò nova velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare. „ Hæc Plinius. Enimverò exercitium è Græca Lingva in Latinam vertendi, vel è Germanica in Latinam, & contra, oppidò utile eſſe, ſicuti nemo dubitat eruditus; ita cùm è Germanico in Latium aliqvid transfundere volueris, danda erit opera, ut verba qvidem, qvoad ejus fieri poteſt, propriè reddas in converſione; in phraſibus tamen eam curam adhibeas, ut facta collatione utriusqve lingvæ videas, qvid ἰδίωμα ferat aut reqvirat, ne dum Latinè loqvi ſtudes, Germano more ſonos fundere videaris, & contra. „ Qvi verò Græca vertere Latinè volet, is primùm qvidem proprietatem & vim verborum accuratè exprimendam atqve reddendam eſſe putet; tùm, ſi paululum in hoc exercitio progreſſus fuerit, ſententiam phraſi Latinâ explicare ſtudeat; ita ut non verbum pro verbo reddere neceſſe eſſe exiſtimet, ſed ſecundùm Ciceronem efficiat, ut ſententiæ ſententiis reſpondeant. Satis enim fortaſſe in hoc genere fuerit, omiſſis ſyllabarum dimenſionibus, ſententias ipſas bonâ fide appendiſſe atqve annumeraſſe. „

2 Qvô poſteriori genere ſe uſum eſſe, Cicero qvoqve librô dictô refert; qvanqvàm ipſe hoc ei vitii in eſſe putat, qvòd ea verba, qvæ maximè cujusqve propria, qvæqve eſſent ornatiſſima atqve optima, occupâſſet is, cujus orationem aliis verbis reddere ſtudemus; adeóqve ſi qvis iisdem verbis uti velit, nihil prodeſſe; ſi aliis, etiam obeſſe, cum minùs idoneis uti conſveſcat. 3 Sed & dudum reſpondit ibidem. Qvinctilianus, non ſemper eſſe deſperandum, *aliqvid illis, qvæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri*; neqve adeò jejunam ac pauperem eſſe eloqventiam, ut una de re benè dici niſi ſemel, non poſſit: qvin etiam, ſi non poſſit aliqvid melius aut par inveniri, ſaltem proximis locum eſſe. Videatis ipſum locô, qvô diximus.

XLIIX. 1 Hæc, ut patet, leviora ſunt genera. Paullò operoſiora ſunt iſta: I. Si delineationes orationum, qvæ apud Hiſtoricos exſtant, in expreſſas totasqve orationes convertantur, aut viciſſim expreſſæ totæqve per modum delineationis in epitomen contrahantur. 2 Cujus generis exemplum habes apud *Bœclerum in Diſſertationibus Academicis p. 558.* ubi delineationem orationis legatorum L. Antonii ad Cæſarem, Appiano deſcriptam, latiùs diduxit. 3 Et poſſunt Orationes Hiſtoricorum eò utiliùs converti qvia plerumqve τὸ ἠθικὸν, ſive præcipuum robur eloqventiæ civilis accuratè obſervant. 4 Pertinet huc totus liber *Valentini Thilonis*, qvem *Curtium Oratorem* inſcripſit: 5 II. Si ad imitationem ſcribantur orationes aut diſſertationes in ſimili argumento, materia, modo tractandi, dictione, ornamentis ex Hiſtorico, qvem præ manibus habemus, deſumtis; 6 ut ſi qvis ad imitationem orationum Alexandri & Darii apud Curtium *lib. III. c. X. & lib. IV. c. IX.* orationem ex perſona ducis milites ad praelium exhortantis ſcribere inſtituat, facilè ex iis Curtii locis intelliget, qvibus argumentis utendum, qvomodo tractanda ea, & qvibus verbis enuncianda ornandaqve ſit oratio. 7 Aliud exemplum, ſeu potiùs alterius exempli delineationem, deliberationis nempe *de obſidenda urbe maritima*; item *de crimine majeſtatis definiendo, probando, puniendo*, ſuggerit Bœclerus, in Diſſertationibus laudatis. 8 Hùc fini ſvaſerim varias orationes, qvae apud Hiſtoricos occurrunt, diligenter obſervari, & pro ratione materiae, qvam continent, generisqve dicendi, in qvo verſantur, ad Rhetoricam Voſſii, ſive in peculiarem locum voluminis miſcellanei tribus, qvod dicitur, verbis adnotari. 9 Eſt enim hujus rei uſus longè maximus in communi civiliqve vita futurus. 9 Idem & de Epiſtolis fieri velim, qvae poſſunt ad *diſpoſitiones Epiſtolicas* doctiſſimi viri, *Chriſtophori Schraderi*, vel etiam, ad *Philippi Horſtii Epiſtolographiam*, ubi jam ante plurima exempla congeſta habentur, adſcribi; 10 III. Si hiſtoria aliqva aut narratio Hiſtorici ejus, qvem tractas, adhibitis aliis ſcriptoribus, qvi eandem expoſuerunt, ductu ſtylóqve propriô, ſed cum imitatione ſtyli & ſententiarum, tùm ejusdem Hiſtorici, tùm ceterorum, ſive breviter, ſive prolixè repetatur & conſcribatur. 11 Sic ſi qvis morbum & curationem Alexandri M. *à Curtio libr. III. c. V. & VI.* deſcriptam comparet cum ejusdem morbi deſcriptionibus, qvae apud *Arrianum. lib. II. de rebus geſtis Alexandri*; *Juſtinum, lib. XI. c. VIII. Valerium*

Maximum lib. III. c. VIII. exemplô ext. ult. & *Plutarchum in vita Alexandri* extant, neqve verba neqve ſententiæ deerunt, qvibus eam orationem exornes. 12 Magnum heic ſubſidium præbebunt illi interpretes, qvi in notis ſuis ad ſingula capita adnotant auctores, qvi eandem hiſtoriam narrant. Qvales ſunt ‡ *Berneggeri in* Juſtinum, *Freinshemii in Curtium* & *Florum*, *Bœcleri in Nepotem*, &c. 13 Pertinet hùc qvoqve id exercitii genus, qvô vita & res geſtæ unius viri illuſtris è variis hiſtoricis dictione & ſententiis eorum magnam partem ſervatis aut leviter inflexis conduntur: 14 IV. Si laudetur aut vituperetur aliqva perſona aut aliqvod factum, cujus apud Hiſtoricum ſit mentio: idqve non per Scholaſticos tantùm locos & formulas, ſed ex judiciis Hiſtoricorum, aut aliorum ſcriptorum, éqve genio & indole civilis ſtyli, ſupra à nobis deſcripti: 15 V. Si de conſilii aut facti alicujus juſtitia aut injuſtitia, honeſtate aut turpitudine diſqviſitio inſtituatur, ſive in theſi ſive in hypotheſi. 16 Formam paſſim ſuppeditabunt Rhetores; materia è contextu toto ſcriptoris erui debet: 17 VI. Si aſſeratur aut confutetur aliqva narratio aut rumor, aut in ejus probablitatem inqviratur: qvod genus inter alia Qvinctilianus locô cit. valde commendat. 18 Exemplum cùm admonitione de ratione hujusmodi deſtructiones ac confutationes concinnandi Bœclerus in *Diſſertationibus Academicis p, 552. ſeq.* ſuppeditat.

XLIX. 1 Rurſus majoris non ſolùm induſtriæ, ſed etiam altioris profundioriſqve judicii, nondum tamen ſupra captum adoleſcentiæ ac juventutis, ſunt iſta: 2 I. Si qvis per ethopœian ſibi fingat, qvid hic aut ille, cujus Hiſtoricus meminit, in hoc illove caſu dicere aut ſcribere potuerit, idqve oratiunculâ aut epiſtoliô ex illius perſona conſcriptis exprimatur, cujusmodi orationum exempla apud Bœclerum *locô citatô. p. 537. 567. 572. & ſeqq.* reperies. 3 Sic Orationes aliqvas ſuggeret *Lentulus in Arcanis Regnorum*; ſubſidioqve heic eſſe poſſunt, qvoad orationes, *Boxhornii Ideæ orationum politicarum:* qvoad epiſtolas, ſupra laudatæ *diſpoſitiones doctiſſimi Schraderi:* 4 II. Elogia, de qvorum diverſitate & modo iterum Bœclerus locô citatô *p. 545.* agit, & exemplum proponit in Elogio Auguſti. 5 Paullò diverſa ſunt illa Imperatorum Germanicorum, qvæ idem in rebus ſeculi noni & decimi exhibuit. 6 Rurſus alia, qvæ per modum inſcriptionum, uti vocari ſolent, componuntur. 7 In qvo genere planè eximius eſt *Emanuel Theſaurus*, cujus

Ge-

‡ *Berneggeri in Juſtinum*] Prodiit principiò Argentorati anno M. DC. XXXI. in 8t. Poſtea Berneggeri notas, prætermiſſâ, qvod nollem, dedicatione ejus, optimæ ſuæ & accuratiſſimæ Trajectinæ, qva de ſuperiùs, inſeruit Cl. Grævius. De priori illa, Argentoratenſi ſcil. ita ſentit Cl. Salmaſ. Ep. XXIII. p. m. 49. „ Vidi editionem Juſtini nitidam, ita me Deus amet, „ atqve elegantem. Tam politos ac lepidos, „ characteres in ea urbe reperiri vix putâſſem. „ Probâſſem tamen magis (ut liberè dicam qvod „ ſentio) Notas in ultimum rejici locum, nec „ nitorem textus tot paragraphis & litteris inſertitiis maculari. Hæc Salmaſ. Et ut palam ſit hac de editione Nobiliſſimum virum loqvi, en ejus verba ex Ep. XXX. p. m. 65 „ Accepi „ vir maximi faciende, maximiſqve comparande, „ alteram partem editionis Juſtini à Berneggero „ noſtro, qvæ uſqve ad XIX. Librum porrigitur. „ Feci qvod juſſiſti, & hanc qvæ nuper, & il-

„ lam

Genealogia Patriarcharum omnino non legenda, ſed diligenter expendenda; 8 qvod ſcribendi genus hodie gratum eſt viris Politicis & ferè omnibus aliis antefertur; videte, qvæ de eo ſæpius laudatus Bœclerus in *Muſæo* diſputet. 9 Pertinent huc qvoqve * Inſcriptiones ſepulcrales ſive tumuli, qvorum itidem exemplum apud Bœclerum & alibi paſſim habetis: 10 III. Characteres ſive deſcriptiones hominis alicujus boni maſive per notas, ſive per morum actionumqve ejus ſpecimina. 11 De qvorum varietate egregiè diſſerit Bœclerus *p.* 549. *locô cit.* ac præcipit. 12 Addendi ſunt ejuſdem *Characteres Vellejani*, ubi exempla qvædam reperire licet; itemqve *Specimen Ethicæ Hiſtoricæ Eraſmi Brochmandi.* 13 Sed dies me deficeret, ſi omnia exercitationis ejus, de qva nobis ſermo eſt, genera recenſere inſtituerem; pertinet enim huc tota exercitatio progymnaſmatica, qvâ veteres adoleſcentum animos ad eloqventiam ſolebant præparare, qvam optandum eſſet in noſtris ſcholis & diutiùs & accuratiùs à civilis prudentiæ ſtudioſis addiſci pariter ac tractari.

„ Iam qvæ olim tranſmiſſa eſt, qvantum per „ occupationes licuit, oculo properante percurri, ut ſi qvid dignum mihi notatu occurreret „ in amici gratiam huic chartæ illinerem; ſed fatendum nihil qvod operæ pretium eſſet adnotari omnia pervolventi incidiſſe, niſi qviſqvilias qvaſdam & haud magnæ rei [illegible], „ qvæ piguit perſcribere & ad vos mittere.

* *Inſcriptiones ſepulcrales.*] Non paucas collegit Laurentius le Brun in Eloqventia ſua Poëtica, ubi de Epitaphiis agit. Ac eſſet ſanè optandum, auctore Cl. Morhofiô Sect. III. c. IV. Commentarionis de Diſciplina Argutiar. p. m. 284. ut qvis Inſcriptiones, qvales ſparſim viros in Illuſtres conſcriptæ ſunt, uno volumine habitô tamen meliorum delectu, colligeret, cùm penè multas earum vel ex Itinerariis, ut Abrah. Golnitzl Dantiſcani, Andr. Schotti &c. vel è vitis Melchioris Adami, Henningi Witteni &c. congerere poſſimus. Fecit id qvidem Cl. Dn. Chriſtianus Weiſe ſingulari librô de Argutis Inſcriptionibus, additis qvibuſdam Argutiarum præceptis. Sed plures ab illo poterant adferri, qvas fortè ad manus non habuit.

JO-

IX.

JOHANNIS SCHEFFERI ARGENTORATENSIS DE GENEROSI NOBILISQVE INFORMATIONE LITERARIA DISSERTATIO.

BENEVOLO LECTORI.

S. D.

1 *Nunqvam ego ad ſcribendum iſthoc qvalecunqve paucarum pagellarum opuſculum eô veni animô, ut proferrem in publicum, conſpectuiqve cujuslibet ſubjicerem.* 2 *Privatum fuit officium, pro variis multipli-*
ci-

cibusqve, qvibus me meosqve per annos bene multos Illuſtriſſimus Baro & Senator Regni, Holmenſisqve arcis atqve civitatis Gubernator Regius, Dominus CLAUDIUS RALAMB/ *affecit beneficiis, præſtandum.* 3 *Qvi cùm pro ſollicitudine paterna indolis egregiæ, ac parentum virtutes decoraque feliciter olim relaturæ filium,* Dn. Broderum *vellet qvàm diligentiſſimè in bonis artibus literisqve erudiri, poſt aliorum, meam etiam de ea re ſententiam cognoſcere avebat.* 4 *Poſtquàm verò eam ipſi adeò intelligo probari, ut exiſtimet, non exiguô poſſe adjumentô eſſe illi filio ſuo, audioque inveniri alios, qvi & ceteris generoſæ juventutis arbitrentur fore utilem, & ob eam cauſſam typis edi cupiant, ſimul & amici editionem harum pagellarum frequenter à me flagitant, votis bene mihi cupientium reſiſtere incivile, ſi non iniqvum putavi.* 5 *Procedat igitur me non impediente in publicum, & ſi poteſt, aliis etiam ſit uſui. Sin minus, voluntatis ſaltem bonæ argumentô me à ſiniſteritate durius judicantium abſolvat. Vale, ſtudiisqve meis fave.*

JOANNES SCHEFFERUS

Reg. Jur. Nat. & Gent. Prof. Honorarius Eloq. & Polit. Skyttianus.

1 UT illuſtri locô natus adoleſcens ſuo pariter ac rei publicæ ex uſu in literarum ſtudiis rectè poſſit educari, tria potiſſimum videntur obſervanda; 2 Unum, qvod ſpectat *adoleſcentem*; alterum, qvod *magiſtrum* ſeu *informatorem* ejus; tertium, qvod *informationem ipſam*. 3 In adoleſcente neceſſarium, ut habeat *ingenium* ad ſtudia non ineptum, *memoriam* fidam, aut ſaltem non omnino improbam, *propenſionem* deniqve *ad literas* non nullam. 4 Qvi ingeniô, memoriâ, & propenſione omni deſtituti ſunt, qvod accidere interdum qvamvis raro, novimus, eos non magis utile verberibus compellere ad literas, qvam canes ad captandas feras. 5 Atqve primò qvidem attendendum eſt *ingenium*, ut ſit tractabile, ſedatum, gaudens laborum, capax & docile, amans laudis & commendationis, qvæ plerumqve â DEO & natura tribuuntur. 6 *Memoria* ſecundum habet locum. Qvæ optanda ſanè facilis ac tenax: qvod ſi tamen talis per omnia non fuerit, ſuccurri poterit uſu & labore, mediiſqve aliis, qvalia petuntur â victus ratione, notatione, atqve ſcriptione diligenti, qvæqve alia ſunt hujus generis. 7 Debet qvoqve aliqva * *propenſio* ad ſtudia adeſſe. Agunt enim inconſultè parentes, qvi liberos vi & flagellis ad litteras compellunt, partim qvia nihil præſtant eximii, qvi ad artem qvamcunqve etiam coguntur, cùm ne ſutor qvidem bonus unqvam qvisqvam factus fuerit invitus & repugnans; partim qvia qvi ſic didicerunt mediocriter, mediocri ſuâ eruditione plus plerumqve damni, qvàm emolumenti afferunt reipublicæ, cùm & ipſi ferè rem non teneant, ut oportet, & alios, qvi monere ipſos atqve informare qværunt, perſvaſione qvâdam eruditionis propriæ non perferant. 8 Scio quod hic regerant nonnulli, pueros in ætate prima conſtitutos ignorare ipſos, qvid velle, aut non velle, ſeqvi aut non ſeqvi debeant. 9 Fatemur eqvidem libenter, rem ſe ita plurimum habere: addimus & hoc, per educationem † voluntates ſæpe immutari: tamen & hoc arbitramur, conceden-

* *Propenſio*] Obſervanda hæc cumprimis in juventute, videndumqve, laxatis qvaſi habenis, cùm ſibi aliqvando relinqvitur, in qvæ effundatur. mentiri hæc ætas non poteſt, non conſvevit; impetum ferè propulſantis naturæ ſeqvitur, nec tam delectu qvàm impulſu agitur. Videamus, an arma jam puer amet, an eqvis delectetur & canibus, an effuſior in cibum & potum, in lectionem, hiſtoriarum cognitionem, in fabulas, in luſum, in iracundiam, in lacrymas; ludicris capiatur, an ſeriis; injurias ferat, an inferat; imperare velit, aut imperium ferre; mendacium oderit, an amet; præferri ſibi alios patiatur, an ſecùs; honeſtate & gloriâ capiatur, an utilibus, & corporis commodis; audeat, & impavidus majora viribus aggrediatur, aut ignavo delectetur otio; vindictæ avidus, an ignoſcere facilis, injuriarum & offenſionum retinens, an remittens; obſervans majorem, an negligens; ferox, an benignus; aſper, an comis; moroſus, an lætus; durus, an flecti facilis; crudelis, an manſvetus, qvod è blanda aut feroci beſtiarum tractatione, ac muſcarum etiam carnificina intelliget. obſervatum hoc olim in Imperatore poſtea crudeli. Verecundus, an effrons. Semina hæc ferè ſunt excreſcentium cum ætate herbarum arborumqve.

† *Educationem voluntates*] Nimirum vincit naturæ corporiſqve propenſionem educatio, & virtus, non qvòd naturam in aliam vertat, tanqvam cervum in leonem: ſed qvòd freqventi contrariorum exercitatione, qvaſi in aliam naturam, felici morum metamorphoſi natura tranſeat, & gaudeat etiam aſſvetis, pluſqve ad hæc con-

cedendum, qvoſdam ab ætate prima etiam ſic ad artes has illasve, aut militiam naturâ ipſâ impellente inclinare, ut ſtatim hoc appareat, indolesqve ſeſe prodat magnis, ſæpè violentis etiam indiciis. 10 Qvos ſi in contrariam compellere voles viam, ſimulabunt forte aliqvem litterarum amorem qvamdiu ſub metu parentum atqve præceptorum conſtituti ſunt. At mox ſui juris facti redeunt ad animum, qvem nunqvam bonâ fide immutârunt. 11 Itaqve volumus propenſionem eſſe aliqvam ad litteras in diſcipulo, ſaltem non averſationem aliqvam ab eis. 12 Poteſt enim voluntas etiam mediocris, etiam exigua erigi ſpe præmiorum, oſtentatione laudis & gloriæ, allegatione exemplorum, & ſimilibus. 13 Nec erit difficile, voluntatem eam intelligere ‡ ex vultu habituque, ſermone, curis, remiſſionibusqve, † ludis,

conſvetudine freqventata, qvàm ad matrum utero uberibuſqve propinata & hauſta feratur, ita educatio, altera & potentior natura eſt cui ſi è cælo accedant auxiliares virtutum copiæ, calcatâ naturâ, victrix triumphum agit educatio. & mentiri docet vultum, à qvo qvidqvid ferinum & belluinum eſt, devertit, tanqvam menſarum analecta ſcopis: ut qvem vultus crudelem, ignavum, præferocem, durum, aſperum, infidum, fallacem; hunc educatio, virtute ſociâ, mitem, vigilantem, benignum, facilem, lenem, fidum, fraudum inimicum, & rectâ gradientem tradat. Et in hoc ars omnis educatoris eſt, ut, ubi ſuorum in utramqve partem propenſionem cognovit, obfutura amoveat, profutura admoveat; avertat mala, arceſſat bona. Benè Cicero: 1. de Oratore. Qvæ bona ſunt, meliora fieri poſſunt arte; & qvæ non optima, acui tamen & corrigi poſſunt. Imitetur monentem inſtructor, maláqve qvà monendo, qvà terrendo, qvà minitando, & puniendo evincat. Horrorem metumqve incutiat, narret damna diſcriminaqve, reiqve fœditatem ob oculos ponat, omnia in majus extollendo.

‡ *Ex vultu habituqve*) Non deſunt, inqvit Car. Scribanius Jeſuita lib. I. Inſtitutionis Politico-Chriſtianæ c. V. p. m 65. edit. Antverp. M. DC. XXXIV. in 4to. qvi hominem à vultu metiantur, ac totius corporis habitudine. Non qvòd hæc ſigna non fallant, ſed qvòd nec inania, nec vacua momenta ſint. Certè ut oratio, ita & vultus latentium teſtis & index eſt. Ut non immeritò Eumenius in Conſtantino. Non fruſtra doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poſſe, qvantus illos cœleſtis ſpiritus intrârit habitator. Et ex arteriarum citato, lento, interciſo, aſpero, molli, fugiente pulſu, in qvas non fortunatas conjecturas proſiliunt medici? Qvid? qvòd è ſola extima manuum cute, tenſa, aſpera; ſucculenta, exſuccida; duriore, molliore; non vana valetudinis, vitæ ac mortis ſigna deſumantur; qvo magis à vultu, potentiſſimo interiorum indice? Unde illud Eccleſiaſtæ c. VIII. 1. „Sapientia hominis lucet in vultu ejus. In beſtiis ſanè certiſſima è vultu conjectura eſt. Non vana etiam in homine. Hic canino vultu eſt, & domino ſuo fidus. Ille vulpino, & aſtu valet doloqve; ne fide! iſte lupino; non induet manſvetudinem, crudelem exſpecta, & ſangvinis avidum. alius aſinino; & pingvi gaudet otio, & ſtolida ferè mente eſt. leonino alius, & explicato pectore, & generoſa mente eſt: nulla hunc humilia & ſordida, delectant ardua & magna. præfert alter mulum, & recto vultu, immota cervice, in utrumqve latus oculos circumfert, aſtum, malignitatem, & calces verere, ubi tutiſſimum te arbitratus fueris. taurum alter; & durâ cervice eſt, & flecti neſcia. cervum alter; fallit decor, nihil in hoc excelſi animi, timoribus natat, & fugæ aptior qvàm bello. leporem nonnulli; ſolis hi pedibus ſe tuentur, ſemper pavidi. aprum nonnemo; ferociam & ſordes reperies. quid? quòd & urſum; deturpant hunc pili. & libido. etiam ovem; ſimplicitas hunc veſtit, & ſtupor. eqvum referunt non pauci; quorum generoſitatem, ambitionem, ignaviam, è varia vultus formatione diſces. alii ſimiam; dolos in his reperies, & adulationes. qvidam avium qvarundam lineamenta oſtendunt: etiam mores metu, ſuſpicionibus, inconſtantiâ plenos. ſed & aliqvid è ſerpente in nonnullis invenies, venena etiam & inſidias, infidam ac irritam mentem, nullis beneficiis vincendam. nec pauca in qvibuſdam è felibus; ungves cave, nec fortunas crede. Sunt, qvi vultu mulierem mentiuntur; nihil in his virum ſapit, ingenium vultui reſpondet.

Jocis, his præcipuè, qvi propius, & ad tempus cum eis verſantur, cùm & alias per hæc intelligatur indoles, & ætas iſta occultare ſeſe penitus & ubiqve alios fallere haud valeat.

II. Ado-

reſpondet, narrandis qvàm gerendis rebus aptiores. Jam, quanta diſcrimina frontis! intuere in his parvam, depreſſam, anguſtam, rotundam, & qvaſi circularem, aſperam, caperatam, tetricam, obductam, mœſtam, nebuloſam; in aliis amplam, latam, qvadratam, longam, lenem, ſplendidam ac quaſi ridentem. Qvanta vocis! in his blanda, placida, mollis, acuta, tarda, flebilis, tremula, obſcura, perplexa, remiſſa, difficilis; in aliis elata, vehemens, contenta, clara, conſtans, gravis, brevis, velox. Qvanta coloris! In his color niger, fuſcus, lividus, pallidus, ſqvallidus; in aliis candidus, flaveſcens, flammeus, rubicundus. Qvanta oculorum! In his ampli, protuberantes, tumidi, blandientes, lucidi, albicantes, læti, ac qvaſi gladio loti, doliſqve circumſepti: in aliis parvi, concavi, ſubnigri, maculoſi, cæſii, ſangvinei, truces, ignei, flaveſcentes, tenebricoſi. Qvanta naſi! huic modicè inſurgit, immensùm illi; deprimitur ac qvaſi medio ſubſidit alteri; illi brevior, longior alteri; deductior uni, ac latè ſpargitur, preſſior alteri; acuitur uni, obtunditur alteri. &, qvod miteris, in tot millibus, vix unus naſus. tot diſcrimina in tam exili corpore. Qvanta capillorum! In his albi, pallentes ſublividi, rufi, flaveſcentes, molles, rari, latè fluentes, projecti: in aliis nigri, ſubnigri, caſtanei coloris, aſperi, duri, acciſi, à radice aut ultima ſui parte criſpantes, fronti imminentes, rejecti in verticem. Qvid? qvòd etiam in ungvibus, non digitis tantùm & manibus, ſua diſcrimina ſint. In his reperies rotundos, breves, pallentes, albicantes, molles, tenues; in illis latos, oblongos, aſperos, planos, pellucidos, ſubrubentes. In reliqvis membris non inferiora reperis. Qvæ diſcrimina ex interna humanæ conditionis varietate naſci neceſſum eſt: cùm ab interna alia atqve alia conditione, alia atqve alia exterior proveniat conſtitutio. à varia nimirùm internorum temperie exterior naſcitur, tanqvam à diſſimili materno utero diſſimilis ſoboles. Non qvòd indubitata hæc ſigna ſint mentis bonæ, malæqve. ſcio enim à Syracide c.XI. 2. dictum: ,,Non laudes ,, virum in ſpecie ſua, neqve ſpernas hominem in ,, viſu ſuo, ſed qvòd pronitatem qvamdam naturæ corporiſqve deſignent. Aſſimilantur enim exteriora internis, ut hederam illa credas poſtibus defixam, vino vendendo celliſqve recondito. Ita ferè in vultu mentem corpore reconditam clauſamqve, tanqvam in ſpeculo legas, ut totum hominem, animamqve totam in vultu poſuiſſe natura videatur. Intuere. videbis ferè animi motus, vultus, maximéqve oculorum, dejectione, erectione, hilaritudine, mœrore, torvitate, lenitudine, tumoribus, inflammationibus exprimi; ut propè cogitata videas, ſanè non obſcuris indiciis colligas. Res factas pictura loqvitur, animorum res vultus, in qvo tanqvam tabula inlatentia pinxiſſe natura videtur. ita proditor cogitationum propenſionumqve vultus eſt. Scio non ab uno dictum: ,,Fronti nulla fides; &, Spem ,, vultu ſimulat, premit altum corde dolorem. ut mentiri frons videatur, & inſidias inſpectori ſtruere. In adultioribus non negem: qvanqvam nec ſemper mentiri vultus poſſit, nec ſoleat. in pueris nec poteſt qvidem; nec dum enim ea ætas edocta dolos ſtruere, necdum fraudes fronte & oculis ſpargere. Ignorat illud, *Mentem injuratam gero*, ſi frons & os mentitur. nec magis vultu fallere, qvàm ſicas vibrare, vel venena propinare didicit. Maturioris ætatis hæc ſunt.

† *Ludis*] Nuſqvam ſe inlatentia bonorum malorumqve ſemina magis produnt, qvàm in æqvalium luſu, & liberiore contubernio, cùm ſibi naturæqve ſuæ puer relinqvitur. tunc enim ſe exerunt vitia, & ſubcineratam metu extollunt cervicem, & prono curſu, excuſſis habenis, in amica naturæ ſuæ feruntur. Nec premere hæc puer poteſt, qvi ſimulare non didicit, ſed pecorum more, in optata proruit. Verè Lyricus de Arte Poët. v. 158.

,, Reddere qvi voces jam ſcit puer, & pede certò
,, Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
,, Colligit & ponit temerè, & mutatur in horas.

Monet verò de luſu Plato, ,, ut ſtatim à teneris ,, annis pueri honeſtis jocis aſſveſcant, ,, ne, ſi ludis minùs decentibus adſveſcant, nunqvam in viros probos evadant. In omni verò genere periculum inſtructor capiat. inde ad remedia manum admoveat, ubi mala morboſqve didicerit: aut validiora ad virtutem calcaria addat, ſi qvæ hujus ſemina ſenſerit.

II. 1 Adoleſcenti porro iſtiusmodi præficiendus aptus & idoneus * eſt magiſter. 2 Qvalis ut qvis verè poſſit haberi, qvatuor poſtulari videntur: *ætas* juſta, *vita* proba, ſufficiens *eruditio* & *habilitas docendi*. 3 *Primum* eligi volo non puerum ætate, qvi rectore ipſe opus habeat, qvi auctoritate valeat nullâ apud diſcipulum, niſi defectum ætatis ſuppleat eximia & ſingularis qvædam virtus, qvod non freqventer admodum ſolet evenire. 4 Sed nec nimis provectæ ætatis hominem, qvoniam hoc genus moroſum ferè, impatiens laboris ſuas utilitates unicè attendens, renuncians muneri, ut primum ſeſe offert occaſio qvietior. 5 In vita poſtulo, ut primum omnium ſit pius, & religionis veræ amans atqve ſtudioſus. 6 *Dein* ut colat honeſtatem morum, id eſt non potationibus, non libidinibus, non aleæ teſſeriſve ſit deditus. 7 Scio ingenia optima per talis generis præceptores in ejusmodi projecta vitia, è qvibus toto deinde vitæ ſuæ ſpatiô non potuerunt emergere. 8 *Tum* ut ſit indoli diſcipuli accommodatus. Seorſum hoc moneo, qvia vulgò video hîc ferè errari non ſine detrimento diſcipulorum. 9 Debebat eqvidem magiſter ipſe accommodare ſe ad indolem diſcipuli, eamqve in erudiendo prudenti moderatione ſeqvi. Verùm fit plerumqve aliter, dum à natura ſua qvidam difficilius recedunt, alii animum diſcipuli minùs diligenter attendunt. 11 Qvòd ſi ergo diſcipulus proclivis ad iram, ſvadeo ei ſociari magiſtrum moderatum; ſi ad profuſiones, attentum ad res ſuas; ſi ad faſtum & ambitionem, civilem; ſi ad curas humiles abjectasqve; erectum atqve bonæ ſpei plenum Si nihil aliud, ipſa conſvetudo qvotidiana & exemplum præceptoris diſcipulum formabunt. 11 *Qvarto*, ut ſectetur elegantiam vi-

* *Idoneus eſt magiſter*] Characterem, inqvit Dn. Morhof. l. II. Polyhiſtoris Litterar. c. XII. p. 462. talis Ephori optimè deſcribit Joh. Schefferus in libello de Generoſi Nobilisqve informatione litteraria Potiſſima ſanè cura in Inſtructoris delectu ponenda. Factum hoc olim in viris magnis felici eventu. Alcinoum Ulyſſis, Chironem Achillis, Neſtorem Agamemnonis, Telemachum Menelai, Polydamantem Hectoris, Simonidem Hieronis, Alexandri Ariſtotelem, Alcibiadis Socratem, Cyri Xenophontem, magiſtros fuiſſe accepimus; magnos omnes, magnorum. In inſtructore proinde ſeriò adlaborandum, ut à qvo ferè vitæ reliqva pendeant. Nam ut parentibus magna in hoc genere largiamur, plus tamen ab inſtructoris vigili cura, qvàm à materno utero ubereqve puer hauriet; certiora etiam, & qvæ ætatem ferant, altiusqve imbibantur, & in pectus demittantur. Ceterùm de Præceptorum reqviſitis qvalesqve eſſe debeant multis egit Dorotheus Sicurus in Prudentia Theologica n VIII. IX. ſ. ubi hoc Schefferi caput ſuum qvaſi commentarium invenit. Non pauca ſanè ſi eximiæ raræqve pietatis ac doctrinæ Theologo Dn. D. Joh. Ludov. Hartmanno credimus in I. Diſput. de Mediis Propagandæ pietatis, in Præceptoribus noſtris deſideranda ſunt. Multis deeſt verior methodus, qvibus non deeſt vel induſtria vel fides: aliqvibus adeſt & peritia & voluntas, qvibus deeſt facultas vel autoritas; nonnullis omnia ſunt in promptu, qvos torpor & avaritia detinet: deplora mecum, B. L. qvorundam Præceptorum crudum judicium, incoctum rigorem, præcocem fervorem, muſteam eruditionem, inſipida dictata, & horridum ſupercilium: deplora qvorundam inconcinnas traditiones, intolerabilem bilem, immodicam tenacitatem, jejunam verboſitatem, qvin & præpoſterum metum, ne offendant Parentes; ab ejusmodi qvid exſpectabis aliud, qvàm juventutis ambages & labyrinthos, qvibus abducuntur à verioribus bonis? Eqvidem libros repetere & exigere; ad Paſtorem, agere & ſtimulare; præcepta, regulas, dictatáqve obtrudere & inculcare, cujusvis eſt; Summam rei monſtrare, facilitatem aperire, explicationem adhibere, uſum docere, exemplo præire deniqve ad Chriſtum omnia referre, hoc opus, hic ſudor Chriſtianus eſt, qvem nullæ orbis opes rependerint

vivendi. 12 Sit amabilis in ſermone, in actionibus aptus faciliſqve, in habitu, cultuqve corporis decens ac politus. 13 Sordidi illi, & ſqvalore obſiti ac illuvie, omnibus odio ſunt ac contemptui, nec apud diſcipulos tueri dignitatem ſuam poſſunt. 14 *Etiam* profeſsio & inſtitutum vitæ in magiſtris ſpectandum. 15 Juris certè ſtudioſum præficere Medico futuro, aut Medicinæ deditum tractaturo jura neqve aptum eſt, & in non paucis diſcipulo impedimentum. 16 Sunt qvi Theologiæ operantem idoneum putant cunctis. 17 Eqvidem ſi is verè Theologiæ ſtudioſus, ſi ceteris artibus & diſciplinis (qvod in verè ſtudioſo Theologiæ neceſſe eſt) ſatis inſtructus, nollem repudiari ſolô iſtô nomine. 18 Sed fatendum eſt, qvod res ipſa ſcilicet etiam tacentibus nobis clamitat, paucos hodie id ſeriò totôqve animô propoſitum ſibi habere; pleroſqve contentos mediocri cognitione articulorum fidei, provolare in † cathedras, & poſtqvam ad dicendum, non qvod ipſi ſuô meditati ſunt ingeniô, ſed ex aliis obiter conſarcinârunt, animum & os confirmavêre, pingve munus ſacerdotii circumſpicere. 19 Itaqve probare non poſſum qvi hâc ſolâ cauſsâ magiſtrum reputant idoneum, qvod ſit Theologiæ ſtudioſus, cùm præſertim nec hi omnes pii ſint, qvæ pleriſqve commendandi eos ratio affertur, & cordatior aliqvando pietas in aliis, qvam in his reperiatur. 20 Multò minus autem eos, qvi ſacerdotibus jam conſtitutis & in ſuo munere, ſi rectè volunt obire, plus ſatis occupatis, hunc velut appendicem laborum ſubnectunt, ut liberos ſimul in literis erudiant. 21 Eſt hoc utiqve negotium non ſuperficiariæ curæ, ac qvod aliud agendo poſſit expediri

† *Provolare in Cathedras*] Socii Phaëthontis & Icari Germani. Atqve inde tot ſemidoctorum agmina, inter eos etiam qvi Doctores ſalutari cupiunt. Inde tot pſittaci & graculi in ſuggeſtis noſtris, ſemet ipſos ſæpe non intelligentes. Qvam ingeniorum peſtem jam dudum deploravit celeberrimus qvondam, in Argentoratenſi & Roſtochienſi Academiis Theologus b. r. Dorſcheus, his in Diſſertatione de recta Studii Theologici conformatione, parti primæ ejus Theologiæ Zacharianæ præfixa verbis: „Qvamprimum ex ea officina progreſſi ſunt, in qva „ad mediocrem cum lingvis familiaritatem for„mabantur: in penitiorem enim amicitiam „& nexus ſecretiores non deſcendunt: magna „contentione feſtinant, ut aliqvo titulo ſuper„biant. Igitur per qvædam compendia eunt in „ſapientiæ humanæ contubernium, &, cum „paucula pro faſtidientis ſtomachi captu degu„ſtarunt, nolunt jam intra illas anguſtias „concludi. Serium bonarum literarum cul„tum & antiqvitatis eruditæ notitiam ineptiſſi„mus judicateris, ſi ab hoc hominum genere „poſtulares. Qvi enim rem anguſtam & inter „mortalium curas ſolam immortalem, Deo „ſervire, aggrediuntur, qvomodò illi divinos „ſuos impetus inter ſemirutas literulas fatigare „deberent? In eo potius laborant, ut brevi „experiantur, an lingva ſit animo expeditior? „&, an ſupinam ignorantiam felici loqvacita„te tegere poſſint? Nam ne profundius in Dei „conſilia & illos beatiſſimos ſacrarum littera„rum ſinus introſpiciant, ſancta ſimplicitate „prohiberi ſe perhibent. Itaqve nihil iis eſt, ut „Plautino utar, confidentiloqvius, ut illo tandem „imbuantur habitu, qvem reverentur omnes. „Unde ſemidocti cruda adhuc ſtudia propellunt „in templa, artificioſiſſimi ſcriniorum alieno„rum expilatores. Nec deſunt, qvi eo die, „qvo ſacri muneris impetrati deſideratiſſimum „nuncium acceperunt, nuncium miſerunt iis „curis, qvas ad firmandas in divinis conſiliis „mentes Academia inſtruit. Scilicet magno „animo hoc agunt, ut parum adferant animi „in ſuggeſtum, multum ſoni, mera tintinna„bula.

pediri, verùm totum integrumqve hominem reqvirit. 22 Adde, qvod id qvisqve doceat rectius, qvod ipſe freqventius exercuit. 23 Unde fit, ut prodigioſam ſacerdotes hi qvandoqve ineant informandi viam, & diſcipulis proponant ea, qvorum ipſi partem minimam intelligunt. 24 Qvod tamen longiſſime à magiſtro debet abeſſe, qvippe qvem poſt ante dicta, vel præcipuè volumus eſſe eruditum. 25 Neqve poteſt eſſe dubium, qvin neceſſaria ſit eruditio in eo, niſi fors putamus cœcum à cœco poſſe duci. 26 Videntur tamen ea aliqva eſſe in ſententia illi, qvi reſpiciunt ſumptum, & præceproris aptitudinem ex vilitate præmii, ſub qvo addicere labores ſuos eſt paratus, æſtimare ſolent. 27 Atqvi nemo paulò fortunatior non aliam rationem vel in veſtibus parandis ſeqvitur. 28 Jam ſi ſartorem qværimus ad conficiendum veſtimentum, non qvi mercedem exigat minimam, ſed veſtem conficiat optimè; cur ad expoliendum animum & ingenium noſtrorum librorum qværimus non maximè idoneum, ſed minimô ſtipendiô parabilem? 29 Sed nimirum fit hoc à pleriſqve ignorantiâ, à non paucis ſiniſtrô qvôdam de labore informationis judiciô; leviorem namqve eum ac faciliorem putant, qvam qvi aut ad domandum eqvum, aut conficiendas expenſorum acceptorumqve rationes, aut inſtruendum hortum, ſimileve qvidpiam debet impendi. 30 Oportet igitur eruditum eſſe idoneum magiſtrum & inſtructum ipſum iis artibus, qvibus alios debet erudire. 31 Nam ſi non eſt, *primum* diſcipulus amittit tempus per inſcitiam magiſtri, qvod ære nullô poteſt reparari. 32 Cogitur *dein* dediſcere, qvæ didicit perperam à tali magiſto id eſt duplicem ſubire laborem, ex qvo plerumqve naſcitur tædium & odium literarum. 33 *Tertiò*, nunqvam ſatis bonâ fide ac per omnia emendatur, qvia qvæ ſic ſemel * in ætate prima menti ſunt impreſſa, hærent ferè tantâ pertinaciâ, ut curâ nullâ omnino penitusqve poſſint deleri. 34 Suntqve mihi ipſi noti, qvi vitia ſermonis per hanc cauſam contracta, etiam poſtqvam didicerunt eſſe vitia, evitare nunqvam ſatis, qvantamcunqve impenderent operam, potuerunt, recurrente ſubinde eô, qvod in ætate prima pravè fuerant edocti: *Ultimum* qvod in magiſtro ſpectandum, dixi eſſe ut ſit inſtructus facultate docendi. 36 Nec enim putandum, ſtatim qvemlibet, qvod ipſe novit, poſſe id & alium docere. Sunt non pauci docti, verùm ſibi. Sunt qvidam docti non ſibi ſolùm, ſed & aliis, verùm qvatenus doctrinam ſuam ſcriptô poſſunt demonſtrare; at ſi veniant ad colloqvium, muti ferè ſunt, aut breves & obſcuri, aut confuſione qvâdam implicati, ut percipere ex eis qveas nihil. Qvale genus aliis erudiendis haud eſt aptum. 37 Itaqve præceptorem volo, qvi polleat ſingulari naturaliqve facultate clarè ac perſpicuè prodendi animi ſui ſenſa, ſciatqve ſe accommodare ad captum diſcipuli, nec omittat qvidpiam, licet facile.

* *In ætate prima menti ſunt impreſſa*) Certè judice Deſideriô in p. 2. Apopthegmat. §. I. Non minus intereſt, qvos nactus ſis parentes, qvàm qvos adſciſcas præceptores. Etenim ut liberi fermè referunt majorum unde prognati ſunt ingenium: ita præceptorum vitia demigrant in eos, qvos inſtituunt.

le ac leve videatur, qvod erudiendo ei poſſit eſſe aptum. 18 Qvales ſunt non ſemper, qvi ipſi maximè ingenioſi atqvè prompti. Nam ex ſua ferè facultate judicium ferunt de facultate diſcipuli, & vel jam didiciſſe putant qvæ nondum didicit, vel ſi celeritatem eorum non aſſeqvitur, fiunt moroſi & impatientes, & vel verberibus in eum graſſantur, vel ſubterfugiendo laborem neceſſarium, negligunt & perdunt, vel ſuo muneri penitus renunciant.

III. 1 Qværat aliqvis hôc locô, unde iſtiusmodi magiſter peti debeat, & qvomodo poſſit cognoſci? 2 Fateor profectò eſſe rem non obviam & repertu facilem. 3 Inveniuntur ſanè, qvi docendi munus, ſi præſertim ſpes ſit præmii majoris, ambiant: verùm qvi ex debito, & cum commodo diſcentis ſuſtinere qveant, non ſunt adeo multi. 4 *Primùm* autem hîc à gratia cœleſti auxilium petendum. Nec enim ſola ſollicitè ac circumſpectè qværentis cura bonum præſtat liberis magiſtrum. 5 *Poſt* conſulendi, qvibus propius perſpecta ſolent eſſe ſtudia ac negotia juventutis litteratæ. 6 Qvanqvam & in his conſiderari debeat, qvid ſvadeant. 7 Nam primùm etiam illi ipſi poſſunt decipi, nemo ſatis omnes animi receſſus cujuslibet penetravit. 8 *Dein* accedunt ſæpe ex cognatione, patria, convictu, & id genus cauſis aliis, qvibus judicium ſi non corrumpitur, ſaltem inclinatur atqve flectitur. 9 Neqve deſunt, qvi rem ſuam præmiis atqve pollicitationibus qværunt promovere: qvi ſi locum inveniant apud judicem de ſe, qvid de judicio ejusmodi ſperandum cenſendumve ſit, in aperto eſt. 10 Itaqve hîc ſvaſerim, non unius ſententiæ unicè ſimpliciterqve inhærere, ſed de commendati præceptoris vita, moribus, ſtudiis explorare per alios, etiam, qvi cur explorent, neqveunt intelligi. 11 Qvod eo magis neceſſum eſt, qvoniam & poſt curas omnes poteſt fieri, ut eventus voto non reſpondeat. 12 Nimirum fit non raro, ut mutatione vitæ mutentur juxta mores, & qvi preſſus neceſſitatibus de ſe pollicebatur omnia honeſta & egregia, ſpem atqve expectationem fallat omnium, dum ferendis ſecundis par eſt minus, qvàm fuerat adverſis.

IV. 1 Jam poſtqvam nobis eſt oblatus, qvi muneri magiſtri ſuſtinendo videbitur idoneus, conſiderandum venit, qvomodo habere ſeſe debeat informatio, qvod eſt *tertium*, in hoc negotio, ut ſupra dixi, ſpectandum. 2 Repetendum autem hîc, qvod ab initio monui, non ſtudioſum qvemlibet, ſed illuſtri nobiliqve locô natum, eum qvoqve non cujusqve, verùm noſtræ gentis, noſtrô hôc conſiliô reſpicere, ideoqve multa hic præcipere, qvæ aliàs videri poſſent negligenda, multa negligere ac prætermittere, qvæ deberent præcipi. 3 Qvare ſi qvid hic non nominabitur, non ut ignoratum nobis aut repudiatum debebit haberi, ſed propoſitô conſiliôqve certô prætermiſſum. 4 In omni porro informatione conſiderandæ videntur primò *res*, in qvibus occupata debet eſſe, ſecundò *tempus*, qvô debet inſtitui, tertiò *modus* ad qvem ſit inſtituenda. 5 Reſpectu rerum informatio in univerſum pertinere debet vel ad *ſacra*, vel *non ſacra*. 6 Initium à ſacris facio, qvia pium ante omnia volo fieri diſcipulum etiam nobili ſangvine ortum, non privatis ſolùm cauſſis, qvas pro

ſe

ſe qvilibet & intelligere,& obſervare debet, verùm multo magis publicis, qvia verſaturus eſt in negotiis ad commoda communia facturis. 7 Nimirum ſine gratia Divina nihil paulò gravioris momenti expeditur, nec conficiendis cum ſucceſſu talibus prudentia,cautio,circumſpectio,calliditas mortalium, qvantumvis ſumma, eſt ſufficiens. 8 Ea porrò gratia qvî haberi poſſit per impietatem? 9 Adde qvod ſublatâ pietate plurimum amittatur ex præceptis regulisqve qvas in vita & negotiis, ſi verè ſalutaria eſſe cupimus,obſervari neceſſe eſt. 10 Pietatem igitur in diſcipulo exigo ante omnia, ejusqve in educatione primam puto habendam rationem. 11 Scio aliter hîc multos judicare, nec deeſſe magnorum aliqvando virorum auctoritatem. 12 Sed docet eventus, eos qvi non ab initio ætatis de religione ſua redduntur certi, poſt in peregrinationibus, vel ad alienam & errôneam abduci non modò cum exitio ipſorum proprio, ſed & cum infamia gentis, qvandoqve publico etiam cum damno, qvando ferè ex hoc diſſenſu contentiones turbæqve oriuntur etiam in reliqvis de republica deliberationibus; vel planè incertos ac ancipites vagari, deniqve negligere religionem omnem unde primum vitæ morumqve diſſolutionem, deinde iniqvitates varias ac injurias oriri neceſſe eſt, qvibus non modo gerendarum feliciter rerum auſpicia evertuntur, Deo id genus hominum averſante; ſed ipſa etiam ſocietas diſtrahitur divelliturqve. 13 Ut omittam errores infinitos, in qvos in deliberationibus ferè omnibus hos incidere neceſſe eſt, vel ignorantiâ, vel negatione providentiæ Divinæ, cujus accurata conſideratio notitiaqve præcipuam prudentiæ humanæ partem continet, ipſamqve adeo vel conſtituit vel abſolvit. 14 Informatio igitur incipere à pietate debet, ad qvam pertinet cura ſacrorum. 15 Sacra ſpectant vel notitiam de DEO & religione vel cultum. 16 Notitia noſtro ſufficiens haberi poterit ex *Catecheſi* primùm *Lutheri*, cum ſveta explicatione, item *Qvæſtionibus* & *Reſponſionibus Laurelii*. Pôſt *Catecheſi Latina Dieterici*, * *Compendio Hutteri* aut *Haſenrefferi*, *Epitome Credendorum Hunnii*. 17 Qvibus abſolutis ea, qvæ ſunt ſcitu neceſſaria, petentur ex ſcriptis majoribus, ut ſunt *Loci de Chriſto*, *Fide* & *Operibus*, *Providentia*, *Lege*, *Magiſtratu Politico*, & ſimiles. 18 Sunt

* *Compendio Hutteri aut Haſenrefferi*] In illud exſtant egregiæ ac utiles notæ & obſervationes B. Gothofredi Cundiſii Lipſiæ qvartùm editæ CIƆ. IƆC. LXXXIV. in 8t. Loci verò Theologici D. Matthiæ Hafenrefferi, jam inde ab Anno Chriſti M. DC. XII. regiô reſcriptô jubente in Univerſitate Upſalienſi, & Gymnaſiis aliis publicis prælectionibus traduntur, ut nos docet pretioſus Doctor noſter Dorſcheus in p. 275. Latronis Theologi: ad[illegible]ns, „ memini annô „ 1638. Sereniſſimum Carolum Guſtavum, „ nunc Sveccorum &c. Regem inclytum, Victo„ rem, Triumphatorem &c. in Bibliotheca Ar„ gentoratenſis Academiæ è manicis ſuis extra„ xiſſe mihiqve monſtrâſſe D. Joh. Canuti Len„ næi compendium, firmando in controverſiis „ fidei animo Regii tum Principis conſecratum „ & ab ipſo maximi æſtimatum. Hæc Dor„ ſcheus. Epitomâ verò Credendorum Nicol. Hunnii qvam & noſter hic Schefferus laudat, nihil ſolidius, nihil eruditius, nihil exactius; qvippe qvæ ſola, animum in religione Lutherana tranqvillum, & ut in tuto ſit adverſus heterodoxos reddere valet, qvare, & auctore Boſio ſupra n. VII. c. CXXIV. 8. hæc inſtar omnium compendiorum erit. His & iſtiuſmodi li-

autem ſcripta illa majora varia, nec ignota, inter qvæ tamen eminent *Chemnitii opera* & *Loci Gerhardi*.* 19 Cultus inſtituetur ad manuductionem *Avenarii* per *preces matutinas & veſpertinas*, cum *lectione Bibliorum* in lingva vernacula, cui poſſet addi verſio Germanica cum notis ‡ *Vinarienſium*, vel Latina *Oſiandri*, ubi locus difficilior occurret. 20 Avenarium juvabunt *preces Arndi*, ** *meditationes Gerhardi*, *Auguſtini*, ſimilesqve, item qvi de vita ex præceptis veri Chriſtianiſmi rectè inſtituenda ſcripſerunt. 21 Volo autem hiſce dari operam, non ut † omnium controverſiarum nodos ſciat ſolvere di-

libris immorari & innutriri oportet, ſi velimus aliqvid trahere, qvod in animo fideliter ſedeat.

* Adde controverſias ob recentiores & Syncretiſticas ſummi D. noſtri Calovii Syſtema.

‡ *Cum notis Vinarienſium*]. Hæc enim Biblia ſatis accuratam & genuinam exhibent in pleriſqve paraphraſin auctore beatô Caloviô in aurea Pædia Sect. II. Artic: II. c. II. can. I. p. m. 146. Celeberr. D. N. Michaël Waltherus in præfatione Centuriæ Miſcell. Theologicor. hoc de opere ita habet: ,, Veritas & conſcientia ,, me hoc ſolum fateri cogunt. Solem per tot ,, annorum millenarios enarrationem funda- ,, mentaliorem, utilioremqve Codicis ter ,, Sancti nec vidiſſe, nec radiis ſuis perſtrin- ,, xiſſe unqvam. Norimbergæ, in ipſo anni ,, ingreſſu, qvo Opus illud diviniſſimum lucis ,, uſuræ fuerat expoſitum, de omnibus cathe- ,, dris ſuis Deo propterea gratias egit ſolenniſ- ,, ſimas. Hæc μακαρίτης ille. Fateor ait doctiſſ. Glaſſ. in Mantiſſa ad Philolog. §. VIII. p. 1491. ,, huic operi Biblico, auſpiciis Illu- ,, ſtriſſimi & pientiſſimi mei Principis, Nori- ,, bergæ jam qvartùm edito, aliqvid operæ à ,, me impenſum, neqve forſan minimum. Et ,, ipſius libri Pſalmorum, interſertas qvod an- ,, notatiunculas attinet, auctorem me profite- ,, or. Hæc ille. Adjungere etiam poterunt Verſionem Oſiandrinam cum paraphraſi, qvæ litterali ſenſui (judice ibid p. 147. Caloviô) preſſius inhæret. De ſententia doctiſſimi Dn. Joh. Henr. Urſini Spirenſis, Orthodoxæ Eccleſiæ Chriſti Ratisbonenſis Paſtoris & Superintendentia Volum. I. Analector. ſacror. lib. II. c. XXII. p. m. 137. D. Lucas Oſiander ,, inter- ,, pres eſt majore, qvam vulgo habetur, pretio ,, digniſſimus. Porro hic non tam Verſionem ,, novam adornavit, qvàm Veterem Vulgatam ,, emendavit, ſuamqve emendationem ad Ver- ,, ſionem maximè B. Luthori adcommodavit. ,, Imo & fatetur, ſe in adjectis paraphraſibus ,, & explicationibus uſum eſſe Commentariis ,, Lutheri & Brentii, & annotationibus Vata- ,, bli. Verſionem hanc Vulgato Lutheranam ,, Filius, Lucæ, Andreas Oſiander non diu ,, pòſt aliqvoties hoc pacto ita recudi fecit, ut ,, textu Biblico ſolitariè poſito, & ad parentis ,, præſcriptum emendato, notas collocârit in ,, margine utiliſſimas & nervoſiſſimas, ex cla- ,, riſſimorum non ſolùm Theologorum Ortho- ,, doxorum Commentariis ac diſputationibus ,, ſed & ex ſanctiſſimo Concordiæ libro mutuò ,, traductas. Utrumqve ſanè opus utroqve no- ,, mine, & emendationis & expoſitionis, lau- ,, dem meretur ſummam, & ob id non ſolùm ,, Paſtoribus, & Theologiæ cumprimis Studio- ,, ſis, ſed & Politicis & Jctis debet eſſe ,, longè commendatiſſimum, qvippe ex quo ,, non ſolùm ſolidæ interpretationes difficulta- ,, tum Biblicarum paſſim occurrentium commo- ,, dè hauriuntur, ſed & ex priori Loci Commu- ,, nes, qvæ ad praxin ſpectant ſalutarem, ſtri- ,, ctim addiſcuntur, inſuperqve editiones hæ in ,, certaminibus cum Pontificiis inſigni cum e- ,, molumento adhibentur.

** *Meditationes Gerhardi*] De his ita ſcribit Cl. Michaël Schneiderus in p. 140. Oration. in Obitum Gerhardi habitæ, Patrologiæqve dicti Gerhardi ſubjunctæ cum ceteris orationib. ,, Meditationum libellum ipſi Religionis no- ,, ſtræ hoſtes elogiis & laudibus extollunt. Tan- ,, ta ſcilicet veritatis vis eſt, ut etiam clauſos ,, oculos feriat, & vel ex invitis pectoribus pro- ,, rumpat. Sunt potiſſimùm ex Auguſtino, ,, Bernhardò ceteriſqve deſumtæ magno cum judicio Patribus, & aliqvoties editæ. Mihi ſemper ad manus fuit editio Lugdun. Batav. Elzeviriana ann. M. DC. XXIX. in 12. E qva ef-

diſcipulus, ac ſubtiliſſimas qvasqve teneat diſtinctiones: ſed ut de fide ſua ex principiis Sacræ Scripturæ præcipuisqve ejus dictis ſit certus, parteſqve ſupra nominatas de fide, providentia, fato, &c. probè intelligat. 22 Qvam ad rem non prolixâ lectione, ſed fideli præceptoris explicatione opus erit. 23 Neqve temporis reqviretur multum, ſed præter diem Saturni ac Solis, huic negotio aliàs deſtinatos, ceteris hora una vel dimidia ſufficiet.

V. 1 Informatio qvæ in rebus non ſacris occupatur, pertinet vel ad *lingvas*, vel ad *eruditionem ceteram*. 2 Lingvæ vel *erudita* ſunt, vel *non ſunt*. 3 Ex eruditis, *Latina* nobili ſufficere videtur, niſi voluptatis gratiâ & invitante ſingulari promptitudine ingenii volet addere & *Græcam*. 4 Ex non eruditis, poſt *patriam Germanicamqve*, *Gallica*, *Italica*, & *Anglica* ſolent commendari. 5 Ego neſcio an Sveco Nobili & *Finnonica* planè contemnenda ſit. 6 Ex ceteris cum Germanica fortasſis ſola Gallica verè neceſſaria. 7 Nam qvod *Italicâ* nunc uti qvidam malunt, fit faſtidiô Gallicæ, tanqvàm uſu nimium vulgatæ. 8 Imprimis autem de vernacula cenſeo, dandam operam, ut non minus in ea, qvam in ceteris exercitati ſimus. 9 Video communiter fieri contrarium, & in lingvis peregrinis multos, qvàm ſuâ patriâqve diſertiores eſſe. 10 Qvod à prava ortum educatione, turpe eſt privatim, impedit publicè, nec ſolùm impedit, ſed & noxium eſt damnoſumqve.

VI. 1 Ad Latinam lingvam addiſcendam ſvaſerim initiô notitiam perfectiſſimam Declinationum Conjugationumqve, ut & præcipuarum regularum Syntaxeos. 2 Genera nominum dabunt *verſus* inſerti *Grammaticæ Scioppianæ*; Præterita, & ,ut vulgo nominant, Supina *verſus Alvarezii*, Scioppio commendati, vel ſi haberi neqveunt, exſcripta ex *Grammaticis Voſſii*, & per lectionem repetitionemqve freqventem mandata memoriæ. 3 Nam qvod iſta qvoqve omnia uſu qvidam putant poſſe accipi, mihi qvidem ſatis commodè ſentire haud videntur; nam & tempus ferè inſumunt longius, qvi hoc faciunt, & incertos ferè relinqvunt diſcipulos, & nihilominus regulas aliqvas, qvascunqve tandem, formare coguntur. 4 Ne tamen Declinationes atqve Conjugationes iſtæ tædioſæ ſint, poſſunt ſtatim proponi fabellæ aliqvæ aut ſententiæ Latinisſimi cujusdam Scriptoris. 5 A tali enim incipiendum, non recentioribus iſtis, *Terentiis Chriſtianis*, *Corderii Colloqviis*, ejusqve farinæ

 aliis.

officina ſeqventi qvoqve prodiit annô Johannis ejuſdem Gerhardi Exercitium pietatis qvotidianum qvadripartium in 12. qvô lectô nemo non ſe captum falſus eſt.

† *Ut omnium controverſiarum nodos*] Qvæ ad Theologiam pertinent, ita ſunt exhibenda nobili vel Principi, ut qvantum illi ſatis ſit, ad ſalutem, fidem, vitam ac civilem directionem & chriſtianam, nôrit. Rectè Caſelius: „ Ut exqviſita lingvæ ratio ad Grammaticum, „ ut cauſſæ forenſes ad Juriſconſultos: ita qvæ in „ Eccleſia moventur de religione ad Collegia „ Sacerdotum referenda ſunt. At in præſentia confunduntur hæc. Grammatici, Critici & Philologi nonnulli de cunctis ſe judicare poſſe autumant, omniaqve in ſua poteſtate eſſe. Pro opinione Politicorum & Aulicorum ſe ipſis illis nemo ſolidius de Religione judicare poteſt, nemo prudentius. Soli Theologi ſua aut neſcire, aut non ſatis rectè ac prudenter callere putantur. Planè non ad mentem Horatii, ſecundùm qvem lib. II. Epiſt. I. 114.

Na-

aliis. 6 Proponentur potiùs *Jambi * Publii Syri*, *Phædri Fabulæ*, *Ciceronis Hiſtoriolæ ſelectæ*. 7 Nec *Catonem*, qvamvis minus vetuſtum, puto contemnendum, cujus optima editio eſt *Daumiana* Anno 1672. publicata. 8 Ex his ſimul haurientur vocabula, idqve rectius haud dubiè, qvàm ex fidei ambiguæ Onomaſtico, aut Nomenclatore, cum ne Junianus qvidem, qvem aliàs plurimi faciunt, ſit immunis erroribus, ut id pridem in de Centeſimis Uſuris, p. 34. obſervavit Clariſſimus Gronovius. 9 Commendant aliqvi *Veſtibulum* & *Januam Comenii*. Verum ſunt non pauca, qvæ in eis opuſculis

„ Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
„ Non audet, niſi qvi didicit, dare. qvod Medicorum eſt
„ Promittunt Medici: tractant fabrilia fabri.
„ Scribimus indocti, doctiqve poëmata paſſim.

* *Jambi P. Syri*] Apud Romanos inqvit Roland. Mareſius libr. II. Epiſtol. XLII. p. 465. tam paucos extitiſſe γνωμολόγους „profectò mirum eſt. Nam præter Piſyri Mi„mi ſenarios verſus, qvi inter theatrales luſus „jactati ſunt, graves qvidem, elegantes, & „prorſus ſeculô auctoris dignos, & Dionyſii „Catonis diſticha, nihil hujus argumenti La„tinis verſibus expreſſum habemus. Qvæ li„cèt pleraqve vix ſatis Latina ſint, nec ubi„qve ſenſum valdè exqviſitum habeant, ali„qvando etiam obſcurum, tamen non ſunt „indigna pueris prælegi, præſertim cùm an„tiqva ſint, ut qvorum meminerit Vindicia„nus Comes Archiatrorum in epiſtola ad Im„peratorem Valentinianum. Catonis verò no„men prætuliſſe ea de cauſa arbitror, qvòd „qvi ſapientes habebantur, vulgò Catones „appellarentur: unde eſt illud: Tertius è „cœlo cecidit Cato. Hæc Mareſius. Utile erit hic adhibere Michaëlis Meiſneri Hortulum Romanum, continentem ſex plantaria Romanæ Eloqventiæ, Gemmulas ſcilicet ſeu Hiſtorias; Corollas, Floſculos, Apophthegmata, Parabolas, et Sententias è Cicerone excerptas. Lipſiæ M. DC. LXXXVII. in 12. Habeo et Florilegium Germanico-Latinum, ſententiarum Proverbialium collectum à M. Bartholdo Feindeſio. Hamburgi M. DC. XC. in 12. Addam hic qvæ non ita pridem in Dominici Baudii epiſtolis legi. Habeo, inqvit Cent. II. Ep. IX. p. m. 153. edit. Amſtelod. Elzevir. 1654. „ ejuſdem generis, h. e. „τῶν γνωμολογικῶν ad duo millia, qvæ non„dum lucem viderunt, ſed videbunt ſcilicet „unà cum Martiale Scriverii. At habeo Martialem Scriverii ex edit: Lugdun. Batav. ꟾɔ ꟾɔc. xix. in 12. ſed nihil tale in eo reperio.

† *Veſtibulum & Januam Comenii*] Etſi de Comenio jam antè in p. 231. ſ. nonnulla attuli: placet tamen hic doctiſſimum ſubjicere Cl. Jonſtoni judicium è præfatione Polymathiæ Philologicæ: „Nôram, inqvit, Latinæ Lin„gvæ Patrum Hybernorum januam, qvam Ca„ſpar Schoppius Cardinalis primo Madrucii „juſcellarius, poſt Claravallæ Comes, tandem „ad Proteſtantes refuga, niſi rejectus fuiſſet, „in Græcam et Hebræam lingvam verti, et „Baſileæ ſub titulo Mercurii qvadrilingvis „anno ſeculi hujus trigeſimo qvarto excudi cu„ravit; ſed ſciebam qvoqve eam pueris lin„gvæ hujus adhuc Ignaris conſecratam non „niſi notiora vocabula complecti, nullo ordi„ne digeſtam, et ſuperſtitioni de non repe„tendis vocibus ſe ita adſtrinxiſſe, ut circa „ultima vix qvid ſibi velint intelligas. Nec „ſatisfaciebat noſter Comenius, qvi ſuam „januam me primo monitore, poſtqvam illam „à me ex Germania reduce, anno ſeculi vige„ſimo ſeptimo advectam, magnis nævis la„borare obſervâſſet, concinnavit, et elegan„ti methodo donavit, plura in hoc genere „præſtiturus, niſi ſe à panſophicis cogita„tionibus et aliis parergis abduci paſſus fuiſ„ſet. Pueris certè et ille invigilat, nonniſi „vulgatiora, et noſtri temporis rebus reſpon„dentia vocabula attingit, rariorum et ritua„lium planè incurius: ne dicam omittere „quædam, nec ſemper res ad ſuos revocare „titulos.

lis deſideres, alibi à me indicata ſatis copioſè. 10 Itaqve niſi plurimum fuerint emendata, non poſſunt non damnoſa eſſe Latinitatem incorruptam cupientibus acqvirere. 11 Poſt prædictos veniendum ad Latinos Scriptores ceteros, qvos nominavi ordine in opuſculo de *Stylo*. 12 Nec neceſſe eſt ut legantur omnes, aut à capite evolvantur ad calcem. 13 Poſſunt ex qvibusdam partes eligi præſtantiores, jucundiores, utiliores, cetera in tempus aliud ſeponi. 14 Vellem obſervari diligenter, ne qvid proponatur iſtô tempore, niſi qvod auctorem habeat ſcriptorem verè claſſicum & Latinum, ac ne iſtoc qvidem ſolùm, niſi qvoqve ſimul aliqvid conducat ad vitam atqve mores. 15 Qvô intuitu ne *Ciceronis* qvidem omnia promiſcuè nunc cenſeo commendanda, multò minùs autem *Ovidii* aut *Juvenalis*, aut *Martialis*. 16 Feceruntqve opinione meâ commodè, qvi pro prima ætate etiam ex his, utpote laudabilibus aliàs ſcriptoribus, ſelegerunt, ſeorſumqve publicàrunt, qvod ab ea citra damnum poſſet legi.

VII. 1 Venio ad eruditionem ceteram, in qva monendum ante omnia, qvod diligenter oporteat attendi & initio ſtatim, & dein per omne vitæ tempus, qvo referri debeat, videlicet non ad nugas, multo minus oſtentationem aliqvam aut lucrum, ſed virtutem. 2 Hoc enim eruditione ac doctrinâ cupit qvisqve recte animatus conſeqvi, ut virtutes, eas præcipuè, ad qvas propenſior eſt à natura, excolat & abſolvat: & ex adverſo vitia, qvibus delectatur, opprimat, non privatim modò ſuâ, ſed & publicè aliorum cauſsâ, qvod præcipuè in educatione vera ſpectandum. 3 Itaqve hoc qvidem ſemper inculcari debet, ne ad ſua tantum qvis attendat commoda in doctrinæ ſtudio, verùm multò magis patriæ ac reipublicæ, proindeqve nec in aliis tempus impendat, qvàm qvæ uſui his poſſint eſſe. 4 Deinde cogitandum, qvibus in rebus conſiſtat; videlicet in iis, qvæ ad ſcopum antè dictum faciunt. 5 Poſſunt autem dividi in claſſes duas, qvarum una complectatur principalia, altera qvæ his ſerviunt. 6 *Servientia* potiſſimum ſunt Logica & Rhetorica: 7 *Principalia* verò Hiſtoria, Philoſophia & Jus.

VIII. 1 De *Logica* poſſit qværi, an ſit ejus ratio habenda in informatione Nobilis, cùm ſcholæ magis ſerviat, reperianturqve qvi adjuti facultate naturali, ſat feliciter expediverunt ea, qvæ alioqvi longâ præceptorum ſerie in Logicis traduntur. 2 Verùm non, ſi ſervit ſcholæ, nihil vitæ prodeſſe communi, ſeqvitur, cùm illæ ipſæ ſcholæ, vitæ hujus gratiâ ſint inſtitutæ; neqve ſi in ſcholis aliqvi eâ abutuntur ad nugas, ideo neceſſe, ut in univerſum negligatur. 3 Deinde nec facultas iſta occurrit in omnibus, & natura qvantumvis bona plurimum juvatur arte. 4 Deniqve ſine notitia terminorum, ut appellant, ſine facultate definiendi, dividendi, argumentandi, fructum ſufficientem nemo capiet ex monumentis ſive veterum ſive recentiorum. 5 Qvanqvam non neceſſe ſit Svaretzios & Zabarellas multos commendari. Suffecerit ex qvolibet idoneo compendio, vel vivâ præceptoris voce, generalem hauſiſſe notitiam eorum, qvæ dixi, Terminorum in-

qvam diverſitates, Propoſitionum differentias, Syllogiſmorum ſtructuram, neceſſarias definiendi, dividendi, demonſtrandi regulas, & hæc omnia in ſcriptoribus ipſis cujuscunqve generis adhibuiſſe in uſum.

IX. 1 De *Rhetorica* dubium eſt minus, licet etiam in hac teneri velim modum. 2 Iſta enim diffuſa præceptorum lectio, & temporis plurimum intercipit, & oratorem per ſe non conſtituit. 3 Voſſii unum alterumqve legiſſe libellum ſatis erit, ſi addentur mox exempla orationum ex ſcriptoribus antiqvis, maxime hiſtoricis, eaqve monſtratô artis uſu, diligenter à præceptore explicabuntur. 4 Iſtoc enim vel præcipuè agendum, ut magiſter minuat diſcipuli labores, ut pòſt qvoqve dicam, ſuaqve curâ lucretur ei tempus: 5 Qvi & hoc dabit operam, ut ſub exemplis dictis eloqventiam maſculam & in publicis negotiis valituram, ab umbratica ſcholaſticaqve diſcat diſtingvere, nec ubiqve minutis Rhetorum præceptionibus inhærere.

X. 1 Hæc de diſciplinis, qvæ ſerviunt principalibus. 2 Nam P*oëtica* qvæ & ipſa aliàs huc ſolet referri, eo minus in Nobili deſideranda, qvia carmini pangendo vitæ ejus inſtitutum non eſt conveniens. 3 Legat unum alterumqve ex Poëtis; gloriam aptè concinnati poëmatis relinqvat aliis. 4 Niſi fortè trahet huc eximia indoles & ſingularis, qvam ut non ſvaſerim opprimere, ita nimis indulgenter habere haud ſanè præceperim. 5 Venio igitur ad *principaliora*, è qvibus primum damus locum Hiſtoriæ.

XI. 1 *Hiſtoria* porrò eſt vel *ſacra* vel *profana*, qvam utramqve ſvaſerim initiô hauriri ex * picturis ſeu figuris, ut appellant, qvales Biblicæ *Sebaldi Bohmi*, aut *Theodori de Bry*, item hiſtoriæ civiles *Meriani* in opere *Gothfridi de qvatuor Monarchiis*, ut appellet. 2 Dabunt qvippe præter rerum geſtarum, etiam ordinis & temporum notitiam, & ſic prima qvædam elementa *Chronologiæ*, ſine qva hiſtoria eſt nulla. 3 Poſt figuras diligenter luſtratas, ſvade-

* *Picturis ſeu figuris*) Dixi de his plura in part. I. noſtrar. Methodor. p. 1696. Habemus et de qvatuor Monarchiis variè interpolatas recoctaſqve Tabulas. Qvæ enim primùm ſine auctore circumferebantur, ab Henrico Schævio, Winkelmanno, Bunone reformatae fuêre. Winckelmanni extat Cæſareologia cum Tabula Mnemonica, qvâ Caeſarum nomina et tempora exhibentur. Buno multa de rebus geſtis adjecit, per omnes Monarchias & regna, additâ prolixâ explicatione. Idem Hiſtoriæ Univerſalis Ideam Mnemonicam alio labore per millenarios & ſecula deductam in juventutis uſum edidit, connotatis iis, qvæ ad revolutiones & mutationes imperiorum & regnorum pertinent. Qvi labor profectò laudem ſuam meretur. Uſus verò hic eſt locis naturalibus, non caſtris. Qvæ cum in omnium manibus ſint, illis immorari nolumus. Extat in hiſtoria artis Mnemonicæ ſpecimen à Johanne Theodoro Dieterico puero undecimum agente annum exhibitum, qvi Hiſtorico-Chronologicam ſeriem à Julio Cæſare uſqve ad regimen Ferdinandi III. memoriter in publico conſeſſu recitavit, ductu Winckelmanni, qvod editum eſt Gieſſæ Haſſorum Anno 1653. Aliud ſpecimen hujus artis è Schola Bunonis exhibitum narrat Frommannus de Faſcinatione lib. III. part. IV. ſect. I. cap. IV. Tale ſpecimen Hiſtoricum à conditu orbis uſqve ad excidionem Hieroſolymorum per Titum Veſpaſianum factam in Academia Roſtochienſi Johannes Heinl, Holmiâ Svecus, beneficiô hujus artis, & ductu Caſpari Cloſen, qvi & in præfat. ejus ſpeciminis laudat Petri Laurembergii inſtitutiones Mnemonicas nondum editas, dedit, qvod editum eſt Roſtochii Anno 1660.

ſvaderem mandari memoriæ *Tabellam* Sceleto Hiſtoriæ *Jonſtoni* præfixam, qvæ complectitur diſpoſitionem totius opuſculi, & compendium hiſtoriæ univerſæ; 4 mox legi *Chronologiam Boxhornii*, & ſi tempus permittet, *Rationarium* † *Petavii*, ubi tamen delectus habendus, ne præſertim in recenſione rerum Eccleſiaſticarum temere arripiantur omnia. 5 Nam Eccleſiaſtica Hiſtoria, qvantum hîc neceſſe eſt, haurietur rectiùs ex P*appo*, cujus optima editio *cum notis Kippingii*. 6 Subjungetur ei *Baazii Hiſtoria Eccleſiaſtica Svecorum*. 7 Civilem hiſtoriam ſubminiſtrabit breviter (*a*) *Beſoldus*, multoqve magis doctæ *Ruperti* in eum *Notæ*, qvæ veterem, & in obſcuro alias jacentem primorum populorum gentiumqve hiſtoriam plurimùm illuſtrant.

XII. 1 Poſt ad res patriæ ‡ noſcendas animus vertendus, qvarum ſumma per compendium ex *Petrei Chronico* poterit cognoſci. 2 Dein accedendum ad *Guſtavi Primi* & ſeqventium hiſtoriam. 3 *Guſtavi Adolphi* res præcipuam merentur obſervationem, prout non à noſtris ſolum, ſed & Gallis, & Italis, nec his ſemper mediô modô ſe gerentibus, ſed & partibus addictis ſunt deſcripta. 4 Patriæ hiſtoriæ jungenda *Danica* ex *Huitfeldo* Hafniæ tomis novem An. 1603. excuſo, & ſi Latina præſertim vetera placuerint, ex *Saxone* à *Stephanio* illuſtrato; 5 *Germanica*, (*b*) ex *Sleidano* & qvi eum continuârunt, *Anonymi Epitoma Rerum Germanicarum*; 6 inſpecie verè *Pomeranica* ex *Micrælii Chronico*

† *Rationarium Petavii*) Utile erit, inqvit, Mareſius l. II. Ep. XXX. (al.) XLIV. p. m. 404. edit. Lipſenſ. „ anteqvam uberes Geographorum commentarios legant, mediocrem cognitionem parare Geographiæ antiqvæ, & recentis, ex tabularum aliqvot inſpectione, & Geographorum lectione, qvi ſummatim terras omnes deſcripſêre, ut Melæ, qvi de antiqvo ſitu orbis ſcripſit, Cluverii, qvi de novo. Chronologia etiam, qvæ tempora numerat, ex compendio aliqvo carptim eſt attingenda, qvale eſt Petavii Rationarium temporum, qvod cùm ſit ſatis amplum, huic rei ſufficere poteſt.

(*a*) *Beſoldus*] Fuit homo plurimæ lectionis, ſed labores ſuos perdidit. Nam qvæ ipſe notatu digna, legerat, plumbô notavit, & tradidit libros Candidatis qvibuſdam, qvos in domo ſua alebat, ut in Locos referrent Communes, ſeu Repertoria; imo ipſos illis Auctores evolvendos eum in finem communicavit. Illi verò ea, qvæ notanda & referenda erant, vel ad minus convenientem titulum referebant, vel interdum non intelligebant. Hinc Beſoldo libros ſcripturo, cùm vel exempla, vel auctoritates qværeret ſub rubricis, nec cum cura ipſa ſcriptorum loca evolveret, ſed ſtatim, ut notatum erat, ſine ſolicitiore inqviſitione, prout non pauci hodie ſolent ſcriptores, exſcriberet, plurimi ſunt errores nati, ut non raro ea citet loca, ubi vel prorſus nihil extet ea de re, vel potius contrarium qvid. His vitiis ſcatent ejus libri, præſertim Politica. Theſaurus tamen practicus optimus liber eſt, qvoniam ſedes materiarum adducit, earumqve auctores. At Chriſtoph. Adami Ruperti ſumma in Chronologicis conſiſtit eruditio, & dolendum eſt, qvod poſt mortem demum prodierit, qvodqve librum illum Commentarium in Beſoldi Synopſin eſſe voluerit, futilem illum libellum, ut b: r. Boeclerus cenſet.

‡ *Res patriæ*] Benè loco autè paullò adducto monet Mareſius, ex noſtris auctoribus etiam eximios eſſe legendos, ne velut domi peregrinaſimus, & hoſpites, & in patria lingva qvod turpiſſimum eſt, ſive ſcribendo, ſive loqvendo peccemus.

(*b*) *Germanica*) E Chronicis haurienda Germanicis, in qvibus hoc ad inſtitutum peculiariter faciunt, Aventini Annales ſupra nobis laudati, Chytræi Chronicon, & Broweri Annales Trevirenſes. At Chyliandri Chronicon, & Colonienſe Anonymi fabuloſa ſunt, niſi qvando res ſuas narrant. Placet cumprimis Mansfeldicum Spangenbergeri, uti & Megiſeri, Galli ſuperioribus annis undiqve in Germania Chronica coëmerunt & abduxerunt, ut nos jam ferè penuriâ laboremus.

nico Pomeraniæ; 7 *Bremenſia* ex *Chronico Dilichii*, & Anonymi (qvi tamen eſt *Conringius*) *de ſtatu urbis Bremenſis*; 8 *Belgica* ex *Reidano*, *Strada*, & *Grotio*; 9 *Gallica* (*c*) ex *Thuano*, *Grammondo*, *Priolo*. 10 *Polonica* ex *Piaſecio*; *Moſcovica* ex *Petrejo* & *Joh. Witichino*; *Anglica* ex *Polydoro Virgilio*, vel potius *Spedeo*, Anglicâ lingvâ ſcripto. 11 Nam cum his ferè populis freqventiora nobis ſunt commercia; qvorum proinde res præſertim noſtris proximisve temporibus geſtæ noſcendæ. 12 Nam vetuſtiores mallem differri aliud in tempus, qvo minori cum incommodo & impedimento agendorum licebit luſtrare.

XIII. 1 Hiſtoriæ juncta eſt *Philoſopia*, ex qva Nobili neceſſaria *Matheſis* primum, dein *Phyſica*, tum *Ethica Politicaqve* videntur. 2 Ex diſciplinis Mathematicis *Arithmetica* (*d*) commendanda, non illa vulgaris modò, ſed & qvae in collocandis rationibus, ordinandisqve expenſis & acceptis occupatur, cùm propter uſus cujuslibet privatos, tum multo magis propter rempublicam, cujus commoda non raro per ignorantiam hujus partis evertuntur. 3 Seqvitur *Geometria*, praeſertim *practica*, cum uſu vario inſtrumentorum, ut regulae Geometrarum, circuli proportionalis, qvadrantis, & ſimilium. 4 Qvae ut à variis tradita, ita breviſſimè certiſſiméqve cognoſcentur ipsô opere cùm per fidum magiſtrum uſus iſte demonſtratur. 5 Lectu tamen jucunda pluſcula tradet *Suenterus* in delitiis Mathematicis, item *Harsdorferus*, qvi ſubinde adeundi. 6 Juncta huic eſt *Architectura* duplex, *terreſtris* & *navalis*; & terreſtris iterum vel *civilis* vel *militaris*: qvarum militaris & navalis neceſſariae Nobili prae ceteris. 7 Etſi autem ſint deſcriptae pluribus, ut navalis à *Furtnerio*, *Furtanbachio*; & nuperrimè à *Witſenio*; militaris à *Dœgenio* & *Freitagio*, mallem tamen uſu addiſci, qvam ex multa lectione. 8 Geometriae ſocia eſt *Geographia*, qvae vel *vetus* vel *nova*. 9 Illa, qvae conducit lectioni veterum, habetur in *tabulis Ortelii*, qvas ſeorſum edidit *Hornius* cum *Introductione in Geographiam veterem*. 10 Nova, qvae ſervit hodiernis, ex *Cluverio* cum tabulis & annotationibus *Bunonis* utcunqve haurietur. 11 Qvod ſi tempus dabitur, jungi poterunt *Mela* Voſſii, *Strabo* Caſauboni, *Solinus* Salmaſii, & ex recentioribus *Merulæ* Coſmographia.

XIV. 1 Seqvitur *Philoſophia Naturalis*, cujus poſt *Conringii* de Natura & Conſtitutione Philoſophiae Naturalis, ſufficient generaliora hujuſce ex *Sennerti* & *Sperlingii* ſcriptis, & Phyſicis *Kippingii*. 2 Adjungenda mox hiſtoria naturalis, qvantum permittet tempus, generatim à *Plinio*, in ſpecie verò Animali-

dnus eorum. Factum id eſt auſpiciô primô Mazarini, deinde & aliorum. Sed pauci è Gallis ſunt, qvi commodè ſciant uti.

(*c*) *Gallica*) Scripſit & Limnæus laborioſum opus, qvod Notitiam Franciæ inſcripſit, ſine ulla tamen à Gallis propterea reportata laude, cùm deſtitutus fuerit incomparabili Petri Puteani opere, qvod Libertates Eccleſiæ Gallicanæ dicitur.

(*d*) *Arithmetica*) Hujus de multiplici utilitate diximus in p. 224. ſuperius, plura deſiderans adeat Gerh Joh. Voſſium de Scientiis Mathematic. c. VI. VII. VIII. IX. X. In ſeqventibus verò capitibus uſqve ad XVII. agit de Geometria.

nimalium à *Jonſtono* & *Geſnero*, * Plantarum à *Bauhino* & *Scherlero*, lapidum à *Bœtio de Boet*, cumprimis verò metallorum ab *Agricola* & nuperrimè à *Lazaro Erkero* conſignata, cum Muſaeis rerum naturalium & artificialium

* *Geſnero*) Qvò animo Rolandus *Mareſius* in
hunc ſit aperit lib. II. Epiſtol. XXVI. p. m. 370.
his verbis: ,, Qvamplurima Conradus Geſne-
,, rus in omni literatum genere, in *Medicina*
,, præcipuè ſcripſit, etiam multa antiqvorum
,, ſcripta in lucem protulit, aut in Latinam Lin-
,, gvam convertit; qvorum omnium catalogum,
,, qvi ferè libellus eſt, ipſe contexuit, cùm ta-
,, men ad qvinqvageſimum annum non pervene-
,, rit. Idem de omnium animalium hiſtoria fu-
,, ſiſſimè ſcripſit: qvam ſimiliter materiam
,, Ulyſſes Aldrovandus immanibus voluminibus
,, proſecutus eſt. Sed, liberè dicam, Plinii
,, paucos de animalibus libros pluris fecerim,
,, qvàm iſtorum de iisdem infinitos. Plinius e-
,, nim omnia egregio ordine complexus eſt, &
,, ſingula in ſuas claſſes aptè diſtribuit: qvæ
,, verò ex aliis decerpſit, digeſta, & ſtylo qvaſi
,, concocta, ſua qvodammodo fecit Geſnerus
,, verò ex ſcriptis non tàm ingenii, qvàm laboris
,, & induſtriæ laudem tulit, ut ſunt omnes Ger-
,, mani in ſtudiis laborioſiſſimi: qvippe tran-
,, ſcripſit, qvæ priores de his rebus dixerant, &
,, ipſis eorum verbis retulit. Sed inter recentes,
,, qvi multa egregiè ſcripſerunt, nemo meâ
,, ſententia Eraſmum præceſſit, ſive judicium,
,, ſive eruditionem, ſive eloqventiam, ſpectes,
,, qvem non verear cum qvovis antiqvorum
,, conferre: qvi ſi tota vita cum Theologis qvi-
,, buſdam, & *Monachis* conflictatus non fuiſ-
,, ſet, meliora etiam, qvàm edidit, orbi com-
,, municare potuiſſet: & ſi tam mordax, aut in
,, qvibuſdam tuendis tàm pertinax non fuiſſet,
,, nihil in eo viro illa ætas qvod deſideraret, ha
,, buiſſet. Hæc Valeſius. Non meliùs Joſeph.
Scaliger, cujus, prout ea nobis exhibet Tanaq.
Faber in p. 54. Primorum Scaligerianor. edit.
Ultraject. CIƆ IƆC LXX. in 8t. hæc ſunt. ,, Eraſ-
,, mi Chiliades excellentiſſimum opus. Nimius
,, tamen fuit & qvandoqve ſapit Germanum,
,, videtur enim magnum numerum affectâſſe,
,, eadem qvater repetens. Melancthon huic pro-
,, ximus, pius vir fuit, & vario diſciplinarum
,, genere tinctus potius qvam Eximiè doctus &
,, alicujus ſcientiæ ad unguem peritus. Geſne-
,, rus tertias partes tenet, multæ ac variæ le-
,, ctionis, ſummæqve diligentiæ auctor minimè
,, contemnendus. Hi tamen tres ſimul compo-
,, nendi. Magni locorum collectores fuerunt
,, potius qvam ſuum aliqvid in medium proferen-
,, tes. Qvod vitium cum omnibus Germanis fa-
,, miliare habent. Duos tantum excipio Georg.
,, Agricolam, & Beatum Rhenanum, qvorum
,, ille non minus eruditus, & in cenſenda metal-
,, lorum natura curioſus fuit, qvam verè im-
,, pius, nulli addictus Religioni, ut poſt mor-
,, tem vix ſepeliri meruerit. Pater meus Jul. Sca-
,, liger duas orationes ſcripſit in Eraſmum, pri-
,, mam in Ciceronianum Lutetiæ impreſſam apud
,, Vidogum. Alteram in eundum; qva aſſerit
,, ſe prioris auctorem. Hactenus ille præcipitan-
ter potiùs ac temerè qvàm verè. Si enim illa
qvis tempora, qvibus magni illi viri ſcripſerunt
conſideret, qvippe in qvibus renaſcebantur litteræ,
profectò illis vitio minimè vertet, locos qvod
communes ſcribere voluerint rei litterariæ juvan-
dæ gratiâ, qvorum tunc ſine dubio non parvus u-
ſus. Enimverò deploro ſortem virorum iſtorum,
qvâ locô debitæ gratiarum actionis ac laudis ma-
nifeſta illis refertur contumelia cum ignominia.
Scilicet id fatum Germanorum eſſe ſolet, ut eo-
rum operâ & induſtriâ exteri feliciter utantur,
occulteqve legant, qvæ publicè latrant: qvod
ut coram ſuis ac imprudentibus aliqvanto tutiùs
diſſimulare poſſint, conviciis & contemptu eam
à ſe ſuſpicionem amoliri conantur: Illud,
inqvit, maximus Boeclerus in p. 93. doctiſſ. Diſ-
ſertationis & paucis cognitæ de Fato Studiorum;
,, planius eſt qvàm ut poſſit negari; indignius,
,, qvàm ut occultari debeat: Exterorum mul-
,, tos adeò conſpiratâ ambitione in Germanici
,, nominis invidiam conſenſiſſe, ut clam palam
,, laudes noſtras imminutum eant. Ceterùm di-
vinum Eraſmi tot ſcripta loqvuntur judicium,
nec ipſa diffiteri poteſt invidia. Ille ipſe Joſephus
qvoqve Scaliger alibi adverſus Patris ſui, Julii
Cæſaris acerbiſſimas Invectivas Deſiderium tue-
tur. Sunt & Melanchthonis ac Geſneri ſcri-
pta maturô ſatis adornata judiciô & ſtylô rei
apto. In Geſnero Hier. Cardanus lib. X. Parali-
pomenon in Hiſtoria Lapid. & Metallor. p. 525.
reprehendit qvidem, qvod Plinio nimium addi-
ctus qvædam falſa ſuis admiſcuerit, rejectis Ge-
orgii Agricolæ verioribus ſententiis; ſed magnis
tamen elogiis ornat. Cogor, inqvit, aliqvid
dicere adverſus præſtantiſſimum virum & ami-
ciſſimum, ſimulqve de bonis literis & de me be-
nè meritum; qvam invitus, Dii norunt. Vide-

Calceolarii, *Nirenbergeri*, *Septalii*, *Wormii*, & ſimilium. 3 *Carteſiana* (e) ut non improbo omnia, ſic vitae, non ſcholae diſcenti nec admodum neceſſaria, & in qvibusdam nec utilia ſatis cenſeo. 4 Ex *Ethicis* praemiſſô *Boecleri libellô memoriali*, noſcenda potius ac diligentius qvae de certitudine philoſophiae hujus, de recta ratione ejusqve imperio, de libero arbitrio, bonitate & malitia morali, natura virtutis & vitiorum, jure & juſtitia, prudentia Legislatoria, & ſimilibus cùm alii, tum praeſertim *Hornejus* tradidit, 5 Addendus poſt *Cicero de finibus* & (f) *quæſtionibus Tuſculanis*, itemqve *Officiis* per *Rachelium* commentario illuſtratis. 6 *Seneca* de *Tranqvillitate animi*, *Otio Sapientis*, *Beneficiis*, *Ira* cum *Epiſtolis* ejusdem *ſelectioribus*. 7 *Epictetus*, *Simplicius*, *Arrianus*, *Theophraſti Characteres*, *Antoninus de vita ſua* cum notis *Gatakeri*, *Plutarchi* ſelectioribus opuſculis, &c. 8 Ex *Politicis* primum legenda *Politica Caſelii*; *Propolitica* & *Politica Conringii* poſt *Ariſtotelis Politica*, qvæ generatim noſcentur ex *Breviario* noſtro, mox addetur *Paraphraſis Heinſiana* Præſertim Lib. I. & III. initio cum V. toto & qvibusdam ſeptimi, qvibus poſſunt addi *Notæ Giphanii* & *Piccarti*. 9 Subjungentur *Inſtitutiones* & *Diſſertationes Politicæ Bœcleri*, cum *Politicis Lipſii*, qvæ ſi, qvemadmodum Lipſius ipſe voluit, non ex verbis tantum in ipſo opere extantibus (qvorum ſententiam optimè propoſuit *Berneggerus in Synopſi*) verùm intimò auctorum, qvos adducit, in operibus ipſis ſenſu explicabuntur, pauca deerunt ad intimiorem partis hujus notitiam conſeqvendam. 10 Commendata tamen eſſe debent *Præcepta Politica Plutarchi*, *Salluſtii Epiſtolæ ad Cæſarem*, *Orationes Mæcenatis*, *Agrippæ Octaviæ* apud *Dionem*, *Fragmentum* primum *Taciti* cum Commentariis *Forſtneri* & *Bœcleri*, *Panegyricus Plinii* & *Pacati*, & ex recentioribus *Emblemata Savedræ*, *Malvetzi Romulus* & *Tarquinius*, *Bœclerus de Auſpicio Regio* cum *Diſſertationibus* in *Svetonium* & *Characteribus Vellejanis*, *Arniſæus* de

mus hic, qvam diſcrepent interdum hominum judicia: Ipſe enim Scaliger alibi de tribus illis honorificè judicat. Non diſſimile exemplum eſt de Vadiano, qvem inter omnes Germanos penè unicum commendat Scaliger in alteris Scaligerianis ſub titulo: *Les Allemans*. Sed de hujus Commentariis ſuper Melam Iſaacus Voſſius dicit, qvòd rus & ſtivam oleant: qvod rusticum judicium ille, qvi notas alteris Scaligerianis adjecit meritò reprehendit.

(e) *Carteſiana*] Veluti in Geometria & aliis qvibusdam ad Matheſin ſpectantibus diſciplinis Carteſii ſemper ſuſpexi doctrinam; ita in ceteris Philoſophiæ partibus errare, labi & decipi omnibus cum Philoſophis commune habet. Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ Petri Danielis Huetii oſtendit qvàm malè famæ ſuæ illi conſulant, qvi auctoritate ſuâ nudâ nixi de incognitis nec ſatis intellectis judicare præſumunt. Vide D. Andr. Petermannum contra eam. Utut ſit, Theologis oppidò paucis hactenus ſuas perſvadere potuit Carteſius ſententias. Qvid de illo D. Joh. Adam Oſiander Theologus non unus è multis judicet, aperit Collegium ejus Conſiderationum in Dogmata Theologica Carteſianorum, Stutgardiæ M. DC. LXXXIV. divulgatum in 8°. qvo de varias audivi eruditorum opiniones, ita tamen ferè comparatas ut vel, obiter legentium, vel ab aliis auditas eſſe eumqve odio conjunctas non difficulter intellexerim. Qvis enim per DEUM hôc tempore tales libros legit? qvis talia examinat? imò qvis omnino gerit animæ ſuæ curam & animi? Auctore B. Dorſcheo in p. 15. Diſſertationis de Coruptelis Officinarum Pietatis publicarum, Latroni Theologo præfixæ, „Renatus Carteſius novæ Philoſophiæ commentis „ fœdat gravioris doctrinæ caſtimoniam, & renatam in ſe ordinibus litteratorum deprædicat „ moriam.

(f) *Qvæſtioni. Tuſculan.*) Legendæ hæ ſunt cum

de *Jure Majeſtatis*, item *Subjectione & Exemptione Clericorum*, *Hippolytus à Collibus* de *Principe*, *Conſiliario*, *Aulico*, *Brantius* de *perfecto Senatoris officio*, *Paſtorius* de *Aulico*, *Paſchalius* de *Legato*; *Clapmarius* de *Arcanis*, *Septalius* & *Zuccoli* de *Ratione Status*, *Boſius* de *Notitia Rerum publicarum*, atqve ſiqvi his ſunt ſimiles. 11 Hos enim nominavi, non qvòd exiſtimem ſolos partem hanc abſolvere, ſed qvòd prodeſſe plurimum incipienti, & parare qvaſi viam progreſſuro ad ceteros, noſtrisqve rebus præ aliis eſſe conducibiles viderentur. 12 Duos autem generatim ad qvamcunqve in Philoſophia eruditionem puto commendandos, *Ciceronem* & *Plutarchum*. 13 Continent hi enim velut electa qvædam omnis priſcæ, elegantioris, & ſalubrioris eruditionis; ut qvi hos vel ſolos legerit diligenter, facilè & ſeipſum omnium ferè rerum inſtruet cognitione, aliisqve de ſe facere opinionem diffuſiſſimæ lectionis. 14 Qvòd ſi addere qvis *Plinium* qvoqve volet, jam nihil penè deerit ad conſeqvendam variæ doctrinæ laudem.

§ XV. 1 Sed venio ad partem ultimam eruditionis, neceſſariam noſtro, qvam *Jus* eſſe dixi. 2 Eſt id autem duplex, unum *Naturæ*, continens præcepta, qvibus tenentur Principes etiam, & Summæ Poteſtates, & ſic controverſias inter eas definiens: alterum *Civile*, pertinens ad qvamlibet ſeorſum civitatem, qvod rurſum aut *publicum*, agens de jure imperii & obſeqvii in qvalibet republica; vel *privatum*, qvod controverſias privatorum ferè attendit. 3 *Juris* (g) *Naturæ* generaliſſimam *Ideam* nos conſcripſimus, cui addenda *Puſendorſiana opera*. 4 Seqvetur *Grotius*, junctis, qvi in eum edidêre notas, *Ziegleró*, qvi facundus plurimi, *Boecleró*, & in nonnullis etiam *Oſiandró*. 5 Civile hauriendum primò proprium ex deſcriptione generali *Stiernhøkii*, dein *codicibus Legum* novo & veteribus, *Receſſibus Imperii*, *Loccenii ſcriptis*, *Obſervationibus* Illuſtriſſ. *Rhålambii*, & ſimilibus. 6 Dein gentium vicinarum, ſi permittet tempus, præcipuè Germanorum, factò initiò à *Conringii* opere, † de *Origine Juris Germanici*. Addetur *Jus Lubecenſe Mevii*, *Conſtitutiones Livonicæ Stephani*, *Poloniæ Regis*. 7 Nec fortaſſis fuerit inutile, reſpexiſſe ſubinde ad *Leges Alemannicas Lindenbrogii*, *Anglo-Saxonicas Weloci*, *Scoticas Skenæi*. 8 De *Romano Jure*, qvod præter caſuum & exemplorum copiam, ſi deeſſent rationes aliæ, legendum, eò minus addo, qvoniam tractatio ipſius eſt notiſſima. 9 *Zuchei* tamen *Elementa* ſi qvis ſtudioſè perluſtrârit, in pleriſqve, etiam magni viri judiciò, poterit ſe reddere contentum.

XVI. 1 Atqvè hi jam ſunt ſcriptores, qvi vel noſcendi, vel penè ediſcendi videntur. 2 Neqve enim una omnium eſt ratio; qvidam hauriendi toti,

 qvi-

cum commentariis Clariſſimor. ac optimorum interpretum Philippi Beroaldi, Joachimi Camerarii, Eraſmi Roterodami, Paulli Manutii, Petri Victorii junctim editis Pariſiis 1558. in 4to. Qvibus etiam acceſſit doctiſſimi cujuſdam viri Commentarius cum annotationibus Leodegarii à Qvercu. Ob dedicationem & conciuniorem indicem Beroaldi ſervo qvoqve editionem veterem Pariſinam anni M. D. IX. in 4to.

(g) *Juris Naturæ*) Legendus hic & Seldenus de Jure Naturali & Gentium, juxta diſciplinam Hebræorum, qvi vel ob præfationem Boecleri ex editione Argentoratenſi legi poteſt & Francofurtana. M. DC. XCV. in 4to.

qvidam ex parte tractandi. 3 Sunt, qvorum vocabula, & qvæ tractârunt argumenta, & modum, qvô tractârunt didiciſſe hactenus ſufficiet, ut cùm uſus poſtulaverit, & permiſerit tempus, adeantur. 4 Nec eſt hæc cognitio res exilis aut minuta. Scire namqve unde qvidqve peti debeat, cum inqvirendum, eſt, ejusqve ratio perſpicienda, eſt pæne dimidum ipſius didiciſſe. *

XVII. 1 Verùm videamus nunc de tempore nonnihil, qvod eſt tribuendum litteris. 2 Ubi primùm annotandum, aliam eſſe rationem nobilis, aliam alterius, qvi ſtudiis incumbit. 3 Iſte ſemper cogitare debet, reipublicæ ſe diſcere, non ſcholæ, neqve literis ſeorſum propriéqve, niſi annos juveniles, poſſe tribuere. 4 Qvidqvid itaqve in ejus velut fundamentum eruditionis, per vitam reliqvam hauriendæ ponendum, id intra annum ætatis vigeſimum aut vigeſimum qvartum ad ſummum eſſe faciendum. 5 Qvod cum ita ſe habeat, tempus iſtoc ita dividendum videtur, ut ad annum decimum qvintum expletum hauriantur, qvæ ad *Sermonem* & *Stylum* faciunt cum rudimentis *Arithmeticæ*, *Hiſtoriæ*, *Geographiæ* & *Chronologiæ*: qvadriennium ſeqvens tribuatur potiſſimum *ſtudiis Philoſophicis*, qvodqve manet reliqvum *cognitioni Juris*. 6 In omnibus obſervanda certa ratio, ‡ ne vagemur, ne præpoſterè rem aggrediamur: ſuum cuiqve labori aſſignandum tempus, aliud mane, aliud poſt meridiem agendum. 7 Mane tractanda, qvæ ingenium judiciumqve poſtulant, poſt meridiem qvæ memoriæ beneficiô potiſſimum abſolvuntur. 8 Sic lectio Lingvæ cauſsâ inſtituta cum imitatione Styli matutinum, lectio Hiſtoriæ, Chronologiæ, Geographiæ pomeridianum magis poſtulat. 9 Deinde in hac ipſa diſtributione modus eſt habendus, ne labore nimiô diſcipulus obruatur. 10 Danda eſt remiſſio animis paulò ante prandium aut cœnam, ſed & ſtatim poſt permittantur ſuæ libertati. 11 Aliqvando & majus tempus indulgendum, ſi appareat hâc indulgentiâ excitari. 12 Scilicet videndum

† *De Origine Juris German:*] Scripſit & egregiè Conringius de Imperio Germanorum Romano, cujus nova auctiorqve, qvam pollicetur, an unqvam prodierit editio, planè me fugit. Hoc ſcio, initio doctisſimum virum nonnulla per diſcurſum commentatum eſſe, ſed cùm iſta diſſertatio calamô excepta poſteà verò divulgata typis multa præter mentem auctoris contineret, coactum eum eſſe integrum ea de re opus condere.

* *Dimidium ipſius didiciſſe*] Imò, ſubjicis adductis è Schefſero noſtro verbis Cl. Morhofius II. Polyhiſtoris Literarii c. XIII. p. 466. „ plus „ qvàm dimidium & totum ego dixerim: Nam „ cùm felicitatis ejus participes eſſe neqveant te„ nuioris conditionis homines, illis, qvæ à ma„ giſtris didicêre, contenti eſſe debent, & hi, „ qvi Bibliothecarum fontes adire poſſunt, ab „ ipſis magiſtrorum magiſtris omnium ſeculorum „ diſciplinam haurire poſſunt.

‡ *Ne vagemur*] Deſultorium ſtudium maximè vitandum eſt. „ Habet enim, ut II. Epiſt. „ Seneca dicit, iſta lectio variorum auctorum „ & omnis generis voluminum aliqvid vagum & „ inſtabille, & delectat, non prodeſt. Itaqve ſvadente Rolandô Marcſiô lib II. Ep. XLIV. p. „ m. 399. edit. Pariſ. cùm librum aliqvem in manus „ ſtudioſi ſumpſerint, eum non ſtatim abjiciant, „ & ad alium recurrant, niſi fortè poſt difficilem „ aliqvem auctorem animum diutino ſtudio feſ„ ſum, & exhauſtum, amœniore aliqva lectio„ ne recreare velint. Delicatos verò, & multo „ faſtidio ſvaviora qvæqve deguſtantes faciet am„ pla, & locuples bibliotheca, qvalem initio „ minimè comparandam eſſe judico Ut enim „ in lauta, & opipara cœna à variis cibis, qvi „ plurimùm ſtomacho nocent, manum abſtine-

„ ri

dum eſt in univerſum, qvid indoles diſcentis exigat vel admittat. 13 Alii tardiores, alii promptiores ſunt, qvibus utrisqve conſulendum. 14 Horas qvatuor mane, poſt meridiem qvinqve non oſcitanter, verùm ſeriò, & cum ardore ſtuduiſſe, fortaſſis ſuffecerit, imo his ipſis detraxiſſe paululum, ut ad labores alacrior diſcipulus revertatur. 15 Debet autem (*a*) remiſſio eſſe vera, non licentia, nec exercitium vitiorum, ſed vacatio à gravioribus laboribus per ludos ingenuis aptos dignosqve, eos præcipuè, qvibus valetudini conſulitur, membraqve corporis firmantur, redduntur qve agilia & promta; idqve in conſortio adoleſcentum honeſtorum, non famulorum, aut viliſſimorum qvorumlibet ex ſervitiis, & ſi poſſit fieri, in præſentia conſpectuqve magiſtri, vel alterius honeſti viri, qvò non à factis modò, ſed & dictis geſtibusqve parum decoris honeſtisqve deterreantur. 16 Annumerari his remisſionibus poſſent ſaltationes, digladiationes, muſica, imo & pictoria * exercitia. 17 Et prima duo qvidem neceſſitate qvâdam vitæ in aulis olim vel militiâ tranſigendæ; poſteriora, ſi ingenium ac propenſio, ſine qvibus nihil apti aut laudabilis in eis poterit perfici, invitaverint.

XVIII. 1 Sic, ut exemplô rem declarem, faciamus ſurgere diſcipulum è lecto inter *qvintam ſextamqve*, amictus erit, abſolutasqve habebis preces cum lectione Bibliorum ad *ſextam*; inde ad *ſeptimam* leget, verbi gratiâ Phædrum, ad *octavam* exercebit ſtylum propoſitô argumentô ad imitationem eorum, qvæ in Phædro paulò ante audivit explicari, atqve explicavit ipſe. 2 Mox fortaſſe dabitur remiſſio per *dimidiam horam*. 3 Inde, ſi qvid in exercitio non eſt abſolutum & emendari debet, expedietur ad *decimam*. 4 Tum ſi qva dictio aut locutio notabilior occurrebat, referetur in peculiarem librum non phraſium, qvod genus mihi parum probatur; & in republica verſaturo, vix vide-

„ re difficile eſt, ſic in voluminum ingenti copia „ varios libros, qvod ſtudiis obeſt, non attingere. Cùm autem aliqvis bonus liber perlectus fuerit, eum utiqve ex integro reſumere ne „ pigeat. Ut enim cibos manſos, ac propè liqvefactos demittimus, ita lectionem non crudam, ſed multâ iteratione mollitam, & vel „ ut confectam memoriæ tradendam eſſe Qvin„ ctilianus monet.

(*a*) *Remiſſio*] Cùm non pauci noſtrorum adoleſcentum ac Studioſorum contentione vitiorum laxamenta ſtudiorum qværant: nulla prudens niſi honeſta admittat Præceptor, & ad inhoneſti nomen cum Gordiano & Maximiliano Imperatoribus ſuos erubeſcere doceat, & indignum non ſolùm nobili, ſed & honeſtô adoleſcente arbitrari, meritum qvidqvid ruborem injiciat. Neqve ullô modo relaxandus ſceleribus ac vitiis eſt animus, qvippe qvem iſta fatigant & mille modis cruciant, nullas omnino liberas concedentia noctes, nullos dies placidos, ſic ut in ipſo ſomno qvoqve mentem delaſſent & in varias poſtmodum curarum partes incertam dubiamqve trahant, ſemper anxiam, ſecuram nuſqvam. Honeſtis ergo oblectationibus, juvenes qvando ſe remittunt, pro dignitatis, qvam obtinent, & vitæ varietate, temperabunt ſeria, fortè deambulatione non admodùm laborioſâ, curſu, ſaltu, venatione, jucundâ doctâqve ſermocinatione, & aliis, qvæ & corpus roborant & ſeria interrumpunt. Sanè laudi ducitur Alcibiadi, „ ſic duritiæ ſe dediſſe, „ ut parſimoniâ victus atqve cultus omnes La„ cedæmonios vinceret; ut Nepos de ipſo Cornelius ſcribit VII. XI. 4.

* *Exercitia*) De Exercitiis Academicis eſt in medio doctiſſimum Gymnaſma Georgii Gumpelzhaimeri, J. U. Doctoris & Reipubl. Ratiſponenſis Syndici ac Conſiliarii, Argentorati cum augmento Joh. Michaëlis Moſcheroſchi editum M. DC. LII. in 12. in qvo per diſcurſum eruditè diſſeritur de Exercitiorum neceſſitate, modo, tempore, perſonis & utilitate.

videtur eſſe poſſe aptum utileve: ſed è qvo per lectionem freqventem hauriat notata, & ſine moleſtia memoriæ infigat, idqve ad *undecimam dimidiam*, à qva liberum erit ambulare ad prandium usqve. 5 Poſt prandium ante *primam* ad ſtudia ne compellatur. 6 Inde proponatur qvid in Arithmeticis vel Geographicis ad *ſecundam* usqve. 7 Poſt tractet Hiſtoriam ad *tertiam*; inde relinqvatur honeſtæ libertati. 8 à *quarta* legat ſcriptorem Latinum ad *quintam*. 9 inde ſi qvid fortè ex propoſitis abſolvi penitùs non potuit, expediatur, & ſic denuo dimittatur liber, ad tempus usqve cœnæ. 10 Hæc exempli cauſſâ tantùm ſunt allata, ut appareat qvò modò velim tempora de die diſtribui. 11 Nam aliàs perpetua hæc diſtributio non poteſt eſſe, qvod qvisqve etiam per ſe intelligit. 12 Debet nimirum mutari pro ratione ſtudiorum & negotiorum, qvæ progreſſu aetatis alia atqve alia poſtulantur. 13 Nec neceſſe fuerit integras ſemper horas uni rei tribuiſſe, ſufficient interdum dimidiae. 14 Etiam dierum omnium ſimilis ut ſit ratio, neceſſe non eſt, poteſt, qvâ horâ die lunae Phaedrum tractavimus, eâ horâ die Martis tractari Terentius & Cicero, tum die Jovis fieri reditus ad Phaedrum, ut ipſâ varietate labor evadat jucundior, & eòdem temporis qvaſi ſpatiò plures ſimul cognoſcantur. 15 Interim ſollicitè cavendum, ne deſtinatum ſemel tempus uni negotio temerè tribuatur alii, qvia ex remiſſione & permutatione iſta oritur confuſio, nec bonâ fide tranſeunt in animum, qvae ſic inaeqvalibus, & ſaepe longis intervallis intercedentibus leguntur.

XIX. 1 Sed accedo nunc ad ultimum, id eſt *modum*, qvò inſtituendam informationem puto. 2 Hic *primùm* omnium curandum, ut ſit *ſvavis & jucunda*. 3 Nempe litteræ per ſe difficiles & inſvaves, præſertim primæ illæ: hinc earum facilè odium, niſi tractationis aliqvâ jucunditate commendentur. 4 Adde, qvod ſit impoſſibile, fideliter & plenè diſcere, à qvo qvis animò abhorret. 5 Ut autem ſit jucunda informatio, obtinebitur, ſi magiſter ipſe ante omnia ſe faciat à diſcipulo amari. 6 Non eſt ullum efficacius inſtrumentum informationis, qvam iſte diſcipuli erga præceptorem amor. 7 Debet autem amor is parari bonis honeſtisqve artibus, non malis. 8 Non ut indulgeat omnia diſcipulo, ut ſi ad potum, aleam, diſcurſationes, delitias, neqvitiam, & id genus turpia & vitioſa alia proclivem ſentiet, ea permittat, aut etiam promoveat, qvod ſui commodi cauſſâ, & ſpe munerum largitionumqve facere nonnullos certum eſt. 9 Sed primò alloqviorum & confabulationis qvâdam ſvavitate, remotâ omni verborum triſti vanâqve arrogantiâ. 10 Nec enim probare poſſum inſtitutum eorum, qvi clamore, minis, ac convitiis graſſantur, eòqve validiores ſeſe exiſtimant futuros, qvò majorem diſcipulo incuſſerint terrorem. 11 Nam & hic timor infidum vinculum ſocietatis, & animus metu perturbatus, diſciplinam rectè capere vix poteſt. 12 Omnium autem maximè abeſſe volo verbera & flagella, qvippe qvibus animi ingenui non tam excitantur, qvàm premuntur atqve obtunduntur. 13 Qvòd ſi ea indoles diſcentis, ut niſi flagris regi atqve excitari neqveat, eum putem rectiùs ad alia remitti, qvàm ad litteras compelli. 14 Loqvor de

de flagellis ferulisqve illis, qvibus poteſtatis ingerendæ ſuæ cauſſâ ſeſe qvidam armant ſingulis momentis: 15 Nam aliàs evenire poteſt, ut & indoles optima remediô duriore coërceri ac in viam reduci debeat, ſi ſe paſſa fuerit, ſvavitate vitii ad deteriora abduci. 16 Peccata litteraria rectiùs emendabuntur verbis primùm lenioribus, ſi abeſſe culpa major apparebit. 17 Debet enim magiſter uti patientiâ, & initiò transmittere qvædam poſt notam ſimplicem, mox addere caſtigationem modicam, dictis non tam aſperis per ſe, qvàm animum diſcipuli mordentibus: 18 Qvò pertinebunt comparationes ſumptæ vel ex factis præcedentibus, vel ex diligentia aliorum, paris cum diſcipulo ætatis, fortunæ, ſtudiorum. 19 Qvod ſi dicta non valebunt, pœnas mallem injungi, non tam qvibus corpus affligitur, qvàm qvibus animus, qvales ſunt, irriſio à condiſcipulis aut famulis, ſtatio in prandio aut cœna ante menſam, cum dilatione aut negatione cibi, & qvæ hujus generis excogitari poſſunt plurima. 20 Volo enim ab ætate prima duci laude gloriâqve rectè factorum adoleſcentem, & contra infamiâ terreri, non ſervilibus verberibus. 21 Qvò pertinebunt laudes inter æqvales, commendationes apud parentes, & ſpectatæ dignationis viros, munuſcula ſolô honore æſtimanda; & id genus. 22 Danda verò eſt opera, ut amori ſociata maneat auctoritas, nec deſinat in contemptum. 23 Qvod fieri neceſſe eſt, qvoties magiſter ſeſe gerit non ut præceptorem doctorémve ſed ut famulum diſcipuli. 24 Non eſt de nihilo, qvod moneo. Sunt enim qvi hâc viâ ſe in gratiam inſinuare qværunt ſuorum diſcipulorum, ſuô pariter & ipſorum detrimentô. 25 Sunt, qvi magno locô natis diſcipulis obſeqvium hoc putant deberi. 26 Ego, qvomodo & præcepta dare vitæ doctrinæqve, & ſimul ad imperia paratus eſſe atqve famulari unus atqve idem poſſit, non excogito. 27 Intelligat igitur diſcipulus, ſe utut bonum indulgentemqve, ita haud remiſſum tamen vel ignavum habere præceptorem, qvi ſciat, qvoties res exigit, imperare, non per denegationem debiti diſcipulo honoris, qvod eſſet ſuperbum, imo ſtolidum: ſed moderationem actionum, ne prolabantur in id qvod honeſtati, officio, & præſentis vitæ inſtituto ſit adverſum.

XX. 1 Venio ad *ſecundum*, qvod curandum; ſcilicet, ut informatio ſit *facilis*. 2 Qvod opinione meâ obtinebitur primùm *ordine*, ſi initium fiet non à gravioribus & intellectu difficilioribus, ſed facilioribus. 3 Deinde, ſi tradentur omnia *perſpicuè*, ac captui diſcipuli accommodatè. 4 Tum, ſi nimium *non feſtinabitur*, nec ad alia procurratur antè, qvàm benè capta fuerint priora. 5 Nam ut in vas anguſtioris orificii infundas nihil, ſi vel plenum dolium in id unô jactu evacuaveris; ſic ingenium humanum unô tempore omnia non capit. 6 Qvartò, *ſi præceptor*, ipſe partem laborum in ſe recipiet, eaqve tantùm *tradet*, qvæ *diſcipulo maximè* ſunt *neceſſaria*. 7 Multa docent e. g. Grammatici, partim in præceptis ſuis, partim in notis ac commentariis, ut *Donatus* ad Terentium, *Servius* ad Virgilium, *Acro* ad Horatium, alii ad alios. 8 Qvæ ſi legere omnia deberet diſcipulus, & temporis perderet multum, & ſimul fortaſſis ejus, qvô erga litteras affectus eſſe deberet, amo-

ris.

ris. 9 Itaqve ſuccurrere præceptor debet ſuô ſtudiô, & conatus diſcipuli levare; perficere, ut cognoſcat unô die, qvod legendo non conſeqveretur totâ hebdomade. 10 Nec in Grammaticis hoc ſolùm utile fuerit, ſed in Logicis Rhetoricisqve, imo in plerisqve diſciplinis aliis.

XXI. 1 *Tertium* qvod in informatione poſtulatur, puto eſſe, ut ſit *conſtans certaqve*, nec unô tempore nimis rigida, alterô nimis remiſſa, ſed æqvabilis, qvæ nusqvam currat, nusqvam conſiſtat, ſed decenti modô qvotidie procedat. 2 Qvam ad rem conducet, ſi ſcribentur indices, qvibus qvid non ſolùm ſingulis diebus, ſed & horis actum ſit, notetur, non per commemorationes fictas ſimulatasqve, verùm certâ fide; ut ſi horæ fuerint collocatæ bene, habeamus, de qvo & ab aliis conſeqvamur laudem & gratulemur nobis ipſi: ſin verò malè [qvod interdum evitari difficulter poteſt] id aliô tempore diligentiâ majore ſuppleamus.

XXII. 1 *Qvartum* ſeqvitur, ut educatio *judicio excolendo* maximè ſit *accommodata*. 2 Licèt enim & ingenii dotes ſint neceſſariæ, & memoriæ facultas commendabilis, judicii tamen vis eſt maxima ad expedienda negotia humana. 3 Qvare ceteris qvidem poſſumus nonnunqvam carere; at judiciô ſi fuerimus deſtituti, qvidqvid ingeniô vel memoriâ valebimus, incaſſum erit, & turbabit aliqvando magis, qvam juvabit. 4 Ceterùm ad excolendum paulatim judicium, poterit præceptor ſtatim ab initio proponere turbatioris orationis particulam absqve diſtinctionibus, peteréqve ut ea ritè & convenienter diſtinguatur. 5 Mox offerre longiorem ſententiam, in qva ſint duo, tria, plura occultiora vitia, eorundemqve notationem & emendationem exigere. 6 Tum loci alicujus in Scriptore poſtulare explicationem, per commemorationem cauſſarum, ob qvas vel oratio, vel res ipſa tali vel tali modô à Scriptore fuerit propoſita. Donec tandem ad majora veniatur.

XXIII. 1 *Qvintum* eſt, ut educatio firmetur *crebrâ ante traditorum repetitione*. 2 Paucis à natura eſt conceſſum, ut qvâ facilitate diſcunt, eâ qvod didicerunt, ſervent; pleriqve qvô promptius didicêre, hôc citiùs, qvæ didicêre obliviſcuntur. 3 Repetitio igitur eſt valde neceſſaria, qvam velim qvotidianam pænè, freqventiſſimam profectò eſſe, nec tamen triſtem aut moroſam, ſed per interrogatiunculas ſvaves jucundasqve eorùm, qvæ de die lecta vel audita fuerunt: poteritqve hoc fieri poſt cœnam inter ambulandum & confabulandum, admixtis oportunè aliis jocis aut hilarioribus dictis, ne tam labor, qvàm remiſſio qvædam ſvavis eſſe videatur. 4 Conducet verò hæc plurimùm memoriæ, nec ſinet eam ſterileſcere.

XXIV. Id qvod *ſextô* locô in informatione obſervandum. 2 Nempe poſtulat haud infreqventer uſus aut neceſſitas, ut in publico proponamus ſermonem, proferamus ſententiam, demus conſilium, vel ſimile qvid agamus, qvibus gratiæ decedet plurimum, ſi memoriâ complecti meditatos ſenſus neqviverimus; ſæpe optima & negotio præcipuè conducentia per oblivionem omittentur. 3 Itaqve non negligenda penitus memoriæ cultura. Non ut hæc unica ſolaqve cura ſit, qvod inepti qvidam magiſtri ſuæ conſulendo vel igna-

ignaviæ vel inſcitiæ faciunt, & egregiè munus expleviſſe ſuum putant, ſi integris auctorum operibus memoriam diſcipuli gravârunt: ſed ut ſubinde proponatur nunc ſententia, nunc dictum elegantius, nunc brevior oratio, qvæ mandetur memoriæ, & nec hoc tam per moleſtam anxiamqve ediſcendi curam, qvàm freqventiorem lectionem, mane veſperiqve inſtituendam, qvæ citra difficultatem talia memoriæ infiget. 4 Qvia tamen nec omnia memoriæ infigi poſſunt, eaqve qvantumvis felix, nonnunqvam labitur, ideo eidem ſuccurrendum librô aliqvo memoriali, in qvo non conſignentur omnia, verùm ea ſolùm qvæ notatu maximè ſunt digna, atqve inſtituto noſtro ſervientia.

XXV. 1 Eſtqve hoc *ſeptimum* in educatione ſeu informatione tenendum. 2 Non ſvadeo locos communes, & id genus ſollicitè prolixéqve adornatos libros, nam & temporis reqvirunt plurimum, & nobili haud ita multum conducunt: ſed notationem ſimplicem elegantioris, rarioris, pleniùs tractati, aut ſingulariùs explicati loci ſeu argumenti, apud qvalemcunqve ſcriptorem, ſub aliqvo titulo, ſub qvo ſi uſus venit, poſſit facillimè reperiri. 3 Sic non rarò evenit, ut ſit deliberandum, an fœdus novum præferendum veteri? an renuntiandum pactis, qvorum in melius mutandorum ſpes affulget aliqva? an promiſſa metu cladis majoris in bello eatenus tantum ſervanda, qvatenus metu illô cogimur? & qvæ multa alia ſunt hujus generis, de qvibus habere in promptu locos idoneos ſcriptorum, unde de ſententia ipſorum conſtet, non juvabit modò plurimum in publico dicturum, ſed & dictionem ejus reddet graviorem ac ornatiorem. 4 Nolo repudiari hunc laborem, tanqvam ſcholaſticum, cùm uſus ejus ſit maximus, expediriqve poſſit citra ullam ſcholaſticam ſollicitudinem.

XXVI. 1 Jam qvoniam non ſufficit, habere hæc in libro, vel tenere memoriâ, niſi gratia & dignitas acceſſerit ſermonis, ideo in informatione poſtulo *octavò*, ut diſcipulus adſveſiat commodè decentérqve ſenſa ſui animi proferre primùm vernaculô ſermone, poſt etiam Latinô. 2 Scio qvid de ſermonis Latini uſu judicârint olim Itali doctiſſimi, qvamqve pauci hodie ſint ex eis, qvi Latinè loqvi velint. Sed eſt alia noſtra ratio. 3 Non eſt propoſitum nobili, laudem ſummam qværere ex oratione Ciceroniana; ſufficit ei, ſi non barbarè aut vitioſè loqvatur. 4 Adde, qvòd ſermonis Latini uſus nobili neceſſarius propter eos, qvibuſcum publica expedire decenter, niſi hâc lingvâ non poſſumus. 5 Itaqve parati eſſe debemus ad caſus qvosqve, inſtructiqve etiam Latinè loqvendi facultate. 6 Non poteſt autem hæc facultas adqviri, niſi * adſvefacti fuerimus à teneris. 7 Qvi hoc differt exerci-

5 * *Adſvefacti fuerimus*] Poſtqvam pueri exercitio ſtyli, ſeu ſcribendo primum Latini ſermonis fundamentum jecerint; tum demum ad Latinè loqvendum ſunt invitandi & tentandi. Natura enim, ratio, rerum ordo, & magnorum auctorum teſtimonia evincunt, in accuratiori & methodico lingvæ Latinæ ſtudio loqvendi uſum exercitatione ſcribendi poſteriorem eſſe debere. Nam

citium, nec loqvi tentat antè, qvàm opinione ſuâ rectè loqvi didicerit, primùm abſterrebitur pudore, mox ipsâ negotii, qvæ creſcit indies difficultate. 8 Incipiat igitur noſter loqvi ſtatim, qvoqvô poſſit modô, ſed ut errantem præceptor ſtatim moneat & emendet. 9 Conducetqve huc plurimum, primò, ſi præceptor ipſe non loqvetur, niſi Latinè. 10 Deinde, ſi ad loqvendum crebris qvæſtiunculis diſcipulum invitabit, viamqve ipſi velut præmuniet. 11 Tum ſi timidiorem eriget adhortatione, tentantémqve licet cum moleſtia, & fors nec ubiqve ſat feliciter, firmabit laude, aliqvando addet etiam præmiolum. 12 Poteritqve hôc fine præceptor ſubinde narrare breviter aliqvid ſermone Latinô, ac jubere id ipſum è veſtigio diſcipulum repetere. poterit commemorare lingvâ populari, & à diſcipulo exigere, ut idem narret ſermone Latinô. 13 Interdum ſumma tantùm proponet capita, jubebitqve ea complecti oratione integrâ, juſtéqve inter ſe cohærente, primùm vernaculô ſermone, deinde & Latinô. 14 Nam qvod qvidam loca ſcriptorum aliis ſvadent reddi verbis, id niſi fiat per modum paraphraſeos, placere neqvit ideo, qvia nunqvam melius, ſed deterius plerumqve ſic redduntur.

XXVII. 1 *Proſtremum*, qvod in informatione ſpectatur, eſt, ut ſi qveat u-

Nam ſi Qvinctil. l. X. c. *VI*. credimus, primùm facienda multo ſtylo forma eſt, qvæ nos nec cogitantes ſeqvatur, tum aſſumendus uſus paulatim. Qvid enim loqveris, ait Jacob. Montanus Spirenſis, in Collectaneorum Latinæ locutionis opere c. II. §. 2. qvi ne verba qvidem, qvibus ſermo conſtat, noſti? Annon totis humanæ rationis legibus contrarium eſt, ut, qvi mutus eſt, ad loqvendum compellatur? Et mox; dicendi facultatem urgent; ſtylum negligunt. Miſera inter hæc juventus dum caſtigari metuit, dum crumenulæ cavet, dum percelli ſcommatibus refugit, loqvitur qvæ ſcit, comminiſcitur, qvæ non ſcit. Qvid hinc aliud evenire, qvàm meram barbariem, pravam conſvetudinem, falſam umbratilis ſcientiæ perſvaſionem qvæ totius inſcitiæ mater eſt, putamus? Facit hoc ordo præpoſterus, dum qvod priorem ſibi locum ratione, naturâqve vendicat, ceu fundamentum, id vel minimùm uſurpatur, vel in totum omittitur; & qvod inde naſci, ceu ex matre filia deberet, tam inhumaniter exigitur qvàm fruſtra in ſcirpo nodus qværitur. Rogo te, per immortalem Deum, qvisqvis es huic errori deditus, cedo, num te peccatricis conſcientiæ ſcrupulus movet? Num tremendam ſummi judicis ſententiam expaveſcis, cùm laboris tui mercedulam, ceu probè meritam exigis, colligisqve qvi rectum, & indubitatum ordinem docendi pervertis, & qvod rationi, naturæ, auctoritati contrarium eſt facis? Num inter hæc de reſtituendo, qvod taliter partum eſt, cogitas? Subſcribit hanc ſententiam Montani Caſelius: primis tironibus, inqvit in libr. de ludo, neceſſitatem loqvendi imponi, penitus falſum eſt. Sic namqve non Latinam diſcent, ſed lingvam novam; & ſemibarbaram gignent. Verùm qvi pleraqve jam; qvæ de rebus minutis & vulgaribus ſunt intelligunt, adſvefaciant paulatim ad ſermonem, ut ſaltèm non peſſimè balbutiant. Infantes enim balbutire rectum eſt, ut poſtmodò clarô ſermone utantur. Volumus enim, ait ibidem inferiùs, puerum doceri Latinam Lingvam, primùm omnium. UT INTELLIGAT, deinde UT SCRIBENDO ET LOQVENDO USURPET. Sed & vividus ille Vives ſuum addere calculum videtur: loqventur, inqvit De tradend. diſc. l. III. primùm ſuâ lingvâ, qvæ illis domi eſt nata, in qva ſi qvid peccent, emendabit Præceptor: dehinc paullatim Latinè admiſcebunt ea, qvæ de Præceptore hauſerint, vel ipſi legerint, ut inter primordia miſtus ſit ſermo in ſchola ex patrio & Latino; foris patrium loqventur, ne omnino conſveſcant lingvas commiſcere ac perturbare. Et mox; qvi poſt annum, qvàm inceperit inſtitui, Latinè recuſabit loqvi multetur pro ætatis ac conditionis ratione. Qvocirca ubi Præceptor diſcipulos aliqvas ſtyli radices egiſſe deprehenderit, exercitia ſcribendi & colloqvendi alternis vicibus magno cum fructu inſtituet.

nullô fieri modô, ſociata ea ſit cum pluribus. 2 Nam informatio ſolitaria ſicut tædioſior, ſic ferè tardior, qvia extra comparationem. 3 Putat diſcipulus ſatisfactum eſſe officio, ſi vel tantillum profecerit, qvoniam non habet, cujus exemplô intelligat, longiùs proficere ſe potuiſſe. 4 Contra, æmulatio alit ingenia, & fit ſæpe primus, dum erubeſcit eſſe poſtremus; qvi ſine iſto comparationis metu poſtremus erat futurus. 5 Sed hic opus eſt delectu, cùm ratione vitæ, ne bonis jungantur vitioſi, qvi plus corrumpant in moribus, qvàm promoveant in literis, tum ratione ſtudiorum, ne ſint rudiores eo, cui junguntur. 6 Sociandi namqve meliores, qvi exemplô ſuô ſtimulent, vel æqvales ſaltem: nec reſpectu profectuum ſolummodo, ſed & ingenii. 7 Nam ſi tardum ſociaverimus celeri, morabitur celeritatem ejus, ſi promptum nimis tardiori, coget eum ad deſperationem, unde primò ignavia, mox odium literarum. 8 Nemo enim facile amat vel colit, qvod conſecuturum ſe deſperat.

XXVIII. 1 Et hæc qvidem ſunt, qvæ de informatione generoſi adoleſcentis mihi venerunt in mentem. 2 Qvæ tamen non ſic velim accepta, qvaſi qvæ hic memoravi, rigidiſſimè obſervanda putem. Neqve enim fieri hoc ſemper poteſt. 3 Non eadem omnium eſt indoles, non idem omnium propoſitum. 4 Alii magis, alii minus ſunt capaces; Alii promtiores, alii tardiores. 5 Itaqve nec iidem, aut eôdem numerô ſcriptores omnibus ſemper proponendi, ſed aliis qvandoqve commendandi, qvos alii ne adſpicient qvidem. 6 Neqve tempus ſupra nominatum ſemper obſervandum. 7 Poſſunt alii citiùs Philoſophiæ Jurisve ſtudia adire. 8 Sed & propoſiti reſpectu aliqva ſubinde mutanda. 9 Debent qvidem nobiles in univerſum non omnino rudes atqve imperiti eſſe literarum, qvoniam hoc non ad decus modo eorum & exiſtimationem facit, ſed & generi ordinive conducit, qvippe cujus firmat faſtigium, & negotiis ſuſtinendis ac perficiendis reddit par & capax. 10 Neqve tamen omnium ratio eſt eadem. Nam qvi rem metallicam e. g. vel navalem olim tractaturus eſt, ei neqve Logicæ aut Rhetoricæ cognitio, ac ne † Hiſtoriæ civilis qvidem, aut Politices tam neceſſaria, ut illi, qvi verſaturus eſt in deliberationibus de republica, 11 Ita qvo-

† *Hiſtoriæ civilis aut Politices*] Qvanta hujus è neglectu ſtudii damna redundent in Rempubl. his verbis maximus Germanorum ſcriptor Boeclerus aperit in Collegio qvodam MSo in Notitiam S. R. Imperii ab ipſo annô M. DC. LXX. editam in 8r. (*Utor verò ego meliore & auctiore editione Argentoratenſi anni M. DC. LXXXI. in* 8r.) „ Cùm pax, inqvit, Oſnabrugenſis & „ Monaſterienſis agitaretur, eâqve concluſâ qvo„ ad exſecutionem Norimbergæ conventum eſ„ ſet, fuerunt ibi homines magnis officiis ad„ moti; verùm Notitiæ cùm Imperii imperiti „ eſſent, viderunt qvantum ſibi hæc ignorantia „ rebus gerendis obeſſet. Coacti ſunt igitur „ magnô pretiô cognitionem eam à viris hâc „ dote inſtructis exercere. Conſtat enim vel „ 8000. ſolidis hanc Notitiam Imperii oretenus „ comparatam eſſe. Omnes enim materiæ hujus Notitiæ plenæ ſunt reſpectibus Politicis, ut „ per partes oſtenderetur. Hinc imperiti hujus „ ſcientiæ neceſſum habent hallucinari. Hactenus B. Boeclerus; cujus dictum Collegium MSum plenum eſt rariſſimorum iſtiuſmodi exemplorum & de auctoribus Politicis ac Hiſtoricis judiciorum.

qve res ſe habet cum eo, qvi ſe traditurus eſt militiæ, poteſt is prolixâ cognitione Juris atqve Phyſices haud difficile carere. 12 Qvæ igitur ſcripſi, debent accommodari ſingulis pro ratione eorum, qvæ jam indicavi. 13 Qvo vel præcipuè pertinent, ut magiſter circumſpectam adhibeat moderationem qvidqve fieri, aut non fieri poſſit, ſollicitè conſideret. 14 Aliàs eôdem uti velle modô apud omnes, nihil profectò eſſet aliud, qvàm eundem calceum pedibus omnibus aptare.

XXIX. 1 Ceterùm ut qvæ huc usqve dicta ſunt, fideliùs feliciúsqve expediantur, utile videtur, ut præceptor juxta & diſcipulus habeant, cui ſubinde reddant rationem à ſe factorum. 2 Nolo autem fieri hoc rigore importunô per nimis acres conſectationes rerum minutarum, ſed nec remiſsè nimis per nudam commodationem ſuæ præſentiæ; ſed diligentiâ convenienti. 3 Qvemadmodum nec examen ipſum abſolvi debet in ſpeciem tantùm per memoriæ mandatas paucas qvæſtiones, reſponſionesqve, aut declamatiunculas qvasdam de generalioribus capitibus virtutum atqve vitiorum; ſed reverà, & ſeriò, & bonâ fide, ut conſtare poſſit de docentis pariter diſcentisqve diligentia. 4 Igitur nec examen velim haberi unius operâ ſeu miniſteriô præceptoris, ſic ut ipſe ſolus qværat, & reſponſiones exigat. 5 Debet utiqve præceptor monſtrare, qvâ in docendo utatur ratione, per qvaſi repetitionem aliqvam eorum, qvæ propoſuit; ſed non debet ſolus facere. 6 Explorandi & ab inſpectore profectus diſcentis per alias, aut ſaltem paullò aliter formatas, qvàm præceptor ſolebat, qvæſtiones, ut appareat, rem intelligi, non nuda verba dari. 7 Itaqve nec tempus aliqvod determinâſſe, qvô ejusmodi exploratio inſtituenda ſit, neceſſe fuerit, ne ſit ex præparato. 8 Nam præterqvam qvod examen tale ferè ſit imaginarium, etiam ad præparationem iſtam tempus inſumitur, qvod in aliis rectiùs collocatur. 9 Fiat potius qvandocunqve inſpectori lubeat, & fiat nullâ præviâ denunciatione, & in omnibus, qvæ diſcipulo traduntur, licet non eôdem ſemper tempore. 10 Ita certiùs cognoſcentur profectus diſcipuli, nec ipſe modò, ſed & magiſter diligentiam adhibere debitam cogentur, ſi omni tempore debebunt eſſe parati ad reddendam diligentiæ ſuæ rationem.

XXX. 1 Et hîc qvidem poſſem finem facere, manumqve tollere de tabula. Verùm cùm qvandoqve ſciam apud parentes ſollicitos oriri dubium, ubi hanc ſuorum procurare informationem debeant, ne vitium, aut impedimentum ſaltem contrahat ab ipſo fortè loco; etiam hac de re paucis agam. 2 Ac initiò qvidem illorum probare conſilium non poſſum, qvi neſcio qvô tædiô rerum domeſticarum, aut peregrinitatis ſtudiô, ſuos in ætate adhuc immatura; prima etiam qvandoqve ad exteros ablegandos arbitrantur. 3 Nolo ad tuendam ſententiam contrariam afferre nunc qvod minori plerumqve apud illos exteros qvam debebat, curâ alienæ gentis hominum inſtituatur educatio; (qvid enim referat e. g. Gallorum, Germanorumve qvàm benè Svecus educetur?) Item qvod majore apud eos vivatur licentiâ, præſertim ſi ex ea ſentiant utilitatem; Qvod majores impendendi ſumtus ſint, etiam ubi parcè vita in-

inſtitui videtur. 4 Qvàm illud eſt periculoſum, qvod ab ætate prima ſic à parentibus dimiſſus incipiat contemnere domeſtica, mirari peregrina? Publicæ ſalutis utiqve putatur qvaſi fundamentum, amor erga patriam. 5 At eum ratione juſtâ integrôqve animô concipere qvi poſſit, cui ſtatim, poſtqvàm res diſcriminare, nigrúmqve ab albo cœpit diſtingvere, perſvaſum eſt ubiqve melius, decentius, peritius, qvàm apud ſuos commodis juventutis conſuli, vitæqve rectè degendæ conſilia præceptaqve dari. Perſvaſum autem eſſe illi oportet, qvi ſe ideo à patria ſuisqve audit dimitti, qvod qvæ rectè diſcat, ibi non inveniat. 6 Verùm eſt adhuc periculoſius, qvòd hôc pactô incipiat habere ingenium, non ſuæ, verùm peregrinæ, aliqvando & hoſtili reipublicæ conforme. 7 Nempe ſolet qvisqve populus, ſi non planè ſit imprudens, dare operam, ut educatio juventutis ſuæ ſit accommodata imperio, qvô regitur; & in regno e. g. diſcat unum anteferre cunctis, ejus ſe accommodare voluntatibus; in libertate contra neminem eximium habere, omnemqve ſuam ex æqvalitate metiri beatitudinem. 8 Fit igitur, ut qvi prima in ætate nihil videt, nihil audit, niſi qvod æqvalitati convenit, is in aliam poſtea delatus rempublicam multa ferat ægrè, multa tanqvam iniqva damnet, ac mutata cupiat. 9 Fruſtra cogitatur hîc de correctione futura. Nam qvæ integris hauriuntur animis in ætate tali, hærent ferè tenaciùs, qvàm ut fide bonâ poſſint ex eis deleri. 10 Qvare hi ſi callidè rem gerant, præſidium deinde qvando poſtulat neceſſitas, deſumunt à diſſimulatione, qvæ qvàm cordatos conſtantesqve cives faciat, haud difficile eſt intellectu. 11 Optimè proinde informatio, præſertim prima inſtituitur in patria ubi ea eſt conformis reipublicæ juventutemqve imbuit, ad amorem, cultum, venerationem imperii, ſub qvo per omnem deinde vitam eſt verſandum.

XXXI. 1 Verùm ſi inſtituenda ibi, domi ne hoc rectius, an in Schola ſit & Academia? 2 De ætate prorſus puerili non eſt ſermo, qvæ laborum Academicorum non eſt capax. 3 Qvid ſi adoleverit aliqvantiſper & profecerit in literis, ut cum fructu negotiis ejusmodi poſſit intereſſe? 4 In Academia confluxus eſt ingeniorum variorum, etiam diverſiſſimorum; reperiuntur ibi homines pravi etiam ac flagitioſi, per qvos animi ſimpliciores facile corrumpuntur. 5 Eſt ibi major aliqvantò vivendi libertas, qvàm in præſentia & ſub oculis parentum. 6 Dantur occaſiones diſcurrendi, potandi, ludendi aleâ & teſſeris. Ipſa Venus ſubinde etiam negotioſa eſt. 7 Adde qvòd reperiantur, qvi his modis qvæſtum faciant, ſtultæqve juventutis promptitudinem facilitatemqve habeant vectigalem. 8 An ergo meos filios tot periculis ultro exponam? 9 Scilicet utiqve caſtè, moderatè, ſobriè, honeſtè vivitur Academiâ ſolâ exceptâ. 10 Vel ſi hoc malè fingitur, qvid non & alibi proſpicimus ſecuritati noſtrorum; Aut ſi poſſumus alibi, cur licebit minus in Academia? 11 Sunt profecto ibi qvoqve leges, ſunt magiſtratus, ſunt viri honeſtatis virtutisqve amantes, & interdum plus, qvam nonnulli volunt, rigidi ac ſeveri. 12 Non igitur Academia in cauſa, ſi qvi in ea malè vivunt, non ordo Profeſſorius, non cetera, à Regibus optimè conſtituta & qvanti poſſunt,

obſervari ſolita diligentiâ. 13 Qvid ergo? Dicam non meis, ſed Qvinctiliani verbis qvæ huc qvadrant optime. Sic autem habent lib. I. cap. II. *Utinam liberorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa educatio, qvam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Qvid non adultus concupiſcet, qvi in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coqvum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, qvàm os inſtituimus. In lecticis creſcunt: ſi terram attigerint, è manibus utrinqve ſuſtinentium pendent. Gaudemus, ſi qvid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis qvidem permittenda deliciis, riſu & oſculô excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audiêrunt; noſtras amicas, noſtros concubinos vident. Omne convivium obſcœnis canticis ſtrepit: pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſvetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miſeri anteqvam ſciant vitia eſſe: inde ſoluti ac fluentes, NON ACCIPIUNT E SCHOLIS MALA ILLA, SED IN SCHOLAS AFFERUNT.* 14 Hæc veriſſimè Qvinctilianus, nec negabunt noſtris convenire non paucis, niſi qvi ſeculi vitiis ipſi delectantur. 15 Qvare manet verum, qvod innuebam ſuperiùs, educationis locum maximè idoneum Academiam eſſe. 16 Sit modò diſcipuli ingenium, qvale poſtulavimus, ſit præceptor eis præditus moribus, qvibus diximus, nil contra corrumpere qværentium inſidiæ valebunt. 17 Præſertim ſi parentes ipſi amantes erunt diſciplinæ, ſi qverelis filiorum contra præceptorem non citam facilemqve nimis adhibebunt fidem, ſi debitas juſtasqve caſtigationes ejus ſuô probabunt ſuffragiô, nec ſubmiſſione occulta nummorum & occaſionem vitiis & materiam ſubminiſtrabunt. 18 Scio fore qvi me ſtudiô partium abreptum iſta dicent prodere. Sed hos velim cogitare, qvantum ſit in ipſa voluntate Regia rationis & auctoritatis pro hac parte. 19 Certè ſi is eſſet habitus Academiæ, qvalem aliqvi concipiunt animô, & aliis cupiunt perſvaſum, non tantâ fundâſſent curâ, tantô ſuſtentâſſent ſumptu, non tot beneficiis juventutem omnem ad eam evocâſſent, non tot adhortationibus invitâſſent maximæ juxta atqve minimæ fortunæ ingenia, non deniqve ipſi qvidam ſuô ad hæc præiviſſent omnibus exemplô. 20 Manet ergo ſalva ſua Academiæ auctoritas, nec innocentiam ejus malè animatorum aſpera judicia labefactant. 21 Nam qvod oſtentantur, qvi & extra Academiam domi privatimqve benè educati, hoc ſententiæ noſtræ nihil derogat. 22 Factus aliqvis eſt ſanus ſine medicamentis, nec ideo medicum medicinamve contemnimus. 23 Factus aliqvis eſt prudens ſine litteris, nec ideò litteras omnes mittimus in exilium. 24 Et qvàm multi qvi detenti domi, & in ſecreto educati, evaſêre pravi? Ut ſi hôc argumento liceret pugnare, facile ſuperiores poſſemus evadere. 25 Nusqvam ergo rectius inſtitutio ſuſcipietur, qvàm in Academia, ubi ſi literis rectè incubuerint adoleſcentes, ſi eruditionis melioris poſuerint fundamenta, ſi ſe, ſi ſua commoda, ſi vitæ humanæ rationes, ſi patriæ ingenium, ſi conditionem reipublicæ qvadamtenus didicerint, tum fas conſultumqve erit, Academiæ valedicere. 26 Sed de hac re alibi rectiùs. Claudo votô, ut qvàm ſimpliciter candidéqve hæc à me de Inſti-

tu-

tutione Nobilis adoleſcentiæ ſunt prolata, ita ei ſint proficua & ſalutaria, qvò ſervatâ ordinis ſplendidi dignitate, firmatâ virtute, bonum publicum habeat præſidium idoneum, in qvo calamitoſis hiſce temporibus ſpes & exſpectationes ſuas tutò ac feliciter reponat.

Indiculus librorum, qvorum uſus

incipienti maximè neceſſarius.

Biblia Svetica ex edit. Wankiſvii. Catechesis Lutheri. Laurelii Qvæſtiones & Reſponſiones de præcipuis fidei articulis Sveticè & Latinè. Conr. Dieterici Inſtitut. Catecheticæ. Eicones Biblici Theodori de Bry vel Matth. Meriani. Grammatica Jo. Ger. Voſſii. Ciceronis Epiſtolæ collectæ per Siberum. Cato ex edit. Daumii, Cygneæ An. 1672. Ciceronis Hiſtoriolæ ſeorſum editæ. Phædrus editus Hamburgi An. 1673. Terentius Bœcleri. Cornel. Nepos Boſii Ann. 1677. vel Bœcleri. Juſtinus editus Hamburgi 1678. Curtius Freinshemii in 4. Cæſar Jungermanni. Orationes ex Hiſtoricis ſelectæ. Eicones IV. monarchiarum Gothofredi ſeorſum editi per Merianum in folio, cum verſibus Lat. Eutropius cum metaphraſi Peanii. ed. An. 1678. Cellarii nucleus Geographiæ veteris & novæ. Cluverii Geogr. cum Not. Bunonis. Boxhornii Chronologia ex edit. Boſii. Hiſtoria Eccleſiaſtica Got. Petrei Chronicon Sveticè. Girs Hiſtoria Guſtavi & Erici. Jonæ Magni Synopſis Hiſtor. univerſalis. Memorialis liber Ethicus Bœcleri; Ethica majora Hornei. Phyſica Sperlingii. Phyſica Kippingii. Inſtitutiones & Diſſertationes politicæ Bœcleri. Politica Lipſii ex edit. Freinshemii. Ciceronis Officia Rachelii. Puſendorff de Officio boni viri & civis. Ejusdem jus Naturæ. Grotii jus Belli & Pacis noviſſ. edit. Amſtelod. M. DC. LXXX. Pinakeri primordia Juris. Zuchei Elementa Jurisprudentiæ.

Cetera cum ætate, pro ratione profectuum & inſtituti poterunt ſuppleri.

X.

Petri Angelii Bargæi,

Qvô ordine Scriptorum Hiſtoriæ Romanæ monumenta ſint legenda,

LIBELLUS,

EX BIBLIOTHECA

JOHANNIS ANTONIDÆ vander LINDEN,

Med. Prof.

Judicia De Bargæo

Paull. Manut. lib. III. Epiſt. VI. p. 141. *edit. Lipſienſ. M. DC. LXIX.*

Bargæus, οὐχ᾽ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, conditionem illam certè non ſpectat. Qvi enim Piſis dominatur, & ſuâ virtute, qvam novimus excellentem, & principis gratiâ, cujus in ditione natus eſt; qvô conſiliô ad res novas animum adjiciat?

R. A.

R. A. Cantabrigienſis in epiſtola ad Jo. Sturmium adjecta epiſtolis Rolandi Mareſii edit. Lipſienſ. M. DC. LXXXVII in 12. p. m. 610.

Petrus Angelus Bargæus Piſanus, carmine divinô, κυνηγητικὰ complexus eſt: nec minùs excellit dicendi facultate. Is ſcripſit, ut ex ejùs ſcripto, & Manutii teſtimonio intelligo, doctiſſimos etiam Commentarios in eruditum illum Demetrii libellum de elocutione. An hic liber, & illi, qvos commemoravi Joannis Baptiſtæ Pignæ, in lucem prodière, aut ſint prodituri, admodum aveo ſcire. Si homo es, mi Sturmi, hoc meô rogatu, per literas cognoſce, primô qvoqve tempore, à Paulo Manutio, qvi omnium optimè iſtud intelligit. Et qvid ille reſpondet, ad me qvamprimùm perſcribas: nihil enim mihi gratius facturus es.

JAC. AUG. THUANUS *Hiſtor. Tomô V. lib. CXVII. p. 701. edit. Genev.* M. DC. XXX. *in fol.*

Annô CIↃ IↃ XCVI. ante Toletum, eô qvadrienniô major (ætat. LXXVIII.) prid. Kal. Mart. Piſis obiit Petrus Angelius Barga Etruriæ Caſtellô natus, variis peregrinationibus in adoleſcentia per Græciam & Aſiam exercitatus, & poſtea Piſis complures annos in florentiſſimo Gymnaſio humaniores literas profeſſus, & Romæ in comitatu Ferdinandi Medi s tunc Cardinalis poſtea commoratus, Poëticâ præcipuè excelluit, & Cynegetica (edita ſunt hæc cum ejus carminibus & Eclogis Lugduni apud Gryph. in 4to. Syriados libri duo Lutetiæ 1582. in fol.) ejus ac Syrias meritò inter complura alia egregia excellentis illius ingenii monumenta commendantur: Virginiam filiam reliqvit, qvæ patris exuvias in ſepulcrum Boccarum, qvæ familia in ea civitate nobiliſſima eſt, Joſephô Boccâ permittente, in majoris templi cœmeterio recondi curavit. Hæc Thuanus. Confer. Anton. Poſſevin. in Adparatu; & Anton. Teiſſier. in Elogiis. Jo. Andr. Boſii judicium habuimus ſupra p. 423. c. XXI. v. 4.

IN Hiſtoria cognoſcenda ut rerum geſtarum, & temporum ordinem, qvi unus eſſe ſolet memoriæ cuſtos, proſeqvamur; & à primis temporibus ad ultima hæc tempora, qvaſi filô per manus ductô, deveniamus; primus hiſtoriæ ſcriptor, qvem nobis legendum proponi oportet, eſto is, qvem ordine ceteri conſeqventur.

Dionyſium Halicarnaſſæum, cujus hiſtoria complectitur vetuſtiſſimas Italorum, & urbis Romæ origines; & Romanorum res geſtas domi foriſqve uſqve ad Lartem Herminium Exqvilinum, T. Virginium, Tricoſtum, Cœlimontanum Coſſ. id eſt, annum ab Urbe condita CCCVII.

T*itus Livius*, cujus primi tres libri ab adventu Æneæ in Italiam, uſqve ad Lartem Herminium, & T. Virginium Tricoſtum Coſſ. conveniunt cum undecim libris Dionyſii qvi extant, & eadem omninò tractant qvæ Dionyſius; ſed breviſſimè, ſi cum illo comparentur.

Eutropii primus liber etiam, ferè totus cum iiſdem tribus T. Livii conjungendus

Plutarchi Romulus, & Numa Pompilius, cum primo Livii conjungendi. Et

Ejuſdem P. Valerius Publicola, & Cn. Marius Coriolanus, cum ſecundo Livii.

T. Livii extremus tertius liber ab Larte Herminio ſcil. & T. Virginio Tricoſto Coſſ. uſqve ad extremum decimum librum, id eſt, ad annum ab Urbe condita CDLXII. Quô annô fuêre Coſſ. Q. Fabius Maximus Gurges, & D. Junius Brutus Scæva. Eritqve decurſus circiter annorum CLV.

Eutropii extremum caput primi libri de capta Urbe à Gallis.

L. Flori primus liber uſqve ad Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.

P*lutarchi* L. Furius Camillus.

L. Flori extremus primus liber de ſeditionibus, de prima, ſecunda, tertia & qvarta Urbis diſcordia.

Ab Q. autem Fabio Maximo, & D. Bruto Scæva Coſſ. uſqve ad P. Cornelium Scipionem & T. Sempronium Long Coſſ. (Qvibus Coſſ. geri cœptum eſt Bellum Punicum ſecundum, annô videlicet DXXXVI ab Urbe condita.) Livii hiſtoria LXXIV annorum amiſſa eſt. In cujus locum leguntur T. Livii libri à Floro in compendium redacti, qvæ vulgô *Epitome* nominatur. ſunt autem iſti:

T: *Livii* liber undecimus, ac reliqvi novem, qvi eum ſeqvuntur ab Q. Fabio Max. Gurgite & D. Junio Bruto Scæva Coſſ. uſqve ad P. Cornelium Scipionem & T. Sempronium Long. Coſſ. Atqve hic erit, ut paullò ante diximus, circiter LXXIV annorum decurſus.

P*lutarchi* Pyrrhus.

L. Flori de Bello Tarentino & cum Pyrrho Rege, de Bello Picente, de Bello Salentino, de Bello Volſinienſi.

P*olybii* primi duo libri.

L. Flori ſecundus liber de primo Bello Punico, de Bello Liguſtico, Gallico, Illyrico.

Eutropii liber ſecundus, de Tribunis militaribus, conſulari poteſtate uſqve ad initium Belli Punici ſecundi.

T. Livii liber XXI ac novem qvi eum ſtatim ſubſeqvuntur: à P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo Coſſ. usqve ad Ser. Sulpitium Galbam

bam & C. Aurelium Cottam Coſſ. ad annum videlicet ab Urbe condita DLIV. Eſt autem decurſus annorum circiter XIIX. ab initio ſcilicet Belli Punici uſqve ad initium Belli Macedonici primi.

Appiani Alexandrini de Bello ab Annibale geſto, libellus unicus.

Polybii tertius & qvartus liber. Præterea nonnulla in fragmentis, uſqve ad extremum XVII. librum. Qvæ tamen, qvia manca ſunt & valde perturbata, ſeparari commodè poterant à tertio & qvarto, atqve ex hoc ordine rejici.

Eutropius de Bello Punico ſecundo: quod extremô capite libri tertii comprehenſum legitur.

Plutarchi Q. Fabius Maximus.

Ejuſdem M. Claudius Marcellus.

L. Flori Hiſtoria de Bello Punico ſecundo; qvæ librô ſecundô legitur.

Hinc ad primum Bellum Macedonicum pergendum eſt, qvod cum Philippo Rege Perſei patre geſtum fuit. Ideoqve poſt ſuperiores continuò legendi ſunt.

T. Livii liber XXXI ac reliqvi novem, qvi eum ſtatim conſeqvuntur à Ser. Sulpicio Galba & C. Aurelio Cotta Coſſ. qvi annô ab Urbe conditâ DLIV. Conſulatum geſſerunt, uſqve ad C. Claudium Pulchrum & T. Sempronium Gracchum Coſſ. id eſt, in annum ab Urbe condita DLXXVII. Qvô annô Bellum Iſtricum geri cœptum eſt. Et erit decurſus circiter XXIII. annorum.

L. Flori de Bello Macedonico primo, de Bello Syriaco Regis Antiochi, de Bello Ætolico.

Plutarchi M. Porcius Cato Cenſorinus, ſeu Major, ut ab aliis appellatur, de Bello Ætolico.

Appiani Alexandrini liber de Bello Syriaco.

Eutropii liber qvartus de Bello Macedonico, & de Bello Syriaco. Et hic decurſus fermè XXII. annorum eſt; ab Urbe autem conditâ DLXXVII.

T. Livii liber XLI, & reliqvi qvatuor qvi poſtremi conſeqvuntur, à C. Claudio Pulchro & T. Sempronio Graccho Coſſ. uſqve ad C. Sulpitium Gallum & M. Claudium Marcellum Coſſ. annum ſcilicet ab Urbe condita DXXCIIX. Et erit decurſus XI. fermè annorum.

Plutarchi T. Qvintius Flaminius.

L. Flori liber ſecundus de Bello Iſtrico, de Bello Gallo-græco, de Bello Macedonico ſecundo, ac de Bello Illyrico.

Plutarchi L. Æmilius Paulus, qvi Perſeum vicit, ac de Macedonia triumphavit.

Eutropii liber qvartus de Bello Macedonico ſecundo. Et hic erit decurſus XII annorum fermè.

T. Livii XLVI. & tredecim qvi proximè ſeqvuntur ab L. Floro in epitomas redacti (nam ipſius qvi erant integri, perierunt) legendi, à C. Sulpitio Gallo & Marco Claudio Marcello Coſſ. uſqve ad extremum LIX librum, id eſt, ad M. Æmilium Lepidum & L. Aurelium Oreſten coſſ. annum verò

rò ab Urbe condita DCXXIIX. & erit circiter XL. annorum decurſus.

Appianus Alexandrinus de Rebus Libycis ſive Carthaginenſium.

L. Flori de Bello Macedonico tertio, de Bello Punico tertio, de Bello Achaico, de Rebus in Hiſpania geſtis, & de Bello Numantino.

Plutarchi C. & T. Gracchi.

L. Flori de Legibus Gracchianis, de ſeditione T. Gracchi liber III.

T. Livii liber LX ac triginta qvi deinceps illum ſeqvuntur à M. Æmilio Lepido & Aurelio Oreſte coſſ. uſqve ad extremum XCI. librum, id eſt, ad Æmilium Lepidum & L. Volcatium Tullum coſſ. annum ſcillicet ab Urbe condita DCXXCIIX. Et erit fermè LX. annorum decurſus.

C. Criſpi Salluſtii liber de Bello Jugurthino.

L. Flori de Bello Jugurthino, de Bello Allobrogico, de Bello Cimbrico, Teutonico & Tigurino; item de Bello Thracio.

L. Flori de ſeditione Apuliana, de ſeditione Druſiana; de Bello qvod adverſus ſocios geſtum eſt; de Bello ſervili.

Eutropii de Bello Jugurthino, de Bello Cimbrico, de Bello ſociali, de Bello civili Mariano & Mithridatico. Item prima pars ſexti libri, uſqve ad Bellum cum Spartaco geſtum.

Plutarchi C. Marius.

Ejuſdem L. Cornelius Sylla.

Appiani Alexandrini liber primus de Bellis civilibus.

T. Livii liber XCI ac ſeptemdecim qvi ordine eum ſeqvuntur uſqve ad extremum CIIX, id eſt, à M. Æmilio Lepido & L. Volcatio Tullo Coſſ. ad C. Claudium Marcellum & L. Cornelium Lentulum Coſſ. annum videlicet ab Urbe condita DCCV. Qvô annô geri cœptum eſt Bellum civile Cæſaris & Pompeji. Et erit circiter XIIX annorum decurſus.

Eutropii liber ſextus de Bello cum Spartaco.

L. Flori de Bello cum Spartaco, de Bello civili Mariano & Sertoriano; de Bello civili ſub Lepido, de Bello Mithridatico.

Plutarchi Sertorius.

L. Flori de Bello Piratico, de Bello Getico, de Bello Balearico, de Expeditione in Cyprum, de Bello Gallico, de Bello Parthico.

Plutarchi L. Licinius Lucullus.

Ejuſdem M. Licinius Craſſus.

Ejuſdem M. Tullius Cicero.

Dionis Fragmenta XXXV & XXXVI libri.

Appiani Alexandrini libellus de Bello Mithridatico.

C. Criſpi Salluſtii de Conjuratione Catilinæ.

Dionis liber XXXVII.

L. Flori Bellum Catilinæ.

Eutropii Conjuratio Catilinæ: Bellum Gallicum uſqve ad C. Jul. Cæſarem Dictatorem.

C. Cæſaris Commentarii de Bello Gallico.

Dio-

Dionis liber XXXIIX, ac duo, qvi deinceps eum continuò ſeqvuntur, uſque ad extremum XL. librum.

T. Livii liber CIX. ac ſeptem, qvi deinceps eum ſeqvuntur, à C. Claudio Marcello & L. Cornelio Coſſ. uſqve ad Julium Cæſarem & M. Antonium Coſſ. annum ſcilicet ab Urbe condita DCCX, qvô annô Cæſar in magiſtratu occiſus eſt. Et erit decurſus circiter V. annorum.

C. Julii Cæſaris libri de Bello civili Alexandrino, Aphrico, & Hiſpanienſi.

Svetonii Tranqvilli C. Julius Cæſar.

L. Flori liber qvartus de Bello Cæſaris & Pompeji.

Dionis liber XLI. ac duo ſeqventes uſqve ad extremum XLIII.

Eutropii J. Cæſar Dictator.

Plutarchi Cn. Pompejus Magnus.

Ejusdem C. Julius Cæſar.

Ejusdem M. Porcius Cato Uticenſis.

Appiani Alexandrini liber ſecundus de Bellis civilibus.

T. Livii liber CXVII ac viginti tres, qvi deinceps ſeqvuntur, præter qvos nulli alii ad noſtram ætatem pervenerunt à C. Julio Cæſare ſcilicet & M. Antonio Coſſ. uſqve ad Neronem Claudium, Druſum Germanicum, & T. Qvintium Criſpinum Coſſ. Qvo in Magiſtratu Druſus eſt mortuus. Ad annum nimirum ab Urbe condita DCCXLV. Et erit circiter XXXV annorum decurſus.

L. Flori extremus qvartus liber de Cæſare Auguſto, ac reliqva deinceps omnia.

Eutropii liber ſeptimus uſqve ad T. Claudium Neronem, Cæſarem Imperatorem.

Plutarchi M. Antonius.

Ejusdem M. Junius Brutus.

Appiani Alexandrini de Bello Illyrico & III. extremi libri de Bellis civilibus.

Dionis liber XLIV, ac duodecim, qvi continuò ſeqvuntur, uſqve ad extremum LVI. librum, id eſt, uſqve ad imperium Tiberii Claudii Neronis.

Svetonii Tranqvilli C. Julius Cæſar Auguſtus. Et erit decurſus circiter XXI annorum, à Druſo ſcilicet & Criſpino Coſſ. uſqve ad ſextum Pompejum & Sextum Apulejum Coſſ. Qvibus conſulibus Auguſtus obiit. Atqve hunc annorum decurſum cum ſuperiore decurſu conjungi oportebit.

Qvibus inſuper addemus:

Velleji Paterculi prius & poſterius volumen.

Johannis Zonaræ Annales: &

Jornandis Epiſcopi librum de Regnorum & temporum ſucceſſione. Iſti enim perpetuò & continenti ordine ea breviſſimè complectuntur, qvæ à Romulo uſqve ad Tiberium domi foriſqve acta ſunt. Qvamqvàm hi, qvia continua hiſtoria eſt, facilè conjungi cum ſuperioribus poterunt, ſic ut res cum re-

 tus.

bus, tempora cum temporibus aptiſſimè conveniant. Id qvod intelligi etiam volumus de *Diodoro Siculo*, de *Trogo Pompejo*, de *Valerio Maximo*, de *Paullo Oroſio*, deqve eo qui *libellum de Viris illuſtribus ſcripſit*. Omnia enim aut capitibus ita diſtingvuntur, ut ſine ullo labore ad rem præſentem accomodari poſſint; aut ita continenti oratione perſcribuntur, ut diſſecari non poſſint, qvin legentis ordinem & curſum perturbent & remorentur.

Perductâ igitur hiſtoriâ ad ordinem Divi Auguſti, id eſt, ut diximus, ad annum Urbis DCCLVI; hæc, qvæ ſeqvuntur, ſupererunt legenda, ut perpetuò ordine hiſtoriam ad hanc ætatem noſtram perducamus.

P. Cornelii Taciti ab exceſſu D. Auguſti Annalium libri V.

Dionis liber LVII & LVIII: qvibus continentur res domi foriſqve geſtæ annorum circiter XXVI ab exceſſu Cæſaris Auguſti ad exceſſum C. Caligulæ.

C. Svetonii Tranqvilli Tiberius Cæſar.

Ejusdem C. Caligula.

P. Corn. Taciti liber XI. ac reliqvi, qvi ſeqvuntur omnes. Nam à qvarto uſqve ad undecimum amiſſi ſunt.

C. Svetonii Tranqvilli C. Claudius Cæſar.

Ejuſdem Nero Claudius Cæſar.

Ejuſdem Sergius Galba.

Plutarchi Sergius Galba.

C. Svetonii Tranqvilli Otho Salvius.

Plutarchi Otho Salvius.

C. Svetonii Tranqvilli Aulus Vitellius.

Ejuſdem Divus Veſpaſianus.

Ejuſdem Divus Titus.

Flavii Ioſephi libri, de Bello Judaico.

C. *Svetonii Tranqvilli* Flavius Domitius.

Johannis Zonaræ eorundem Imperatorum vitæ; qvæ & ipſæ, apud illum aliæ ab aliis diſtinctæ, ſeorſim legi poſſunt uſqve ad Juſtinianum Imperatorem, ad annum ſcilicet ab Urbe condita MCXXC: à Chriſto autem nato DXXIX.

Jornandes Epiſcopus, de Rebus Gothicis.

Procopius, de Bello Gothorum; de Bello Perſico; de Bello Vandalico.

Agathias, de Bello Gothorum.

Leonardus Aretinus, de Bello Italico adverſus Gothos.

Johannis Zonaræ Juſtinianus.

Paullus Diaconus, de Gente & origine Longobardorum.

Hinc perſeqvenda, qvæ à *Dione Caſſio*, *Ælio Lampridio*, *Trebellio Pollione*, *Flavio Vopiſco*, *Vulcatio Gallicano*, *Herodiano*, *Sexto Aurelio Victore*, *Eutropio*, *Pomponio Læto*, *Ammiano Marcellino*, *Johanne Zonara*, *Niceta Choniate*, & poſtremò à *Petro Meſſia Hiſpano* de Imperatoribus perſcripta ſunt, Qvæ omnia ita ſeparari ac rurſus componi poſſunt, & ex unoqvoqve auctore ſeligi, ut ſingulorum Imperatorum vitæ & res geſtæ continuatæ legantur.

Huc addi præterea debent:

An-

Annales Johannis & *Matthæi Villani.*
Hiſtoria M. Ant. Coccii Sabellici.
Blondi Flavii Forolivienſis.
Leonardi Aretini.
Poggii *Florentini.*
Nicolai Macchiavelli.
Paulli Jovii *Novocomenſis.*
Compendium Rerum Neapolitanarum:
& alia hujusmodi ſexcenta, qvæ à noſtris ſcripta ſunt.

Hæc ſunt qvæ de ordine ejus Hiſtoriæ, qvæ ad Romam, Romanumqve imperium pertinent, legendæ præcipere voluimus. Si qvi tamen exiſtimabunt, nos fuiſſe in partiendis temporibus, qvaſiqve diſſecandis, tamqvam in membra & fruſta qvædam auctoribus, nimium diligentes ac ſuperſtitioſos; eumdem propemodum ordinem ſecuti, primum qvemqve auctorem, cujus partes legendas propoſuimus, legere totum poterunt. Nos certè hunc ordinem, qvod ad res memoriæ mandandas pertinet, eſſe optimum non modò judicavimus, ſed etiam experti ſumus.

NOMINA AUCTORUM,
qvi Res Romanas ſcripſerunt.

Dionyſius Halicarnaſſæus. T. Livius. L. Florus. Eutropius. Plutarchus. Polybius. Appianus Alexandrinus. C. Criſpus Salluſtius. Dion Caſſius. C. Julius Cæſar. C. Svetonius Tranquillus. Vellejus Paterculus. Johannes Zonaras. Jornandes Epiſcopus. Diodorus Siculus. Pompejus Trogus. Valerius Maximus. Paullus Oroſius. Libellus de Viris Illuſtribus. P. *Cornelius Tacitus. Fl. Joſephi libri de Bello Judaico.* Procopius *de Bello Gothorum, Agathias de Bello Gothorum. Leon. Aretinus de Bello Gallico adverſus Gothos. Paullus Diaconus. Ælius Spartianus. Julius Capitolinus, Ælius Lampridius. Trebellius* Pollio. *Flavius Vopiſcus. Volcatius Gallicanus. Herodianus. Sext. Aurelius Victor.* Pomponius *Lætus. Ammianus Marcellinus. Nicetas Choniates.* Petrus *Meſſia.*

Reliqvæ ſunt Hiſtoriæ à noſtris recenter ſcriptæ.

Pla-

PLacet hîc præſenti non abludentem ab argumento unam è multis, qvarum vel qvinqvaginta manu exaratæ penes me latent hactenus, qvod ego qvidem audierim, ineditæ Juſti Lipſii ad Theodorum Leewium primarium in ſuprema Batavorum Curia Adſeſſorem olim, ſubjicere epiſtolam & eam ab interitu retrahere.

Juſt. Lipſius Theod. Leewio S. Parantem me reſpondere prioribus tuis litteris alteræ oppreſſerunt, Amiciſſime Leewi. Reſpondebo, ut ſoleo, breviter utriſqve. Qvod qværis, qvi Hiſtoriam contexuerint à fine Vopiſci, aliorumqve: non alium habemus, dignum qvidem legi, præter Sext. Victorem, (qvi nuper Antverpiæ excuſus eſt à Plantino) & Ammianum. Sed Ammianus, uti ſcis, pauca tantùm de Conſtantio, Valente, & Valentiniano habet, libris ejus amiſſis. Alioqvi ſcripſerat continuam Hiſtoriam à fine Corn. Taciti ad ſuum ævum, judiciô & fide meliori, qvàm ſtylô. At Victor non uſqve qvaqve placebit tibi, brevis, conciſus, in re; in verbis, humilis & adfectator. Qvid agas? ſolus tamen ille reliqvus ex antiqvis. In provincia tua, qvam ſuſcepiſti, velim conſtanti & erectô animô eſſe te. Ita enim decet! Publico hoc expediet, (loqvor qvod ſentio) & privatim tibi. Ita tamen naturâ comparati ſumus, ut tangant nos præterita, faſtidiamus præſentia. Mulierum, cùm uterum ferunt, mollities & malitia qvæ ſit, non ignoras. Hoc volunt, hoc nolunt, hunc cibum, hunc potum, & pugnant votis ſuis unâ eâdemqve horâ. Prudentiores nos ſimus, ſeqvamurqve ſummum illum Imperatorem, qvocumqve duxerit, qvaſi legitimæ militiæ auctorati; & ſcio, ſeqveris. Philoſophari tamen hoc tecum volui, ut Ennianus Neoptolemus ait, paucis. Aliàs, ſi ab adfectu meo loqverer, mallem, omiſſis projectiſqve omnibus te eſſe mecum. Ea ſigna in te vidi veræ germanæqve virtutis. De Advocato Fiſci, qvæ ſcribis, nova mihi & παράδοξα. Cupio ipſe, & opto. Sed tentanda priùs voluntas eſt eorum, qvibus hæc in manu. Et dabo operam, ut id prudenter fiat, & cum decoro. In locum Neoſtadii ſuffectus eſt Nicol Dalius Inſtitution. Profeſſor, raræ ſpei adoleſcens, ſed ut morbus minatur, non vitalis. Principis adventus, utinam, uti ſcribis, vobis labentibus, medeatur. Cenſurâ opus certè. Eaqve non modò ab invidia abſfutura eſt & opinione acerbitatis: ſed contrà laudem merebimur benivolentiamqve apud omnes. Lentitudine peccatum adhuc eſſe, docet hæc in rebus noſtris perturbatio & communis ἀταξία. Mors Regis Hiſpaniæ, Galliæ & Ducis Albani, nunciata nobis ſub idem tempus. Vera fama ſit in uno ſaltem ex triade illa. Si qvid de Republ. habebis, qvæſo ſcribe. Reponere officium ego non poſſum ex hoc angulo, & qvia clauſæ fuerunt hôc cœlô Antverpiam viæ. Vale mi vir Clariſſime & cariſſime.

IN-

INDEX.

Abrami (Nicol.) Jeſuitæ Commentar. in Ciceron. laudatur. 400.
Academiarum incommoda. 469. laus ibid.
Acroama qvid? 13
Adagia 280. 305.
Adamas qvid moneat? 325.
Adami (Melchioris) vitæ. 310.
Adoleſcente in nobili ſtudiis adplicando qvid reqviratur? 442.
Æliani Varia Hiſtoria. 305.
Aer qvid nos moneat? 322. ſ.
Agapeti ſcheda regia. 358.
Agricola (Georg) cenſetur 457.
Alciati Emblematum laus & editiones. 315.
Aldrovandus laudatur. 155. notatur. 457.
Alexandri VII. Papæ laus in poëſi. 204.
Amirati (Scipionis) Diſſertationes in Tacitum cenſentur. 337.
Ammian. Marcellinus qvalis ſcriptor. 480.
Amor diſcipuli in Præceptorem qvantum poſſit? 462.
Anagrammata. 314.
Anaſtaſii Hiſtoria de Vitis Pontificum Romanorum qvalis? 379.
Antiqvi auctores non ſoli laudandi. 265.
Antonini libri de vita ſua. 358.
Aphthonii Progymnaſmatum interpretes. 248.
Apis civilis vitæ documenta ſubminiſtrat. 331. ſ.
Apophthegmata. 305.
Apophthegmatum Politicorum auctores. 393.
Aqva multa monet. 323. ſ.
Aqvila conſideratur. 330.
Arbores in Politiis qvid doceant? 327.
Architectura qvotuplex, qviqve de ea ſcripſerint. 456.
Arioſtus (Ludov) cenſetur. 203.
Ariſtotelem contra & pro eo qvi ſcripſerint? 191. notatur is. 193. 199. ſ.
Ariſtotelis Ethica laudatur & ſtilus Græcus. 253. 430. ſ. item Commentarii in eam ut & Politicam recenſentur. 333. 336. 360. Fragmenta rerumpubl. non magni fiunt. 385.
Arithmeticæ neceſſitas ac utilitas. 224. 456.
Arniſæus ubi docuerit? 355. ejus Politica laudatur. 358. item Relectiones Politicæ. 361.
Artes alit honor. 6. cur dicantur liberales, humanæ, ingenuæ? 7.
Artium liberalium perſpicuitas qvantum DEI donum? 14. contemptus. 79. 80.
Arumæus de Comitiis laudatur. 406. ejus Diſcurſus cenſentur. ibid.
Aucupium. 134.
Aventinus laudatur. 366. ſ.
Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptores laudantur. 418.
Auguſtini laus. 215. 216.
Avicennæ laus. 212.
Aulici Inculpati auctor. 337.
Aurelius Victor cenſetur. 480.
Auri conſideratio. 325.
Αὐτοδιδάκτων aliqvot exempla. 71.
Auxiliis de Gratiæ qvi ſcripſerint. 176.

INDEX.

Axiomata & Aphoriſmos Politicos qvi ſcripſerint? 393.
Barbaries ante Reformationem Lutheri qvanta? 14.
Barbariſmus qvid? 10.
Barclajus (Joh.) laudatur. 266. 347. ſ. 395. 397.
(Gvil.) liber de regno & regali poteſtate laudatur. 371.
Bargæi (Petri Angelii) Elogia. 472.
Barlæi epigrammata cenſentur. 313. 401. ſ.
Baronii Annales cenſentur. 188. 207. ſ.
Baudii Epiſtolæ laudantur. 266.
item ejus liber de Induciis. 372.
& Jambi. 402.
Baudrandi Lexicon Geographicum qvale? 425. ſ.
Bauhuſii epigrammatum laus. 313.
Bellarminus laudatur & culpatur. 216.
Bernardini (Didaci) Utopia. 391.
Bembus notatur. 203.
& ejus Hiſtoria Veneta. 369.
Beſoldus cenſetur. 455.
Beureri (Joh. Jacobi) Scripta laudantur. 187. 191.
Bibliandri contra Turcas laus. 220.
Bidermanni epigrammata laudantur. 313.
Boccalini Relationes è Parnaſſo & Lapis lydius laudantur. 395.
Bodinus præ ceteris laudatur in Politicis. 336.
cenſetur. 360.
Bœcleri Diſſertatio de Politicis Lipſianis laudatur. 359. 427.
Characteres Vellejani, Commentarii Taciti, Terentii & Nepotis laudantur. 398. 427. 458.
Bonaventuræ (Frider.) Itali laus. 394. ſ.
Boruſſorum Hiſtoria. 341.
Boſii (Joh. Andreæ) Introductio in notitiam Rerumpublic. laudatur. 187.
Vita. 350. ſ.
Boteri Mundus Imperiorum laudatur. 386. 394.
Boxhornii Hiſtoria Univerſalis laudatur. 385.
Diſſertationes de Romano Imperio. 386.
Hiſtoria Bredanæ obſeſſionis. 419.
Brandenburgenſis Elector unde Dux Pruſſiæ? 342.
Breveſii (Franciſci Savarii) Bibliotheca laudatur. 221.
Brietii (Philippi) Parallela cenſentur. 425.
Brochmanni Ethica Hiſtorica. 398.
de Buchanano mendacia Sandæi. 265. ſ.
laudantur ejus epigrammata. 313.
ut & Hiſtorica Scotica. 371.
Buchneri (Auguſti) Orationes & notæ in Plinium laudantur. 252. 421.
Bucholzeri Chronologia laudatur. 343.
Budæi (Gulielmi) laus, ſtylus, mors & epitaphium. 1. 2. 3. 71. ſ. 120. 312. ſ.
primus fuit in Francia Græcus & Philologus. 111. 112.
Commentar. Græc. Lingvæ editiones & laus. 153.
Cæſar (Julius) non tam Hiſtoriam, qvàm diarium ſuorum ſucceſſuum ſcri-

ſcripſit. 93.
Magnum ejus encomium. 415. ſ.
Scripta ejus. 417.
Initium Commentarior. de Bello Civili explicatur. 422.
Calviſii Chronologia laudatur. 343.
Camdeni (Gvil.) ſcripta laudantur. 371.
Campanellæ, laus, vita, religio, fata, libri &c. 167. ſ. 172. 180.
Civitas Solis. 391.
Candidati qvi? 92.
Cantacuzenus laudatur. 220. 362.
Cardani laus. 218.
Scriptum de vita propria laudatur. 384.
Caroli V. Romani Imperatoris elogium. 308.
Carolus VIII. Franciæ rex deſcribitur. 100. ſ.
Carteſiana de Philoſophia qvid habendum? 458.
Caſauboni epiſtolæ laudantur. 266.
Caſtellionis Dialogi laudantur. 262.
Caſtigatio diſcipuli qvalis eſſe debeat? 463.
Caſus Conſcientiæ qvi ſcripſerint. 405.
Catonis Diſticha. 452.
Catullus notatur. 204. 313.
Cauſſini liber de Eloqventia laudatur. 412
Cellarius (Chriſtoph.) laudatur. 242. 245. 252. 286. 343.
Celſus laudatur. 195.
Cervorum artes, qvibus venatores eludere ſolent. 127. 128. 130. ſ. 139. ſ.
Chinenſium rerum ſcriptores. 189.
Chokieri Theſaurus Politicorum Aphoriſmorum laudatur. 336. 361.
Chronica Germanica recenſentur. 455.
Chronographiæ neceſſitas. 343.
Chronologi recenſentur. 188. 343. 425. 434.
Chryſologi laus & ſcripta. 206.
Chryſoſtomi encomium. 206. 311. 413.
Chytræi Saxonia laudatur. 376. (*Adde hic, qvem in notis obliti ſumus B. Bœcler. in Hiſtoria Schola Principum p.* 145. *ſ. ubi mirè illam laudat.*)
Ciaconii (Alphonſi) vitæ Pontificum laudantur cum continuatoribus. 379.
Ciampini (Joh.) Examen Anaſtaſii laudatur. 380.
Cicero an ſolus imitandus? 261.
Ciceronis libri Philoſophici cenſentur & laudantur. 193. 202. 459.
Epiſtolæ. 237. 286. 403.
Sententiæ. 278.
Officia laudantur. 246. 392. cum editionib. 409.
Stilus præ omnibus aliis laudatur. 257.
Editiones. 409.
Qvæſtiones Tuſculanæ cum qvibus commentariis legendæ? 458. ſ.
Circularis eruditio qvid, qviqve eam tractarint? 13. ſ.
Clapmarii (Arnoldi) Arcana laudantur. 347. 394.
Claramontius (Scipio) cenſetur. 395.
laudatur. 398.
Claudianus laudatur p. 265. 401. ubi & optimæ ejus editiones.
notatur. 402.
Clauſeri laus. 220.
Clementis Romani ſcripta ſunt ſpuria.

ria. 190.
Alexandrini laus. 216.
Cluverii Epitome Hiſtoriarum laudatur. 290. 385.
Introductio Geographica. 430.
Cœli conſideratio Politica. 319.
Colloqvia familiaria auctorum ad diſcendam Latinam Lingvam in ſcholis uſurpata. 346.
Colon, comma, ſemicolon qvid ſint? 241.
Comenius cenſetur. 231. ſ.
ejus Veſtibulum, Janua & Nomenclator laudantur & cenſentur. 235. ſ. 239. 244. 452. 453.
Cometas qvi deſcripſerint. 320. ſ.
Cominæi (Philippi) editiones & laus. 189. 369. 408.
Comitor paſſivè uſurpatur. 97.
Comparationes virorum illuſtrium, ducum &c. 309.
& conjunctiones ſcriptorum inſtituendæ. 422. ſ.
Compendia ſæpe ſunt diſpendia. 80.
Conciliorum cognitio è qvibus petenda? 188.
Concionatores malè vacant erudiendæ juventuti in litteris. 446.
Conclavium Paparum Scriptores. 396.
Concordia mundi è diſcordibus conſtat. 318.
Congiarium qvid? 63.
Conringii (Herm.) ſcripta de Conclavibus Paparum edita. 396.
de Finib. Imperii laudatur. 410.
de Imperio Germanorum Romano. 460.
Contubernium qvantum poſſit. 304.
Converſatio cum eruditis difficilis, ſed utilis. 303. 410.
Conzenii Politica cenſetur. 360. ſ.
Copernici laus. 210.
Corderius laudatur. 238.
Cornel. Nepotis laus, editiones. 242. 286. 362. 416.
Crucigeri qvî in Pruſſiam & Poloniam venerint? 341. ſ.
Cunæus (Petr.) laudatur. 252.
ejus orationum editio. 409.
Curtius cenſetur. 193.
laudatur. 362. 414.
Cygnus conſideratur. 330.
Damaſceni editiones. 190.
Hiſtoria Catholica cenſetur. 385.
Dantes Aligerius laudatur. 205.
Davilæ (Henr. Caterini) Hiſtoria bellor. civil. in Gallia laudatur. 370.
Dextri (Lucii) Chronicon eſt ſpurium. 188.
Diaria ſtudioſorum non negligenda. 244.
Dionis Caſſii laus. 362.
Diodorus Siculus notatur. 193.
Dioſcoridis Græca Baſileenſis editio laudatur. 186.
Diſcordia ſervat mundi concordiam. 318. ſ.
Diſſertationes & diſcurſus varii Politici cenſentur. 393.
Diſertus qvis? 413.
Diſtinctionum & interpunctionum ratio. 241.
Domi non tàm commodè qvàm in ſcholis & Academiis juventus docetur. 469. ſ.
de Dominis (Marc. Anton.) vertit Hiſtor. Concil. Trident. 382. ſ.
Drexelii (Hierem.) Aurifodina notatur. 428. 435.

Du-

INDEX

Durandi laus. 215.
Eccleſiaſtica in Hiſtoria qvi auctores legendi? 185.
Editiones Hiſtoricorum optimæ recenſentur. 363.
Educatio naturæ pronitatem vincit. 442. ſ.
Egmontii Ducis elogium. 309.
Elegans ſtilus Theologum non dedecet. 41. 44.
Elephantes qvid doceant? 329.
Elogia qvid ſint, eorumqve exempla & auctores talia qvi ſcripſerint. 306. ſ. 414.
Eloqvens qvis? 413.
Eloqventia commendatur. 31. 84. 85. ſ. 162.
qvam multa ſub ſe complectatur? 83. ſ.
qvotuplex? 150. ſ. 412.
qvomodo acqvirenda. ibid
ejus præcepta tradentes. 400.
Emblemata. 315. ſ.
Emendatio librorum qvàm neceſſaria? 25.
Emmii (Ubbonis) Scripta Hiſtorica recenſentur cum laude. 372. 384.
vetus Græcia. 386.
Empuſæ fabula. 52. ſ.
Εγκυκλοπαιδία qvid ſit, qviqve eam tractârint? 13.
Ens (Caſp.) Annales qvales? 376.
Theſaurus Politicus. 387.
Epigrammata. 313.
Epiſtolarum genera multa. 209.
formulæ, tituli. 270. ſ.
uſus in Politicis. 403.
Eraſmi laus 265. 311. 457.
de Civilitate morum libri editiones. 238.
colloqvia laudantur. 262.
ingenium & fata. 299.
Ernſtius (Henr.) laudatur. 243.
Eruditionis veræ æſtimatio jacet. 90. ſ.
Erythræi Eudemia. 391.
Eſromi Rudingeri, ejuſqve Ægyptii laus. 402.
Ethicæ Scriptores recenſentur. 333. ſ. 430. 434.
Euclides cenſetur. 210.
Euriſtheus qvis fuerit, qvidqve ſignificet? 42.
Examina diſcipulorum qvomodo inſtituenda? 468.
Exercitatio ſtili multum poteſt. 26.
Exercitia corporis qvouſqve admittenda? 345. ſ. 461.
Excerpendi modus & neceſſitas 266. ſ. 291. 292. ſ. 419. ſ. 428. ſ. 465.
Fabri Theſaurus laudatur. 431.
Fabricii (Georgii) ſcripta laudantur. 242.
Fabulis veteres qvid docuerint? 37. ſ. 348. 402.
qvibus qvomodoqve iis utendum? 210.
Facies index animi. 443. ſ.
Fama à nemine non qværitur. 55. ſ.
Famuli nobilibus qvinam adjungendi. 278.
Fatum qvi explicârint? 407.
Ferrarii Inſcriptiones laudantur. 310.
Lexicon Geographicum. 425.
Florus notatur. 93. 418.
laudatur. 362.
ejus editiones & interpretes. 364.
Fluvii multa docent. 323.
Foxii Morzilli Hiſpalenſis Naturæ Philoſophia laudatur. 191.
Frachetta (Hieron.) notatur. 394.
Franciſci I. Galliar. regis maximum encomium. 102. ſ. 145. 146. ſ.
Freinshemii ſupplementa laudantur.

tur. 364.
Frons index animorum eſt. 444.
Fulgur qvid doceat. 321. ſ.
Galeni laus. 211. ſ. 311.
Galliæ res qvi deſcripſerint. 189.
Gallici ſcriptores veteres tanti non ſunt. 153.
Gatakerus (Thomas) omnia qvæ legebat Junii & Tremellii Bibliis adſcribere ſolebat. 292.
Genealogiæ qvomodo rectè ſcribantur? 429. ſ.
earum auctores. 189. ſ. 425. 429.
Gentiletus (Innocentius) auctor Antimachiavelli cenſetur. 395.
Gentilium formulæ loqvendi & idiotiſmi non uſurpandi. 40.
Gentium tranſmigrationes qvi deſcripſerint? 190.
Geographiæ neceſſitas. 343.
Scriptores recenſentur. 343. 425.
Geometria neceſſaria. 344.
Gerhardi (Joh.) Qvæſtiones Miſcellaneæ laudantur. 393.
Meditationes commendantur. 450.
Germanicæ lingvæ, laus, corruptio & confuſio. 247. ſ.
Geſnerus (Conrad.) notatur. 457.
Gifanius (Obert.) in Lucretium cenſetur. 192.
in Ariſtotelis Ethica laudatur. 333. ſ.
Gothardi Arthuſii Mercurius Gallo-Belgicus qvalis? 376.
Gothofredi Archontologia. 338. 387.
Græca lingva qvàm contempta, neglectaqve olim fuerit. 16. 17. 18. ſ. 63. ſ. 289.
neceſſaria. 238. ſ.
Grammaticæ moleſtiæ qvomodo optimè demendæ? 232.
Grammaticam docentes qvantopere peccent? 230. ſ.
Grammatici optimi Latini enumerantur. 346.
Grammondi (Barthol.) Hiſtoria notur. 370. 371.
laudatur. 419.
Gregor. Nyſſenus laudatur. 263.
Grotii (Hug.) ſtilus laudatur. 266.
epigrammata laudantur. 313. 401.
liber de Jure Belli & Pacis laudatur cum interpretibus. 345. 399. 459.
Annales. 372.
Epiſtola de Studio juris rectè inſtituendo. 400.
liber de jure Majeſtatis circa ſacra laudatur,
Grues nos docent. 331.
Gvadagnolus (Philipp.) contra Turcas laudatur. 221.
Gvicciardinus optimus Hiſtoricus. 368.
Gvilielmi Principis Orangii elogium. 309.
Hafenrefferi & Hutteri Compendia commendantur. 449. (*qvo ad prius vide qvoqve, qvem in notis noſtris adducere obliti ſumus, B. Hulſemann. c. III. Vermis Conſcientiæ Calixti p. 119. ſ. oſtendentem qva apud Svecos in auctoritate Haſenrefferi Loci Theologici ſint.*)
Hegeſippus. 188.
Heideri (Wolfg.) Syſtema Politic. laudatur. 361.
Heinſii (Dan.) laus. 266. 313.
Paraphraſis Politicæ Ariſtotelis. 408.

Hiſto-

Hiſtoria Obſidionis - Sylvæ ducenſis. 419.
Henrici IV. Galliarum regis elogium. 308.
Heraclides Ponticus de Politiis cenſetur. 385.
Herculis colloqvium cum virtute & voluptate. 11.
Hermes ſcripſit Faſciculum juris, qvi laudatur. 406.
Hermetis varia nomina. 20.
Hermolaus Barbarus in Plinium laudatur. 202.
Herodiani laus. 362.
Herodotus cenſetur. 193.
Hieronymus laudatur. 214. ſ. 311.
Hippocratis laus 210.
Hippolytus à Collibus de incrementis Urbium. 386.
Hiſpanicarum rerum auctores. 189.
Hiſtoria in Eccleſiaſtica qvi auctores legendi? 185.
Hiſtoria patriæ & ſeculi noſtri non negligenda. 290. 455.
Hiſtoriæ Civilis ignorantia noxia. 467.
Hiſtoriæ qvam malè à multis leguntur. 354.
utilitas earum. 361. 385.
Hiſtorici qvi & qvô ordine legendi? 187. ſ. 338. ſ. 362. 433. ſ.
ex hiſtoricis optimè comparatur eloqventia. 414.
in Hiſtoricorum lectione qvæ attendenda? 419. 426.
Hioſtoriographiæ artem qvi doceant. 200. ſ.
Holſtenius (Lucas) qvis fuerit? 380.
Homeri lectionem cur Plato improbârit? 38.
ætas. 45.
laus. 288. 401.
Homerus an rectè dicatur θεόπνευστος? 37.
ſua hauſit ex Hebræis. 44 ſ.
an fuerit cæcus? 45.
Homo litteratus illitteratum multùm ſuperat. 20. 21. ſ.
Honor alit artes. 9. 154. ſ.
Horatius cenſetur. 204.
laudatur. 265.
Horneji (Conr.) ſcripta Ethica laudantur. 333. 458.
Hornii (Georg.) Diſſertationes Hiſtorico-Politicæ. 388.
Hotkevicius dux laudatur. 309.
Hottingeri Theſaurus, Hiſtoria Orientalis &c. laudantur. 221. ſ.
Hottomanni Franco-Gallia cenſetur. 357.
Huetii Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ notatur. 458.
Hugonis (Hermanni) Bredanæ obſidionis hiſtoria laudatur. 419.
Humanæ artes, humanitatis ſtudia cur ita dicantur? 7.
Hunnii (Nicol.) Epitome Credendor. 407. 449.
Ignis qvid doceat? 322. ſ.
Imitandi qvi? 261.
Indices auctorum optimi recenſentur. 422.
Induratio qvomodo fiat? 180.
Ines (Albertus) laudatur. 310.
Informatio nobilis qvomodo inſtituenda? 448.
ſit ſocia non ſolitaria. 467.
ubi & in qvo loco inſtituenda? 468. ſ.
ſcholaſtica & Academica præfertur domeſticæ. 469.
Ingenia variarum Nationum qvi deſcripſerint? 397.
Ingenuæ dicuntur artes. 7.
Inſcriptiones Theſauri, ſepulcrales &c. 438. ſ.

In-

Inſtitutionum Juſtiniani expoſitores. 214. 345.
Interpungendi & diſtingvendi ratio. 241.
Invidia poſt mortem qvieſcit. 327.
Joh. Andreæ Confuſio Sectæ Mahomedicæ laudatur. 219. ſ.
Jonſtoni Enchiridion virtutum laudatur. 334. 431.
Polymathiae Philologicæ laus. 432.
Joſephus (Flavius) laudatur. 207.
Jovius (Paullus) cujus fidei ſcriptor? 368.
Iſacii (Joh.) Pontani ſcripta Hiſtorica enumerata, laudata, at à Pontificiis interdicta. 372.
Iſocratis editiones. 205.
orationes ad Demonicum. 358.
Italia an litteris adeo hoſpitalis ſit? 111.
Italicarum rerum ſcriptores. 189.
Italici Scriptores Politici cenſentur. 337.
Juglaris (Aloyſii) Elogia laudantur. 310.
Judicii potiſſima cura habenda. 464.
Julii Cæſaris elogium. 307.
Junii (Hadr.) Nomenclator optimus. 233.
Jus qvotuplex? 459.
Jus Publicum ſcitu neceſſarium. 405.
Jus Gentium ac Naturæ qvi illuſtrârint. 405. 459.
Jus civile ac Pontificium multum differt à placitis Chriſti. 390. 391.
Jus Juſtinianæum notatur. 213.
Juſtiniani Inſtitutiones qvi explicârint. 214. 345. 407.
Juſtinus Martyr laudatur. 362. 418.
Juſtinus Hiſtoricus laudatur. 362. 418.
ejus editiones 364. 438. ſ.
Juvenalis laudatur. 204.
Kippingii Antiqvitates Romanæ laudantur. 430.
Lactantius cenſetur. 216.
Laërtius laudatur. 208.
Lætus notatur. 203.
Lambert. Schafnaburgenſis cenſetur. 365. ſ.
Lampadii Reſp. Romano-Germanica laudatur. 406.
Laonicus Chalcocondylas. 220.
Latinâ lingvâ Poloni præ ceteris indigent. 274.
Latinæ lingvæ neceſſitas ac utilitas. 227. 274. 465.
Vitia qvi ſcripſerint? 244.
Latinam lingvam addiſcendi modi. 227. 266. 276. 451.
& qvidem Chriſtianis è ſcriptoribus. 243.
loqvi qvando debeamus. 465. ſ.
Lazii (Wolfg.) libri de Migrationibus Gentium cenſentur. 190.
Lectio, librorum à clariſſ. viris facta, qvare codicibus antiqvis adſcribatur? 417.
Legationum materiæ. 302.
Legatorum Hiſpanicorum & Gallicorum orationes cenſentur. 401.
Lectio, Legere qvomodo inſtitui debeat. 226.
Lehmanni (Chriſtoph.) Chronicon. Spirenſe & Florilegium Politicum laudatur. 305. 404. 406.
Lennæi Compendium laudatur. 449.
Lentuli (Cyriaci) cenſura auctorum laudatur. 406.
Leo qvid doceat? 328. ſ.
Leo M. laudatur. 206. 215.
Leonclavius (Joh.) laudatur. 194

Libe-

Liberales cur ita dicantur artes? 7.
Liberalitas in qvos maximè exercenda? 98. ſ.
Libertas conſcientiæ & religionis. 297.
Limnæus de jure publico laudatur. 406.
ejus Notitia Franciæ notatur. 456.
Lindæ Deſcriptio Orbis. 387.
Lingva vernacula cumprimis addiſcenda. 247. 451.
Lingvam Latinam pauci admodum hôc tempore rectè callent. 26.
Lingvarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, puritas magnum DEI donum, multumqve poteſt. 14.
Lingvarum contemptus priori ſeculô qvantus? 33. 34.
Lipſii (Juſti) Philoſophia Stoica qvalis? 191.
Epiſtolæ. 404.
Epiſtola nunc primùm edita. 480.
cura in Grammatica poſtulatur. 281.
Politicæ laus & ejus editiones. 292. 336. 358. 431. 458.
ei omnia adſcribere ſolebat Berneggerus. 292.
qvid ipſe auctor de ea ſentiat, aperit ejus epiſtola, qvæ nunc primùm editur. 359. ſ.
Litteræ an & cur bonæ adpellandæ? 82. ſ.
Livius (Titus) an Gallis non faveat? 93. ſ.
orationes ejus laudantur. 206.
ſicuti & ſtilus. 207. 287. 362. 417.
Logica utilis. 316. ſ. 453. ſ.
Lönicerus (Philipp.) contra Turcas laudatur. 220.
Lottini Theſauri Politici laus & editiones. 386.
Lucani laus & vituperium. 204. 217. ſ. 265.
Ludovici XIII. Galliarum regis elogium. 308.
Lundorpii (Mich. Caſpar.) continuatio Sleidani qvalis? 375.
Luſus prodit pueri indolem. 444.
Machiavellus qvi & qvalis ſcriptor. 194. 198. 337. 369. 395.
Ejus Florentina Hiſtoria laudatur. 369.
Magiri (Tobiæ) Polymnenon commendatur. 435.
Majolii Dies Caniculares laudantur. 155.
Manilii laus. p. 265.
Marcellin. (Ammian.) laudatur. 418.
Martialis notatur. 204. 313.
Maſovia qvomodo Poloniæ innexa fuerit? 342.
Mathematici auctores & libri qvô ordine legendi? 196. 210.
Matthæi (Petri) Hiſtoria cenſetur. 370. 371.
Matthæus Pariſienſ. laudatur. 381.
Maxima ingenia malè præficiuntur regnis. 320.
Medicina qvouſqve nobilibus diſcenda? 345.
Mediocribus optimè mundus regitur. 320.
Meditatio qvàm maximè neceſſaria in ſtudiis. 435.
Melanchthon contemnitur malè. 457.
Memoria non negligenda. 464.
Mercator cenſetur. 210.
Merulæ (Paulli) Coſmographia laudatur. 434.
Metaphyſica an Nobilibus utilis. 316.

Meurſii (Johannis) ſcripta Hiſtorica laudantur. 372.
Michaël Montanus laudatur. 223.
Militaris rei ſcriptores enumerantur. 434.
Mimi Senarii laudantur. 452.
Minerva Homerica qvid ſit? 164.
Modrevius (Andr. Fricius) de Republ. emendanda laudatur. 361.
Monarchia Solipſorum. 392.
Montecatini (Anton.) commentar. in Polit. Ariſtot. cenſetur. 360.
Mori (Thomæ) Utopiæ laus. 389. ſ.
Moſis laus & antiqvitas. 195. 412. ſ.
Mundi conſideratio politica. 318. ſ.
Mundus Alter & Idem. 391.
Mureti qvædam epiſtola variatur. 249.
— commentar. in Ethic. Ariſtotelis laudatur. 333.
Naturæ pronitatem educatio vincit. 442.
Naturalis propenſio in ſtudiis neceſſaria. 442.
Naudæi Apologia, qvòd multi viri illuſtres necromantæ non fuerint, licet pro talibus habiti ſint, laudatur. 187.
— Studium partium in eo notatur. 392.
Nazianzeni (Gregorii) ſcripta laudantur. 413.
Necromantæ multi habentur qvi non ſunt. 187.
Neutonus (Adam) qvis fuerit? 382.
Niem (Theodoric.) qvis fuerit, qvidqve ſcripſerit? 380.
Nobiles non eôdem, ceteri qvô pueri, modô educandi. 273. ſ.
— qvantum de Theologia ſcire debeant. 451.
Nomenclatores. 233.
Nova omnia non promiſcuè rejicienda vocabula. 136. ſ.
Numerô qvid ſit? 8.
Nunciorum terreſtrium ortus & auctoritas in Polonia. 342.
Obnoxius qvid ſignificet? 7.
Obſcenitates in auctorib. vitandæ. 243.
Occham laudatur. 215.
Oceanus cum aula comparatur. 324.
Ocymum conſideratur. 327.
Oeconomica nemini non diſcenda. 334.
— eam qvi ſcripſerint. 335.
Onuphrius Panvinius qvouſqve ſcripſerit, qviqve eum continuârint, cum editionibus. 378. ſ.
Orationes qvæ Politico legendæ? 400.
— qvomodo ſcribendæ & imitandæ? 437.
Orationum omnis generis materiæ. 293.
Oratores optimi recenſentur. 205. 252. 347.
Origenis memoriæ lapſus. 37.
Ortelius cenſetur. 210.
Oſiandri (Lucæ, & Andreæ) Bibliorum paraphraſis laudatur. 450.
Ottonis (Dan.) liber de Jure publ. notatur. 406.
Ovidii Metamorphoſis laudatur. 250.
— laus. 265.
Owenus cenſetur. 313.
Pædagogorum labor & moleſtia. 225.
Palearius (Aonius) laudatur. 86. 252.
Pallavicinus nullius fidei. 382.
Panegyrici ſcriptores laudantur. 287. ſ.
Paparum Romanor. vitarum ſcriptores. 377. ſ.
Papirii Maſſonii ſcripta cum laude recenſentur. 378.
Pappi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ laus. 455.
Paracelſus cenſetur. 195.
Paronomaſiæ exempla. 306.
Particulas Lingvæ Latinæ qvi ediderint. 434.

Parutæ (Paulli) ſcripta laudantur. 370.
Paſtorii facundia unde orta. 267.
epiſtola nunc primùm edita. 349.
Character virtutum laudatur. 334.
Paupertas comitatur ſtudia. 68. ſ.
Paurmeiſterus de juriſdictione commendatur. 406.
Pauſanias laudatur. 386.
optima ejus editio. ibid.
Peireſcii ſcripta laudantur. 384.
Penelopes tabula explicatur. 161. 162.
Peregrinatio qvô ætatis tempore inſtituenda? 468.
Perſii laus. 204.
Perſonæ vox qvid notet? 78.
Petavii (Dionyſ.) Rationarium laudatur. 455.
Petrarcha cenſetur. 204.
Petricius (Joh. Innocentius) laudatur. 309.
Phædri Fabularum laus. 402.
Philalethis Polytopienſis Qvæſtiones Forcianæ laudantur. 397.
Philautiæ vituperatio. 196.
Philologia univerſalis eſt & ad omnes facultates ſe extendit. 15.
in qvo conſiſtat? 55.
qvomodo illâ rectè utendum? 55.
nomen ejus. 80.
Philologiæ ſtudioſi laudantur. 89.
ſtudia negliguntur. ibid.
Philoſophandi vera ratio. 50. 51. ſ. 54. ſ.
Philoſophi qvi & qvô ordine legendi? 191.
Philoſophia donum divinitus datum. 29. ſ.
qvomodo diſcenda? 35.
Philoſophiæ ſcopus. 9. 10. 55.
fructus & uſus. 49. 50.
ambitus qvàm ingens. 83. ſ.
in ſtudio qvæ regulæ attendæ? 185. ſ.
Philoſophorum oratio qvalis? 413.
Phraſes peculiares notandæ. 420.
Phyſicæ commendatio. 317.
ejus ad Politicam adcomodatio. 318.
Phyſiognomiæ ſcriptores. 398.
Piaſecii (Paulli) Chronicon Polonicum laudatur. 373.
Picturæ multum conferunt ad ſtudium Hiſtoricum. 454.
Pietate in juventute imbuendi animi. 449.
Pignorii (Laurentii) Inſcriptiones. 310.
Pii II. Papæ ad Morbiſanum epiſtola cenſetur? 219.
Pindarus cenſetur. 204.
Pinedæ Hiſtoria univerſalis cenſetur. 207.
Platina laudatur ab his, culpatur ab illis. 377. ſ.
cum qvi continuaverint. 378.
Plato notatur & laudatur. 193. 300.
ejus libri de Legib. & Republ. de regno, Politicus, cenſentur. 359.
Plautus notatur. 243. 253. 262.
Plinius uterqve laudatur. 155. 200. ſ. 457. 459.
ejus Epiſtola I. variatur. 249. 262.
Panegyricus laudatur. 288. 400.
Epiſtolæ laudantur, & notæ in illas recenſentur. 404.
Plutarchi laus. 193. 203. 217. 289. 311. 318. 362. 393. 459.

 Poetæ

Poëtæ priſci theologica tractabant. 36. ſ.
in qvonam maximè peccârint? 38. ſ.
qvid ſint? 203.
optimi. ibid.
legendi ſunt Oratori. 265.
& Politico. 401.
Pokokii Abul-Farajus laudatur. 221.
Politianus notatur. 203. 261.
Politica qvomodo compararetur? 357. ſ.
non multum conducit nobili. 454.
Politicæ Scriptores recenſentur. 336. 358. ſ. 427. 434.
Polonica in hiſtoria qvid conſiderandum. 338. ſ.
Polybius laudatur. 207. 362.
Polyd. Virgilius cujus fidei? 366.
Pomeraniæ hiſtoria breviter narratur. 340.
Pontani (Joh. Iſacii) Hiſtorica Geldrica laudatur. 388.
Porta (Joh. Bapt.) laudatur. 398.
Poſſevini Hiſtoria Gonzagarum prohibita. 429.
Poſtellus de Republ. Athenienſi laudatur. 386.
Præceptor qvomodo comparatus eſſe debeat? 445. ſ.
Unde bonus petendus? 448.
non famulum agat. 463.
Præceptores in politicis &c. qvales eſſe debeant. 358.
Pragmatici Hiſtorici. 426.
Precum de formulis, qvid habendum? 227.
Propertius notatur. 204.
Proverbia. 280.
Prudentia & ſapientia ſæpe idem ſignificant, differunt tamen. 68. ſ.
Ptolemæus laudatur. 210.
Puerorum prima inſtitutio qvomodo rectè inſtituenda? 227.
Punctum quid? 241.
Puteanus (Eryc.) laudatur. 266.
Purſchii (Heliæ) laus. 189.
Pythagoricam Philoſophiam qvi ſcripſerint? 192.
Qvirini *Piſonis* liber, qvô Rempubl. Venetam cum Romana comparat, laudatur. 338.
Qvorlius (Philippus) ſcripſit contra Svavis Hiſtoriam Concilii Tridentini. 382.
Reges non facile tentent extrema. 118.
Regulæ in unaqvavis lingva addiſcenda neceſſariæ. 228. ſ.
Reidani Belgica Hiſtoria laudatur. 266.
Reinking de Regimine ſeculari notatur. 406.
Religio ferrô & armis non propaganda. 180.
Remiſſio à ſtudiis qvalis eſſe debeat? 461.
Repetitio neceſſaria qvomodoqve inſtituenda. 464.
Reſpubl. ſæpe nec volunt, nec poſſunt ſervari, 328.
eas qvi deſcripſerint. 385.
Reuſneri (Nicolai) Orationes laudantur. 221.
Symbola laudantur. 315.
Rheidani (Joh.) Annalium laus. 372.
Rhenius (Joh.) laudatur. 235. 247.
Riccobonus notatur. 203.
Richardi Confutatio Alcorani laudatur. 220.
Richelii Cardinalis elogium. 309.
Richteri (Georgii) Axiomata laudantur. 335.
Rigaltii (Nicol.) laus. 202.
Romanæ Hiſtoriæ Scriptores recenſentur. 434.

Romani ſcriptores non tàm pro veritate qvàm fama ſcripſerunt. 93. ſ.
Roſini Antiqvitatum Romanar. utiliſſima editio. 430.
Rudimenta Grammatica. 55.
Ruperti eruditio in qvo ſumma fuerit? 455.
Ruſſiæ meridionalis hiſtoria. 340.
Sabellicus qvis fuerit, qvidqve ejus de Hiſtoria habendum. 208.
Sacerdotes non ſatis convenienter juventutem in litteris erudiunt. 446.
Salluſtius hoſtium virtutes non æſtimat. 93.
laudatur. 207. 262. 287. 336. 362. 404. 417.
Salmaſii Exercitationes in Plinium licet vituperentur ab Harduino: laudantur tamen, & optima ejus ſcripta recenſentur. 292.
Sandis (Edwin.) de Statu Religionis laudatur. 389.
Sannazarii epigramma Rempubl. in Venetam. 312.
Sanſovini (Franciſci) libri laudantur. 370. 387.
Sapientes rarò eleganter ſcribunt. 202.
Sapientia & prudentia qvomodo differant? 68.
Sæpe ſunt Synonyma. ib.
Sapientiæ vocabulum qvibus olim tributum? 67. 79.
Sarbievi epigrammata laudantur. 313. 402.
Savedræ Emblemata laudantur. 316. 336.
Savonarolæ laus. 206.
Saxo Grammaticus laudatur. 365.
an ſit fabuloſus? ibid.
Scaliger (Julius) notatur. 37.
Joſeph. de Emendatione Temporum cenſetur. 209.
Uterqve & pater & filius laudatur & comparatur. 266.
Scepuſium qvomodo ſub poteſtatem Polonorum redactum? 342.
Schefferus in Livium laudatur. 386.
Schola Latinitatis Gothana laudatur. 432.
in Scholas juvenes omnes tradendi ſunt. 224.
Schorus (Anton.) laudatur. 237.
Scoti laus. 215.
Sculteti (Abrah.) vita laudatur. 484.
Sellulariæ artes, ſellularii qvid ſint? 6. 7.
Senecæ Philoſophi & Tragici laus. 202. 252. 262. ſ. 288. 318.
Tragici edition. 409.
Sententias qvi auctores collegerint? 281. 452.
Septalius (Ludov.) laudatur. 394.
Seſellii (Claud.) liber de republ. Galliæ laudatur. 189.
& cenſetur. 387.
Sevcrambum Hiſtoria. 392.
Silentii uſus in imperiis. 323.
Silii editiones. 204.
Similitudinibus qvomodo utendum? 305.
Qvi tales ſcripſerint? 318.
Sirus (Victorius) laudatur, ejuſqve libror. editiones enumerantur. 370.
Sleidani laus. 189. 373.
editiones, vita &c. ibid. 375.
Solis conſideratio juvat Politicum. 319.
Solœciſmus qvid? 10.
Solymæ novæ liber commendatur. 391.
Sophiſtæ qvinam olim ita dicti? 9.
Speronii orationes cenſentur. 206
Staniſlaus Felix Colonienſis latet ſub nomine

nomine Comitis Julii Clementis Scoti. 382.
Statius laudatur. 265.
Stella (Joh.) de Vitis Pontificum. 380.
Stili elegantia ubi potiſſimum reperiatur. 202.
perſpicuitas laudatur. 258.
Stilus ab omnibus eſt exercendus. 15.
Stobæi ſententiæ laudantur cum editione optima. 404.
Strada (Famian.) laudatur. 266. 370.
Moguntina Stradæ editio optima. ibid.
Strauchii (Ægid.) Chronologia laudatur. 188. 425. 429.
Strozza (Cyriac) cenſetur. 360.
Studia comitatur paupertas. 68. ſ.
omnia ad praxin dirigenda. 278. ſ.
Svavis (Petri) Hiſtoria Concilii Tridentini laudatur. 381. ſ.
Succinum cum aula comparatur. 326.
Svetonius laudatur. 208. 287. 418.
ejus editiones. 408.
Symbola. 314. ſ.
Symmachi epiſtolarum editiones. 404.
Tabularum Geographicarum utilitas. 343.
continentium librorum materias commendatio. 429.
Taciti laus. 207. 263. 288. 362. 418.
commentatores. 364.
editiones. 408.
vituperatio. 407.
Tarcagnota cenſetur. 207.
Teleſius (Bernhardus) qvis fuerit, qvidqve docuerit? 173. ſ.
Tempus qvantum, & qvale litteris tribuere poſſit nobilis. 460.
ſuum cuiqve labori dandum eſt. 460. ſ.
Terentius Ethnicus & Chriſtianus laudantur & cenſentur. 242. 243. 262.
à Bœclero editus commendatur. 398.
Terra de multis nos monet. 324.
Tertulliani laus. 216.
Theologi indocti olim. 22. ſ.
Theologia præſtantiſſima ſcientiarum omnium eſt. 47.
de illa qvinam judicent. 451.
Theologiæ Studioſi notantur ob inſignia in iis occurrentia vitia. 446.
Θεόπνευστοι qvi dicantur? 37.
Theophraſti Characteres eorumqve optima editio. 397.
Theophylacti Simocattæ laus. 362.
Theſauri (Emanuelis) Genealogia Patriarcharum laudatur. 438.
Thilonis (Valentini) Topologia Oratoria laudatur. 250.
Thomæ Aqvinatis ſermones & libri adverſus Gentes laudantur. 206. 216,
Thuani laus. 188. ſ. 811. 347. 367. 373. ſ. 384.
editiones. 667. ſ.
Thucydidis laus. p. 362.
Tibullus notatur. 204.
Tinea qvid doceat? 332.
Tiro malè ſcribitur per y. 235.
Tituli locorum communium Oratoriorum. 269.
epiſtolares ſelecti. 270. ſ.
Toloſanus cenſetur. 360.
Trapezuntius notatur. 203.
Turcas contra qvi ſcripſerint p. 219. ſ.
Turſelini laus. 266. 289.
Scripta. ibid.
Tycho laudatur. 210.
Typographia magnum ſtudiis adminiculum præbet. 26.
Vadianus laudatur ab his, culpatur
ab

ab illis. 458.
Valerius Max. notatur. 93.417.ſ.
Valla notatur. 203. 311.
Varianda oratio eſt. 436.
Varronis ſtilus. 202.
Vechettus de anno ſacro notatur. 209.
Vechnerus (David) laudatur. 68.
Vellejus Patercul. notatur. 93.
ejus editiones. 364.
laudatur. 417.
Venatio ipſa, & an principes deceat, multis explicatur. 122.ſ. 138.ſ.
apud Græcos & Romanos non tam benè culta, ac apud nos. 134.
Auctores de Venatione ſcribentes. 122. 134.
Venetas res qvi tradiderint. 189.
Verbera abſint à ſtudiis. 462.ſ.
Vernacula lingva præ ceteris excolenda. 247.451.
Verſiones è Germanico in Latinum, & contra, qvàm utiles. 436.
Verulamii (Franciſci) Hiſtoria Henrici VII. laudatur. 371.419.
Vetuſtius qvô qvid eſt, eô carius. 99.
Videor malè ponitur cum præpoſitione *qvod*. 245.
Vigilantia neceſſaria. 331.
Vinarienſium Biblia Germanica laudantur. 450.
Virgilius laudatur. 203.265.288. 401.
Vitam ſuam propriam qvi ſcripſerint, qvidqve de hoc habendum? 384.
Vitarum ſcriptores utiles. 287. 383.
enumerantur. ibid. ſ.
Vivis (Joh. Ludov.) Dialogi laudantur. 238. 346.
Unus aliqvis ſcriptor in unaqvavis diſciplina eligendus, qvem ſeqvamur, cuiqve eam ad diſciplinam nobis obſervata & lecta adſcribamus. 429.
Volaterrani laus & vituperium. 218.
Voſſii (Ger. Joh.) Grammatica laudatur. 346.
Inſtitutiones Oratoriæ. 400.454.
Partitiones. 432.
Voſſius (Dionyſ.) laudatur. 266.
Urbanus VIII. Papa laudatur. 204.
Urſi qvid moneant. 329.
Urſini (Joh. Henr.) Atrium Latinitatis laudatur. 432.
Vultus animi index eſt. 443.ſ.
Weiſii liber de Argutis inſcriptionib. 439.
Xenophon cenſetur. 193.
laudatur. 217.362. 385.
Ximenii (Roderici) Hiſtoria Hiſpanica laudatur. 366.
Zamoſcii (Joh.) elogium. 310.
Zieglerus in Grotium de Jure Belli & Pacis præ ceteris interpretibus commendatur. 459.
Zinanus (Gabriel) laudatur. 394.
Zolkievius dux laudatur. 309.
Zuchei Elementa juris commendantur. 459.

FINIS.

EMENDANDA.

p. 280. b. v. 3. in notis â fine pro *Parſiis* lege *Pariſiis*. p. 297. b. v. 7. in notis pro *bacchuretur* lege *baccharetur*. p. 304. b. in notis v. 4. pro *erunt* lege *eunt*. p. 291. in notis b. v. 15. pro *ſuo cuiqve pro arbitrio*, pone, *ſua autem cuiqve pro arbitrio excerpendi eſt methodus : mihi verò probatur in rebus & ſententia notabilia.* (Hæc enim omnia omiſſa ſunt in editione Lipſenſi, qvâ uſus ſum; at reperi poſtmodum in Pariſina anni M. DC. LV. in 8t.)

[illegible]

Digitized by Google